



# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,  
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS  
ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 865) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

### RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA  
ECCLESIAE SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS,  
PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ;  
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS  
DETECTIS AUCTA ;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUIUS NOMENTI  
SUBSEQUENTIBUS, DONATA ;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM  
DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM  
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA ; SED PRÆSERTIM DUBIIS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO  
SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNISQUISQUE

PATRUM, ABSQUE ILLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ;  
ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIVIUM QUINAM PATRES ET

IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS,

A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS,  
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS

TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER  
SIMILIS, PRÆTERTINQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODOICA ET CHRONOLOGICA,

SIXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,

PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES,

LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

### SERIES GRÆCA,

IN QUÆ PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE GRÆCÆ  
A S. BARNABA AD PHOTIUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

*Bibliothecæ Cleri universæ.*

SIVE

CURSUS COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIAE, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA.  
LATINA, JAM PENITUS EXARATA, VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, AC QUINQUE-  
VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM  
TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALI AMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEEDIT NU-  
MERUM. POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCA VOLU-  
MINA RETINETUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE  
FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRÆTERTINQUE HUIUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM  
INTEGRAM SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT : SECUS ENIM CUIUSQUE VOLUMINIS AMPLITU-  
DINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRÆTIA ÆQUABUNT.

### PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS LVI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

EXCUEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,  
IA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM  
SEU PETIT-MONTROUGE.

1859





SÆCULUM V, ANNUS 407.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΙΩΑΝΝΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ,

ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ,

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

S. P. N. JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERA OMNIA QUÆ EXSTANT,

VEL QUÆ EJUS NOMINE CIRCUMFERUNTUR,

AD MSS. CODICES GALLICANOS, VATICANOS, ANGLICANOS GERMANICOSQUE; NECNON AD SAVILIANAM ET FRONTONIANAM EDITIONES CASTIGATA, INNUMERIS AUCTA; NOVA INTERPRETATIONE UBI OPUS ERAT, PRÆFATIONIBUS, MONITIS, NOTIS, VARIIS LECTIONIBUS ILLUSTRATA; NOVA SANCTI DOCTORIS VITA, APPENDICIBUS, ONOMASTICO ET COPIOSISSIMIS INDICIBUS LOCUPLETATA

OPERA ET STUDIO D. BERN. DE MONFAUCON, MONACHI BENEDICTINI E CONGR. S. MAURI.

EDITIO NOVISSIMA, IIS OMNIBUS ILLUSTRATA QUÆ RECENTIUS TUM ROMÆ, TUM OXONII, TUM ALIBI, A DIVERSIS IN LUCEM PRIMUM EDITA SUNT, VEL JAM EDITA, AD MANUSCRIPTORUM DILIGENTIOREM CRISIM REVOCATA SUNT,

ACCURANTE J. - P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

---

TOMUS SEXTUS.

---

VENEUNT 18 VOLUMINA 200 FRANCIS GALLICIS.

EXCŪDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM,  
SEU PETIT-MONTROUGE.

1859



# ELENCHUS

## OPERUM QUÆ IN HOC TOMO LVI CONTINENTUR.

Interpretatio in Isaiam prophetam, capita VIII.	col. 11
Homiliæ VI in Oziam seu de Seraphinis.	93
Homilia in locum illum Isaiæ : <i>Ego Dominus Deus feci lumen, etc.</i>	141
Homilia in locum illum Jeremiæ : <i>Domine, non est in homine via ejus, etc.</i>	153
Homiliæ II de prophetiarum obscuritate.	163
Interpretatio in Danielelem, capita XIII.	193
Homilia in illud Joannis : <i>Filius ex se nihil facit, etc.</i>	247
Homilia de Melchisedeco.	257
Homilia contra ludos et theatra	263
Homilia in illud : <i>Hoc autem scitote, etc.</i>	271
Homilia de perfecta caritate.	279
Homilia de continentia.	291
Sermones II de consolatione mortis.	293
Synopsis Scripturæ sacræ.	313
Homilia in natalem Christi diem.	385
Homilia de Legislatore.	397
Homilia in illud Matthæi, <i>In qua potestate hæc facit, etc.</i>	411
Homiliæ VI in mundi creationem.	429
Homilia de serpente.	499
Epistola ad Theodorum Mopsuestenum.	517
Spuria.	517

### MONITUM.

Forsitan miraberis, Lector benevole, quod, dum in omnibus tum præcedentibus tum subsequituris S. Joannem Chrysostomum SS. Patribus versio Latina ad textum Græcum columna ad columnam accedit, in hac nostra ejusdem S. Doctoris editione, pagina Latina juxta Græcam paginam tantum ponatur. Hæc causa fuit et quidem unica, quod priusquam nobis in animo fuisset integram SS. Patrum Ecclesiæ Græcæ traditionem contexere, jam quindecim abhinc annis seorsim edideramus Latine tantum S. J. Chrysostomi opera, litterisque mandaveramus immobilibus. Res cum ita se haberent, et nec in manu esset litteras immobiles movere, neque in animo hujuscæ editionis mere Latine novem delere volumina quæ jam integre typis immobilibus mandata erant et pluris quam sexaginta millibus constiterant francis, hunc feliciter invenimus modum, non tamen sine opera et impensa, hæc aptandi huic editioni novæ, quæ sic lingua tum Græca tum Latina ditata evadit.

Ex typis MIGNÉ, au Petit-Montrouge.

# Præfatio

## IN TOMUM SEXTUM.

Ad sextum jam Tomum pervenimus, ubi multa nova et insignia comparent, de quibus omnibus jam abunde præfati sumus in Monitis ante initium singulorum de more præmissis. Ibi vero omnia quæ in disceptationem quæstionemque vocari poterant expendimus. Etsi autem universa, quæ menti succurrebant, quæque lectori facem præferre posse videbantur, protulerimus, secundis tamen curis, uti solet, quædam accessere notitiæ, quas hic efferre non gravabimur, postquam de imperfecto in Isaiam Commentario, qui primus occurrit, nec prævio Monito gaudet, quædam et quidem necessaria præmiserimus.

### § I. De Commentario imperfecto in Isaiam prophetam.

Hic Commentarius non modo inter *authentica*, sed etiam inter præstantissima computandus, si stylum spectes, si orandi genus, si ethica præcepta et morum institutionem. Quæritur primo num hæc umquam concionando dixerit Chrysostomus, an vero sibi tantum scripserit atque in scriniis servavit. Hinc Antiochiæne an Constantinopoli hanc interpretationem concinnaverit: demum an huic Commentarium imperfectum, qui usque ad medium tantum capituli octavi producit, vel perfecit Chrysostomus, vel perficere in animo habuerit.

Primam quæstionem, num videlicet hæc præsentem populo concionando protulerit, solvere non ita facile est. Certe non paucis in locis populum alloqui videtur, id quod animadvertere est per totum secundum caput, et in tertio quoque capite, ubi illa explanans Chrysostomus, quæ Isaias contra mulierum sui temporis luxum et ornatus varios protulerat, ea ipsa in sævi Christianas mulieres, pari morbo laborantes, transfert S. antistes. *In his porro, inquit cap. 3, n. 10, col. 53, non sine causa eum immoratus; sed quia noxius ille morbus in hominum ædes ingressus est ob mulierum mollitiem, amor videlicet ornamentorum, qui pecuniarum impensas auxit, in sumptus intempestivos homines conciciens, ac belli, dissensionis et quotidianæ litis causa est, pauperumque ventres atterit. Cum enim totas facultates, aut sæpe ultra facultates, mulier in contumeliam corporis sui virum cogat impendere; nam certe contumelia corporis est aurum circumpositum: necesse prorsus est manum retrahere ab elemosyna eroganda: multaque alia hanc orta peccata videre est.* Ante hæc etiam cap. 2, n. 6, col. 33, de illis agens qui avaritia auspiciaque captabant, hæc ad populum proferre videtur: *Multi namque jam sunt qui hoc morbo laborant, qui vitam suam labefactant, qui augurum insaniam se dedunt, Deumque offendunt, et superfluos dolores sibi lucrantur, atque in laboribus pro virtute suscipiendis dissolvuntur, etc.* Alia bene multa occurrunt in hoc Commentario, quæ concionantem Chrysostomum exhibere videntur. Vix tamen putaverim hæc, ut hodie jacent, in cætu populi dicta umquam fuisse; nullum enim in toto Commentario procerum comparet, qualia solet adhibere Chrysostomus, orationis faciendæ et ornandæ auctor locupletissimus; nullus epilogus, nulla in fine moralis exhortatio, Christi vel Trinitatis laude terminata: qui mos tamen perpetuus est Chrysostomi in concionibus. Imo vero etsi multa sint quæ concionanti et cætum alloquenti competere videantur, etsi multa afferantur ex Scriptura, quæ ad persuadendum maxime valeant, hic tamen non habentur tales apostrophæ, quales conspiciamus in Expositionibus in Psalmos. Quamobrem difficile crediderim hæc in cætu populi vel dicta vel lecta fuisse.

Aliud item quærendum iacumbit, nempe Antiochiæne an Constantinopoli huic Commentarium Chrysostomus ediderit, qua de re audiendus Tillemontius, p. 90. « Hoc opus, » inquit ille, « Chrysostomi esse nemo non existimat, atque elegantissimæ specimina præ se fert non vulgaria. De imperio autem Romano quædam hic habentur, col. 33 et 34, ejus statui tempore Chrysostomi congruentia; maxime vero si spectes ea quæ annum 377 præcesserunt. Illud vero operis vel in solitudine, vel cum diaconus esset, fortasse emisit. Nam ex quo tempore presbyter fuit, non videtur sat otii et spatii habuisse, ut tanto edendo operi manum admitteret. » Hanc Tillemontii conjecturam libenter admiserim: certe commode potest susceptum hujusce Commentarii opus in illa tempora rejici, cum nondum cæpto concionandi officio, operam poneret in exercitatione dicendi. Hic frequentia contra Judæos argumenta, unde Christianis contra Judæos tum frequentes fuisse velitationes arguitur: ex iis præcipue, quæ dicuntur cap. 1, col. 23, et per totum caput secundum. Hæc porro contra Judæos pugnam Antiochiæ frequentes erant, ut videas non modo in Homiliis octo contra Judæos T. I, sed etiam passim in aliis Antiochiæ habitis; id quod non perinde advertitur in Constantinopolitanis homiliis. Alioquin autem tot implicatus negotiis Chrysostomus, cum episcopus Constantinopolitanus esset, tanta incumbente rerum præcipuarum sollicitudine, non sat otii habuisse videtur, ut tantum Commentarium aggrederetur. Non deerunt fortasse qui dicant ipsum cum



exsilii otio frueretur hanc suscepisse operam : sed hæc omnia incerta sunt, nec nisi augurando proferri possunt.

Cur autem imperfectum opus remanserit, quis vel conjectura assequi possit? Quæ supersunt autem ad medium tantum capituli octavi pertingunt. Ubi animadvertas velim, illam in capita divisionem, quæ in hisce Commentariis observatur, a quodam nupero, secundum divisionem hodiernæ Vulgatæ nostræ inventam fuisse. Priscis enim temporibus, apud Græcos maxime, aliæ diversæque obtinebant in capita divisiones. Commentarium vero numquam a Chrysostomo perfectum absolutumque fuisse arbitror : sed cum animo perficiendi cæpisset, ingruentibus negotiis alio fortasse abductus fuerit.

Interpretationem porro Latinam Godefridi Tilmanni, utpote *paraphrasticè* adornatam, ac verbis inutilibus redundantem, rejecimus, novamque paravimus. Certe is cum ratione pugnare videtur, qui Chrysostomum, quo nullus in dicendo locupletior, ita de Græcis in Latinum convertit, ut nova adhuc in interpretatione verborum redundantia compareat.

Ad Homilias in Oziam et de Seraphinis nihil novi proferendum habemus, sed satis sunt ea quæ diximus in Monito, col. 93-98. Nec quidpiam suppetit circa duas sequentes homilias addendum iis, quæ in Monitis singularum ibidem narravimus : idipsumque dicimus de duabus Homiliis de Prophetiarum obscuritate.

Commentarium in Daniele non sine aliquo scrupulo inter germana Joannis nostri opera locavimus. Dictio certe Chrysostomi est ; genus interpretandi a Chrysostomi more non discedit : sed tam compendiosam narrationem in sancti doctoris operibus vix reperias ; non solet quippe ille ita jejune et exiliter disserere. Quamobrem dicamus oportet cum Cotelero et Tillemontio, opus a Chrysostomo tentatum, non absolutum fuisse. Neque tamen talem esse hanc nostram opinionem puto, ut adimere omnem adversam suspicionem possit.

In duas vero sequentes homilias, quas non ita pridem ex Manuscriptis eruerat v. cl. Benzelius, quantum satis erat, diximus in Monitis. Hoc unum addere libet, nos priorem, quæ inter præstantissimas numeranda, edidisse ad fidem Ottoboniani Codicis, unde ego exscripsi Romæ, qui Codex longe accuratior est Anglicano, quo usus est Benzelius.

Quod spectat autem Homiliam contra Circenses ludos et theatra, qua pulchrior altera non est in Chrysostomi scriptis, quamque nunc primum a nobis erutam publicavimus, quid sentiremus, quid de anno, imo de die qua habitæ fuerit statuendum putaremus, abunde diximus in Monito ad eandem. Verum quia *secundæ curæ potiores sunt*, novam eamque gravissimam difficultatem circa tempus et diem habitæ concionis ex ipsis Chrysostomi verbis oririprehendimus, qua de re jam nobis agendum incumbit.

§ II. *Disquisitio circa tempus et diem quo habitæ fuit egregia illa Concio contra ludos Circenses et theatra, quam nuper erutam edidimus, col. 263 et sqq.*

Ut intelligatur, qua in re difficultas versetur, retractanda sunt ea quæ in Monito diximus, repetenda illa quæ circa tempus et diem habitæ concionis dicuntur initio homiliæ. Jam annum unum emensus erat Chrysostomus in episcopatu Constantinopolitano, etenim annus tandem est elapsus ex quo in vestram civitatem advectus sum : cum ordinatus ergo fuisset anno 398, atque ut ait Socrates, 26 Februarii, jam secundum episcopatus annum agebat. Illo igitur anno feria quarta hebdomadæ cujusdam irrumpente pluvia ingenti atque omnia secum trahente, et ab ore, ut ita dicam, agricolarum mensam rapiente, comatas spicas dejiciente, cæteraque omnia per humidæ materiæ copiam devastante, litanæ et supplicationes fuere, etc. Diximus autem post Chrysostomum hæc feria quarta accidisse : ait enim, uno tantum interposito post tantam alluviem die, ludos Circenses in Parasceve editos fuisse. In Parasceve igitur, quidam ex grege Christianorum relicta ecclesiæ concione, ad spectaculum concertantium equorum transfugerunt, atque ita debacchati sunt, ut totam urbem vocibus clamoribusque repleverint.... Ne ipsam quidem diem reveriti, in qua symbola salutis generis nostri consummata sunt. Verum in Parasceve (a), cum Dominus tuus pro orbe crucifigebatur, et sacrificium tale offerebatur, paradisis aperiabatur, et latro in antiquam reducebatur patriam, maledictio dissolvebatur, peccatum delebatur, diuturnum tollebatur bellum, Deusque reconciliabatur cum hominibus, atque omnia mutabantur : in illa die in qua jejunare oportebat, confiteri, et gratias precando referre ei qui tot bona orbi contulit : tunc tu relicta ecclesia et sacrificio spirituali, fratrumque cætu, atque jejunii gravitate, captivus a diabolo ad illud spectaculum abductus es.

Hæc ita pathetice effert Chrysostomus, ut putaverim Parasceven illam, quam tantopere celebrat ille, esse feriam sextam hebdomadæ sanctæ, ac proinde illa omnia, quæ pluribus recenset S. antistes, in hebdomade sancta accidisse : fateorque me hanc sententiam amplexum fuisse. Verum contra illam gravissimæ insurgunt difficultates, quarum alteram primo perceptam exposui in Monito, estque hujusmodi : In concione ait Chrysostomus, *ante tres dies imber ingens*. Imber autem ille decidit feria quarta hebdomadæ, quinta feria nihil memoratur accidisse, in Parasceve ludi equestres multos ex catholicis abduxerunt ; Sabbato iidem ipsi Christiani theatrorum spectacula adierunt. Hinc vero sequi videtur hanc homiliam ipsa die Dominica habitam fuisse, inter quam diem et feriam quartam præcedentem retro numerando tres intercede-

(a) Hæc intelligenda esse de die Veneris ante Pascha ex eo probatur, quod in illa ipsa die evenerat quæ hic memorat, et quod jejunium magnum seu quadragesimale in medio proferatur.

bant dies pleni et integri, Sabbatum, Parasceve et feria quinta. Sed si homilia in die sancto Paschæ habita fuerit, cur ne verbum quidem in concione tota de resurrectione Domini habetur? Nam etsi dici fortasse possit Chrysostomum illo die, ut indignationem suam in eos, qui theatra diebus sanctis adierant, exoneraret, concionem habuisse, nihilque aliud cogitasse: an potuit in die sancto Paschæ nihil omnino de tanta celebritate ne carptim quidem loqui? Si vero in sequentem diem homiliam mittamus, alia exsurget difficultas; non enim tres tantum dies, sed quatuor pleni et integri intercedent; ac licet dici possit Chrysostomum tres dixisse dies non supputando, sed tempus circiter assignando, certe vix in animum inducere possis, Chrysostomum contra eos qui in Parasceve ad ludos Circenses accurrerant, et Sabbato theatra obscœnis spectaculis plena adierant, nihil dixisse de Paschatis die Sabbatum illud insequente, si vere fuisset illa hebdomada sancta.

Altera neque minor ex verbis ipsis Chrysostomi oritur difficultas. Imber ille ingens, inquit, omnia trahebat, comatas spicas dejiciebat, *στάχυας κομῆνας καταλίθων*, id est secundum litteram, spicas comatas ut se inclinarent cogebat, quibus verbis tempestatem messi proximam indicat (a). Quomodo autem id intelligi queat de campis quales sunt in eunte Aprili, herba viridi nempe, non comatis spicis, repleti: siquidem hoc anno, si fidendum Tabulis Paschallibus, Pascha incidit in sextam Aprilis diem? Ut ut vero est, comatæ spicæ non possunt vel ineunte vel medio Aprili in agris erigi.

Quid vero si dicamus hæc ad hebdomadam sanctam non referri, sed ad aliam hebdomadam mense circiter Junio, quando spicæ comantes in agris observantur circa Constantinopolin? Hoc pacto certe difficultates omnes solverentur: videndum ergo an Parasceve illa, in qua symbola salutis generis nostri, in qua Dominus pro orbe crucifigebatur, etc., possit de qualibet feria sexta seu Parasceve intelligi. Apud Græcos utique Parasceve pro feria sexta accipitur: Parasceven enim diem Veneris esse ait Clemens Alexandrinus Strom. VII, p. 744, et Chironicon Anonymi manuscriptum a Carolo Gangio in Glossario Græco allatum hæc de Constantino magno habet, *Constantinus multas leges pro Christianis tulit, jussitque Parasceven et Dominicam honorari, illam propter crucem Domini, hanc propter resurrectionem.*

Hic certe videtur Chrysostomus de alia Parasceve loqui, quam de illa quæ in hebdomada sancta celebrabatur; alioquin enim annon de Sabbato sequenti loquens, quo pars Christiani populi ad theatra se contulit, objurgaturus illos erat quod in vigilia ipsa sanctissimi Paschatis ad profana et lasciviæ plena illa spectacula se contulissent?

De cæteris quæ sequuntur opusculis, quæque in Editionibus Chrysostomi Græco-Latinis non exstabant, satis diximus in Monitis ad singula. Quæ Monita prudens lector legere ne omittat; sunt enim ea mente concinnata, ut majorem ex homiliarum lectione fructum percipiat.

### § III. De Synopsi Scripturæ sacræ, et cur Chrysostomus in recensione librorum Novi Testamenti Pauli Epistolas ante Evangelia ponat.

Synopsis Scripturæ sacræ ex Manuscripto quodam Coisliniano desumpsimus; Codex autem ille mutilus in multis locis erat: nam præterquam quod in Veteri Testamento plurima desiderabantur, tota Novi Testamenti Synopsis deerat, quam tamen ab se concinnatam ipse auctor in præmio testificatur. Quapropter nihil non egimus, ut si qua in aliis bibliothecis laterent, quorum accessione sartum tectum opus dare possemus, ea nobis amicorum ope mitterentur exscripta. Ubi vero comperi alium ejusdem Synopseos Codicem exstare Lugduni Batavorum in bibliotheca, quæ olim Isaaci Vossii fuerat, virum doctissimum Abrahamum Gronovium rogavi ut mihi eorum quæ in Manuscripto nostro deerant copiam faceret, annotationes diligentissime iis quæ Manuscriptus noster contineret. Ille autem vir eruditus et humanissimus, ea omnia quæ in nostro Codice desiderabantur, diligenter exscripsit, ut transmitteret mihi; cum autem is cui apographum suum dederat mihi transmittendum, summa usus negligentia, illud amisisset, et pessum dedisset, eandem iterum vir ille, non sat a me laudandus, curam, eundem laborem suscepit, perfecit atque misit, cui ego immortales habeo gratias. Synopsis igitur ex hisce duobus Codicibus exceptam edidi: ipsique Diatribam præmisi, in qua pluribus probavi Chrysostomi notas et indicia multa in illa haberi quæ ejus genuinum esse opus suaderent: neque tamen calculum omnino ea de re tuli, sed ut par erat, me eruditorum ea de re sententiam expectare professus sum, ut non meo tantum, sed litteratorum per orbem judicio opus Chrysostomo assereretur.

Argumenta porro ad eam rem bene multa protuli; sed aliud superest non omittendum, ac vel ea de causa proferendum quod aliquid singularitatis præ se ferat. In fine Proëmii ad Synopsis librorum Novi Testamenti enumerationem sic orditur Chrysostomus: *Sunt autem Novi Testamenti libri Epistolæ quatuordecim Pauli, quatuor Evangelia, duo discipulorum Christi Joannis et Matthæi, duo autem Lucæ et Marci, quorum alius Petri, alius Pauli discipulus fuit.* Et sic catalogum ad finem usque prosequitur. Itaque librorum Novi Testamenti recensionem parans, ab Epistolis Pauli orditur, et post Epistolas illas Evangelia numerat, contra quam in aliis omnibus etiam antiquissimis Scripturæ sacræ catalogis observabatur: siquidem hic ordo ubique comparet, ut primum quatuor Evangelia, hinc Actus apostolorum, postea Epistolæ Pauli, demum Epistolæ, quas catholicas appellabant, numerentur. Licet enim Scripturæ omnes paræ sint auctoritatis, paræque fidem exigant, utpote quæ Spi-

(a) Quis vero Chrysostomi dictionem translatam proprio sensu accipiat? Nam in hujus orationibus mense Aprili jam invenire licet spicas comatas, quas apud agricolas Junio demum reperias.



ritam sanctura primum habeant auctorem, aliquis tamen ordo in libris sacris enumerandis a principio constitutus est. Verum Chrysostomus ita Paulum amabat, ut ipse non semel in scriptis suis testificatur, ut quavis minima data occasione, si Paulus concionanti sese offerret, si semel ille Pauli mentionem faceret, non posset ulterius a Paulo discedere: ait enim ipse *infra*, col. 146, cum inter concionandum Paulum attulerat, ulterius relinquere non posse, et a proposito argumento abduci. Tali igitur modo erga Paulum affectus Chrysostomus quatuordecim Epistolas Pauli ante quatuor Evangelia posuit, neque hic tantum, sed etiam capite secundo in Isaiam, col. 27, sic ait: *Non enim quemadmodum Pauli Epistolæ et Evangelia in unum collecta sunt, ita et prophetiæ: sed, quod dixi, diversis temporibus.* Neque tamen ideo

SANCTI PATRIS NOSTRI

## JOANNIS CHRYSOSTOMI

OPERA OMNIA.

### INTERPRETATIO

IN ISAIAM PROPHETAM (a).

*Locus Isaiæ prophetæ; sanctorum et prophetarum amor erga populos; nullus ad suscipiendam rempublicam aptior quam philosophus.* — Hujus prophetæ excellentiam ex ipso maxime ejus opere percipere licet: illam vero perfectius declarat Paulus, qui accuratius omnibus ejus virtutes noverat, utpote qui tanta cum plenitudine Spiritus loqueretur. Ejus enim loquendi libertatem, animum minime servilem, excelsam mentem, magnamque in prophetia de Christo perspicuitatem ostendens, hæc omnia uno verbo complexus est dicens: *Isaias autem audet, et dicit (Rom. 10. 20): Inventus sum a non querentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant (Isai. 65. 1).* Multa item commiseratione plenus erat. Non modo enim contra populi amentiam insurgebat, neque tantum libera lingua, et animo sublimiore imminentes illis ærumnas cum multa fiducia prænuntiabat, sed etiam in ipsis calamitatibus non minus quam ii qui in ipsas inciderant dolebat et cruciatur, acerbiusque lugebat quam ii ipsi qui malis premebantur. Atque omnium, ut ita dicam, prophetarum sanctorumque talis mos erat, ut vel patrum amorem affectu erga contribules, quos regebant (b), superarent, et naturæ tyrannidem longo

spatio anteirent. Nemo enim, nemo usque tanto amoris affectu erga prolem flagrabat, quanto illi ad mortem usque erga eos quos moderabantur, lacrymantes, lugentes, pro illis dira patientibus Deum obsecrantes, simul abducti in miseriarum consortium; nihil non agentes et patientes, ut illos a superna ira et ab ingruentibus rebus tristibus eriperent. Etenim nihil ad suscipiendam rempublicam aptius, quam anima philosophiæ plena misericordiæ addicta. Ideo Moysen illam magnum in administrationis publicæ solium Deus evexit, quia ille prius suum erga populum amorem operibus exhibuerat, posteaque dicebat: *Si quidem dimittis illis peccatum, dimitte; sin minus, et me dele de libro quem scripsisti (Exod. 32. 31. 32).* Et ille ipse [Isaias] illos cernens percontans, dicebat: *Dimittis me, amare febo. Ne contendatis consolari me super contritione filie generis mei (Isai. 22. 4).* Jeremias vero post urbis excidium longas edidit lamentationes. Ezechiel porro cum illis profectus est, tolerabiliusque putabat in aliena, quam in propria terra degere, e re maxime fore existimans, si calamitate oppressis ad consolationem præsens esset, aliorumque res curaret ac dirigeret. Daniel autem pro reditu illorum viginti et plures

(a) Collata est cum Ms. Regio 1933, quem unicum habemus, et cum variis lectionibus, quas Savilius ad calcem octavi Tomi edidit ex Ms. Bavarico.

(b) Prophetarum subditos hic dicit Judæos. Id quod sane verum esse potuit sub Moysæ et Samuele. Verum erga alios propiætas quomodo subditi prophetarum dici poterant Ju-

dæi? Hic vero nulla potest suspicio esse mendii; nam hæc vox paulo post repetitur. Subditos autem prophetis Judæos hic dicere puto Chrysostomum, quia in iis quæ religionem et cultum Dei spectabant, prophetis obsecrabantur, vel obsequi jubebantur.

putandum est Joannem nostrum Epistolas Pauli Evangelii præposuisse, sed parum interesse putabat, ultra prima ponerentur, quoniam, ut jam dixi, omnia sciebat ex eodem Spiritu promanavisse.

Ad opuscula sequentia satis sunt ea quæ in Monitis præfati sumus. Unum restat admonendum, nempe dixisse nos in Monito ad Homiliam de Legislatore, Florilegia in fine hujusce Tomi edendæ a nobis esse. Id scilicet initio decreveramus. Verum postea cum advertissemus fore ut in nimiam molem cresceret hic Tomus, si Florilegia in fine ederemus, illa in alium Tomum cadenda misimus.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

## ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ

### ΕΡΜΗΝΕΙΑ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΡΟΦΗΤΗΝ ΗΣΑΙΑΝ.

Τοῦ προφήτου τούτου τὸ ἑξαιρετὸν μάλιστα μὲν καὶ αὐτόθεν ἔστιν ἰδεῖν, δείκνυσι δὲ αὐτὸ ἐντελέστερον ὁ πάντων ἀκριβέστερος τὰς ἀρετὰς αὐτοῦ εἰδὼς Παῦλος, ὡς Πνεύματι τοσοῦτω φθειγγόμενος. Τὴν γὰρ ἐλευθεροστομίαν αὐτοῦ, καὶ τὸ φρόνημα τὸ ἀδούλωτον, καὶ τὴν ὑψηλὴν γνώμην, καὶ τὴν πολλὴν ἐν τῇ περὶ τοῦ Χριστοῦ προφητεία σαφήσειαν ἐνδεικνύμενος, ἅπαντα ταῦτα ἐνὶ ῥήματι παρίστησεν εἰπὼν· Ἐσθλαὶ δὲ ἀποστολῆ καὶ λέγει· Εὐρέθητε τοῖς ἐμὲ μὴ ἠποδοῦν· ἐμφανὲς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπρωεῶσι. Ποῦ δὲ αὐτοῦ καὶ τὸ συμπαθές. Ὁ γὰρ δὴ μόνον κατεξανίστατο τῆς τοῦ δήμου μαρτίας, οὐδὲ διεσθέρη γλώττη καὶ ὑψηλότερα γνώμην τὰ μέλλοντα αὐτοῦς κατελήφεσθαι ἕστησεν μετὰ πολλῆς ἀπήγγειλε τῆς παρρησίας, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς τῶν πραγμάτων περιπτώσειν αὐτῶν οὐκ ἔλαττον τῶν ἐμπικόντων ἀλγεῖ καὶ δάκνεται, καὶ πικρότερον τῶν ἀλότων ἰδύρεται. Καὶ πάντων δὲ, ὡς εἰπεῖν, τῶν προφητῶν καὶ τῶν ἁγίων τοιοῦτον τὸ ἔθος· πατέρων φιλοστοργίαν τῇ περὶ τοῦ ἀρχομένου ἀπέκρυψαν διαθήσει, καὶ τὴν τῆς φύσεως τυραννίδα ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντου [2] υπερηκόντισαν. Οὐδεὶς γάρ, οὐδεὶς ποτε φιλόποις οὕτω τῶν ἐχθόνων περιεκαίετο, ὡς οὗτοι τῶν ἀρχομένων ὑπεραπέθνησκον, ὀδυρόμενοι, θρηνοῦντες, κακῶς πασχόντων αὐτῶν τὸν Θεὸν παρακαλοῦντες, συναπαγόμενοι, κοινωῶντες τῶν δεινῶν, πάντα καὶ ποιῶντες καὶ πάσχοντες, ὥστε αὐτοῦς ἐξελεῖσθαι καὶ τῆς ἀνωθεν ὀργῆς, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων ἐπιδρομῆς. Καὶ γὰρ οὐδὲν οὕτως ἐπιτῆδειον εἰς ἀρχῆς αἵρεσιν, ὡς ψυχὴ φιλόσοφος καὶ συν-

αλγεῖν ἐπισταμένη. Διὰ τοῦτο καὶ Μωδοῖα τὸν μέγαν ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς δημαγωγίας ἀνεβίβασαν ἔθεος, ἐπειδὴ προλαβὼν διὰ τῶν ἔργων ἐπεδείξατο τὴν ὑπὲρ τοῦ δήμου φιλοστοργίαν, καὶ μετὰ ταῦτα ἔλεγεν, Εἰ μὲν ἀρεταὶ αὐτοῖς τῆς ἀμαρτίας, ἀφ' ἧς ἐπέκει μὲν ἐξάλειψον ἐκ τῆς βίβλου ἧς ἐγραψάτε. Καὶ αὐτὸς οὗτος ὁρῶν ἀπολλυμένους αὐτοῦς, ἔλεγον· Ἄρετέ με, πικρῶς κλαύσομαι. Μὴ κατισχύσητε παρακαλεῖν με ἐπὶ τὸ σύντριμμα τῆς θυγατρὸς τοῦ γένους μου. Ὁ δὲ Ἱερεμίας καὶ θρήνους μακροὺς συνέθηκε, τῆς πόλεως κατενεχθείσης. Ἰεζεκιὴλ δὲ καὶ συναπέθλη, καὶ τὴν ἀλλοτρίαν τῆς οἰκίας κωφετέραν εἶναι ἐνόμιζε, μέγιστον εἰς παραμυθίαν τῆς συμφορᾶς ἔχων τὸ παρεῖναι τοῖς κάμνουσι, καὶ διορθοῦν τὰ ἐτέρων πράγματα. Καὶ ὁ Δαυιδ δὲ ὑπὲρ τῆς ἀνόου τῆς τούτων εἰκοσι καὶ πλείους ἡμέρας διέμενεν<sup>α</sup> ἄσιτος, καὶ πᾶσαν σπουδὴν ἐπεδείξατο, τὸν Θεὸν ἱκετεύων ἀφεθῆναι τῆς πικρᾶς δουλείας αὐτοῦ. Καὶ τῶν ἁγίων δὲ ἕκαστος ἐντεῦθεν φαίνεται λάμπων. Οὕτω καὶ ὁ Δαυιδ ὁρῶν τὴν θεήλαστον ὀργὴν ἐκείνην ἐπὶ τὸν δῆμον φερομένην, ἐφ' αὐτὸν ἐκάλει τὴν πληγὴν, λέγων· Ἐγὼ ὁ ποιμὴν ἡμῶν, καὶ ἐγὼ ὁ ποιμὴν ἐκακοποίησα· καὶ οὗτοι, τὸ ποιμνίον, τί ἐποίησαν; Γενέσθω ἡ χεὶρ σου ἐπ' ἐμοί, καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ

<sup>α</sup> Reg. ἀπολλυμένους αὐτόν, male. Ille autem αὐτὸς οὗτος, qui ex serie verborum videtur Moyses esse, est Isaias, ex cap. 22, v. 4.

<sup>β</sup> Reg. διέμεινεν.



πιρρός μου. Καὶ Ἄδραξ μὲν ὁ πατριάρχης πόρρω τῶν κακῶν ἐστῆκεν, καὶ οὐδὲν ἔχων κοινὸν πρὸς τὰ καταληψόμενα τοὺς ἐν Σοδόμοις κακὰ, ὡς ἐν αὐτοῖς μέτοις τοῖς δεινοῖς ἐμβαθεῶς, οὕτω παρεκάλει καὶ ἰδέετο τοῦ Θεοῦ, καὶ οὐδ' ἀν' ἀπίστη πάντα ποίων καὶ λέγων, ὥστε λύσαι τὸν χαλεπὸν ἐμπρησμὸν ἐκείνου, εἰ μὴ ὁ Θεὸς αὐτὸν ἀφελὲς ἀπέληθεν. Οἱ δὲ ἐν τῇ Καινῇ καὶ μείζονα ἐπαδείξαντο ταύτης τὴν ἀρετὴν, ἅτε καὶ πλείονος ἀπολαυκότες χάριτος, καὶ πρὸς μακρότερα κληθέντες σκάμματα. Διὰ τοῦτο καὶ Πέτρος ἀκούων τοῦ Χριστοῦ λέγοντος, ὅτι τοῖς πλουτοῦσι δυσκολωτάτη ἡ πρὸς τὸν οὐρανὸν εἴσοδος, ἡγωνία καὶ ἔσπεμα, καὶ πύσιν προσῆγε λέγων· *Τίς ἄρα δύναται σωθῆναι*; καίτοι γε ὑπὲρ τῶν καθ' ἑαυτὸν θαρρῶν πραγμάτων. Οὐ γὰρ τὸ ταυτῶν ἐσιώπησεν· ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐπρόντιζον. Καὶ Παῦλος δὲ δι' ὧν οὗτο ἡμῖν ἀναδείκνυται τῶν ἐπιστολῶν ὅς οὐδὲ τὸν Χριστὸν ἰδεῖν ἠθέλησε πρὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας, οὕτω λέγων· *Τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, κρεῖσσον, τὸ δὲ ἐπιμείναι τῇ σαρκὶ ἀναγκαϊότερον δι' ἡμᾶς*. Τοιοῦτον καὶ οὗτος ἡμῖν διατηρεῖ τὸν χαρακτήρα ὁ προφήτης, καὶ λέγων τὰς ἀποφάσεις τοῦ Θεοῦ μετὰ πολλῆς [3] τῆς παρήφης, καὶ ἐπιτιμῶν τοῖς ἁμαρτάνουσιν, καὶ παρακαλῶν αὐτὸν συνεχῶς καὶ διὰ μακρῶν τῶν λόγων παροξυνόμενον κατ' αὐτῶν καὶ τοῦτο μάλιστα πρὸς τῷ τέλει τῆς προφητείας ἐστιν ἰδεῖν, τίως δὲ αὐτῶν ἀναγκαῖον ἀρξασθαι τῶν προμικῶν.

ΚΕΦΑΛΑ Α'.

Ὅρασις, ἣν εἶδεν Ἡσαίας.

α'. Ὅρασις καλεῖ τὴν προφητείαν, ἣ διὰ τὸ πολλὰ τῶν ἐκθεσομένων ἐπ' αὐτῆς ὄραν τῆς βίβως· ὡς ὁ Μιχαῖλα εἶδε τὸν λαὸν ἰσπαρμένον· καὶ ὁ Ἰεζεκιὴλ τὴν αἰχμαλωσίαν καὶ τὴν παρανομίαν τῶν τὸν ἥλιον προσκυνοῦντων καὶ τὸν θαμοῦζην· ἣ διὰ τὸ τὴν ἀκοὴν τῶν προφητῶν τὴν ἐκ τοῦ Θεοῦ γενομένην αὐτοῖς μηδὲν ἑλαττον ἔχειν τῆς βίβως, ἀλλ' ὁμοίως πληροφορεῖν, ὅπερ ἐν τοῖς βιωταῖς οὐκ ἔστι. Ὅτι γὰρ ἐτέρως ἤκουον παρὰ τοὺς λοιποὺς τῶν ἀνθρώπων, φησὶ· *Προσθήμῃ μοι ὡρίων ἀκούειν*. Ποιεῖ δὲ καὶ τὸν λόγον ἀξιώπιστον, ὅρασις εἰπὼν, καὶ ἀνίστησι τὸν ἀκρατήν, καὶ παραπέμπει πρὸς τὸν τὰ πράγματα δεῖξαντα. Ἔθος γὰρ αὐτοῖς ἅπασιν τοῖς παρὰ τοῦ Θεοῦ διαπορθμεύουσι τὰ λεγόμενα, τοῦτο πρὸ τῶν ἄλλων κατασκευάζειν, ὡς οὐδὲν εἰκοθεν φέγγονται, ἀλλ' ὅτι θεοῖο χρησμοὶ τινὲς εἰσι τὰ λεγόμενα, καὶ γράμματα ἐκ τῶν οὐρανῶν καταβάντα. Οὕτω καὶ ὁ Δαυὶδ· *Ἡ γλῶσσά μου κάλαμος γραμματέως δευγράζου*. Μὴ τοίνυν τοῦ καλάμου νόμιζε εἶναι τὰ γράμματα, ἀλλὰ τῆς κατεχούσης αὐτὸν δεξιᾶς, τουτέστι, μὴ τῆς γλώττης τοῦ Δαυὶδ, ἀλλὰ τῆς κινούσης αὐτὸν χάριτος. Καὶ ἕτερος δὲ προφήτης τοῦτο αὐτὸ ἐνδεικνύμενος ἔλεγεν, ὅτι *Διὰ λόγους ἤμην, φησὶ, συκάμυνα κρίζω*· ἵνα μὴ ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ τὰ λεγόμενά τις λογισθῆται. Καὶ οὐδὲ τούτῳ ἠρκέσθη μόνον, ἀλλὰ καὶ ἕτερον τι προσέθεικεν εἰπὼν· *Ἀλλὰ μὴν ἐγὼ ἐνεπλήσθημι ἰσχύος ἐν Πνεύματι Κυρίου, καὶ κρῖματος, καὶ δυναστείας*. Οὐ γὰρ δὴ μόνον σοφούς αὐτοῖς ἡ χάρις, ἀλλὰ καὶ ἰσχυροὺς εἰργάζετο, οὐ τῆ τοῦ σώματος κατασκευῆ, ἀλλὰ τῆ

γνώμῃ. Ἐπειδὴ γὰρ πρὸς δῆμον εἶχον ὁ ἱερεὺς καὶ ἀναίσχυντον, αἱμάτων διψῶντα προφητικῶν, καὶ σπαραγίς ἀγίων ἐμμελετώντα, εἰκότως πολλῆς ἔδειντο τῆς δυνάμειος, ὥστε μὴ καταπλαγθῆναι τὴν ἀφαιτον αὐτῶν ῥύμην. Διὰ δὲ τοῦτο τῷ μὲν Ἰερεμίᾳ φησὶ, *Τέθεικά σε ὡς στύβλον σιδηροῦν, καὶ ὡς τείχος χαλκοῦν*· τῷ δὲ Ἰεζεκιήλ δ', *Ἐν μέσῳ σκοπῶν σου κατοικεῖς, μὴ φοβηθῆς ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, μηδὲ ποιοθῆς*. Καὶ Μωϋσῆς δὲ, ἥνικα ἀπεστέλλετο, οὐχὶ τὸν Φαραὼ δεδοικώς, ἀναδύεσθαι μοι δοκεῖ μόνον, ἀλλ' αὐτὸν μάλιστα τὸν δῆμον τῶν Ἰουδαίων. [4] Τῷ γοῦν Θεῷ διαλεγόμενος, καὶ τὸν βάρβαρον ἀφελὲς, μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς μαθεῖν ἐζήτηε, τί δεῖ πρὸς αὐτοὺς εἰπεῖν ἀπιστοῦντας, ὅτι δὴ παρὰ Θεοῦ ἀριγύμνος εἴη· καὶ τὰ σημεῖα τῆς ἐκείνου ἔνεκεν ἐλάμβανε γνώμης· καὶ μάλα εἰκότως. Εἰ γὰρ εἰς αὐτὸν οὕτως ἐφόδησε, καὶ ταῦτα εὐεργετηθεῖς, τί εἰκὸς ἦν αὐτὸν παθεῖν ἔνοουντα τὸν ἀτακτον δῆμον ἐκείνου; Διὰ δὲ τοῦτο οὐχὶ σοφίας μόνον, ἀλλὰ καὶ δυνάμειος ἐλάμβανε Πνεῦμα, καὶ ἔλεγεν· *Ἐνεπλήσθημι ἰσχύος ἐν Πνεύματι Κυρίου, καὶ κρῖματος, καὶ δυναστείας*. Καὶ ἕτερος δὲ πάλιν· *Ῥῆμα Θεοῦ ἐγένετο πρὸς Ἰερεμίαν τὸν τὸν Χαλκοῦν*. Καὶ ἕτερος δὲ πάλιν· *Δημιον Νινευ. Βιβλίον ὁδοσέως Ναοὺμ τοῦ Ἐλκασαίου*. Καὶ αὐτὸς γὰρ οὗτος ἐτέρῳ ῥήματι τὸ αὐτὸ τοῖς προτέροις ἀναδείκνυται, τοῦ Πνεύματος τὴν κατοχὴν λῆμμα καλίστας. Ἐπειδὴ γὰρ λαμβανόμενοι ὑπὸ τοῦ Πνεύματος οὕτως ἔλεγον, τὴν ἐνέργειαν τῆς χάριτος οὕτως ὠνόμασε.

Διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος πανταχοῦ προτίθησι τῶν Ἐπιστολῶν τὸ τῆς ἀποστολῆς ὄνομα, ὅπερ οἱ προφηταὶ ἐποίου διὰ τοῦ λέγειν, ὄρασις, καὶ λόγος, καὶ λῆμμα, καὶ ῥῆμα, τοῦτο διὰ τοῦ τῆς ἀποστολῆς κατασκευάζων ὀνόματος. Ὅσπερ γὰρ ὁ λέγων ὄρασις καὶ ῥῆμα Θεοῦ, οὐ τὰ οἰκία φέγγεται, οὕτω καὶ ὁ ἀπόστολος αὐτὸν καλῶν, οὐ τὰ παρ' αὐτοῦ διδάσκει, ἀλλ' ἅπερ ὁ ἀποστέλλων ἐκέλευσεν· Ἄποστολὸν γὰρ ἀξίωμα, μηδὲν οἰκοθεν ἐπεισάγειν. Διὰ καὶ ὁ Χριστὸς ἔλεγε· *Μὴ ἡ καλίστα διδάσκαλος ἐπὶ τῆς γῆς· εἰς γὰρ ὧμῶν ἐστίεν ὁ διδάσκαλος ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*· δεῖναι, ὅτι πᾶσα τῶν παρ' ἡμῖν δογμάτων ἡ ἀρχὴ τὴν ῥίζαν ἀνωθεν ἔλαβεν ἐκ τοῦ τῶν οὐρανῶν Δεσπότου, κἂν ἄνθρωποι ὡς πρὸς τὰ λεγόμενα διακονοῦμενοι. *Ἦν εἶδεν Ἡσαίας*. Τὸ πῶς ὀρώσιν οἱ προφῆται ταῦτα, ἅπερ ὀρώσιν, οὐχ ἡμέτερον εἰπεῖν· οὐ γὰρ δυνατόν ἐρμηνευθῆναι λόγῳ τὸν τρόπον τῆς βίβως· ἀλλ' ἐκείνους μόνους οἶδε σαφῶς, ὁ τῆ πεῖρα μαθῶν. Εἰ γὰρ φύσειος ἔργα καὶ πάθη πολλάκις οὐδεὶς ἂν παραστήσειε λόγῳ, πολλῶ μᾶλλον τὸν τρόπον τῆς τοῦ Πνεύματος ἐνεργείας. Εἰ δὲ ἀμυδραῖς εἰκόσιν ἀποχρησάμενοι δεῖ κατατολιμῆσαι, οὐκ ὥστε τὸ σαφὲς παραστήσαι, ἀλλ' ὥστε αἰνίγματι παραστήσαι. ἔμοι δοκεῖ ταῦτα καὶ ἐπὶ τῶν προφητῶν γίνεσθαι, ὅλον ἂν εἰ ἡ καθαρῶν ὁδῶν φύσις ἡλιακᾶς ἀκτίνας δεξιμένη καταυγασθεῖη, οὕτω καὶ τῶν προφητῶν τὰς ψυχὰς, καθαιρομένης οἰκείᾳ ἀρετῇ πρῶτον, ὁποδῆσθαι τὴν τοῦ Πνεύματος ὁδρεάν, καὶ πρὸς τὴν λαμπρότητα ποιουμένης ἐκείνην, οὕτω δέχασθαι τῶν μελλόντων τὴν γνῶσιν. Ἰδὸς

\* Savil. putat deesse λέγειν aut προσέειναι, vel simile quiddam. Boisius legendum esse ἦγον existimat. An desit aliquid non esse affirmare: nam apud Chrysostomum huiusmodi ἀποστροφῆς non paucis occurrunt.  
\* Interpretes legerat διὰ δὲ τοῦτο τῷ μὲν Ἰερεμίᾳ ὁ Θεὸς φησὶ... τῷ δὲ Ἰεζεκιήλ, et sic Bavaricus. Regius vero Codex διὰ δὲ τοῦτο μὲν Ἰερεμίᾳ φησὶ... τῷ δὲ Ἰεζεκιήλ, male. Thmannus optime legit.  
\* Sic recte Savil. et Reg. Morel. vero Ninvei, καὶ βιβ.  
† Reg. male ὁ ἀπόστολος· ἐκέλευσεν.  
\* Sic Bavaricus Codex recte. Editi παραστήσαι.

a Reg καταληψόμενα τοῖς.  
b Prius Editi habebant δι' ὧν... ἐπιστολῶν, quod putat Savilius dici posse eadem ratione qua dicit ipse Chrys. in psalms. xlvii, πανταχοῦ τῶν ἐπιστολῶν. — Malo tamen lectionem mutare, et δι' ὧν legere; imo sic legitur in Bavarico.

dies jejunos mansit, nullamque non sollicitudinem adhibuit in supplicando Deo, ut illos ab amara servitute redimeret. Singuli quoque sancti hoc splendoris genere fulgent. Sic et David immissam in populum iram Dei cernens, in se vindictam revocabat dicens: *Ego pastor peccavi, et ego pastor malum perpetravi: et isti, qui grex sunt, quid fecerunt? Fiat manus tua super me, et domum patris mei* (2. Reg. 24. 17). Abraham vero patriarcha, cum procul esset a malis, et nihil commune haberet cum pernicie illa Sodomitae invasura, quasi ipse in mediis calamitatibus consisteret, ita Deum precabatur et rogabat, neque finem facturum erat supplicandi ut diram incendium averteret, nisi Deus illo dimisso abiisset. Sancti porro Novi Testamenti majorem exhibuere virtutem, utpote majori gratia donati, et ad diuturniora certamina vocati. Ideo Petrus Christum audiens dicentem, divitiis difficillimum esse caelorum ingressum, angebatur et tremebat, atque ita sciscitatus est: *Quis ergo potest salvari* (Luc. 18. 26)? etiamsi circa res suas consideret. Non enim de rebus suis, sed de orbo solliciti erant. Paulus certe per omnes Epistolas suas illud indicat: qui prius habebat hominum salutem, quam Christum videre, ita dicens: *Resolvi, et cum Christo esse, melius est, manere autem in carne magis necessarium propter vos* (Philipp. 1. 23. 24). Talem nobis servat formam hic propheta; Dei namque sententias cum magna fiducia profert, peccatores increpat, ipsumque contra illos exasperatum longis frequenter sermonibus placat; quod in fine maxime prophetiae videre est. Tandem ipsum adendum est prophetiae exordium.

#### CAPUT I (a).

##### *Visio quam vidit Isaius.*

1. Visionem vocat prophetiam, vel sic loquitur, quod multa eorum quae eventura erant sub aspectu haberet; quemadmodum Michæas vidit populum dispersum (3. Reg. 22. 17); et Ezechiel captivitatem ac praevaricationem eorum qui solem et Thamuzem adorabant (Ezech. 8. 14): vel quia id quod prophetæ a Deo audiebant, ipso rerum conspectu nihil minus haberet, sed perinde fidem faceret, secus quam in rebus hujus mundi. Quod cum alio audirent modo, quam reliqui homines, id ille ait: *Addidit mihi aurem ad audiendum* (Isai. 50. 4). Sermonem autem fide dignum reddit eum ait, *Visio*, auditoremque excitat, et ad eum qui res exhibuit transmittit. Mos enim erat omnibus, qui Dei dicta in alios transmittabant, illud ante alia constituere, se nihil a semetipsis loqui, sed divina ab se proferri oracula et scripta ex caelis delata. Sic David aiebat: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis* (Psal. 44. 2). Ne putes igitur literas ex calamo prodire, sed ex dextera tenentis eum; id est, non ex lingua Davidis, sed ex gratia ipsam movente. Alius vero propheta id ipsum declarans dicebat: *Caprarius eorum syconorus evellens* (Amos 7. 14); ne quis dicta

humanae sapientiae adscriberet. Neque hoc dicto contentus fuit, sed aliud addidit his verbis: *Sed ego repletus sum fortitudine in Spiritu Domini, et iudicio, et potentia* (Mich. 3. 8). Gratia quippe illos non modo sapientes, sed etiam fortes efficiebat, non corporis constitutione, sed mente. Quia enim cum populo rem habebant audace et impudente, ac sanguini prophetarum inhiante, sanctorumque caedem moliente, multa certe illi egebant fortitudine, ut ne eorum impetum formidarent. Ideo Jeremiae dicitur, *Posui te ut columenam ferream et ut murum æreum* (Jer. 1. 18); Ezechieli autem, *In medio scorpiorum tu habitas, ne timeas a facie eorum, neque formides* (Ezech. 2. 6). Moyses quoque cum mitteretur, non Pharaonem tantum, sed et populum Judaicum metuens, recusasse mihi videtur (Exod. 4. 10). Deum igitur alloquens, barbaro dimisso, ediscere ingenti studio peroptabat, quid dicendum ipsis esset non credentibus, se a Deo missum accedere; signaque accepit ad illorum mentem subigendam opportuna: et merito quidem. Nam si unus illorum ipsum ita exterruit, et quidem beneficio affectus, quid passum esse verisimile est turbulentum illum populum mente revolvemem? Ideo non sapientiae modo, sed etiam fortitudinis Spiritum accepit, et ideo dicebat ille: *Repletus sum fortitudine in Spiritu Domini, et iudicio, et potentia* (Mich. 3. 8). Aliusque iterum: *Verbum Dei factum est ad Jeremiam filium Chelciae* (Jer. 1. 1). Et alius rursus: *Assumptio Ninives. Liber visionis Nahum Elcesæi* (Nahum. 1. 1). Ille ipse quoque Isaias altero verbo id ipsum quod prius declarat, Spiritus participationem vocans assumptionem. Quoniam enim a Spiritu assumpti sic loquebantur, operationem gratiae ita vocavit.

*Apostolus a Deo missus, ut nomen ipsum sonat. Nativitas non ex majoribus, sed ex merito propria.*— Idcirco Paulus omnibus Epistolis apostolatus nomen praemittit: quod etiam prophetae faciebant, cum dicerent, visio, et verbum, et assumptio, et sermo; id ipsum ille per apostolatus nomen efficiebat. Sicut enim is, qui dicit visionem et sermonem Dei, non propria effert: sic et qui seipsum apostolum vocat, non sua docet, sed ea quae jussit is qui misit. Apostoli namque dignitas est per se nihil offerre. Idcirco dicebat Christus: *Ne vocatis magistrum super terram: unus enim est magister vester, qui est in caelis* (Math. 23. 10); ostendens omne dogmatum nostrorum principium, radicem desuper ex caelorum Domino accepisse, etiamsi homines sint qui ad illa ministrant. *Quam vidit Isaias.* Quomodo haec, quae vident prophetæ, videant, dicere non nostrum est; visionis quippe modum non possumus interpretari; sed ille solum clare novit, qui experientia didicit. Etenim si naturae opera et affectus saepe nemo explicare potest, multo minus modum operationis Spiritus. Quod si obscuris imaginibus audacter quis id aggredi possit, non certe ita poterit ut clarum id reddat, sed in aenigmate id effert. Mihi quidem videtur id ita factum esse in prophetis, ut cum aequae limpidae matura radios solares

(a) Nulla capitulum distinctio habetur in regio Codicis. Imo in veteribus Mss. longe diversus erat capitulum ordo, ut videas in Bibliotheca nostra Constantiniana, de libris Bibliis.

exceptit, tota illustratur, sic et prophetarum animas propria virtute prius expurgatas, donum Spiritus accipere, et ad fulgorem illum concinnatas ita futurorum notitiam admittere. *Filius Amos*. Cur patrem commemorat? Aut ad tollendum æquivocum, aut ut discamus patris vilitatem filii virtutem non obscurare: mobilitatemque esse non ex præclaris majoribus oriri, sed ex propria magnitudine. Hic certe ex ignobili patre natus, omnibus illustrior evasit, propriæ virtutis excellentia fulgens. *Quam vidit contra Judæam et contra Jerusalem*.

2. Cur distincte utrumque locum commemorat? Quia pœnæ divisim inflictæ sunt, diversisque temporibus, Deo id sapienter dispensante, ne omnes una perirent, sed sensim et paulatim, ut abductorum supplicio cæteri resipiscerent. Quod si pharmaco non fuerint, ut par erat, usi; non medici, sed ægrotorum culpa erit. Id autem facit semper et in singulis generationibus, non omnes simul in eadem peccata lapsos plectens; nam alias totum genus nostrum jam olim sublatum esset; sed ab aliis hic pœnas repetit, leviorum hinc illis parvas in alia vita cruciatum: atque æqualibus ipsorum mutationis in melius magnam occasionem suppeditat: illos autem qui neque ex proprio motu, neque ex tali dispensatione quidpiam lucrari volunt, ad inevitabilem et tremendum iudicii diem reservat. *In regno Ozia et Joathan, et Achaz et Ezechia, qui regnarunt in Judæa*. Opportune tempus adjicit, studiosum auditorem remittens ad historiam rerum gestarum. Ita enim prophetia facilius intelligetur clariorque erit, si discamus, qua rerum conditione, et quo in statu Judaicarum plagarum, prophetæ pharmaca concinnarint. 2. *Audi, cælum, et auribus percipe, terra, quia Dominus loquutus est*. Multa plerum est ira hoc exordium. Nisi enim ingens esset et ineffabilis indignatio, nequaquam, missis hominibus, ad elementa sermonem vertisset. Illud vero facit non modo iræ declarandæ causa, sed ut eos qui auditori erant, ingenti pudore suffunderet, ostendens eos qui ratione decorati essent, pejus se habere, quam elementa sensu carentia. Id quod etiam cæteris prophetis in more est. Idcirco is qui ad Jeroboamum missus fuerat, omisso rege ad quem mittebatur, altare alloquitur (3. *Reg.* 15. f. 2): Et Jeremias terram vocabat dicens: *Terra, terra, terra: scribe hunc virum, vitium proscriptum* (*Jer.* 22. 29. 30). Aliusque rursum dicebat: *Audite, valles, fundamenta terræ: Filios genui* (*Mic.* 6. 2). Non commune omnibus hominibus hic ponit beneficium, quod nonne facti essent, sed insigne quodpiam, quod filii effecti essent. Semper enim beneficia inferre incipit Deus. Ac quemadmodum cum hominem crearet, qui non ante fuerat, eum in principio honoravit dicens, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1. 26); in novæ autem lægæ majori nos ornavit beneficio; non solum enim nihil operatos, sed etiam innumeris nullis onustos honoravit per lavacrum regenerationis: ita et licet videre est; nam eos qui non modo in adoptione nihil boni cgerant, sed etiam lapsi fuerant, ho-

noravit. Nec vero quia ante labores honorare solet, post labores mercede privat; sed tunc majora confert præmia. *Et exaltavi*. Quæ in Ægypto, quæ in deserto, quæ in Palæstina gessit, uno verbo carptim tetigit. Mos enim Deo est ob beneficiorum copiam in narratione gestorum non minutatim insistere. *Ipsi autem proverunt ms.* Transgressi sunt, inquit, legem meam, mandata dereliquerunt. 3. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*. Comparationes accusationi accessionem parant, maxime vero cum ex inæqualibus concinnantur: quemadmodum et Christus ait: *Viri Ninivites surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt eam* (*Luc.* 11. 32); ac rursum: *Regina austri surget in iudicio, et condemnabit generationem hanc, quia venit ex finibus terræ audire sapientiam Salomonis* (*Ibid.* v. 31). Rursusque Jeremias ait: *Ite ad insulas Chetium et videte in Cedar. Mittite et cognoscite, si mutabunt gentes deos suos: populus vero meus mutavit gloriam suam, ex quo nihil proficiet* (*Jer.* 2. 10. 11). Docet legem non duram esse, et quantum mensuram exigat ab hominibus, quam bruta, et bruta omnium stupidissima implere possint. Sed dixerit quispiam, illa in natura habent quod cognoscant. Sed possumus ea quæ bruta ex natura sua faciunt ex proposito voluntatis implere. *Cognovit bos possessorem*. Non ex doni excellentia in medium adducit, sed ex nequitia<sup>1</sup> redundantia illorum auget reprehensionem. Quemadmodum enim ad illorum pudorem elementa evocat: ita non hominibus, sed brutis ipsos comparat, ac brutorum stupidissimis, illisque pejores esse ostendit.

5. Idem facit et Jeremias, turturem et hirundinem in medium evocans (*Jer.* 8. 7); et Salomon, nunc ad formicam, nunc ad apem mittens eum qui otiose vivit (*Prov.* 6. 6). *Israel autem me non cognovit* (*Eccle.* 11. 3). Accessio malitiæ est, cum ii qui familiares erant, post tot honores, omnes confertim ad malitiam sponte confugiunt. Non dixit, Jacob, sed, *Israel*, ut ex virtute progenitoris ingratum nepotum animum magis ostenderet. Ille enim animi virtute benedictionem in nomine expressam promeruit: illi vero ob iniquitatem ipsam prodiderunt. *Et populus meus me non intellexit: Me*, inquit, sole clariorem. 4. *Væ genti peccatrici*. Hoc etiam prophetis in more fuit, ut eos lugerent, qui incurabili morbo laborarent. Sic et Jeremias multis in locis; sic et Christus cum dicit: *Væ tibi Chorazi, væ tibi Bethsaida* (*Matth.* 11. 21). Nam hoc etiam doctrinæ species est. Quem enim sermo non potuit reformare, luctus persæpe emendavit. *Populo pleno peccatis*. Alia accusationis accessio, quod omnes, quod admodum [peccatores sint]. *Semini nequam*. Non originem eorum vituperat, sed ostendit eos a prima ætate improbos fuisse. Sicut enim Joannes cum dicit, *Serpentes, gemina viperarum* (*Matth.* 3. 7), non naturam vituperat: non enim dixisset,

<sup>1</sup> Forte melius, Græca lectione aliquantum mutata: Non modo ex doni ipsi concessi excellentia, sed ex nequitia, etc. hæc ex Aileo notavit.

'Αμῶς. Τίνος ἕνεκεν τοὺ πατρὸς μέννηται; Ἡ διὰ τὰς ἁμυνυμίας, ἢ ὥστε μαθεῖν ὅτι οὐδὲν εὐτέλεια πατρὸς ἐπακιάζει παιδὸς ἀρετὴν· οὐδὲ εὐγένεια τοῦτο τὸ ἐκ μεγάλων φῦναι, ἀλλὰ τὸ μεγάλους αὐτοὺς γενέσθαι. Οὐτός τε ἀσήμευ πατὴρ ἴσιν, πάντων φαειρότερος γέγονε· τῆ τῆς οἰκειᾶς ἀρετῆς λάμπας ὑπερβολῇ. Ἦν εἶδε κατὰ τῆς Ἰουδαίας καὶ κατὰ Ἱερουσαλήμ.

num quid efficere. Et ante abductionem, per ipsum rerum aspectum, ait, Vos satis terrore percellat barbarus, totam terram implens barbarorum corporibus. Ideo intulit: *Et erunt castra ejus, ita ut impleant latitudinem regionis tuæ. Nobiscum Deus*. 9. *Scitote, gentes, et vincimini: nuntiate usque ad extremum terræ, et fortitudine valentes vincimini. Si enim iterum prævalueritis, iterum vincimini*. 10. *Et quodcumque consilium inieritis, dissipabit Dominus: et verbum quodcumque loquuti fueritis, non manebit in vobis, quia nobiscum Deus*. Videtur mihi hoc loco Ezechia victoriam prædicere, ac splendidum illud tropæum causamque victoriæ. Etiamsi enim arma apud illos sint, inquit, etiamsi exercitus immensi, et belli peritia, sed auxilium nobis omnium potentissimum nobiscum est, nempe Deus. Venit enim barbarus, ut prius minatus fuerat, et multis captis urbibus accessit: postea vero admotis castris, contraria passus est. Hæc itaque prædicat propheta, causamque victoriæ prædicat, ipsosque barbaros alloquitur. Ne priori, inquit, victoriæ fidatis: in hac enim irruptione maximum nobis adest præsidium. Hoc ipso igitur cognito recedite, utpote qui ea, quæ fieri nequeunt, aggrediamini. Hinc et causam illius victoriæ declarans, et annuntians, famam hæc præclara gesta ad extremos usque terræ fines allaturam esse ait: *Nuntiate usque ad extremum terræ*. Nemo enim non audivit ea quæ tunc Jerosolymis contigerunt. Idcirco ait: *Audite usque ad extremum terræ, et qui fortitudine valetis vincimini*. Magnam quippe gloriam tunc barbarus ob potentiam obtinebat. Fortes autem hic dicit non corpore robustos, sed eos qui pecuniarum copia, et gloriæ splendore conspicui erant. *Si enim iterum prævalueritis*, inquit, *iterum vincimini. Et quodcumque consilium inieritis, dissipabit Dominus: et verbum quodcumque loquuti fueritis, non manebit in vobis, quia nobiscum Deus*. Quia mala apud eos erant consilia, et sperabant se urbem ipsam a fundamentis demolituros esse, et sic domum reversuros, consilia eorum in medium adducit propheta et ait, verborum tenuis omnia remansura esse. Deinde quia res annuntiabat humanam naturam superantes, ut fide dignum sermonem exhibeat, ad dignitatem præclare operantis frequenter confugit dicens, *Quia nobiscum Deus*, et quia hæc omnia machinamenta dissipabit (a). Quoniam ipsi gloria.

(a) Huc desinit Savilius, et asteriscos adjicit, quasi homilia sit mutila. Ac vere mutila videtur, ignoraturque, quorsum processerit Chrysostomus.

## MONITUM

## AD HOMILIAS IN OZIAM SEU DE SERAPHINIS.

Ad Homilias in Oziam hæc notat Henricus Savilius, Tomo 8, in notis col. 722 : « Ex his quinque Orationibus in Oziam Catalogus Augustanus, num. 30, 31, 32, 33, agnoscit quatuor, hoc est, demta quarta cæteras omnes. Et proculdubio omnes γνήσιαι. Primam hanc bis editam Romæ emendavimus ex quatuor scriptis Codicibus, quorum primus fuit interpretis Erasmi, et nunc est in Bibliotheca Universitatis Oxoniensis : secundus ex Bibliotheca Collegii Novi Oxoniensis promptus : tertius ex Bibliotheca Universitatis Cantabrigiæ : quartus mihi a doctissimo Croshavio commodatus; adhibitis etiam Q. Septimii Florentis Christiani, viri multis nominibus orbi Christiano noti, ingeniosis et doctis conjecturis : nam libris Mss., ut videtur, prorsus destituebatur. Porro sciat lector in omnibus fere illustrioribus bibliothecis Italiæ et in Regia Lutetiæ reperiri inter Chrysostomi Manuscripta librum inscriptum, Χρυσοστόμου μαργαρίται : quæ codex nihil aliud continet, quam συναγωγὴν quamdam lectissimam (ut ipsi συναγωγὰν visum est, non magni judicii viro, ut qui pleraque collegerit, inter sua margarita, subfusca ac liventia) orationum Chrysostomi : quo in numero sunt hæc quinque in Oziam, sex contra Judæos, et aliæ ad 70, vel 80 numero; quas omnes suis locis representabimus. Quod monuisse operæ pretium fuit, ne quis in illam συναγωγὴν incidens, aliquid novi se putet reperisse. »

Hactenus Savilius, qui recte observat Homilias illas quatuor in Oziam in Catalogo Augustano, quem dedimus Tomo 1, p. 841, memoratas, esse primam, secundam, tertiam et quintam; unde sequitur, quartam in ejus, qui Catalogum illum jam olim concinnavit, exemplari non fuisse, aut saltem non ibi fuisse eodem positam ordine. Vereque exploratum est, hæc homilias non esse omnes eo ordine, quo habitæ [94] sunt, positas. Prima enim cum secunda non cohæret, videturque dicta longo post secundam tempore; nempe quando, imperium tenente ignavo quodam et boni consilii experte principe, barbari invaserunt, exercitus Romanorum profligatus est, calamitates infmissæ sunt; quæ omnia recenset Chrysostomus num. 4. Hæc porro in Arcadii imperium, quod cœpit anno 395, referenda videntur, ut animadvertit etiam vir sagacissimus Tillemontius. Ad hæc autem prima in Oziam quasi occasione quadam tantum in historiam Oziam et in Seraphinorum visionem incidit : ita ut secunda vel ex modo ordiendi, alio facta tempore aliæque occasione statim videatur. Certe prima diu postea, Arcadii nempe tempore, ut ex conjectura statuitur, dicta fuerit. An verò Antiochiæ, an Constantinopoli, non ita facile est divinare.

Secunda Antiochiæ haud dubie habita est. Id quod ex iis, quæ circa finem homiliæ ait, arguitur; nempe se citius finem dicendi facere, ut loco cedat præceptoris seu διδασκάλου, scilicet Flaviano Antiochiæ episcopo, quod et alibi passim factum deprehendimus. De anno autem non ita facile est vel ex conjectura dicere. Nam quod Tillemontius suspicatur, cum comparat Chrysostomus doctrinam suam recenti vino, doctrinam autem Flaviani vino veteri, se hæc initio sacerdotii sui concionatum subindicare : illud certe vel ipso Tillemontii judicio levissimum est; ejusdem generis est illud aliud indicium, inde sumtum, quod paulo post initium dicit se dignum habitum fuisse qui apud illos concionaretur, κατηξιώθημεν. Nam quid inde inferas, cum certum sit Chrysostomum non primo solum anno, sed etiam secundo, tertio, aliisque, honori sibi haud dubie duxisse quod coram tanta plebe, episcopo sæpe præsentem, concionaretur? Verum aliquam temporis notam, quam non animadvertit Tillemontius, inde sumere licet, quod num. 2 et 3, postquam dixerat Deum Abrahami nomini addidisse literam, ita ut qui Ἀβράμ vocabatur, Ἀβραάμ postea diceretur, ut unius literæ additamento signum principatus ipsi daret; postea subjunxerit : ἀλλὰ περὶ μὲν

ὁνομάτων ἐν ἑτέρῳ καιρῷ διηγήσομαι, *sed de nominibus alio tempore disseram*, quo significat se de mutatione nominum postea dicturum esse; id quod abunde præstitit in quatuor Homiliis de Mutatione nominum, quas habes Tomo 3, ubi de mutatione nominis Abraham agitur, p. 107, et 112, et Sermone nono in Genesim, qui post secundam Homiliam de Mutatione nominum habitus est, ubi etiam de mutatione nominis Abrahæ agitur, p. 691. Certum itaque exploratumque habeo, hanc homiliam eodem anno habitam fuisse quo illæ de Mutatione nominum dictæ sunt, quo etiam Homiliæ in Genesim sexaginta septem; Homiliæ item in Actorum inscriptionem, et aliæ quædam, ut videas Præfatione in quartum Tomum, et in Monito ad Homilias in inscriptionem Actorum Tomo 3. Quis vero sit ille annus, nondum potui probabili conjectura assequi: hæc omnia in annum 388 conjici forte possent.

Homilia tertia aliquanto tempore post secundam habita est, Flavianusque episcopus post Chrysostomam concionatus est; sed hic de Martyribus, Chrysostomus autem de Ozia et de Seraphinis, imo potius de superbia Ozia regis, quæ ipsum præcipitem dedit:

Homilia quarta nullo modo posse creditur ad quintæ seriem deduci; licet enim circa medium de Ozia agatur, nihil est quod suadere posse videatur hanc eodem tempore, eademque in urbe habitam fuisse. Imo vero non desunt quæ subinducunt hanc Constantinopoli fuisse dictam. Quamobrem jure is qui Catalogum operum Chrysostomi γνησίων jam olim concinnavit, hanc non in reliquarum serie posuit. Illum vide Catalogum Tom. 1, p. 841. Hoc autem me movet ut Constantinopoli editam conjiciam; nam id quod dicit σύγκλητον ἔχει καὶ ὑπάτους ἀριθμεῖν ἔχομεν, ὧν ἴσως ἀφθονίαν, θέσεως ἐπιτηδείτητα, *Senatum habet* (nempe urbs), *et consules numerare possumus, venalium copiam, situm commodum*; quod Romæ urbem comparat; quod eam dicit orbis metropolim; hæc nimirum omnia non video posse alteri quam Constantinopoli competere posse; etsi Tillemontius, subdubitando tamen, hæc ad Antiochiam referre conetur. Quapropter hanc extra seriem aliarum reponerem, si per manuscriptos Codices liceret, ubi hic ordo ut plurimum saltem observatur. Hæc porro homilia habita est cum æstus esset ingens, æstatis, ut credere est, tempore.

Homilia igitur quinta tertiam ordine sequuta est, cum illaque convenit, non item cum quarta, quæ alio tempore, alio ut videtur loco, pronuntiata fuit. Sexta autem homilia quintam nativo ordine sequitur, et Antiochiæ habita fuit. Hæc porro sexta homilia dicta fuit paucis diebus ante Quadragesimam, anni fortasse 388: qua de re non omnino constabit, donec quid indicii accesserit.

Quinque priorum interpretatio est Erasmi, quam multis in locis emendavimus; sextæ est Frontonis Ducæi.



## ΕΠΙΑΙΝΟΣ

[95] *Τῶν ἀναρτησάντων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ περὶ εὐταξίας ἐν ταῖς δοξολογίαις. Καὶ εἰς τὸ, εἶδον τὸν Κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένον.* )

α'. Πολλὴν ὀρώ τὴν σπουδὴν ἐνδεικνυμένους ὑμᾶς εἰς ἔργον ἀγαγεῖν τὰ πρῶν ἡμῖν εἰρημένα. Διὰ τοῦτο τοῖνυν ἀόκνως τὰ τῆς διδασκαλίας καγὼ καταβάλλομαι σπέρματα, χρῆσταις ἐντεῦθεν ταῖς ἐλπίσι τρεφόμενος \*. Καὶ γὰρ ὁ γεωργός, ὅποτεν πόνῳ μὲν τὰ σπέρματα καταβάλλῃ, εὐφοροῦσαν δὲ τὴν γῆν καὶ τὰ λῆϊα κομῶντα θεάσεται, τῶν πρῶν ἐπιλανθάνεται κόπων, καὶ πρὸς τὴν ἐξῆς ἐργασίαν τε καὶ συντήρησιν τῷ β' προσδοκωμένῳ διανίσταται κέρβει. Καίτοι πόσον ποριμωτέρα καὶ ἐπικερδῆς αὕτη καθέστηκεν ἢ γεωργία! Ἐκεῖνη μὲν γὰρ τῶν καρπῶν τῶν αἰσθητῶν περιποιουμένη τὴν ἀφθονίαν, σώμασιν ἐναποτίθεται τροφήν· αὕτη δὲ τὴν τῶν λόγων καταβαλλομένη διδασκαλίαν, καὶ τὰ τοῦ Πνεύματος πλεονάζουσα χαρίσματα, τὸν ψυχικὸν ἐναποτίθεται πλοῦτον, τὴν ἀδαπάνητον καὶ ἀκήρατον τροφήν, τὴν μὴ διαλυομένην, μηδὲ φθειρομένην ἀκολουθία ε', ἀλλὰ ἀρρήτων τινὶ συντηρουμένην προνοίᾳ, καὶ νοητὴν τὴν ἀπόλαυσιν ἔχουσαν. Αὕτη τῶν ἐμῶν πόνων ἢ ἐπικαρπία, οὗτος ὁ ἐναποτιθέμενος τῇ ὑμῶν ἀγάπῃ πλοῦτος. Τοῦτον οὖν αὐξανόμενον ἐν ὑμῖν κατανοῶν, χεῖρω διὰ παντὸς, ὡς μὴ εἰκῆ τὰ σπέρματα καταβαλλόμενος δ, ὡς μὴ μάτην τοὺς πόνους ὑπομείνας, ὡς εἰς εὐφορον καὶ λιπαρὰν ἐπισπείρων γῆν, καὶ πρὸς καρποφορίαν ἐπιτηδεῖαν. Πόθεν οὖν τὸ τοιοῦτον καταστοχάζομαι κέρδος; πόθεν εἰς ἔργον τοὺς λόγους προκόπτοντας κατανοῶ; Ἐκ τῆς παρουσίας δηλονότι συνδρομῆς, ἐκ τοῦ τὴν μητέρα πάντων τὴν ἐκκλησίαν μετὰ σπουδῆς ὑμᾶς καταλαβεῖν, ἐκ τῆς παννύχου ταύτης καὶ διηνεκοῦς στάσεως, ἐκ τοῦ τὴν ἀγγελικὴν χοροστασίαν μιμουμένου ἀκατάπαυστον τῷ Κτίστῃ τὴν ὕμολογίαν προσφέρειν. Ὡ τῶν τοῦ Χριστοῦ ὀρωμάτων! Ἄνω στρατιὰ δοξολογοῦσιν ἀγγέλων· κάτω ἐν ἐκκλησίαις χοροστατοῦντες ἄνθρωποι τὴν αὐτὴν ἔχειν οὖς ἐκμιμῶνται δοξολογίαν. Ἄνω τὰ Σεραφίμ τὸν τρισάγιον ὕμνον ἀναβοᾷ· κάτω τὸν αὐτὸν ἢ τῶν ἀνθρώπων ἀναπέμπει πληθὺς κοινὴ τῶν ἐπουρανίων καὶ τῶν ἐπιγείων συγκροτεῖται πανήγυρις· μία εὐχαριστία, ἐν ἀγαλλίαμα, μία εὐφρόσυνη χοροστασία. Ταύτην γὰρ ἢ ἀφρατος τοῦ Δεσπότη [96] συγκατάβασις ἐκρότησε, ταύτην τὸ Πνεῦμα συνέπλεξε τὸ ἅγιον, ταύτης ἢ ἁρμονία τῶν φθόγγων τῇ πατρικῇ εὐδοκίᾳ ε' συνηρμόσθη· ἄνωθεν ἔχει τὴν τῶν μελῶν

εὐρυθμίαν, καὶ ὑπὸ τῆς Τριάδος, καθάπερ ὑπὸ πλήκτρου τινός, κινουμένη, τὸ τερπνὸν καὶ μακάριον ἄνηχέϊ μέλος, τὸ ἀγγελικὸν ἄσμα, τὴν ἀληκτον συμφωνίαν. Τοῦτο τῆς ἐνταῦθα σπουδῆς τὸ πέρας, οὗτος ὁ τῆς συνελεύσεως ἡμῶν καρπός. Διὰ τοῦτο χεῖρω τὴν τοιαύτην καθορῶν εὐδοκίμῃσιν· χεῖρω τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν εὐφροσύνην κατανοῶν, τὴν χαρὰν τὴν πνευματικὴν, τὴν κατὰ Θεὸν ἀγαλλίασιν. Οὐδὲν γὰρ οὕτω περιχαρῆ τὴν ἡμετέραν διατίθῃσι ζῶν, ὡς ἢ ἐν ἐκκλησίᾳ θυμηδία. Ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ τῶν χαίρων συντηρεῖται χαρὰ, ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ τῶν ἀθυμούντων εὐθυμία, ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ τῶν λυπουμένων εὐφροσύνη, ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ τῶν καταπονουμένων ἀναψυχή ε', ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ τῶν κοπιούντων ἀνάπαυσις. Δεῦτε γὰρ, φησὶ, πρὸς με, πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι· κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. Τί ταύτης τῆς φωνῆς γένοιτο· ἂν ποθεινότερον; εἰ τῆς κλήσεως ταύτης ἡδύτερον; Πρὸς εὐχίαν σε καλεῖ ἐν ἐκκλησίᾳ σε καλῶν ὁ Δεσπότης ε', εἰς ἀνάπαυσιν ἀντὶ τῶν κόπων προτρέπεται, εἰς ἄνεσιν ἐκ τῶν ὀδυνῶν μετατίθῃσι, τὸ βάρος τῶν ἀμαρτημάτων κουφίζων· τρυφή τὴν ἀθυμίαν, καὶ εὐφροσύνη τὴν λύπην ἰδίαν. Ὡ τῆς ἀφάτου κηδεμονίας ε'! Ὡ κλήσεως ἐπουρανίου! Σπεύσωμεν τοῖνυν, ἀγαπητοί, αὐτὴν μὲν ἐπιτεινομένην ἐνδείκνυσθαι τὴν σπουδὴν, μετὰ δὲ τῆς προσηκούσης εὐταξίας καὶ τοῦ πρέποντος σκοποῦ ταύτην ἀποπληροῦν ι'. Καὶ γὰρ τὸν περὶ τούτου λόγον ὑμῖν σήμερον κινήσαι βούλομαι, φῶρικόν μὲν εἶναι δοκούντα, ἀνεπαχθῆ δὲ καὶ ὠφέλιμον ὄντα τῇ ἀληθείᾳ. Οὕτω γὰρ καὶ φιλόστοργοι πατέρες ποιῶσιν· οὐ μόνον τὰ πρὸς ὀλίγον χαροποιούντα, ἀλλὰ καὶ τὰ λυπούντα παρεγγυῶνται τοῖς τέκνοις· καὶ οὐ τὰ αὐτὸθεν ἐνδεικνύμενα τὴν ὠφέλειαν παραινῶσιν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ ὅσα δοκοῦσι μὲν εἶναι φορτικά, σωτήρια δὲ εἶναι ἀποπληρούμενα, καὶ ταῦτα μετὰ πολλῆς τῆς ἐπιμελείας διδάσκουσι, καὶ ἀσφαλῶς τὴν αὐτῶν ἀπαιτούσι συντήρησιν. Καὶ τοῦτον προτείνωμεν τὸν λόγον, ἵνα μὴ μάτην τὸν ἐνταῦθα καταβαλλόμεθα πόνον, ἵνα μὴ τὴν τῆς ἀγρυπνίας ὑπομεινοντες ἀνάγκην, ἀνόητως πικτεῶμεν, ἵνα μὴ εἰς ἀέρα διαλυώμεθα αἱ φωναὶ ἐπὶ ζημίᾳ μάλλον ἐνηχοῦντο, καὶ οὐκ ἐπὶ κέρδει. Οὐδὲ γὰρ ἔμπορος μακρὰς μὲν ἔμπορίας στελλόμενος, πολλὴν δὲ τὴν τῶν πνευμάτων ἐμβολὴν καὶ τὴν τῶν κυμάτων ἐπὶ τῇ πατρικῇ et sic legit Erasmus. Duo mss. totum locum sic habent: τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον συνέπλεξε, ταύτην τὴν ἁρμονίαν τῶν φθόγγων ἢ πατρικὴ εὐδοκία συνήρμωσεν, ὥστε ἄνωθεν ἔχει.

\* Aliquot mss. τὰ τῆς διδασκαλίας καταβάλλομεν σπέρματα, χρῆσταις ἐντεῦθεν ταῖς ἐλπίσι τρεφόμενος. Haecseculus lectionem est Erasmus. Infra item aliquot mss. καταβάλλῃ εὐφοροῦσαν.

β' Alius ἐργασίαν τε καὶ ἐπιμελίαν τῷ. Paulo post unus αὐτῆ γέγονεν ἢ γεωργία.

γ' Quatuor διαφθειρομένη ἀκολουθία. Alii, pari ferme numero φθειρομένη ἀκολουθία. Quam postremam lectionem sinceriores putat Boisius in notis Savillii.

δ' Unus σπέρματα κατατιθέμενος. Paulo post alius καὶ λιπαρὰν κατασπείρων.

ε' Edil. τῇ πνευματικῇ εὐδοκίᾳ. Manuscripti fere omnes

ε' Alii καταπονουμένων παραμυθία, quod idem est: unus καταπονουμένων εὐφροσύνη.

ε' Duo mss. ἐν ἐκκλησίᾳ ὁ Δεσπότης. In aliquibus sic post ἐκκλησίᾳ deest. Infra legisse videtur Erasmus τρυφή et postea εὐφροσύνη: sed eodem redit sententia.

ε' Quidam ὁ τῆς αὐτοῦ κηδεμονίας, et sic legit Savillius. Ibid. quidam μὴ ἀποκάμωμεν τοῖνυν, ἀγαπητοί, ἐκτετακμένῳ μὲ ἐνδείκνυ.

ι' Alii ἀνακληροῦν.

## HOMILIA

IN LAUDEM EORUM, QUI COMPARUERUNT IN ECCLESIA, QUÆQUE MODERATIO SIT SERVANDA IN DIVINIS LAUDIBUS. ITEM IN ILLUD, VIDI DOMINUM SEDENTEM IN SOLIO EXCELSO (α) (Isai. 6. 1).



1. *Prædicatio cum agricultura comparatur. Chrysostomus de concursu auditorum gaudet. Laus ecclesiastici conventus.*—Conspicio vos multo studio adnites, ut ad effectum perducatis, quæ heri a nobis dicta sunt: eoque nunc haud gravate semen doctrinæ jacimus, quod hinc bona spes alit animum nostrum. Nam et agricola, cum non sine labore quidem semina jecit, sed videt terram feracem segetemque proventu exuberantem, superiorum laborum obliviscitur, atque ad reliquum operæ conservationemque priorum lucri expectatione excitatur. Verum hæc agricultura quanto feracior quantoque lucrosior est? Nam illa quidem frugum sensibilium copiam adferens, corporibus reponit alimoniam: hæc vero dum sermonum jacit doctrinam, spiritualiumque donorum abundantiam adfert, animi divitias recondit, alimoniam quæ nec consumi, nec vitari potest, redditus qui neque pereunt, neque ævo corruptuntur, sed arcana quadam et ineffabili providentia conservantur, quorum usus fructus mente percipitur. Hic est meorum laborum proventus, hæc sunt opes quas vestræ caritati recondimus. Has itaque cum considero in vobis augescere, gaudeo semper, ut qui non frustra sementem jecerim, ut qui non incassum labores pertulerim, ut qui in frugiferam pinguemque terram, et ad fructificandum idoneam semen jecerim. Unde igitur hoc lucrum fore conjecto? unde perspicio sermones ad opus proficere? Nimirum ex hoc concursu, ex eo quod ecclesiam omnium matrem studiose occupatis, ex hac pernocte perpetuaque statione, ex eo quod angelicorum ordinum stationem imitantes sine cessatione laudes et hymnos offertis Creatori. O mira Christi dona! In supernis exercitus angelorum canunt gloriam: in terris homines in ecclesiis choros agentes ad illorum exemplum eadem canunt laudis cantica. In supernis Seraphim ter sanctum illum hymnum clamant: in terris eundem hominum promittit multitudo, committerque tum cælestium, tum terrestrium festinus conventus congregatur: una gratiarum actio, una exultatio, una gaudetis choreæ statio. Hanc enim ineffabilis Domini sese ad nos demittentis bonitas constituit, hanc Spiritus congregavit sanctus: hujus vocum concentus

paterno beneplacito<sup>1</sup> congruit: e cælis habet modulorum consonantiam, dum a Trinitate velut a plectro quopiam movetur, delectabile illud ac felix resonat melos, illam angelicam cantionem, illum desinere nescium concentum. Hic est studii præsentis finis, hic conventus nostri fructus: eoque gaudeo talem conspicens celebritatem: gaudeo dum animorum vestrorum lætitiâ considero, dum gaudium spirituale, dum secundum Deum exultationem. Neque enim ulla res tantum adfert gaudii vitæ nostræ, quantum hoc quod ex animo gaudeatis in ecclesia congregati. In ecclesia gaudantium conservatur gaudium, in ecclesia animo dejectorum est recreatio, in ecclesia dolentium est voluptas, in ecclesia defatigantium respiratio, in ecclesia laborantium requies. *Venite enim, inquit, ad me omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos (Matth. 11. 28)*. Quid hac voce possit esse desiderabilius? quid hac invitatione jucundius? Ad epulum te vocat qui in ecclesiam te vocat Dominus, ad requiem pro laboribus adhortatur, ad relaxationem a molestiis transfert, pondus peccatorum allevans, deliciis animi molestiam, gaudio mororem sanat. O ineffabilem curam! o vocationem cælestem! Festinemus itaque, dilecti, ut eandem summam alacritatem exhibeamus, et cum convenienti modestia considerationeque decente hanc consummemus<sup>2</sup>. Et enim de hoc vobis hodiernum sermonem movere volo, in speciem quidem molestum, cæterum levem, vereque utilem. Sic enim et amantes liberorum patres faciunt: non solum ea quæ ad breve tempus delectant, verum etiam quæ molestiam afferunt illis adhibent; nec ea modo præcipiunt eis, quæ statim ostendunt utilitatem, sed quæcumque videntur quidem esse molesta, salutaria tamen sunt, si perficiantur, et hæc multa cura docent, diligenterque exigunt ab eis ut serventur. Atque hunc sermonem producimur, ne præsertim laborem frustra insumamus, ne

<sup>1</sup> Edit., *Spiritus beneplacito*. Mss. fere omnes habent, *paterno beneplacito*, et sic le. it. Erasmus, eamque nos lectionem adoptamus. Certum quippe videtur Chrysostomum tres personas Trinitatis hic commemorare voluisse, ut ex serie liquet. Duo Mss. totum locum sic habent: ..... *Spiritus sanctus congregavit: hunc vocum concentum, patrum beneplacitum coaptavit, ita ut e cælis habeat*, etc.

<sup>2</sup> Quidam: *Ne igitur nos lædeat, dilecti, inopiam nostram, quæ quidem maxima est, modestiam et congruam adhibentes attentionem, satiare.*

<sup>3</sup> Hæc homilia collata sunt cum Codicibus Regiis 1819, 1852, 1856, 1960, 1963, 1964, 1975, 2364, et Colbertinis 241, 1030, et 3035.

sustinentes vigilæ necessitatem inutiliter in pugilum certamine versemur, ne voces in aerem dissolutæ ad detrimentum sonent potius, quam ad lucrum. Neque enim negotiator e longinquo merces importans, vehementem ventorum incursum undarumque exorientium procillas sustinens, frustra et incassum susciperet ejusmodi labores: verum ideo maria sulcat, et audax est adversus pericula, locaque locis commutat, totasque noctes ducit insomnes, ut negotiatione ditescat. Quod si non contingat, sed cum lucro etiam sortis jacturam faciat, ne solvere quidem ancoram poterit, nec illa varia perferre discrimina.

2. *Moralis exhortatio. Quorundam incompositi gestus in ecclesia.* — Hoc itaque scientes, cum decente circumspeditione huc accedamus, ne pro peccatorum remissione etiam accessionem peccatis adjunctam donam referamus. Quid autem est quod quaeritur, quodque a nobis repositur? Ut dum divinos hymnos emittimus, multo tremore contracti, multaque religione ornati, ita demum eos offeramus. Nam sunt quidam inter eos qui hic adsunt, quos ne vestrae quidem caritati arbitror esse ignotos, qui contemnentes Deum, ac Spiritus eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, incompositas voces emittunt, nihiloque melius se gerunt, quam lymphati, toto corpore tumultuantes ac circumacti, moresque præ se ferentes a spirituali statione alienos. Miser et infelix! oportebat te cum tremore ac reverentia angelicam glorificationem emittere, cumque terrore confessionem reddere Conditor, ac per hanc delictorum veniam postulare: tu vero mimorum et saltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus jactas, pedibus subsultas, totoque circumageris corpore. Et qui fit, ut non metuas, neque horrescas hæc audens adversus talia eloquia? Non cogitas ipsum hic invisibiliter adesse Dominum, qui uniuscujusque motum metitur, et conscientiae rationem habet? non cogitas angelos huic stupendæ assistere mensæ, cumque reverentia hanc circumvallare? Verum tu ista non cogitas, quoniam ea quæ in theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt (a): et ideo quæ illic geruntur in Ecclesiarum ritibus inducis: ideo clamoribus nihil certi significantibus animum incompositum vulgas. Quomodo ergo veniam postulabis tuorum delictorum? Quomodo ad misericordiam Dominum inflectes, qui usque adeo contemptim offeras precationem? *Miserere mei, Deus*, inquis, ac mores a misericordia alienos declares. Clamas, *Serva me*, et corporis speciem a salute alienam exprimis. Quid ad supplicandum conferunt manus, quæ semper in sublime jactantur, et indecore circumaguntur, quid clamor vehemens, qui cum violento spiritus impulsu strepitum habet nihil certi declarantem? Annon ista quidem partim mulierum in triviis meretriciam artem exercentium, partim vero eorum, qui in theatris vociferantur, sunt opera? Quomodo igitur audes angelorum Deum glorificantium hymnis dæmonum admiscere ludicra? quomodo autem

(a) Hic exagitat eos qui theatra et Circum frequentabant; bene multi autem Antiochiæ erant, quos perpetuo inactatur Chrysostomus.

non revereris hanc vocem, quam illic profers, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore (Psal. 2. 11)*? Hoccine est cum tremore servire, sic diffundi distendique, ut nec ipse scias, quæ loquaris incomposito vocis boatu? Istud vero contemptus est, non timoris; arrogantia, non humilitatis; istud ludentium est potius, quam divinas laudes celebrantium. Quid ergo servire Domino in timore? Cum omne præceptum perfecimus, cum tremore et metu hanc confessionem facere, corde contrito menteque submissa preces offerre. Nec solum servire in timore, verum etiam exsultare cum tremore Spiritus sanctus per prophetam jubet. Nam quoniam præcepti exsequutio gaudium gignere solet in animo virtutem exercentis, et hanc, inquit, confessionem cum tremore facere convenit, ne si deposito metu confundamur ac dissolvamur, simul et laborum jacturam faciamus, et Deum in nos provocemus. Sed quomodo, inquis, fieri potest, ut quis exsulet cum tremore? Nam impossibile est simul hæc duo accidere, cum inter hæc plurima sit differentia. Gaudium enim est eorum, quæ desiderat animus, expletio, rerumque jucundarum fruitio, ac molestarum oblivio; metus autem expectatorum malorum incursum, oriens adversus condemnatam conscientiam. Quomodo igitur licet exsultare cum timore, nec simpliciter cum timore, sed etiam cum tremore, qui est timoris vehementia, et immodicæ cujusdam anxietatis signum?

*Quantum gaudium afferat Seraphim fruitio visionis Domini, et cur illud gaudium metu sit mixtum.* — Quomodo igitur, inquis, hoc fiet? Ipsa te Seraphim doceant, quæ re ipsa tali ministerio funguntur. Nam illa ineffabili gloria Conditoris fruuntur, dum incomprehensibilem ejus pulchritudinem contemplantur: non dico illam ut est natura (hæc enim incogitabilis est, nec spectari potest, nec figura exprimi, absurdumque est sic de illa opinari); sed quantum concessum est, quantum ex illo splendore possunt illustrari. Quoniam enim assidue famulantur in circuitu solii regalis, in jugi gaudio perseverant, in sempiterna delectatione, in exsultatione finem non habitura, gaudentia, saltantia, citra ullum silentium gloriam canentia. Nam stare in conspectu majestatis illius, deque splendore illinc refulgente illuminari, hoc illis est gaudium, hoc illis est exsultatio, hoc voluptas, hoc denique gloria. Fortassis sensistis aliquid voluptatis, et cupiditas quædam illius gloriæ vos cepit.

3. At si velitis adhortantem audire, præsentemque gloriæ divinæ celebrationem religiose peragere, non destituet vos hujusmodi gaudium, siquidem ipse est ille Dominus, qui et in cælis et in terris glorificatur: *Pleni sunt enim cæli et terra gloria ejus (Isai. 6. 3)*. Quomodo fit igitur, ut illa Seraphim, cum ejusmodi voluptate fruuntur, hanc cum timore misceant? Audi quid dicat propheta: *Vidi Dominum sedentem in solio excelso et elevato. Quam ob causam cum dixisset Excelsum, adjecit, Elevatum?* annon satis erat per celsitudinem rem totam significare, declarareque dignitatis eminentiam? quare ergo addidit, *Elevatum?* U

ἐνάστασιν ὑπομένων, καταδέχαιτο ἂν εἰκῆ καὶ μάτην τοῖς τοιοῦτοις ὑπομένειν κόπους· ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἂ καὶ πελάγη τέμνει, καὶ κινδύνον κατατολμᾷ, καὶ τόπος ἐκ τόπων μεταμειβεί, καὶ ἄσπυρος πάσας διατελεῖ νύκτας, ἵνα τὰ τῆς ἐμπορίας αὐτῷ πλεονάζῃ. Ὡς εἴ γε τοῦτο μὴ προσῆ, ἀλλὰ σὺν τῷ [97] κέρδει καὶ ἡ τῶν κεφαλαίων αὐτῷ ἐπιγένηται ζημία, οὐδὲ ἀπαίρειν ἔξεστιν αὐτῷ, οὐδὲ τοὺς πολυπλόκους ἐκείνους ὑπομένειν κινδύνους.

β. Τοῦτο τοίνυν εἰδότες, μετὰ τῆς προσηκούσης εὐλαβείας ἐνταῦθα παραγινώμεθα, ὅπως μὴ ἀντὶ ἁμαρτημάτων ἀφέσεως προσθήκη τούτων ποιησάμενοι, οὐκ εὐλαβείας ἀπαιτεῖται; Τὸ τοὺς θεοὺς ἀναπέμποντας ὑμῶν, φόβῳ πολλῷ συνεσταλμένους, καὶ εὐλαβείᾳ κεκοσμημένους, οὕτω προσφέρειν τούτους. Καὶ γὰρ εἰσὶ τινες τῶν ἐνταῦθα, οὓς οὐδὲ τὴν ὑμετέραν ἐγάπην ἀγνοεῖν οἶμαι, οἵτινες καταφρονούντες μὲν πῶς Θεοῦ, τὰ δὲ τοῦ Πνεύματος λόγια ὡς κοινὰ ἡγούμενοι, φωνὰς ἀτάκτους ἀφίδου, καὶ τῶν μαινομένων οὐδὲν ἄμεινον διάκεινται, ὅλῳ τῷ σώματι δοκῶντες καὶ περιφερόμενοι, καὶ ἀλλότρια τῆς πνευματικῆς καταστάσεως ἐπιδεικνύμενοι τὰ ἥθη. "Αθλιε καὶ ταλαίπωρε, δέον σε δεδοικῶτα καὶ τρέμοντα τὴν ἀγγελικὴν δοξολογίαν ἐκπέμπειν, φόβῳ τε τὴν ἐξομολόγησιν τῷ Κτίστῃ ποιεῖσθαι, καὶ διὰ ταύτης συγγνώμην τῶν ἑπταεσμένων αἰτεῖσθαι· σὺ δὲ τὰ μίμῳν καὶ ὀργιστῶν ἐνταῦθα παράγεις<sup>α</sup>, ἀτάκτως μὲν τὰς χεῖρας ἐπανατείνεις, καὶ τοῖς ποσὶν ἐφαλλόμενος, καὶ ὅλῳ περικλῶμενος τῷ σώματι. Καὶ πῶς οὐ δέδοικας, οὐδὲ φρίττεις τοιοῦτων κατατολμῶν λογίων; Οὐκ ἐνωθεῖς, ὅτι αὐτὸς ἀοράτως ἐνταῦθα πάρεστιν ὁ Δεσπότης, καὶ ἐκέστου τὴν κίνησιν ἀναμετρεῖ, καὶ τὸ συνειδὸς ἔξετάζει<sup>β</sup>; οὐκ ἐνωθεῖς, ὅτι ἀγγελοὶ ταύτῃ τῇ φρικτῇ παρίστανται τραπέζῃ, καὶ φόβῳ ταύτην περιέπουσιν; Ἄλλὰ σὺ ταῦτα οὐ κατανοεῖς, ἐπειδὴ ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις ἀκουσμάτων τε καὶ θεαμάτων ἐν νοῦν συνεσκοπίσθης<sup>γ</sup>, καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἐκείσε πραττόμενα τοῖς τῆς ἐκκλησίας ἀναφύρεις τύποις· διὰ τοῦτο ταῖς ἀσῆμοις κραυγαῖς τὸ τῆς ψυχῆς ἄτακτον ἠμωσθεύεις. Πῶς οὖν συγγνώμην ἐξαιτήσῃ τῶν οὐκ ἐκείνων ἁμαρτημάτων; πῶς εἰς οἶκτον ἐπισπάσῃ τὸν Δεσπότην, οὕτω καταπεφρονημένως τὴν δέησιν προτείνόμενος; Ἐλέησον με, ὁ Θεός, λέγεις, καὶ τοῦ εἰδούς ἀλλότριον τὸ ἦθος ἐπιδεικνύσαι. Σῶσον με, βοᾷ, καὶ ξένον τῆς σωτηρίας τὸ σῆμα διατυποῖς. Τί συντείνεις πρὸς ἱκεσίαν χεῖρες ἐπὶ μετεωρισμῷ συνεχῶς ἐπαιρόμεναι καὶ ἀτάκτως περιφερόμεναι, κραυγὴ τε σφοδρὰ, καὶ τῇ βίαιᾳ τοῦ πνεύματος ὠθήσει τὸ ἄσημον ἔχουσα; Οὐχὶ τὰ μὲν αὐτῶν τῶν ἐν ταῖς τριβόδοις ἐταιριζόμενων γυναικῶν, τὰ δὲ τῶν ἐν ταῖς θεάτροις φωνοῦντων ἐστὶν ἔργα; Πῶς οὖν ταλμᾷς τῇ ἀγγελικῇ ταύτῃ δοξολογίᾳ τὰ τῶν δαιμόνων ἀναμηνύειν παίγνια; πῶς δὲ οὐκ αἰθῆ ταύτην τὴν φωνήν, ἣν ἐκεῖ<sup>δ</sup> ἐκφέρεις, Δουλεύσατε τῷ Κυρίῳ ἐν

[98] φόβῳ, λέγων, καὶ ἀγαλλιᾶσθε αὐτῷ ἐν τρόμῳ, Τοῦτό ἐστιν, ἐν φόβῳ δουλεῖν, τὸ διακεχῆσθαι τε καὶ διατείνεσθαι, καὶ μὴδὲ σεαυτὸν ἐπίστασθαι περὶ τῶν διαλέγῃ τῇ ἀτάκτῳ τῆς φωνῆς ἐνηχησεῖ; Τοῦτο καταφρονήσεώς ἐστιν, οὐ φόβου, ἀλαζονείας, οὐ ταπεινώσεως· τοῦτο παιζόντων μάλλον, ἢ δοξολογούντων εἶ. Τί οὖν ἐστὶ τὸ δουλεῖν τῷ Κυρίῳ ἐν φόβῳ; Τὸ πᾶσαν ἐντολὴν ἀποπληροῦντας φόβῳ καὶ συστολῇ ταύτην κατεργάζεσθαι, τὸ συντετριμμένη καρδίᾳ καὶ τεταπεινωμένῳ νοί τὰς ἱκεσίας προβάλλεσθαι<sup>ε</sup>. Καὶ οὐ μόνον δουλεῖν ἐν φόβῳ, ἀλλὰ καὶ ἀγαλλίσθαι ἐν τρόμῳ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ τοῦ προφήτου παρακελεύεται. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ τῆς ἐντολῆς πλήρωσις χαρὰν εἰσθεν ἐμποιεῖν τῷ τὴν ἀρετὴν ἀσχοῦντι, καὶ ταύτην, φησὶ, τρόμῳ καὶ δέει ποιεῖσθαι προσῆκει<sup>ς</sup>, ἵνα μὴ τῇ ἀφοβίᾳ συγχεόμενοι, τοὺς τε πόνους ἐσημῶθῃμεν, καὶ τὸν Θεὸν παροξύνωμεν. Πῶς δὲ ἐστὶν, φησὶν, ἀγάλλεσθαι ἐν τρόμῳ; Καὶ γὰρ οὐδὲ δυνατὸν κατὰ ταῦθ' ἐν τὰ δύο συμβαίνειν, πολλῆς οὐσίας τῆς μεταξὺ αὐτῶν διαφορᾶς. Χαρὰ γὰρ ἐστὶ καταθυμίων πλήρωσις, καὶ ἡδὼν ἀπόλαυσις, καὶ ἀνιαρῶν λήθη· φόβος δὲ ἐπιζομένων κακῶν ἐπίτασις, ἐπὶ κατεγνωσμένῳ συνιστάμενος συνειδότης. Πῶς οὖν ἐστὶν ἀγάλλεσθαι ἐν φόβῳ, καὶ οὐχ ἄπειρος ἐν φόβῳ, ἀλλ' ἐν τρόμῳ, ὅπερ ἐπίτασις ἐστὶ τοῦ φόβου, καὶ πολλῆς ἀγωνίας σημεῖον.

Πῶς δὲ, φησὶ, τοῦτο γενήσεται; Αὐτὰ σε τὰ Σεραφίμ διδάσκουσιν, ἔργῳ τὴν τοιαύτην ἀποπληροῦντας διακονίαν. Καὶ γὰρ ἐκείνη τῆς ἀπάτου δόξης ἀπολαύοντα τοῦ Κτίστου, καὶ τὸ ἀμήχανον ἐνοπτριζόμενα κάλλος· οὐ λέγω αὐτὸ ἐκεῖνο, ὅπερ ἐστὶ τῇ φύσει (ἀκατανόητον γὰρ τοῦτο, καὶ ἀθεώρητον, καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἀτοπὸν ἐστὶ τὸ οὕτω περὶ αὐτοῦ ὑπολαμβάνειν), ἀλλ' ὅσον ἐγγυρωσύν, ὅσον ὑπὸ τῆς ἀκτίως ἐκείνης ἰσχύουσι καταλάμπεσθαι. Ἐπειδὴ γὰρ διηνεκῶς λειτουργοῦσι κύκλῳ τοῦ βασιλικοῦ θρόνου, ἐν διηνεκῇ χαρᾷ διατελοῦσιν, ἐν αἰθρῇ εὐφροσύνη, ἐν ἀγαλλιάσει ἀκαταπαύστῳ, χαίροντα, σκιρτῶντα, ἀσιγήτως δοξολογοῦντα. Τὸ γὰρ ἐνώπιον ἐστάναι τῆς δόξης ἐκείνης, καὶ ἀπὸ τῆς ἐξ αὐτῆς ἀπαστραπτούσης<sup>ζ</sup> καταφωτισέσθαι ἀγλή, τοῦτο αὐτοῖς καὶ χαρὰ, τοῦτο καὶ ἀγαλλίασις, τοῦτο καὶ εὐφροσύνη, τοῦτο καὶ δόξα. Τάχα τι πρὸς ἡδονὴν ἐπέθετε, καὶ ἐν ἐπιθυμίᾳ τῆς δόξης ἐκείνης γεγόνατε.

γ. Ἄλλ' εἴ γε βουληθεῖητε παραινοῦντος ἀκοῦσαι, καὶ μετ' εὐλαβείας τὴν παρούσαν δοξολογίαν ποιεῖσθαι, οὐκ ἀπολειφθήσεσθε τῆς τοιαύτης χαρᾶς· αὐτὸς γὰρ ἐστὶν ἐκεῖνος ὁ Δεσπότης, ὁ καὶ ἐν οὐρανοῖς, καὶ ἐπὶ τῆς δοξαζόμενος· Πλήρης γὰρ ὁ οὐρανός, φησὶ, καὶ [99] ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. Πῶς οὖν ἐκεῖνα τῆς τοσαύτης εὐφροσύνης ἀπολαύοντα, φόβῳ ταύτην ἀναμηνύουσιν; Ἄκουσον εἰ φησὶν ὁ προφήτης· *Εἶδον τὸν Κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνον ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου*. Τίνος ἕνεκεν τὸ ὑψηλὸν εἰπῶν, καὶ τὸ ἐπηρμένον προσέθηκε; μὴ γὰρ οὐκ ἔρχεται διὰ τοῦ ὑψηλοῦ τὸ πᾶν σημεῖον<sup>η</sup> τοῦ πράγματος, καὶ δεῖξαι τὸ τῆς ἀξίας

<sup>α</sup> Unus a Savillo in marg. allatus ἢ ἐξομολογουμένων.

<sup>β</sup> Unus προτρέπεσθαι.

<sup>γ</sup> Ποιεῖσθαι προτρέπει. Sic duo mss: infra quidam ἀγαλλιᾶσθαι ἐν τρόμῳ, et infra item ἀγαλλιᾶσθαι ἐν φόβῳ, et sic legitur in versu secundi psalmi supra allato; sed utraque lectio quadral, potuitque Chrysostomus ἀγαλλίσθαι mutare in ἀγάλλεσθαι, quod idipsum est; idque etiam in more habet.

<sup>δ</sup> Aliquot mss. ἀσπραπτούσης.

<sup>ε</sup> Unus τὸ πᾶν ἐπισημᾶναι.



ὑπερνεστηρός; διὰ τί οὖν τὸ ἐπιρμένον ἐπήγαγεν; Ἴνα τὸ τῆς καθέδρας ἀκατάληπτον ἐνδείξῃται. Ἐπειδὴ γὰρ παρ' ἡμῖν τὸ ὑψηλὸν ἐνοιοῦν τινα παρέχεται συγκρίσεως πρὸς τὰ χαμαιζήλα τε καὶ ταπεινότερα οἶον, ὑψηλὰ μὲν τὰ ὄρη πρὸς τὰς πεδιάδας καὶ τὰ κοίλα τῆς γῆς, ὑψηλὸς δὲ ὁ οὐρανὸς ὁ πάντων ὑπερ-αρθεὶς τῶν γῆινων· τὸ δὲ ἐπιρμένον καὶ ἐξηρμένον μόνως ἐστὶν ἐκείνης τῆς ἀκατάληπτου φύσεως, ἣν μήτε ἐνοῆσαι, μήτε ἐρμηνεύσαι ἐστὶ δυνατόν διὰ τοῦτο φησιν· *Εἶδον τὸν Κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου*. Καὶ τί ἕτερον εἶδες, ὦ προφήτα; τί περι αὐτὸν ἐθεάσω; *Καὶ τὰ Σεραφίμ εἰστήκεισαν*, φησὶ, *κύκλω αὐτοῦ*. Τί ποιοῦντα, καὶ εἰ λέγοντα; ποίας παρήσσιας ἀπολαύοντα; Παῖρησις μὲν, φησὶν, οὐδεμιᾶς, φόβου δὲ καὶ καταπλήξεως γέμοντα, καὶ δι' αὐτοῦ τοῦ σχήματος τὸ ἄφατον ἐπιδεικνύμενα τοῦ δέους. Ταῖς γὰρ δυσὶ πτέρυξι κατακάλυπτον τὰ πρόσωπα, ὁμοῦ μὲν ἀποτειχίζοντα τὴν ἐκπεμπομένην ἀκτίνα τοῦ θρόνου, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι φέρον ἐπὶ ἀστεκτον<sup>α</sup> αὐτῆς; δόξαν, ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν οἰκίαν εὐλάβειαν ὑποφαίνοντα, ἣν ἔχουσι πρὸς τὸν Δεσπότην.

Τοιαύτη χαρὰ χαίρουσιν ἐκεῖνα, τοιαύτη εὐφροσύνη ἀγάλλονται, καὶ οὐ μόνον τὰ πρόσωπα καλύπτουσι, ἀλλὰ καὶ τοὺς πόδας. Τίνος ἐνεκεν τοῦτο ποιοῦσι; Τὰς μὲν γὰρ ὕψους εἰκότως διὰ τὸ θεατρὸν τοῦ θεάματος, καὶ τὸ μὴ δύνασθαι ἀνοφθαλμεῖν τῇ ἀπροσίτῳ δόξῃ· τοὺς πόδας δὲ διὰ τί συγκαλύπτουσι; Καὶ ἐβουλόμην μὲν ὑμῖν τοῦτο καταλιπεῖν, ὥστε πονεῖν ὑμᾶς<sup>β</sup> περὶ τὴν αὐτοῦ λύσιν, καὶ ἐγρηγορεῖν πρὸς τὴν τῶν πνευματικῶν ἔρευναν· ἵνα δὲ μὴ ἀσχολουμένην τὴν ὑμέτεραν διάνοιαν εἰς τὴν αὐτοῦ ζήτησιν καταλιπῶν, ἀμελεῖν τῆς παραινέσεως παρασκευάσω, ἀναγκαῖον αὐτὸ ἐπιλύσασθαι. Διὰ τί οὖν τοὺς πόδας κατακαλύπτουσι; Ἀπίηστον<sup>γ</sup> τὴν πρὸς τὸν Κτίστην εὐλάβειαν ἐνδείκνυσθαι σπεύδουσι, πολλὴν τὴν ἀγωνίαν καὶ διὰ τοῦ σχήματος, καὶ διὰ τῆς φωνῆς, καὶ διὰ τῆς ὄψεως, καὶ δι' αὐτῆς τῆς στάσεως περιώμενα δεκνύουσι. Ἐπειδὴ γε καὶ οὕτω τοῦ ἐπιθυμουμένου καὶ τοῦ προσήκοντος ἀποτυγχάνουσι, τῷ συγκαλύπτεσθαι πανταχόθεν τὸ ἔλλειπον περικρύπτουσι. Ἄρα ἐνόησατε τὸ εἰρημένον, ἢ πάλιν ἀναλαβεῖν αὐτὸ δίκαιον; Ἄλλ' ἵνα σαφέστερον τοῦτο γένηται, ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν παραδειγμάτων, [100] φανερὸν αὐτὸ ποιῆσαι περὶ ἄσσομαι. Παρίσταται τις τῷ ἐπιγεῖψ βασιλεῖ, διὰ πάντων μηχανᾶται, ὥστε πολλὴν τὴν πρὸς αὐτὸν εὐλάβειαν ἐπιδείξασθαι, ἵνα διὰ τούτου πλεονα τὴν ἐξ αὐτοῦ ἐπισπάσῃται εὐνοίαν. Τούτου χάριν καὶ διὰ τοῦ τῆς κεφαλῆς σχήματος, καὶ διὰ τῆς φωνῆς, καὶ διὰ τοῦ δεσμοῦ τῶν χειρῶν, καὶ τῆς τῶν ποδῶν συζεύξεως, καὶ τῆς συστολῆς τοῦ ὅλου σώματος τὴν τοιαύτην εὐλάβειαν ἐπιτηδεύει. Τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων ἐκείνων γίνεται δυνάμεων. Πολλὴν γὰρ ἔχοντα τῆς πρὸς τὸν Κτίστην εὐλαβείας τῆς ἐπιθυμίας, καὶ ταύτην πανταχόθεν μηχανώμενα περιποιεῖσθαι, εἶτα τῆς ἐφέσεως ἀποτυγχάνοντα, τὸ

ὕστερον τῆς ἐπιθυμίας τῷ καλύμματι ἐπικρύπτουσι. Διὰ τοῦτο τοῖνον τὰς τε ὕψεις καὶ τοὺς πόδας κατακαλύπτεσθαι λέγονται. Εἰ καὶ ἄλλη τις ἐστὶ μουσικωτέρα θεωρία ἢ περὶ τούτου θεωρουμένη· οὐχ ὅτι πόδας καὶ πρόσωπα ἔχουσιν (ἀσώματα γὰρ ἐστὶν, ὥσπερ καὶ τὸ θεῖον), ἀλλ' ἵνα διὰ εὐτῶν ὁ λόγος ἐπιδείξῃ πανταχόθεν αὐτὰ συνεστάλασι, φόβῳ τε καὶ εὐλαβείᾳ λειτουργεῖν τῷ Δεσπότην. Οὕτω δὲ καὶ ἡμᾶς παρίστασθαι τὴν τοιαύτην αὐτῷ δοξολογίαν προσφέροντας, δεδοικότες καὶ τρέμοντας, καὶ ὡς αὐτὸν ἐκείνον τοῖς τῆς διανοίας ὀρύνοντας ὀφθαλμοῖς. Πάρεστι γὰρ ἐνταῦθα πάντως ὁ μηδὲν τόπων περιγραφόμενος, καὶ τὰς φωνὰς ἀπάντων ἀπογράφεται<sup>δ</sup>. Οὕτω τοῖνον συντετριμμένην καρδίαν καὶ τεταπεινωμένην τὴν ἀνεσθὺ ἀναπέμποντες, εὐπρόσδεκτον αὐτὴν ποιήσωμεν, καὶ ὡς εὐώδες θυμίαμα πρὸς οὐρανὸν ἀναπέμφωμεν. *Καρδίαν γὰρ, φησὶ, συντετριμμένην, καὶ τεταπεινωμένην ὁ Θεὸς οὐκ ἐξουθενώσει*. Ἄλλ' ὁ προφήτης, φησὶν, ἀλαλαγμῷ ποιεῖσθαι τὴν δοξολογίαν προτρέπεται· *Ἀλαλάγετε γὰρ τῷ Κυρίῳ, πᾶσα ἡ γῆ*. Ἄλλ' οὐδὲ ἡμεῖς τὸν τοιοῦτον διακωλύομεν ἀλαλαγμὸν, ἀλλὰ τὴν ἄσχημον βοήν· οὐδὲ τὴν φωνὴν τῆς αἰνέσεως, ἀλλὰ τὴν φωνὴν τῆς ἀταξίας, τὰς πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίας, τὰς εἰκῆ καὶ μάτην ἐπαιρομένας χεῖρας ἐν τῷ ἄερι, τοὺς ἵππαζομένους πόδας, τὰ ἄκοσμα καὶ διακεκλασμένα ἦθη, ἅπερ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις καὶ ταῖς ἵπποδρομίαις σχολαζόντων ἐστὶ παίγνια. Ἐκείθεν ἡμῖν τὰ δλέθρια ταῦτα παρεισφέρονται· οὐδὲ γὰρ διδάγματα, ἐκείθεν αἱ ἀνευλαβεῖς αὐταὶ καὶ δημοτικαὶ φωναὶ, ἐκείθεν αἱ τῶν χειρῶν ἀταξίαι, αἱ ἐριδές, αἱ φιλονεικίαι, τὰ ἀτακτα ἦθη.

δ. Οὐδὲν γὰρ οὕτω καταφρονεῖν τῶν τοῦ Θεοῦ παρασκευάζει λογίων, ὡς οἱ τῶν ἐκεῖ θεαμάτων μετωρισμοί. Διὰ τοῦτο παρεκάλεσα πολλάκις μηδένα τῶν ἐνταῦθα παραγινόμενων, καὶ τῆς θείας διδασκαλίας ἀπολαύοντων, καὶ τῆς φρικτῆς καὶ μουσικῆς μετεχόντων ὕσας, πρὸς ἐκείνα βαδίζειν τὰ θεάτρα, καὶ τὰ θεατὰ τοῖς δαιμονικοῖς ἀναμιγνύειν μουσῆσιν. Ἄλλ' οὕτω τινὲς μεμήνασιν, ὥστε καὶ σχῆμα εὐλαβείας ἐπιφερόμενοι, καὶ εἰς πολιὰν ἐληλακότες βαθεῖαν, ὁμῶς αὐτομολοῦσι πρὸς ἐκεῖνα, μήτε τοῖς ἡμετέροις [101] προσέχοντες λόγους, μήτε τὴν οἰκίαν αἰσχυρόμενοι μόρφωσιν. Ἄλλ' ὅταν αὐτοῖς τοῦτο προτείνωμεν, καὶ τὴν πολιὰν καὶ τὴν εὐλάβειαν αἰδέσθαι παραινόμεν, τίς αὐτῶν ὁ ψυχρὸς καὶ καταγέλαστος λόγος; Παράδειγμα, φησὶ, τῆς ἐκεῖσε νίκης καὶ τῶν στεφάνων εἶσι, καὶ πείστην ἐντεῦθεν καρπούμεθα τὴν ὠφέλειαν. Τί λέγεις, ἄνθρωπε; Ἐὼλος οὗτος; ὁ λόγος; ἰ, καὶ ἀπάτης ἀνάμεστος. Πόθεν τὴν ὠφέλειαν καρποῦσαι; ἐκ τῶν μυρίων ἐκείνων φιλονεικίων, καὶ τῶν εἰκῆ καὶ μάτην καταβαλλομένων ὄρκων ἐπὶ κακῶ τῶν λεγόντων; ἢ ἐκ τῶν ὕβρεων, καὶ βλασφημιῶν, καὶ σκωμμάτων, οἷς ἀλλήλους καταντλῶσιν οἱ θεαταὶ τῶν τριούτων; Ἄλλ' ἐκ τούτων μὲν οὐχί· ἐκ δὲ τῶν ἀτάκτων πάντως φωνῶν, καὶ τῆς ἀσχημοῦ βοῆς, καὶ τῆς κόνεως τῆς ἀναπεμπομένης; καὶ τῶν ὀρώντων, καὶ βιαζομένων, καὶ τῶν ἀκχιζομένων κατέναντι γυναικῶν τῆς ὠφέλειας συλλέγει; Καὶ ἐνταῦθα μὲν αὐτὸν τὸν Δεσπότην τῶν ἀγγέλων προφήται πάντες καὶ διδάσκαλοι ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου καθήμενον ὑποδεικνύουσι, καὶ τοὺς μὲν ἀξίους τὰ βραβεῖα καὶ τοὺς στεφάνους ἀπονεύοντα, τοὺς δὲ ἀναξίους γέγεναν καὶ πῦρ ἀποκλή-

<sup>α</sup> Ἀστεκτον, ἀ στέγω, quod sēpe significat apud Chrysostomum, *ferre, tolerare*.

<sup>β</sup> Unus ὥστε πείσαι καὶ ὑμᾶς.

<sup>γ</sup> Reg. 1852: πολλὴν τὴν πρὸς τὸν κτίστην εὐλάβειαν ἔχουσαν, ἄφατον τὴν ἐκλήσιν. Ταῦτα καὶ διὰ τοῦ σχήματος.... περιώνται δεκνύουσι. Ἐπεὶ οὖν καὶ οὕτω τοῦ προσήκοντος ἀποτυγχάνουσι, διὰ τοῦ συγκαλύπτεσθαι πανταχόθεν τὸ ἔλλειπον πληροῦσιν. Ἄρα... δίκαιον ἔμοιγε δοκεῖ. Οὐκ οὖν ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν παραδειγμάτων φέρει ποιῆσω αὐτὸ φανερόν. Εἰπέ δὲ μοι, ὁ παρὲς τῶν βασιλείων, οὐχὶ διὰ πάντων μηχανᾶται πολλὴν τὴν πρὸς αὐτὸν εὐλάβειαν ἐπιδεικνύσθαι; εὐλόγον ἐστὶν ἵνα γὰρ πλεονα. *Supra alter codex habet τὸ ἔλλειπον περικαλύπτουσι. Videtis quae ad interpretationem Latinam notaia sūt.* Εἰπ.

<sup>δ</sup> *Quinque sexve mss.* πάντως· καὶ οὐδαμῶς περιγράφεται, καὶ τὰς φωνὰς ἀπογράφεται.

<sup>ε</sup> Unus παραινόμενος, *proferam. Alius παραιοφ' ἔφαρσαν.* *Infra duo τὰ ἀτακτα ἦθη.* Unus vero sic pergit: *αἱ ἀπαίδευτοι ἐνηχῆσαι καὶ ἄτακτοι.* Οὐδὲν γὰρ.

<sup>ς</sup> *Alius, testis Saville, γελῶς οὗτος ὁ λόγος.*

sedem incomprehensibilem demonstraret. Quandoquidem apud nos quod excelsum est cogitationem quamdam præbet comparationis ad ea quæ humilia sunt ac submissiora : veluti excelsi sunt montes campestribus et planitie comparati : excelsum item cælum ab omnibus terrenis altitudine remotum ; cæterum hæc sublimitas et altitudo solius est illius naturæ incomprehensibilis, quam neque cogitatione concipere, neque verbis eloqui quisquam potest, eo-que dicit : *Vidi Dominum sedentem in solio excelso et elevato*. Sed quid præterea vidisti, o propheta? quid circa illum spectasti? *Et Seraphim stabant*, inquit, *in circuitu ejus* (Isai. 6. 2). Quid faciebant et quid dicebant, qua fiducia fruebantur? Fiducia quidem, inquit, nulla, verum timoris ac stuporis erant plena, ipsa etiam specie metum ineffabilem declarantia. Duabus enim alis velabant faciem, simul excludentia radium e solio prodeuntem, eo quod ferre non possent immensam illius gloriam, simul autem et suam religionem ac reverentiam significantia, quam habent erga Dominum.

*Cur Seraphim faciem et pedes velant.* — Tali gaudio gaudent illa, tali lætitia exsultant, nec solum facies velant, verum et pedes. Quamobrem hoc faciunt? Facies quidem merito velant propter metuendum spectaculum, quodque non possint inaccessam gloriam obtueri : verum pedes quare simul velant? Ac volebam quidem vobis hoc relinquere, ut ipsi circa hujus rei solutionem laboraretis, circaque spirituum rerum investigationem vigilaretis : cæterum ne vestram cogitationem circa hujus inquisitionem intentam relinquens, id efficiam ut admonitionem negligatis, necesse est ut hoc obiter solvam. Quare igitur pedes velant? Inexplicabilem erga Conditoem reverentiam exhibere student, multaque anxietatem tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsa statione. Quoniam igitur id quod desiderant quodque conveniebat non assequuntur, occultant idcirco undique defectum dum se circumtegunt. Utrum intelligitis quod dictum est, an operæ pretium est ut idem denuo repetam? Age, ut hoc faciam dilucidius, ex rerum nostrarum exemplis manifestum facere conabor. Assistit aliquis terreno regi omnibusque modis molitur, ut quamplurimam erga illum reverentiam exhibeat, quo per hoc <sup>1</sup> majorem illius erga se conciliet benevolentiam. Cujus gratia specie capitis, ipsa voce, ipsa manuum compositione, ipsa pedum conjunctione, totiusque corporis

contractione talem reverentiam conatur ostendere. Hoc et ab illis incorporeis virtutibus observatur. Cui enim plurimam habeant erga Conditoem reverentiam, et hanc undique conantur præstare : deinde quoniam non assequuntur quod expetunt, quod cupiditati deest, hoc velo obtegunt. Hanc ob causam igitur facies ac pedes tegere dicuntur. Quamquam est et alia quædam magis mystica speculatio quæ circa hoc consideratur, non quod pedes ac facies habeant (sunt enim incorporea, quemadmodum ipsum Numen), sed ut hoc humanus sermo declaret ea undique metu ac reverentia affecta servire Domino. Sic oportet nos quoque assistere, talem Deo glorificationem offerentes, metuentes ac trementes, ac tamquam illum ipsum mentis oculis intuentes. Adest enim hic omnino qui nullo loco circumscribitur, voces nostras recenset. Sic igitur contrito et humiliato corde laudem deponentes reddamus eam acceptam, et velut incensum boni odoris ad cælum mittamus. *Cor enim*, inquit, *contritum et humiliatum Deus non despiciet* (Psal. 50. 19). Verum propheta, inquis, exhortatur ut cum jubilo glorificationem peragamus : *Jubilate*, inquit, *Domino, omnis terra* (Psal. 65. 1). At neque nos talem jubilationem prohibemus, sed vocem prohibemus nihil significantem ; neque prohibemus vocem laudis, sed vocem absurditatis et inconditam, ac mutuas inter vos contentiones, manus incassum temereque sublatis in aerem, pedes supplaudentes, indecoros effeminatosque mores, quæ sunt eorum, qui in theatris ac circensibus ludis versantur, ludicra. Illinc nobis perniciose invadunt exempla, illinc irreligiøsæ vulgaresque voces, illinc manuum ineptæ gesticulationes, contentiones, concertationes, ac mores incompositi.

4. *Spectacula publica vitanda, quare.* — Nulla res enim æque eloquia Dei adducit in contemptum, atque spectaculorum quæ illic proponuntur admiratio. Proinde frequenter vos hortatus sum, ne quis eorum qui huc adveniunt, divinaque doctrina fruuntur, quique tremendi ac mystici participes sunt sacrificii, ad illa iret spectacula, neu divina cum demoniacis combisceret mysteria. Attamen nonnulli usque adeo insaniant, ut etiam cum speciem gravitatis ac reverentiæ plenam circumferant, et ad profundam canitiem pervenerint, nihilo secus currant ad illa, neque nostris sermonibus auscultantes, neque propriam reverentiæ speciem. Verum quoties eis hunc sermonem ingerimus, et ut canitiem gravitatemque suam reverentur adhortamur, quam frivolus illorum, quam ridiculus sermo! Exemplum, inquiunt, victoriæ quæ in futuro sæculo erit et coronarum sunt illa plurimamque illinc utilitatem referimus. Quid ais, homo? Obsoletus iste sermo <sup>1</sup> est ac fallaciæ plenus. Unde utilitatem isthinc refers? ex innumeris contentionibus, ex temere factis juramentis in damnum loquentium? an ex contumeliis, conviciis, scommatibusque, quibus spectatores ejusmodi rerum se mutuo conspergunt? Verum ex his nihil utilitatis ad te redit : an vero ullam omnino ex

<sup>1</sup> Reg. 1832 : *Multam reverentiam erga Conditoem habent, modo stupore percussantur. Quos affectus tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsa statione exprimerent conantur. Quoniam igitur sic etiam quod decet attingere non possunt, se velando undique defectum supplent. Utrum intelligitis quod dictum est, an operæ pretium est ut idem denuo repetam? equidem mihi repetendum videtur. Age igitur, et hoc lucidum ex rerum nostrarum exemplis faciam. Et certe, dic mihi, qui regi assistit, nonne omnimodo conatur maximam erga illum exhibere reverentiam? Præcui dubio; nempe ut per hoc, etc. Et sic fere ubique hic unus Codex, ita ut si vellem omnia afferre lectionum discrimina, fere tota homilia ad verbum exscribenda esset. A Morelliana autem Editione verbis tantum differt, non sensu. In aliis autem Manuscriptis cum Editio collatis perperam observantur varietates.*

<sup>1</sup> Alius, teste Savilio, *ridiculus iste sermo.*

incompositis vocibus, et nihil significante clamore, eque pulvere qui emittitur, tum ex iis qui impellunt, qui vim faciunt, qui coram mulieribus delicias faciunt, utilitatem colligis? Atqui hic quidem ipsum Dominum angelorum omnes prophetae doctoresque super solium excelsum et elevatum ostendunt, iisque qui digni sunt bravia et coronas distribuentem, indignis vero gebeanam et ignem assignantem; et ipse etiam Dominus hoc confirmat. Numquid hæc quidem contemnis, in quibus etiam conscientiae terror est, et factorum redargutio rationumque reddendarum anxietas, et supplicium inevitabile: ut autem absurdam invenias spectaculorum, quibus suspensus inhias, excusationem, dicis te utilitatem capere ex his, ex quibus jacturam pateris inconsolabilem? Rogo etiam atque etiam: obsecroque, ne excusationes excusemus in peccatis: pretextus enim ista sunt ac deceptio, quibus nobis ipsis damnum accersimus. Verum de his quidem haecenus: tempus autem est ut jam ad priorem recurramus admonitionem, atque ut paucis de ea loquuti debitum orationi finem imponamus. Neque enim hoc solum peccatur, quod quæ hic fiunt parum pro dignitate peraguntur, verum etiam alius quidam gravis obambulat<sup>1</sup> morbus. Quis tandem iste? Quod qui proposuerunt cum Deo colloqui, eique gloriam referunt<sup>2</sup>, mox hoc omisso suum quisque vicinum arripiunt, ordinantque res domesticas, quæque fiunt in foro, quæ in populo, quæ in theatris, quæ in exercitu, et quomodo alia quidem sunt administrata, alia rursus neglecta, et quid in gerendis rebus plus satis fuerit, quid diminutum: in summa, de rebus omnibus vel publicis, vel privatis, hic colloquuntur. Et qua tandem venia digna sunt ista? Atqui is qui cum rege terreno colloquitur, de his tantum verba facit de quibus ille voluerit audire, et de quibus rex fuerit percontatus; quod si quis ausit aliquid injicere secus quam ille velit, extremo supplicio afficietur: tu vero cum Rege regum colloquens, cui cum tremore serviunt angeli, omisso cum illo cepto sermone, de luto, de pulvere, de telis araneorum loqueris? Nihil enim aliud sunt hujus vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? quis autem te ab hac vindicta liberabit?

*Principum negligentia sæpe nascitur ex culpa populi.* — Verum haud recte se habent, inquit, reipublicæ negotia, de his plerumque loquimur, et de his solliciti anxique sumus. Quid autem in causa? Eorum, inquit, qui magistratum gerunt, incogitantia. Non est magistratum incogitantia, sed nostra injustitia, et pœna est pro nostris sceleribus exacta. Illa cuncta sursum deorsum miscuit, illa quidquid est calamitatum invexit, illa armavit hostes, illa fecit ut victi discederemus. Non aliunde nobis malorum examen inundavit, quam ex hac causa. Proinde quamvis Abraham quispiam esset qui imperaret, quamvis Moyses, quamvis David, quamvis Salomon ille sapientissimus, quamvis omnium hominum justissimus: si nos

male vivimus, nihil interest qualis ille sit, quantum ad causam malorum. Qui sic, aut quare? Quoniam si transgressor legum fuerit, si temere nulloque consilio feratur, nostra incogitantia nostraque temeritas effecit, ut talem magistratum haberemus, nostra scelera plagam accerserunt. Nam quod secundum corda nostra accipimus magistratus nihil aliud est, nisi quod præterita peccata nostra talem nobis dedere præfectum, sive quis fuerit ex ordine sacerdotali, sive ex eorum numero qui mundanas administrant dignitates. Quamvis autem justus fuerit, adeoque justus, ut usque ad Mosis virtutem pertingat, haud tamen illius unius justitia immensa<sup>1</sup> subditorum peccata valebit obtegere: idque poterit quis ex ipso Mose certo cognoscere. Cum enim ille multis modis afflictus fuisset pro Israel, instanterque apud Deum supplicasset, ut terram promissam in sortem illis traderet, tamen quoniam se populus suis peccatis reddiderat ab hac promissione alienum, non potuit Mosis deprecatione justam Dei sententiam immutare, quo factum ut totus ille populus in deserto prosterneretur. Attamen quis Mose justior, aut quis plus valuit apud Deum? Dicitur est, valere justis deprecationem, sed efficacem (Jac. 5. 16), hoc est, pœnitentia conversioneque adjunctam eorum, pro quibus funditur. His vero, quibus mores manent sine pœnitentia citraque bonam conversionem, quomodo possit auxiliari justis deprecatio, cum illi ipsi suis factis obsistant?

5. Et quid commemoramus hoc accidisse toti populo peccanti, cum et paucorum subditorum peccata, imo unius sæpe, juste imperantium fiduciam superent? Atque hoc rursus ex eodem populo Israelitico perspicias licebit; quomodo scilicet Mose rempublicam administrante, cum in terram alienigenarum irrupissent, pugnamque cum illis commisissent, quidam illorum insanientes in illorum mulieres, totius populi cladem exitiumque invexerunt.

*Historia Achar. Jesus Nave figura Jesu Christi. Anathema quid. Unius aliquando peccatum toti populo vindictam accersit.* — Simile quidpiam in uno accidit, videlicet Achar, qui cum variam ex anathemate stolam sustulisset, etiam adversus populum iram Dei succendit (Josue 7). Verum, ut conjicio, nonnullis præsentium ignota est hæc historia. Quamobrem necesse est, ut paucis de hac loquutus, et scientes commonefaciam, et nescientes doceam. Achar itaque fuit unus ex eorum numero qui cum Jesu Nave transiere Jordanem, qui Jesus fuerat ante Dei judicio delectus, ut Moysi succederet, quique typum ac figuram gerebat veri Servatoris nostri Jesu Christi. Quemadmodum enim ille e deserto per Jordanem in terram promissam perduxit populum, sic et Servator noster ex ignorantiae et idololatriæ deserto per sanctum ac salutiferum baptismum in caelestem Jerosolymam nos traduxit, ad matrem primogenitorum, in qua veræ quietis paratæ sunt mansiones, ubi vita tumultus nescia pacificaque. Hic itaque cum ejus virtute qui jus-

προτυποῖσι τὴν ὁπατείαν, ἵνα πᾶσι τοῖς κάτω φαίνη. Κἄν ταῦτα ἀνέλης, ἀνείλες τὸ φῶς, καὶ πάντα σκότους καὶ πολλῆς ἐνέπλησας ταραχῆς. Διὰ τοῦτο πᾶσα θείσι καὶ λήψις, κἄν πρὸς φίλους, κἄν πρὸς ἐχθρούς, κἄν πρὸς οἰκέτας, κἄν πρὸς ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους γίγηται, ταύτης δεῖται τῆς ἀσφαλείας, καὶ πανταχοῦ καὶ μῆνας καὶ ἑναιτούς καὶ ἡμέρας κάτωθεν παραγράφομεν. Εἰ οὖν ἐπὶ τῶν βιωτικῶν τοσαύτη τοῦ πράγματος ἡ ἰσχύς, ἐπὶ τῶν πνευματικῶν πολλῶν μείζων καὶ χρησιμωτέρα. Τὰς γὰρ προφητείας τοῦτο δεικνύσι προφητείας. Οὐδὲ γὰρ ἄλλο τί ποτέ ἐστι προφητεία, ἀλλ' ἢ τῶν μελλόντων πραγμάτων προαναφώνησις, ὅ τοῖνον τοὺς καιροὺς ἀγῶν τῶν εἰρημένων πραγμάτων ἢ τῶν ἐκδάντων, πῶς δυνήσεται δεῖξαι τῷ φιλονεικούντι τὸ τῆς προφητείας ἀξίωμα; Ἐντεῦθεν ἡμῖν καὶ οἱ πρὸς Ἑλληνας ἀγῶνας καὶ νίκαι α, ὅταν προσδύτερα ἀποραίνωμεν τὰ ἡμέτερα τῶν παρ' ἐκείνοις· ἐντεῦθεν ἡμῖν καὶ πρὸς Ἰουδαίους ἀποδείξεις περὶ τῆς ἀληθείας εἰσὶ πρὸς Ἰουδαίους τοὺς ἀθλοῦς καὶ ταιλαιπῶρους, οἱ διὰ τὴν τῶν χρόνων ἄγνοιαν τὸ μέγιστον σφάλμα ἐσφάλησαν. Εἰ γὰρ ἤκουσαν τοῦ πατριάρχου λέγοντος, *Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰουδα, οὐδὲ ἡγουμένος ἐκ τῶν ἡμετέρων αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ ἡ ἀπόκρισις, καὶ εἰ καρετήρησαν μετ' ἀκριθείας τοὺς τῆς παρουσίας καιροὺς, οὐκ ἔμελλον, ἐκπεσόντες τοῦ Χριστοῦ, τῷ Ἀντιχρίστῳ περιπίπτειν καθάπερ οὖν καὶ αὐτὸς αὐτοῖς ὁ Χριστὸς τοῦτο αἰνιττάμενος εἶπεν β, ὅτι Ἐγὼ ἦλθον ἐν τῷ ὄνόματι τοῦ Πατρὸς μου, καὶ οὐκ ἐδέξασθέ με· ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὄνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήψασθε. Εἶδες πόσον παράπτωμα ἀπὸ τῆς τῶν χρόνων γέγονεν ἄγνοιας; Μὴ τοῖνον φημελήσης ὠφέλεια τοσαύτης. Καθάπερ γὰρ ὄροι καὶ στήλαι ἐν τοῖς ἀγροῖς τὰς ἀρούρας οὐκ ἔωσι συγχέεσθαι, οὕτως οἱ χρόνοι καὶ οἱ καιροὶ τὰ πράγματα οὐκ ἔωσιν ἀλλήλοις συμπίπτειν ε, ἀλλὰ διείργητες ἀπ' ἀλλήλων αὐτὰ, καὶ κατὰ τὴν προσήκουσαν ἕκαστα διαιθέμενες τάξιν, πολλῆς ἀπαλλάττουσιν ἡμᾶς ταραχῆς. Ἄξιον τοῖνον εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς, τίς ἦν οὗτος ὁ Ὀζίας, καὶ πότε ἐβασίλευσε, καὶ τίνων [111] ἐβασίλευσε, καὶ πόσον αὐτῷ γέγονεν ὁ τῆς ἀρχῆς χρόνος, καὶ πῶς τὸν βίον κατέλυσε· μᾶλλον δὲ ἄξιον σιγῆσαι λοιπόν. Ἀνάγκη γὰρ εἰς ἄπειρον πέλαγος ἱστοριῶν ἀφίναί τὸν λόγον. Τοὺς δὲ τοιοῦτον μέλλοντας πορεύεσθαι πέλαγος, οὐ κεκηκῶτων τῶν πλωτήρων, ἀλλ' ἀκμαζόντων, ἀπτεσθαι χρῆ τῆς ὁδοῦ. Διὰ τοῦτο καὶ λιμένες καὶ νῆσοι πανταχοῦ τῆς θαλάσσης εἰσὶ πεφυτευμένοι, ἵνα καὶ κυβερνήτης καὶ ναύτης διαναπαύηται, ὁ μὲν τὴν κώπην ἀποτιθέμενος, ὁ δὲ τῶν οἰάκων ἐξανιστάμενος· διὰ τοῦτο καὶ πανδοχεῖα καὶ καταγῶγια πανταχοῦ τῶν ὁδῶν ἐπινεώρηται, ἵνα καὶ ὑποζύγια καὶ ὀδοπόροι τῶν πόνων λήγῃσι. Διὰ τοῦτο καὶ τῷ λόγῳ τῆς διδασκαλίας καιρὸς σιωπῆς ὄρισται, ἵνα μήτε ἑαυτοὺς κατατρίβωμεν τῷ πλήθει τῶν λεγομένων, μήτε ὑμᾶς ἀποκταίωμεν. Καὶ τοῦτους οἶδε τοὺς καιροὺς καὶ Σολομῶν, οὕτω λεγών· Καιρὸς τοῦ σιγῆσαι, καὶ καιρὸς τῷ λαλῆσαι. Γενέσθω οὖν ἡμῖν καιρὸς τοῦ σιγῆσαι, ἵνα γένηται καιρὸς τῶν οἰκασκάλῳ τοῦ λαλῆσαι. Τὰ μὲν γὰρ ἡμέτερα ἔοικεν οἴω προσφάτως τῶν ὑπο-*

ληνίων ἐξανηλεθῆναι, τὰ δὲ τοῦτο προσέοικεν ὄνω πεκαλαιωμένῳ καὶ γεγηρακῶτι, πολλὴν παρέχοντι καὶ τὴν ὠφέλειαν καὶ τὴν ἰσχύν τοῖς δεομένοις· καὶ τὸ τοῦ Εὐαγγελίου ἐκεῖνο γέγονε σήμερον· μετὰ τὸν ἐλάττονα γὰρ οἶνον ὁ βελτίων εἰσχομιζεται. Καὶ καθάπερ ἐκεῖνον οὐκ ἔμελλεν ἔσσε τότε, ἀλλ' ἡ δύναμις ἐποίησε τοῦ Χριστοῦ, οὕτω καὶ τοῦτο τὸν λόγον οὐκ ἀνθρωπίνῃ προχέει διάνοια, ἀλλ' ἡ τοῦ Πνεύματος χάρις. Ἐπεὶ οὖν θαψίλῃ καὶ πνευματικὰ τὰ νόματα, μετὰ σπουδῆς ὑποδεξώμεθα, μετ' ἀσφαλείας τηρήσωμεν, ἵνα τοῦτοι ἀρδόμενοι δινηκῶς, ὠριμον φέρωμεν τὸν καρπὸν τῷ ταῦτα χαρισασαμένῳ Θεῷ· ὃ πρέπει πᾶσα ὄβρα καὶ τιμὴ σὺν τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ Υἱῷ καὶ τῷ παναγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

*Εἰς τὴν πρώτην (1. δευτέραν) τῶν Παραλειπομένων τὴν λέγουσαν, Ὑψώθη ἡ καρδία Ὀζίου· καὶ περὶ ταπεινοφροσύνης· καὶ ὅτι χρῆ μὴ θαρβείν τὸν ἐνδρεστον· καὶ ὅσοι κακῶν ἢ ἀπόροι.*

#### ΟΜΙΛΙΑ Γ.

α'. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, καὶ ἐπὶ τῆς δ γενεᾶς τῆς ἡμετέρας ἐβλάστησαν μάρτυρες, κατηξιώθημεν καὶ ἡμεῖς ἀνθρώπους ἰδεῖν ὑπὲρ Χριστοῦ σφαττομένους, ἀνθρώπους ε αἷμα στάζοντας ἕγιον, τὴν Ἐκκλησίαν ἔπασαν ἄρδον, αἷμα στάζοντας, δαίμοσι μὲν φοβερὸν, ἀγγέλοις δὲ ποθεινόν, ἡμῖν δὲ σωτήριον. Κατηξιώθημεν ἰδεῖν ἀνθρώπους ὑπὲρ εὐσεβείας πολεμοῦντας ς, [112] νικῶντας, ἔστεφανωμένους. Οὐκ ἰδεῖν δὲ κατηξιώθημεν μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ σώματα τῶν ἀθλητῶν δέξασθαι, καὶ παρ' ἑαυτοῖς τοὺς στεφανίτας ἔχομεν νῦν. Ἀλλὰ τὸν μὲν περὶ τῶν μαρτύρων λόγον ἀφήσομεν νῦν τῷ τῶν μαρτύρων ζηλωτῇ, τῷ κοινῷ διδασκάλῳ· αὐτοὶ δὲ τὰ κατὰ τὸν Ὀζίαν πρὸς ὑμᾶς ἐρούμεν νῦν, παλαιῶν καταβάλλοντες χρέας, καὶ χρόνους ὠδίνας ἀκροάσεως λύοντες. Ὀδίνει γὰρ ἕκαστος ὑμῶν, εὐ οἶδ' ὅτι, τῆς ἱστορίας ἀκούσαι ἐκείνης· καὶ τὴν ὠδῖνα ταύτην ἡμεῖς παρετεινάμεν, οὐ τὴν ὀδύνην ὑμῖν ἐπιτεῖναι βουλόμενοι, ἀλλὰ τὴν ἐπιθυμίαν ἀξήγησαι σπουδάζοντες, ὥστε ἠδίστην ὑμῖν φανήσῃ τὴν ἡμετέραν ἐστιασιν. Οἱ μὲν γὰρ εὐποροὶ τῶν ἐστιατόρων, ἐὰν ἐμπλησμένοι λάβωσι τοὺς δαιτυμόνας, δύνανται ἂν τῇ πολυτελείᾳ τῶν παρασκευασθέντων διεγείραι τὴν ἐπιθυμίαν ε αὐτοῖς· τὴν δὲ τῶν πενήτων τράπεζαν οὐδὲν οὕτω ποιεῖ φαίνεσθαι λαμπράν, ὡς τὸ πεινῶντας ἀπαντῆσαι τοὺς μέλλοντας μετέχειν αὐτῆς. Τίς οὖν ἐστὶν Ὀζίας, καὶ τίνων ἀπόγονος, καὶ τίνων βασιλεὺς, καὶ πόσον ἐβασίλευσε χρόνον, καὶ τί μὲν κατώρθωσε, τί δὲ διήμαρτε, πῶς δὲ τὸν βίον κατέλυσε; Ἄπαντα ταῦτα πρὸς ὑμᾶς ἐρούμεν νῦν, μᾶλλον δὲ ὅσα δυνατόν εἰπεῖν, ὥστε μὴ τῷ πλήθει καταχῶσαι τὴν μνήμην ὑμῶν· ὃ γίνεται καὶ ἐπὶ τοῦ λυχνιαίου πυρός. Ἄν μὲν γὰρ ἐκεῖ κατὰ μικρὸν ἐπιστάξης τῇ θρυαλλίδι τὸ ελαιον, ἰκανὴν ἔδωκας τῷ πυρὶ τὴν τροφήν· ἂν δὲ ἄθροον καταχῆς, καὶ τὴν οὔσαν φλόγα κατέσβεσας. Οὗτος τοῖνον ὁ Ὀζίας ἀπόγονος μὲν ἦν τοῦ Δαυὶδ, βασιλεὺς δὲ τῶν Ἰουδαίων· ἐβασίλευσε δὲ ὄσο καὶ πεντήκοντα ἔτη· καὶ τὰ πρώτα

<sup>a</sup> Erasmus legisse videtur νείκη, siquidem verlit *contentiones*. Paulo post quinque mss. ἀποδείξεις πολλὰ περί, et sic legit Erasmus.

<sup>b</sup> Omnes fere mss. καὶ αὐτὸς ὁ Χριστὸς προέειπεν; et sic legit Erasmus. In editis αὐτοῖς deest post αὐτὸς, sed legitur post τοῦτο.

<sup>c</sup> Unus ἀλλόλοισι συγγέσθαι.

<sup>d</sup> Unus sic incipit, Εὐλογητὸς ὁ Θεός, ἐπὶ ἐπὶ τῆς.

<sup>e</sup> Hic in aliquot mss. ἀνθρώπους deest, et infra legitur ἀρδῶν, sed ἄρδον etiam est in usu.

<sup>f</sup> Unus παλαιόντας, νικῶντας. Mox alii στεφανωμένους.

<sup>g</sup> Alius τὴν προθυμίαν, utrumque bene.

εὐδόκιμο; ὡν, ὕστερον εἰς ἁμαρτίαν ἠ κατέπεσε. Μείζονα γὰρ τῆς οικείας φρονήσας ἀξίας, ἐπαπῆδησε τῆ τῆ; ἱερωσύνης ἀρχῆ.

Τοσοῦτόν ἐστι ἀπόνοια κακόν· καὶ γὰρ ἑαυτὸν τινα ἕκαστον ἀγνοεῖν ἀναπέθει, καὶ μετὰ πολλοὺς πόνους ἅπαντα κενοὶ τῆς ἀρετῆ; τὸν θησαυρόν. Καὶ τὰ μὲν ἄλλα κακὰ βῆθιμουόντων ἡμῶν περιγίνεσθαι πέφυκεν, αὕτη δὲ κατορθοῦσιν ἡμῖν ἐπιφύεται. Οὐδὲν γὰρ οὕτως ἀπόνοϊαν τίκτειν εἰσθῆν, ὡς συνειδὸς ἀγαθόν, ἐὰν μὴ προσέχωμεν. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Χριστὸς εἰδὼς, ὅτι μετὰ τὰ κατορθώματα ἐπεισέρχεται: τοῦτο τὸ πάθος ἡμῖν, τοῖς μαθηταῖς ἔλεγεν· Ὅταν πάντα ποιήσητε, λέγετε, ὅτι Ἄχραιοὶ δοῦλοὶ ἐσμεν. Ὅταν γὰρ μέλλῃ ἐπεισιεῖναι τὸ θηρίον ὑμῖν, τότε διὰ τῶν βῆμάτων τούτων, φησὶν, ἀποκλείετε ἢ τὰς θύρας αὐτῶ. Καὶ οὐκ εἶπεν, Ὅταν πάντα ποιήσητε, ἀχραιοὶ ἐστε, ἀλλ' Ὑμεῖς λέγετε, ὅτι Ἄχραιοὶ ἐσμεν. Εἰπέ, μὴ φοβηθῆς, οὐκ ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς σῆς φέρω τὴν ψῆφον ἐγώ. Ἄν γὰρ σὺ σαυτὸν εἰπῆς ἀχραιοί, ἐγὼ σὺ ὡς χρῆσιμον στεφανῶ. Οὕτω καὶ ἀλλαχοῦ φησι, Λέγε σὺ πρῶτος τὰς ἀνομιὰς σου, ἵνα [113] δικαιοθῆς. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἐξωθεν δικαστηρίων μετὰ τὴν κατηγορίαν καὶ ὁμολογίαν ἑ τῶν ἁμαρτημάτων θάνατος· ἐπὶ δὲ τοῦ θεοῦ δικαστηρίου μετὰ τὴν κατηγορίαν στέφανος. Διὸ καὶ ὁ Σολομῶν ἔλεγε· Μὴ δικαίον σεαυτὸν ἐνώπιον Κυρίου. Ἄλλ' οὐδενὸς τούτων ἤκουσεν ὁ Ὑζίας, ἀλλ' ἐπεισῆλθεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ θυμῶν ἐβούλετο, καὶ τοῦ ἱερέως κωλύοντος οὐκ ἠνείχετο. Τί οὖν ὁ Θεός; Ἐπαφῆκεν αὐτῶ λέπραν κατὰ τοῦ μετώπου, τὴν ἀναίσχυντον κολάζων ἕψιν, καὶ παιδεύων αὐτόν, ὅτι θεῖόν ἐστι τὸ δικαστήριον, καὶ οὐ πρὸς ἀνθρώπους ὁ πόλεμος ἦν. Καὶ τὰ μὲν κατὰ τὸν Ὑζίαν ταῦτα. Φέρε δὴ καὶ ἄνωθεν τὴν ἱστορίαν αὐτὴν ἐπέλωμεν. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ αὐτὸς προλαβὼν ἐν βραχεῖ διηγησάμεν ὑμῖν τὰ συμβεβηκότα πάντα, ἵν' ὅταν ἀκούητε τῆς Γραφῆς ταῦτα ἀπαγγελλούσης, παρακολουθῆτε μετὰ ἀκριβείας αὐτοῖς. Ἄλλὰ προσέχετε. Καὶ ἐποίησε, φησὶν, Ὑζίας τὸ εὐθὲς ἐνώπιον Κυρίου. Μεγάλην αὐτοῦ διὰ τούτων ἁμαρτύρησεν ἀρετὴν. Οὐ γὰρ τὸ εὐθὲς ἐποίησε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον Κυρίου, οὐ πρὸς ἐπίδειξιν ἀνθρώπων, καθάπερ ἐκεῖνοι οἱ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις πρὸ τῆς ἐλεημοσύνης σαλπίζοντες, οἱ ἐν ταῖς νηστειαῖς τὰ πρόσωπα ἀφανίζοντες, οἱ τὰς εὐχὰς ἐν ταῖς ἀμφόδοις ποιούμενοι· ὧν τί γένοιτο ἂν ἀθλιώτερον, ὅταν τοὺς μὲν πόνους ὑπομένωσι, τῆς δὲ ἀμοιδῆς ὀπισθεῶνται ἀπάσης;

β'. Τί ποιεῖς, ἄνθρωπε; ἰμέτερω μέλλεις εὐθύναις διδοῦναι τῶν πεπραγμένων, καὶ ἕτερον μάρτυρα καλεῖς τῶν γινομένων; ἕτερον ἔχεις δικαστήν, καὶ ἕτερον καθίζεις θεατὴν; Οὐχ ὄρας τοὺς ἡνιόχους, οἱ τῆς πόλεως ἀπάσης ἄνω καθημένης ἐν ταῖς τῶν ἵππων ἀμίλλαις, ἅπαν τοῦ σταδίου παρατρέχοντες τὸ μέρος, ἐκεῖ φιλονεικοῦσι τὰ τῶν ἀντιπάλων ἄμματα καταστρέφειν, ἐνθα ἂν ἴδωσι τὸν βασιλέα καθήμενον, καὶ τοσοῦτων ὄψεων ἕνα νομίζουσιν ἀξιοπιστότερον ὄφθαλ-

μόν; Σὺ δὲ αὐτὸν τὸν τῶν ἀγγέλων αὐτῶν βασιλέα τοῖς σοῖς δρόμοις ἀγωνοθετοῦντα ὄρων, ἐκείνον ἀφείς ἐπὶ τὰς τῶν ὁμοδούλων καταφεύγεις ὄψεις; Διὰ τοι τοῦτο μετὰ τὰς μυρίας πάλας ἀστεφάνωτος ἀναχωρεῖς. μετὰ τοὺς πολλοὺς ἰδρώτας χωρὶς βραβείων ἀπέρχῃ πρὸς τὸν ἀγωνοθετῆν; Ἄλλ' οὐκ Ὀζίας τοιοῦτος ἦν, ἀλλ' ἐνώπιον Κυρίου τὸ εὐθὲς ἐποίησε.

Πῶς οὖν οὕτω μετὰ ἀκριβείας πολιτευόμενος ὑπεσεκλήσθη καὶ κατέπεσε; Τοῦτο γὰρ κἀγὼ θαυμάζω καὶ διαπορῶ, μᾶλλον δὲ οὐκ ἂν εἴη τοῦτο διαπορήσεως ἄξιον· ἄνθρωπος γὰρ ἦν, πρῶγμα πρὸς ἁμαρτίαν εὐόλισθον, καὶ πρὸς κακίαν δέυβροπον. Καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἐστὶ τὸ χαλεπὸν, ἀλλ' ὅτι καὶ ὀδὸν στενὴν καὶ τεθλιμμένην ὀδεύειν ἐπετάγημεν ὑπὸ κρημῶν ἑκατέρωθεν ἀπειλημένην. [114] Ὅταν οὖν καὶ προαιρέσεως εὐκολία καὶ ὀδοῦ δυσκολία συνελθῶσιν εἰς ταῦτόν, μὴ θαύμαζε λοιπὸν ὑπὲρ τῶν παρπτωμάτων. Καθάπερ γὰρ ἐν τοῖς θεάτροις οἱ τὴν σχολίον τὴν κάτωθεν ἄνω τεταμένην ἰ ἀναβαίνειν καὶ καταβαίνειν μελετώντες, ἂν μικρὸν παραβῆσιν, παρατραπέντες κατενεχθῆσονται εἰς τὴν ὀρχήστραν, καὶ ἀπολούνται· οὕτω καὶ οἱ τὴν ὀδὸν ταύτην ὀδεύοντες, ἂν μικρὸν βραθυμῶσιν, κατακρημνίζονται. Καὶ γὰρ ἐκεῖνης τῆς σχολίου ἡ ὀδὸς αὕτη καὶ στενωτέρα καὶ θρησῖος καὶ προσάντης μᾶλλον ἐστὶ καὶ ὑψηλωτέρα πολλῶ· πρὸς γὰρ αὐτὴν ἄνω τελευτᾷ ἑ τὸν οὐρανόν, καὶ τότε ἡμῖν σφαλερώτερα ἐστὶ τὰ διαθήματα, ὅταν ἄνω καὶ πρὸς αὐτῇ γενώμεθα τῇ κορυφῇ· τοῖς γὰρ ἐφ' ὕψους ἐστῶσι πολλοὶ ὁ τρόμος, καὶ μὴ μόνον ἀσφάλεια λείπεται, τὸ μὴ κατακύβαι κάτω, μηδὲ εἰς γῆν ἰδεῖν. Καὶ γὰρ χαλεπὸς ἐντεῦθεν ὁ σκοτόδιος γίνεται. Διὰ τοι τοῦτο συνεχῶς ἡμῖν ὁ Προφήτης ἐπιβοᾷ λέγων· Εἰς τὸ τέλος μὴ διαφθέρῃς· βραθυμοῦσαν ἡμῶν τὴν ψυχὴν ἀναστέλλων, καὶ μέλλουσαν καταπίπτειν ἀνέχων καὶ διακρατῶν. Ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ οὐ πολλῆς δεόμεθα τῆς παρακλήσεως. Τί δήποτε; Ὅτι πᾶς ἄνθρωπος, καὶν ἅπαντων νοθέστατος ἦ, μέλλον ἄπεισθαι πράγματα; πολλὴν ἐν τῶν προοιμίῳ ἐπιδεικνυται τὴν σπουδὴν, καὶ τῆς προθυμίας ἀμαζιούσης, καὶ τῆς δυνάμεως νεαρᾶς οὐσης ἔτι, βῆδῶς πρὸς τὸ προκειμένον ἐπιβαίνει· ὅταν δὲ τὸ πλέον τῆς ὀδοῦ προέλωμεν, καὶ μαρυνθῆ τὰ τῆς προθυμίας ἡμῖν, τὰ δὲ τῆς δυνάμεως ἡμῶν λήξῃ, μέλλωμεν δὲ καταπίπτειν, τότε ἡμῖν ὁ προφήτης εὐκαίρως παραίσταται, καθάπερ βακτηρίαν τινα τὸ ἐπιφθεγμα τοῦτο ὀρέγων, καὶ λέγων, Εἰς τὸ τέλος μὴ διαφθέρῃς.

Καὶ γὰρ ὁ διάβολος τότε σφοδρότερον πνεῖ ἡ. Καὶ καθάπερ οἱ τὴν θάλατταν πλέοντες πειραταὶ, οὐχ ὅταν ἴδωσιν ἐξίοντα τοῦ λιμένος τὰ πλοῖα, τότε ἐπιτίθενται, (τί γὰρ αὐτοῖς ὄφελος κενὸν καταδῦσαι τὸ σκάφος;) ἀλλ' ὅταν ἐπανήν πληρὴ τὸν φόρτον ἔχοντα, τότε πᾶσαν κινουσί μηχανήν· οὕτω καὶ ὁ πονηρὸς δαίμων ἐκείνος, ὅταν ἴδῃ πολλὰ συναγροχότας ἰ, νηστειᾶν, εὐχὰς, ἐλεημοσύνην, σωφροσύνην, τὴν ἄλλην ἅπασαν ἀρετὴν, ὅταν ἴδῃ γέμον ἡμῶν τὸ πλοῖον τῶν πολυτελῶν τῆς εὐσεβείας λίθων, τότε προσβάλλει, πάντοθεν διορύττων τὸν θησαυρόν, ὥστε παρ' αὐτὰ τοῦ λιμένος τὰ στόματα καταδῦσαι τὸ σκάφος, καὶ

<sup>a</sup> Quatuor mss. εὐδοκίμησας, ὕστερον πρὸς ἁμαρτίαν.

<sup>b</sup> Unus ἀποκλείσατε.

<sup>c</sup> Sic tres mss. et sic legit Erasmus. In editis καὶ τὴν ὁμολογίαν deerat. Verum paulo post, ubi in Græco legitur μετὰ τὴν κατηγορίαν στέφανος, ei duo mss. addunt μετὰ τὴν κατηγορίαν τῶν ἁμαρτημάτων στέφανος, Erasmus locum plenum, ut ante, repetit, sic, post accusationem et confessionem peccatorum datur corona, quam interpretationem, quia nihil ad sensum addit, relinquere visum est. Paulo post ὁ Σολομῶν pro ὁ Σαϊραϊδῶν.

<sup>d</sup> Τῶν ἀντιπέμων, sic tres mss. Infra iidem τὸν τῶν ἀγγέλων βασιλέα. Infra unus καὶ τοσοῦτων ὄψεων οὐσῶν ἕνα νομ.

<sup>e</sup> Erasmus legisse videtur ἑκατέρωθεν ἀπειλημένην, vertit enim, præcipitiis minacem, nempe viam. Sed nullus codex sic habet.

<sup>f</sup> Unus ἐπιτεταμένην.

<sup>g</sup> Tres mss. ἄνω τέταται. Unus ἄνω τελειοῦται. Erasmus videtur legisse τέταται. Sed hæc omnes lectiones quadrant. Max alii ἐπισφαλέστερα ἐστὶ τὰ βήματα.

<sup>h</sup> Unus σφοδρότερον ἐπέργεται.

<sup>i</sup> Unus συναγροχότας. Σανί. συνηγοχότας.

erat, extinxeris. Hic igitur Ozias e sirpe David duxit genus, rex autem erat Judæorum; regnavit annis quinquaginta duobus: cumque initio cum laude gessisset principatum, post in peccatum prolapsus est. Cum enim altiores spiritus sustulisset quam pro sua dignitate, principatum invasit sacerdotii.

*Superbia sæpe ex bona conscientia oritur.* — Tantum malum est arrogantia, quæ persuadet, ut quisque semet ignoret, postque multos labores omnem virtutis thesaurum exhaurit. Ac cætera quidem mala nobis negligenter agentibus solent exuberare, hæc autem ipsis recte factis nostris adnascitur. Nihil enim perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde et Christus sciens, quod post benefacta nos hic morbus adoriatur, dicebat discipulis suis: *Cum omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus (Luc. 17. 10)*. Cum enim hæc noxia bestia parat invadere vos, tunc, inquit, per hæc verba fores illi ocludite. Neque dixit: *Cum omnia feceritis, inutiles estis: sed, Vos dicite, Inutiles sumus. Dic, ne metuas, non ex tuo judicio fero sententiam. Nam si tu te ipsum dixeris inutilem, ego te utilem coronabo. Sic et alias loquitur: Dic tu prior peccata tua, ut justificeris (Isai. 43. 26)*. In mundanis siquidem ac forensibus judiciis post accusationem et criminum confessionem restat mors: cæterum apud divinum tribunal post accusationem et confessionem peccatorum datur corona. Unde et Salomon dicit (a): *Ne justificaveris teipsum in conspectu Domini (Eccli. 7. 5)*. Verum nihil horum audivit Ozias, sed irruit in templum, ut adoleret, ac ne sacerdote quidem prohibente abstinuit. Quid igitur Deus? Immisit illi lepram in fronte, hoc modo impudentem faciem puniens, docensque illum, quod hoc esset Dei tribunal, et quod illi bellum esset non adversus homines, sed adversus Deum. Ac de Ozia quidem hactenus. Agedum jam ab integro historiam hanc percurramus. Nam hac de causa et ipse præoccupans compendio vobis exposui quæ Ozia acciderunt omnia: ut cum audieritis Scripturam hæc eadem narrantem, rerum seriem summo cum animi studio consecretimini. Sed attendite. *Et fecit, inquit, Ozias quod rectum est in conspectu Domini (2. Paral. 26. 4)*. Hoc testimonio magnam illius virtutem declaravit. Non enim modo fecit quod rectum erat, verum etiam fecit in conspectu Domini, non apud homines se ostentans, quemadmodum apud Judæos faciebant illi, qui ante eleemosynam tuba caneabant, et in jejuniis facies suas exterminabant, qui precabantur in compitis; quibus rebus quid potest esse miserius, ubi post toleratos labores, omni præmio frustrabantur?

2. Quid facis, homo? alii redditurus es rationem factorum tuorum, et alium testem citas eorum quæ facis? alium habes judicem, et alium adhibes spectatorem? Non vides aurigas qui universa civitate in sublimi sedente in equestribus ludis, totum stadii spatium percurrentes, ibi contendunt concertatorum

(a) Non raro Stracidis librum Salomonis dicit Chrysostomus, ut monuit Savilius.

currus subvertere, ubi Imperatorem viderint sedentem, et inter tot spectantium vultus unum oculum putant fide digniorem? At tu cum videas ipsum angelorum Regem tuo cursui agonothetam, hoc est certaminis judicem, præsidere, eo prætermisso ad conservorum fugis oculos? Atque ideo sane post innumeras luctas incoronatus recedis, post sudores plurimos absque præmiis venis ad agonothetam? At non talis erat Ozias, sed in conspectu Domini faciebat quod rectum est.

*Fragilitas hominis. Funambuli tempore Chryso-stomi.* — Qui factum est igitur, ut post vitam tam perfectam supplantatus sit concideritque? Nam hoc et ipse demirans hæsito, quin potius nihil hic esse debet hæsitacione dignum, quandoquidem homo erat, res ad peccandum lubrica, et ad malitiam propensa. Neque id solum est difficile, verum etiam illud quod incedere jussi sumus per viam angustam, et utrinque præcipitiis terminatam. Proinde quoties et voluntatis facilitas et viæ difficultas in unum coeunt, ne postea mirare de lapsu. Quemadmodum enim in spectaculis qui per funem ab imo in altum tensum ascendere ac descendere meditantur, si paululum deflexerint oculos, inverso corpore deferuntur in orchestram, pereuntque: itidem qui per hanc incedunt viam, si vel paululum segniter egerint, præcipitantur. Et tamen hæc via tum angustior est, tum magis ardua, multoque excelsior, quam illa per funem, ut quæ sursum ad ipsum usque cælum protensa est: ac tum nobis majore cum periculo ponuntur vestigia, cum ad summum et ad ipsum usque fastigium accesserimus: nam in sublimi stantes multus occupat tremor, atque una tantum cautione tuti sunt a lapsu, ne deorsum aspiciant, neve in terram demittant oculos. Nam inde multa et gravis exoritur tenebrosa vertigo. Hanc quidem ob causam propheta nobis assidue inclamat, dicens: *In finem ne corrumpas (Psal. 56. 4)*: animæ nostræ socordiam retrahens, jamque collapsuram suffulciens ac retinens. Initio quidem non egemus multa exhortatione. Quid ita tandem? Eo quod quilibet homo, etiamsi fuerit omnium pigerrimus, aggressurus negotium, plurimam in principio adhibet diligentiam, dumque et animi viget alacritas, et vires integræ sunt ac recentes, facile ad id quod propositum est pertingit: cæterum ubi major viæ pars nobis peracta est, jamque alacritatis vigor emarcuit, viresque nostræ defecerunt, nec aliud superest quam ut decidamus: tunc nobis opportune adest propheta, veluti pro baculo quopiam alloquium suum nobis porrigens ac dicens, *In finem ne corrumpas*.

*Bonis operibus instructos magis aggreditur diabolus.* — Tunc enim diabolus spirat vehementius: et quemadmodum piratæ qui male navigiis infestant, non tum ubi conspexerint naves e portu exeuntes, invadunt, (quid enim hinc fructus caperent si scapham inanem demergerent?) sed ubi redierit onusta plenaque sarcinis, tum lemum omnes expediunt artes: ita sceleratus ille læmon simul atque videt aliquos multa



collegiase, videlicet jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes, ubi videt navigium nostrum plenum pretiosis pietatis lapidibus, tunc irrumpit, undique thesaurum perfodiens, ut in ipsiis portus ostiis scapham perferat, jamque nudos nos ad eum portum ejiciat: ideoque propheta cunctos admonet dicens: *In finem ne corrumpas*. Et enim ab ejusmodi ruina non facile est resurgere. Nam *Qui in profundum malorum venerit, contemnit* (*Prov. 18. 3*). In principio quidem lapsis veniam damus omnes ob imperitiam; sed enim qui post multos cursus conciderit, nemo veniam dignum judicaverit; tum enim cadere, negligentiae tribuitur. Nec id solum hic est mali, verum etiam quod hujusmodi lapsus multis sint offendiculo, ut rursus hoc quoque peccatum reddatur irremissibile. Hæc cum sciamus, auscultemus prophetæ, et in finem ne corrumpamus. Nam hæc de causa et Ezechiel clamat dicens: *Si quis fuerit justus, deinde lapsus peccaverit, nulla erit recordatio justitiarum ejus, sed in peccato suo morietur* (*Ezech. 3. 20*). Nam et hic metuit de fine. Neque hinc modo, verum etiam ex contrariis declarat in hac re plurimum esse momenti. *Si quis, inquit, fuerit peccator, ac postea mutatus factus fuerit justus, nulla erit memoria injustitiarum illius: in justitia sua vivet* (*Ezech. 18. 21*). Vides et hic prophetam de fine vehementer sollicitum. Siquidem ut neque justitiæ suæ confidens justus, ad socordiam versus pereat, per finem incutit illi terrorem: neque peccator ob delicta despondens animum, jugiter perseveret in lapsu, erigit illum per propositum finem. Peccasti, inquit, multa, ne desperes: est enim unde resurgas, si finem initio contrarium exhibueris. Rursus ad justum, Multa, inquit, recte fecisti, verum ne fidas: continget enim ut cadas, nisi ad finem usque eandem adhibeas curam. Vides ut alterius quidem socordiam, alterius vero desperationem sustulerit.

3. Nihil horum audivit Ozias, ideoque per confidentiam decidit ruina periculosa et insanabili. Neque enim quivis lapsus parem adfert ruinam, sed quædam peccata improbationi tantum obnoxia sunt, quædam gravissimo supplicio puniuntur. Proinde Paulus increpans eos qui in communibus cœnis non exspectabant fratres, ita loquitur: *Hoc denuntians non laudo* (*1. Cor. 11. 17*). Vides peccatum intra reprehensionem (a) consistere, et objurgatione plecti. At ubi de fornicatione loquitur, non itidem facit. Sed quo pacto? *Si quis templum Dei violat, perdet hunc Deus* (*1. Cor. 3. 17*). Hoc non est probrum aut reprehensio, sed pena gravissima. Novit et Salomon peccatorum discrimina, qui furtum cum adulterio conferens sic alicubi loquitur: *Non est mirum si quis deprehendatur in furto: furatur enim, ut animam expleat esurientem: sed adulter ob inopiam sensus exitium animæ suæ conciliat* (*Prov. 6. 30-32*). Et hoc et illud, inquit, peccatum est, sed

(a) In Græco, μήρι καταργώσας. Observavimus in Athanasii Orinastico καταργώσας non damnationem prorsus significare, sed quatenus tantum damnare, significat improbare vel reprehendere: quaniobrem καταργώσας hic Erasmus recte vertit, *reprehensionem*.

alterum minus, alterum majus: pauper enim excusationem habet quod præbuerit occasionem peccandi penuria, alteri omnis adempta est excusatio. At hic, dices, pellitur naturali concupiscentia. At non permittit elabi uxor quæ illi sorte obtigit, sed instat eripiens illi veniam. Ob id enim matrimonium et hujus legitimus usus permittitur, ne quid horum excusare possit maritus. Hanc ob causam data est illi mulier adjuvatrix, ut effervescentem naturam coerceat, ut concupiscentiæ fluctus sedet. Itaque quemadmodum gubernator in portu faciens naufragium haudquaquam ullam impetraret veniam: sic nec is qui cum per conjugium in tuto collocetur, tamen aliena perfodit matrimonia, aut quæcumque feminam curiosis aspicit oculis, habere quidquam possit excusationis nec apud homines nec apud Deum, etiamsi millies allegarit naturæ voluptatem. Imo quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi anxietas, ubi tantorum malorum exspectatio, ubi tribunalia, ubi rationes reddendæ, ubi iudicis ira, ubi gladius et carnifex, ubi barathrum, et abductio ad supplicium? Omnia pavet metuitque quæ talis est, umbras, parietes, ipsos lapides, tamquam vocem emittentes: omnes observat habetque suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt. Quin potius, si voles, tollantur hæc omnia: ponamus nulli notum esse flagitium præterquam ipsi uni, et mulieri quam adhaeravit: quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam accusatricem illam ubique secum ferens? Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere, ita nec illam hujus tribunalis sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit; nam divinum est, et a Deo nostris insitum mentibus. Vere *Adulter per inopiam sensus exitium suæ ipsius animæ conciliat* (*Prov. 6. 32*). Tametsi nec fur etiam immunis est a supplicio, verum dat quidem pœnam, sed minorem. Nec enim comparationes in diversum ordinem extrudunt ea quæ comparantur, sed permittentes suo quæque manere loco, diminutionem inducunt aut exsuperantiam. Fortasse non intelligitis quod dictum est: itaque necesse est idem explanatius dicere. Bonum est conjugium, sed melior est virginitas: nec quoniam melior est virginitas, ideo malum est conjugium, sed illud quidem inferius, alioqui bonum et ipsum. Similiter et hic: malum est furtum, sed adulterio minus, quamquam et ipsum est malum. Vides peccatorum differentias? Consideremus itaque quale peccatum hic peccaverit. *Elatum est, inquit, cor illius* (*2. Paral. 26. 16*). Periculosum vulnus: est enim arrogantia, arrogantia inquam, malorum omnium fons. Et ut compendio discas morbi malitiam, illud audi. Cætera quidem peccata circa nostram versantur naturam, at superbia virtutem incorpoream et sublimi de traxit ac dejecit: nam diabolus, cum diabolus non esset, diabolus effecit arrogantia. Quod si testem adducam Isaiam ita de illo loquentem, *In caelum ascendam, et ero similis Altissimo* (*Isai. 14. 14*): qui non libenter recipiunt allegorias, repudiabunt nostrum testimonium: sin vero Paulum illi adhibuerimus accu-

γυμνοὺς παραπέμψαι πρὸς ἐκεῖνον τὸν λιμένα λοιπόν. Διὰ τοῦτο ὁ προφήτης παραινεί πᾶσι λέγων, *Εἰς τὸ τέλος μὴ διαφθείρης*. Καὶ γὰρ μετὰ τὴν τοιαύτην πτώσιν δυσανάκλητος πάλιν ἡ ἀνάστασις. Ὁ γὰρ *ἐλθὼν εἰς ἁβάθος κακῶν, καταφρονεῖ*. Καὶ τῷ μὲν ἐν ἀρχῇ παύσονται συγγνώσκομεν ἅπαντες διὰ τὴν ἀπειρίαν· τὸν δὲ μετὰ πολλοὺς [115] τοὺς δρόμους ὑποσκελισθέντα οὐκ ἂν τις βρῆδως ἀξιώσειε συγγνώμης ἢ ἀπολογίας· βραθυμίας γὰρ τότε τὸ πῦμα εἶναι δοκεῖ. Καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἐστὶ τὸ δεινόν, ἀλλ' ὅτι καὶ πολλοὶ οἱ σκανδαλιζόμενοι τοῖς τῶν τοιοῦτων πτώμασιν εἰσιν, ὥστε καὶ ταύτη πάλιν ἀσυγγνωστον τὸ ἀμάρτημα γίνεται. Ταῦτ' οὖν εἰδότες, ἀκούωμεν τοῦ Προφήτου, καὶ εἰς τὸ τέλος μὴ διαφείρωμεν. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ὁ Ἰεζεκιὴλ ἐβόα λέγων· *Ἐὰν γένηται τις δίκαιος, εἰτα μεταπεσὼν ἀμάρτη, οὐ μὴ μνησθῶσιν αὐτῷ αἱ δικαιοσύναι αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν τῇ ἀμαρτίᾳ αὐτοῦ ἀποθανεῖται*. Καὶ γὰρ καὶ οὗτος δέδοικεν ὑπὲρ τοῦ τέλους. Καὶ οὐκ ἐντεῦθεν μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ἐναντίων δείκνυσι. πολλὴν τοῦ πράγματος τὴν ἰσχὺν οὖσαν. *Ἄν γὰρ γένηται τις ἀμαρτωλὸς*, φησὶν, *εἰτα μεταβαλλόμενος γένηται δίκαιος, οὐ μὴ μνησθῶσιν αἱ ἀμαρτίαι αὐτοῦ*· ἐν τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ ζήσεται. Ὁρᾷ καὶ ἐνταῦθα πολλὴν τοῦ τέλους αὐτὸν ποιούμενον πρόνοιαν. Ἴνα γὰρ μήτε ὁ δίκαιος τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ θαρρῶν, εἰς βραθυμίαν ἀποκλίνας ἀπόληται, φοβεῖ διὰ τοῦ τέλους αὐτόν· μήτε ὁ ἀμαρτωλὸς ἀπογνοὺς ἐπὶ τοῖς παραπτώμασι, μένη διαπαντὸς ἐν τῷ πτώματι, ἀνίστησι διὰ τοῦ τέλους αὐτόν. *Ἡμαρτας πολλὰ*, φησὶν, ἀλλὰ μὴ ἀπιστήσῃς· ἔστι γὰρ ἐπάνωδος, ἐὰν ἐναντίον ὁ τῆς ἀρχῆς δείξῃς τὸ τέλος. Πάλιν πρὸς τὸν δίκαιον, Κατώρθωσας πολλὰ, φησὶν, ἀλλὰ μὴ θαρσήσῃς· συμβαίνει γὰρ καὶ πεσεῖν, ἂν μὴ διὰ τέλος τὴν ἴσῃν ἔχῃς σπουδὴν. Εἶδες πῶς τοῦ μὲν τὴν βραθυμίαν, τοῦ δὲ τὴν ἀπύκνησιν ἀνελεῖ;

γ'. Οὐδενὸς τούτων ἦκουσεν Ὁξίας διὰ καὶ θαρσήσας κατέπεσε πῦμα χαλεπὸν καὶ ἀνίατον. Οὐδὲ γὰρ πᾶν πῦμα ἴσον ἡμῖν ἐργάζεται τὸ τραῦμα, ἀλλὰ τῶν ἀμαρτιῶν τὰ μὲν ὑπὸ καταγνώσιν κείται μόνον, τὰ δὲ χαλεπωτάτην δέχεται τιμωρίαν. Τοῖς γοῦν οὐκ ἀναμένουσι τοὺς ἀδελφοὺς ἐν τοῖς κοινοῖς δειπνοῖς ὁ Παῦλος ἐπιτιμῶν, οὕτως ἔλεγε· *Τοῦτο δὲ παραγέλλων οὐκ ἐπαιρῶ*. Ὁρᾷς μέχρι καταγνώσεως ἰστάμενον τὸ ἀμάρτημα, καὶ φόβον ἔχον τὴν ἐπιτίμιον. Ἄλλ' οὐχ ὅταν περὶ πορνείας διαλέγηται, οὕτω ποιεῖ. Ἄλλὰ πῶς; *Εἰ τις τὸν ῥαβὸν τοῦ Θεοῦ φθηρεῖ, φθереῖ τούτον ὁ Θεός*. Ἐνταῦθα γὰρ οὐκ ἔστι φόβος, οὐδὲ κατάγνωσις, ἀλλ' ἡ χαλεπωτάτη τιμωρία. Οἶδε καὶ ὁ Σολομὼν ἀμαρτημάτων διαφορὰς· τὴν γοῦν κλοπὴν τῇ μοιχείᾳ συγκρίνων, οὕτως εἶπε· *Οὐ θανατοῦσάν, ἐὰν ἀλῶ τις κλέπτων· κλέπτει γὰρ, ἵνα ἐμπλήσῃ ψυχὴν αὐτοῦ πεινώσαν· ὁ δὲ μοιχὸς δι' ἐνδομῶν φρονῶν ἀπώλειαν τῇ θυνοῦ ψυχῇ περιποιεῖται*. Ἀμάρτημα καὶ τοῦτο κακίον, φησὶν, ἀλλὰ τὸ μὲν ἔλαττον, τὸ δὲ μείζον· ὁ μὲν γὰρ ἔχει ἃ τὴν ἀπὸ τῆς πείνας πρόφασιν, οὗτος ἔἵ πάσης ἀπολογίας ἐστέρηται. Ἄλλὰ καὶ οὗτος ἔχει,

φησὶ, τὴν ἀπὸ τῆς φυσικῆς ἐπιθυμίας ἀνάγκην. Ἄλλ' οὐκ ἀφήσιν ἡ κληρωθεῖσα [116] αὐτοῦ γυνή, ἀλλ' ἐφίστηκεν ἀποστεροῦσα τῆς συγγνώμης αὐτόν. Διὰ γὰρ τοῦτο γάμος καὶ ἀπόλαυσις ἐνθεσμος, ἵνα μὴδὲν ἔχη τούτων λέγειν ὁ ἀνὴρ. Διὰ τοῦτο αὐτῷ βοηθὸς ἐδόθη ἡ γυνή, ἵνα μαινομένην καταστέλλῃ τὴν φύσιν, ἵνα στορέσῃ τῆς ἐπιθυμίας τὰ κύματα. Ὅσπερ οὖν κυβερνήτης ἐν λιμένι ναυάγιον ἐργαζόμενος οὐκ ἂν τύχοι συγγνώμης τινός· οὕτω καὶ ὁ ἄνθρωπος μετὰ τὴν ἀσφάλειαν τὴν ἀπὸ τοῦ γάμου τοὺς ἑτέρου διορῦπτων γάμους, ἢ γυναῖκα ἠγνισαοῦν περιέργως ὀρῶν, οὐκ ἂν τύχοι τινὸς ἀπολογίας, οὐ παρὰ ἀνθρώπου, οὐ παρὰ Θεοῦ, κἂν μυριάκις λέγῃ τὴν τῆς φύσεως ἡδονὴν. Μᾶλλον δὲ ποια γένοιτ' ἂν ἡδονή, ὅπου φόβος καὶ αγωνία ὁ καὶ κίνδυνος καὶ προσδοκία τοσοῦτων δεινῶν, ὅπου δικαστήρια καὶ εὐθυναί, καὶ δικαστοῦ θυμὸς, καὶ ξίφος καὶ δῆμιος, καὶ βράθρον καὶ ἀπαγωγὴ ἰ; Πάντα τρέμει καὶ δέδοικεν ὁ τοιοῦτος, τὰς σικίας, τοὺς τοίχους, τοὺς λίθους αὐτοῦς, καθάπερ φωνὴν ἀφιέντας· πάντας ὑπορᾶται καὶ ὑποπτεύει, τοὺς οἰκέτας, τοὺς γείτονας, τοὺς φίλους, τοὺς ἐχθρούς, τοὺς πάντα εἰδότες, τοὺς οὐδὲν εἰδότες. Μᾶλλον δὲ, εἰ βούλει, καὶ ταῦτα ἀναίρεισθω, καὶ μηδεὶς ἴστω ἢ τὰ τετολημμένα, ἀλλ' ἢ μόνος αὐτὸς μετὰ τῆς ὑδροζομένης γυναίκος; πῶς οἴσει τὸν ἀπὸ τῆς συνειδήσεως ἔλεγχον, πικρὸν πανταχοῦ περιφίρων κατήγορον; Ὅσπερ γὰρ ἑαυτὸν οὐκ ἂν ποτέ τις φύγοι, οὕτω οὐδὲ τὴν ἀπὸ τοῦ κριτηρίου ψῆφον ἐκείνου. Τοῦτο τὸ δικαστήριον οὐ χρήμασι διαφθείρεται, οὐ κολακείαι· ἐνδίδωσι· θεῶν γὰρ ἔστι, καὶ παρὰ Θεοῦ ταῖς ἡμετέρας ἐνιδρυμένων ψυχῶν. Ὅντως· *Ὁ μοιχὸς δι' ἐνδομῶν φρονῶν ἀπώλειαν τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ περιποιεῖται*. Οὐ μὴν οὐδὲ ὁ κλέπτης ἢ κολάσεως ἀπιστέρηται, ἀλλὰ δίδωσι μὲν δίκην, ἐλάττονα δέ. Αἱ γὰρ συγκρίσεις οὐκ εἰς τὴν ἐναντίαν ἐξωθοῦσι τάξιν τὰ συγκρινόμενα, ἀλλ' ἀφιεῖσαι μένειν ἐπὶ τῆς οἰκείας χώρας αὐτὰ, ἐλάττωσιν εἰσάγουσι καὶ ὑπεροχὴν. Τάχα οὐ συνήκατα τὸ λεχθέν· οὐκοῦν ἀνάγκη σαφέστερον εἰπεῖν. Καλὸν ὁ γάμος, ἀλλὰ κρείττων ἡ παρθενία· οὐκ ἐπειδὴ κρείττων ἡ παρθενία, διὰ τοῦτο κακὸν ὁ γάμος, ἀλλ' ἔλαττον μὲν ἐκείνου, καλὸν δὲ καὶ αὐτό. Οὕτω καὶ ἐνταῦθα· κακὸν ἡ κλοπὴ, ἀλλ' ἔλαττον μὲν ἐκείνου, κακὸν δὲ καὶ αὐτό. Εἶδες ἀμαρτημάτων διαφορὰς; Ἴδωμεν οὖν ποῖαν οὕτως ἀμαρτιῶν ἡμαρτεν. Ὑψώθη, φησὶν, ἡ καρδία αὐτοῦ. Χαλεπὸν τὸ τραῦμα· ἀπόνεια γὰρ ἔστιν, ἀπόνεια ἡ πηγὴ πάντων τῶν κακῶν. Καὶ ἵνα συντόμως μάθῃς τοῦ νοσήματος τὴν κακίαν, ἐκεῖνο ἄκουσον. Τὰ μὲν ἄλλα ἀμαρτήματα περὶ τὴν ἡμετέραν στρέφεται φύσιν, ἡ δὲ ὑπερηφανία δύναμιν ἀσώματων κατέσπασε, καὶ κατέβαλεν ἄνωθεν. Τὸν γὰρ διάβολον, οὐκ ἔντα πρότερον διάβολον, τοῦτο [117] εἶναι διάβολον ἐποίησε. Κἂν μὲν τὸν Ἡσαίαν παραγάγωμεν μάρτυρα λέγοντα οὕτω περὶ αὐτοῦ· *Εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναθήσομαι, καὶ ἐσομαι δημοῖς ἐφ' ὕψιστε*· οἱ τὰς ἀλληγορίας οὐχ ἡδέως δεχόμενοι, παραγράφονται τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν· ἂν δὲ τὸν Παῦλον ἐπιστήσωμεν αὐτῷ κατήγορον, οὐδεὶς οὐκέτι λοιπὸν ἀντερεῖ. Τί οὖν ὁ Παῦλος Τιμοθέῳ γράφων; *Ὅτι τὸν ἄρτι τοῦ κηρύγματος ἀψάμενον οὐ δεῖ πρὸς τὸ μέγα τῆς ἐπισκοπῆς ἄγειν*

\* Quatuor mss. εἰσελθὼν εἰς. In ipsdē infra hæc βραδίως, et mox ἡ ἀπολογία; desunt. Hoc porro ultimam ἢ ἀπολογίας non legit Erasmus. Paulo ante codex ap. Savil. δυσανάμιατος.

† Αἱ εἰς αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν τῇ.

‡ Multi mss. ἐὰν μὴ ἐναντίον, male. Paulo post συμβαίει γὰρ καὶ πεσεῖν. Erasmus qui verterat, subindicans illum casurum, legerat haud dubie σημαίνει γὰρ, male. Paulo post multi mss. διὰ τέλος τὴν. Infra f. l. ἀμαρτημάτων.

§ Quatuor mss. γὰρ δοκεῖ ἔχειν.

\* Quatuor mss. ἀγών.

† Ἀπαγωγὴ frequentissimo usu apud Chrysostomum est abductio ad supplicium; Erasmus ἀπαγωγὴν hic verterat deportationem, quæ vox Græcam non satis exprimit.

‡ Duo mss. μηδεὶς ἴδωτο.

§ Quatuor mss. ὁ κλέπτων. Infra lidem αἱ κρίσεις οὐκ εἰς.

ἀξίωμα, εἰπὼν οὕτω· *Μὴ νεφύριον, ἵνα μὴ τυρωθῆς, εἰς κρίμα ἐμπόση καὶ παρῖθα τοῦ διαδόλου*· ἵνα μὴ τὰ αὐτὰ ἁμαρτῶν ἐκείνω, φησί, τὰ αὐτὰ αὐτῷ πεῖσται.

δ. Καὶ οὐκ ἐντεῦθεν δὲ μόνον δηλώνεστιν, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν τῶ πρώτῳ πάντων ἀνθρώπων γενομένῳ συνεβούλευσεν ὁ πονηρὸς δαίμων ἐκεῖνος. Ὡς περ γὰρ τοῖς ἀγαθοῖς ἔθος, ταῦτα τοῖς ἁ πλησίον παραινεῖν, δι' ὧν αὐτοὶ γέγονασιν ἀγαθοί· οὕτω καὶ τοῖς πονηροῖς ἔθος τοιαῦτα εἰσηγεῖσθαι τοῖς πλησίον, δι' ὧν αὐτοὶ γέγονασιν φαῦλοι. Ἐν γὰρ καὶ τοῦτο τῆς πονηρίας εἰδὸς ἐστὶ, καὶ παραμυθίαν ἠγούνται τῆς οικείας κολάσεως τὴν ἐτέρων ἀπίλειαν. Τί οὖν ὁ διάβολος συνεβούλευσε τῷ Ἀδάμ; *Μέλζονα τῆς οικείας φύσεως λαβεῖν ἐνοικῶν, καὶ ἰσοθεῖαν ἐλπίσαι*. Ἐἰ γὰρ ἐμὲ τοῦ οὐρανοῦ τοῦτου, φησὶν, ἐξέβαλε, πολλῷ μᾶλλον τοῦτον τοῦ παραδείσου τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐκβαλεῖ. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Σολομῶν ἔλεγεν· Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνους ἀντιτάσσειται. Οὐκ εἶπεν, ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνους ἀφήσῃ, καὶ ἐγκαταλιμπάνει, καὶ τῆς οικείας βοηθείας γυμνοῖ, ἀλλ', Ἀντιτάσσεται, φησὶν· οὐχ ὅτι παρατάξῃ αὐτῷ καὶ μάχης ἔδει πρὸς τὸν ὑπερήφανον· τί γὰρ ὑπερηφάνους γένοιο ἂν ἀσθενέστερον; Ὡς περ γὰρ ὁ τὰς ὄψεις ἀπολέσας, ἅπαι πρόκειται πρὸς τὸ κακῶς παθεῖν, οὕτως ὁ ὑπερήφανος, ὁ μὴ εἰδὼς τὸν Κύριον (Ἀρχὴ γὰρ, φησὶν, ὑπερηφανίας, τὸ μὴ εἰδέναι τὸν Κύριον), καὶ ἀνθρώποις εὐάλωτός ἐστι, τοῦ φωτὸς ἐκπεσὼν ἐκείνου. Εἰ δὲ καὶ ἰσχυρὸς εἴη, οὐκ ἂν παρατάξῃς ἑδέησε τῷ Θεῷ πρὸς αὐτόν· ὅ γὰρ ἡ βούλησις ἤρκετε πρὸς τὸ πάντα παραγαγεῖν, πολλῷ μᾶλλον καὶ πρὸς τὴν ἀναίρεσιν αὐτῶν ἀρκεῖ. Τίνος οὖν ἐνεκεν, φησὶν, ἀντιτάσσεται; Ἴνα τὸ σφοδρὸν τῆς ἀπεχθείας ἐνδείξῃται τῆς πρὸς τὸν ὑπερήφανον. Ὅτι μὲν οὖν χελεπὸν τὸ τραῦμα τὸ τῆς ὑπερηφανίας, καὶ ἐκ τοῦτου, καὶ ἀλλαχόθεν δῆλον. Εἰ δὲ βούλεσθε, καὶ ἀλλαχόθεν τὴν αἰτίαν αὐτοῦ μάλωμεν, ἀφ' ἧς τὸ ἔλκος ἐγένετο. Καὶ γὰρ ἔθος τῇ Γραφῇ, ἐπειδὴν μέλλῃ τινὸς κατηγορεῖν, μὴ τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῦ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ αἰτίαν τῆς ἁμαρτίας διδάσκειν ἡμᾶς· ποιεῖ δὲ τοῦτο, τὴν ὑγιαινοντάς ἀσφαλεστέρους κατασκευάζουσα πρὸς τὸ μὴ τοῖς αὐτοῖς περιπεσεῖν. Οὕτω καὶ ἰατροὶ πρὸς τοὺς κάμοντας εἰσιόντες, καὶ πρὸ τῶν νοσημάτων ἀνιχνεύουσι τὰς πηγὰς, ὥστε ἀνωθεν ἀναπτέλλαι τὸ κακόν· ὁ γὰρ, τῆς βίβης μενούσης, τὰ βλαστήματα [118] ἐκτέμνων μόνον, οὐδὲν ἕτερον, ἢ ματαιοπονεῖ. Ποῦ οὖν ἡ Γραφὴ καὶ τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἁμαρτίας εἶπε; Κατηγορεῖ τῶν πρὸ τοῦ κατακλισμοῦ γενομένων ἐπὶ ταῖς οὐ προσηκύναις ἐπιμιξίαις<sup>α</sup>· καὶ ἄκουσον πῶς τίθησι τὴν αἰτίαν· Ἰδόντες οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ὅτι καλὰ εἰσιν, ἔλαθον αὐτὰς ἑαυτοῖς εἰς γυναῖκα. Τί οὖν, τὸ κάλλος τῆς ἁμαρτίας αἴτιον; Μὴ γένοιτο τῆς γὰρ Θεοῦ σοφίας ἔργον ἐστὶ· Θεοῦ δὲ ἔργον οὐκ ἂν ποτε γένοιτο πονηρίας αἴτιον. Ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν; Οὐδὲ τοῦτο· καὶ γὰρ καὶ τοῦτο τῆς φύσεως ἔργον ἐστίν. Ἀλλὰ τί; Τὸ κακῶς ἰδεῖν· τοῦτο γὰρ προαιρέσεως διεφθαρμένης<sup>β</sup> ἐστὶ. Διὰ τοῦτο καὶ τις σοφὸς παραινεῖ λέγων, Μὴ καταμάνθανε κάλλος ἀλλότριον. Οὐκ εἶπε, Μὴ ἰδῆς· συμβαίνει γὰρ καὶ ἄπὸ τοῦ αὐτο-

μάτου τοῦτο γενέσθαι· ἀλλὰ, Μὴ καταμάνθανε, φησί, τὴν ἐκ μελέτης κατανόησιν, τὴν περιέργον ὄψιν, τὴν μετὰ διατριβῆς πονηρὰν θεωρίαν, τὴν ἀπὸ ψυχῆς διεφθαρμένης καὶ ἐπιθυμοῦσης ἀναιρῶν. Καὶ τί, φησὶν, ἐκ τοῦτου γένοιτο ἂν βλάβος; Ἐκ τοῦτου, φησὶν, φίλα ὡς πῦρ ἀνακαίεται<sup>γ</sup>. Καθάπερ γὰρ τὸ πῦρ, ἐπειδὴν χόρτου τινὸς ἢ καλάμης ἐπιλάθεται, οὐκ ἀναμένει χρόνον τινά, ἀλλ' ὁμοῦ τε ἤψατο τῆς ὕλης, καὶ λαμπρὰν ἀνήψε<sup>δ</sup> τὴν φλόγα· οὕτω καὶ τὸ πῦρ τῆς ἐπιθυμίας τῆς ἐν ἡμῖν, ἐπειδὴν διὰ τῆς τῶν ὀφθαλμῶν ὄψεως εὐειδοῦς καὶ λαμπροῦ κάλλους ἀψήγεται, εὐθέως ἐμπέπρησι τὴν ψυχὴν. Μὴ τοίνυν τὴν πρόσκαιρον ἰβῆς ἡδονὴν, τὴν ἀπὸ τῆς θεωρίας, ἀλλὰ τὴν διηνεκῆ σκόπησον δούνην, τὴν ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας. Ἡ μὲν γὰρ τὸ τραῦμα ἐνθεῖσα ἀπεπήδησε πολλακίς· τὸ δὲ τραῦμα οὐκ ἀποπηδᾷ, ἀλλὰ μένει πολλακίς καὶ ἀπόλλυσι. Καὶ καθάπερ ἔλαφος δεξαμένη βέλος ἐν καιρίῳ τοῦ σώματος, κἀν ἐκφυγῇ τῶν θηρατῶν τὰς χεῖρας, οὐδὲν κερδαίνει λοιπόν· οὕτω καὶ ψυχὴ δεξαμένη βέλος ἐπιθυμίας ἐξ ἀκόλαστον καὶ περιέργου θεωρίας, κἀν τὸ βέλος ἀφεῖσα ἀπέβηθ, αὐτὴ διαφθείρεται καὶ ἀπόλλυται, πανταχοῦ τὸν πολέμιον ὀρώσα καὶ ἐπόμενον ἔχουσα. Ἀλλ' ὅπερ ἔλεγον (οὐ γὰρ διὰ μακρὰς συγχωρεῖν τοῦ λόγου ποιεῖσθαι τὰς ἐκτροπάς), ὅτι ἡ Γραφὴ καὶ τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ αἰτίαι αὐτῶν λέγειν εἰσθεῖν, ἄουκ γοῦν καὶ ἐνταῦθα τί φησι περὶ τοῦ Ὄζια. Οὐ γὰρ ὅτι ὑψώθη ἡ καρδία αὐτοῦ, τοῦτο μόνον ἡμᾶς ἐδίδαξεν, ἀλλὰ καὶ πόθεν ὑψώθη προσέθηκε. Πόθεν οὖν ὑψώθη; *Ἠνίκα ἰσχυσε*, φησὶν, ὑψώθη ἡ καρδία αὐτοῦ. Οὐκ ἤνεγκε τῆς δυναστείας· τὸ μέγεθος, ἀλλ' ὥς περ ἐξ ἀδηφαγίας μὲν γίνεται φλεγμονή, ἐκ φλεγμονῆς δὲ τίκεται πυρετός, εἴτα ἐκεῖθεν θάνατος πολλακίς· οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἀπὸ τῆς πολλῆς ἰ τῶν πραγμάτων περιβολῆς ἀπόνοια γέγονεν. Ὅπερ γὰρ ἐπὶ τῶν σωμάτων φλεγμονή, τοῦτο ἐπὶ τῶν ψυχῶν ἀπόνοια. Εἴτα ἐξ ἀπονοίας ἐπιθυμία τῶν οὐ προσηκόντων ἀπὸ τῶν πραγμάτων.

ε. Ταῦτα οὐχ ἀπλῶς μηχανούμεν, ἀλλ' ἵνα μηδέποτε ζηλωτοῦς εἶναι νομίζητε, μηδὲ μακαρίζητε τοὺς ἐν [119] δυναστεῖαις ὄντας, εἰδότες ὅσον τοῦ πράγματος τὸ ἐπισφαλές· ἵνα μηδέποτε τοὺς ἐν πενίᾳ καὶ ταλαιπωρίᾳ ἄθλους ἡγήσθε, εἰδότες ὅτι πλείων ἐντεῦθεν ἢ ἀσφάλεια. Δι' ὃ καὶ ὁ Προφήτης ἐβόα λέγων· Ἀγαθόν μοι, Κύριε, ὅτι ἐταπεινώσας με. Ὅρα γοῦν ὅσον ἐκ τοῦ ὕψους γέγονε τὸ κακόν. Ἰγνώθη ἡ καρδία αὐτοῦ ἕως τοῦ διαφθεῖραι, φησὶ. Τί ἐστίν, Ἐως τοῦ διαφθεῖραι; Τῶν πονηρῶν λογισμῶν οἱ μὲν οὐδὲ ὄλως ἡμῶν ἐπιβαίνουνσι τῇ ψυχῇ<sup>ε</sup>, ἀν πολλῇ περιφράξωμεν ἑαυτοὺς ἀσφαλεῖα· οἱ δὲ τίκονται μὲν ἔνδον, ῥαθυμησάντων δὲ ἡμῶν, καὶ βλαστάνουσιν· ἀν δὲ προληφθῶσιν<sup>ς</sup>, ἀποπνίγονται ταχέως καὶ καταχύνονται. Ἄλλοι καὶ τίκονται, καὶ αὐξάνονται, καὶ πρὸς τὰς πονηρὰς ἐκβαλνοῦσι πράξεις, καὶ πᾶσαν ἡμῶν τῆς ψυχῆς τὴν ὕψαιον διαφθείρουσιν, ὅταν ἐν πολλῇ γενώμεθα ῥαθυμία. Τοῦτο οὖν φησὶν, ὅτι Ἰγνώθη ἡ καρδία αὐτοῦ· καὶ οὐκ ἔμεινε ἔνδον ἢ ἀπόνοια, οὐδὲ κατεσθέσθη, ἀλλ' ἐξεπήδησε, καὶ πρὸς

<sup>α</sup> Allus πῦρ ἀνάπτεται.

<sup>β</sup> Duo mss. λαμπρὰν ἤψε, ex repetitione τοῦ αν detrunca: prima posterioris vocis syllaba. Infra unus εὐδών τῶν ὀρώντων ἐμπέπρησι.

<sup>γ</sup> Πολλῆς deest in tribus mss.

<sup>δ</sup> Tres mss. πενία καὶ ταλαιπωρία ἄθλους, et sic legit Erasmus. Editi vero ἐν πενίᾳ καὶ εὐτελείᾳ ἄθλους.

<sup>ε</sup> Alius ἐπιβαίνουνσι τῆς ψυχῆς.

<sup>ς</sup> Alii καταληφθῶσιν.

<sup>α</sup> Ἔθος τοιαῦτα τοῖς, sic quidam mss. Infra iidem πονηρίας αὐτῶν εἶδος.

<sup>β</sup> Unus ἰσοθείας φαντασθήναι.

<sup>γ</sup> Quatuor mss. καὶ ὁ Σιράχ ἔλεγεν.

<sup>δ</sup> Unus προμυκούςαις ἐπιμυρίας (sic).

<sup>ε</sup> Unus διεστραμμένης.

<sup>ς</sup> Unus ἀπὸ ταυτομάτου.

satorem, nemo contradicturus est. Quid igitur ait Paulus Timotheo scribens? Qui nuper prædicationem attingit, eum non oportere ad summam episcopi dignitatem evehi, his nempe verbis: *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat, et in laqueum diaboli* (1. Tim. 3. 6); ne eadem, inquit, peccans cum illo, eadem cum illo patiatur.

4. *Alienam improbitatem solatio esse improbis.*—Hoc vero non hinc solum est perspicuum, verum etiam ex iis quæ scelestus ille dæmon primo homini suasit. Sicut enim bouis hic mos est, per quæ ipsi facti sunt boui, ad eadem exhortari proximos: ita et malis hic est mos, per quæ ipsi sunt improbi, eadem vicinis invehere. Nam una hæc est illorum malitiæ species, ut aliorum perniciem solatium sui supplicii existiment. Quid igitur diabolus suasit Adamo? Ut conciperet cogitationem sua natura majorem, sibique cum Deo speraret æqualitatem (Gen. 3). Si enim, inquit, hæc res me de cælo expulit, multo magis eadem hunc ejiciet e paradiso. Quapropter et Salomon dixit<sup>1</sup>: *Deus superbis resistit* (Prov. 3. 34. 1. Pet. 5. 5. et Jacob. 4. 6). Non dixit: Deus superbos dimittit, et in peccatis deserit, suoque nudat auxilio: sed, *Resistit*, inquit: non quod instructa acie aut pugna Deo sit opus adversus superbum; quid enim esse possit superbo infirmius? Nam ut qui orbatus est oculis, omnium expositus est injuriæ, ita et superbus, qui non videt Dominum (nam *Initium superbiæ*, ut inquit Scriptura, *est non nosse Dominum* [Eccli. 10. 14]), etiam ab hominibus facile superatur, posteaquam excidit ab illa luce. Quod si etiam validus ac potens esset superbus, nihil opus esset Deo exercitu adversus illum: cui enim voluntas satis fuit ad producenda omnia, multo magis sufficeret ad ea tollenda. Cur igitur, inquires, resistit? Quod vehemens odium declarat erga superbum. Itaque superbiæ esse vulnus periculosum, tum ex his quæ diximus, tum ex aliis perspicuum est. Quod si vultis, etiam causam ipsam, unde vulnus hoc accidit, aliunde discamus. Siquidem hic Scripturæ mos est, si quando parat accusare quempiam, non modo peccatum illius narrare, verum etiam docere nos quæ fuerit peccati causa: id autem facit, ut eos qui sani sunt reddat tutiores cautioremque, ne in eadem incidant mala. Similiter et medici ad ægrotantes ingressi, etiam ante morbos (a) fontes explorant, ut prævia cura coerceant in malum: etenim qui, manente radice, ramos tantum exsecat, nihil aliud quam inanem sumit operam. Ubi igitur Scriptura et peccatum et peccati causam eloquitur? Reprehendit eos qui præcesserunt diluvium, ob illicitos congressus: atque audi quomodo causam exprimat: *Cum vidissent filii Dei filias hominum esse formosas, acceperunt illas sibi in uxores* (Gen. 6. 2). Quid

<sup>1</sup> Quatuor Mss., et *Sirac dixit*. Atqui hæc verba sunt salomonis in Proverbiis, licet simile quidpiam in siracide etiam legatur, 10, 14. Non raro Chrysostomus salomonem ponit pro siracide; sed nusquam adverti apud illum siracidem poni pro salomone.

(a) Gr. καὶ πρὸ τῶν νοσημάτων. Hanc similitudinem affert Chrysostomus, ut significet, Deum justos exemplis cautos reddere, ne in morbos animi incidant.

igitur? num pulchritudo causa est peccati? Absit: est enim divinæ sapientiæ opus; opus autem Dei numquam possit esse causa peccati. Sed aspectus fuit causa peccati? Ne id quidem: nam et hoc naturæ opus est. Sed quid tandem? Male videre: nam hoc est depravatæ voluntatis. Ideo sapiens quidam admonet, dicens, *Ne consideres pulchritudinem alienam* (Eccli. 9. 8). Non dixit, *Ne videas*: id enim nonnumquam casu fit, sed, *Ne consideres*, inquit, illud tollens ne studio animadvertamus, ne curiose intueamur, ne vitiosæ contemplationi immoremur, quæ ab animo corrupto et concupiscenti proficiscitur. Sed quid, inquiet aliquis, hinc damni possit oriri? *Ex hoc*, inquit, *amor velut ignis excitatur* (Ibid. v. 9). Ut enim ignis, ubi fœnum aut stipulam arripuerit, nihil moratur, sed simul ut attingit materiam, lucidam accendit flammam: itidem et ignis concupiscentiæ quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attingit formam, protinus exurit animum. Proinde ne spectes temporariam illam, quæ ex aspectu proficiscitur, voluptatem, sed perpetuum dolorem considera, qui nascitur ex concupiscentia. Nam illa, insulso vulnere, plerumque celeriter avolat; at vulnus non avolat, sed plerumque manet et interficit. Et quemadmodum cerva confixa jaculo in letali corporis parte, etiamsi venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri: sic et anima, accepto concupiscentiæ jaculo e lascivo curiosoque aspectu, etiamsi dimisso jaculo permittatur abire, tamen ipsa per se corrumpitur ac perit, ubique videns hostem, et insequentem habens. Sed quod dicere cœperam (neque enim committendum est ut in hoc tam longas sermonis digressiones faciamus), Scriptura cum peccatis simul et peccatorum causas solet commemorare: audi et hic quid dicat de Ozia. Neque enim hoc tantum nos docuit, elatum fuisse cor ejus, verum addidit unde fuit elatum. Unde ergo elatum fuit? *Gum potens esset*, inquit, *elatum est cor ejus*. Non tulit principatus magnitudinem, sed sicut ex edacitate nascitur ignea inflatio, ex inflatione gignitur febris, deinde ex febre plerumque mors: itidem et hic ex rerum abundantia nata est superbia. Nam quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia. Mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium.

5. Hæc non sine causa diu tractamus, sed ne unquam existimetis esse suspiciendos, neque felices dicatis eos qui principatum gerunt, cum sciatis quam lubrico in statu versentur; nec unquam illos iudicetis miseros, qui in egestate et afflictionibus vivunt, scientes hanc vitam esse multo tutiorem. Unde et propheta clamat dicens: *Bonum est mihi, Domine, quia humiliasti me* (Psal. 118. 71). Vide igitur quantum ex eminentia natum sit malum. *Elatum est*, inquit, *cor ejus usque ad corruptionem* (2. Paral. 26. 16). Quid est, *Usque ad corruptionem*? Usque ad pravas cogitationes, quæ prorsus non ascendunt in animum nostrum, si nos ipsos multa cautione circumsepimus: sed si negligenter egerimus, nascuntur in nobis germinantque: sin prævertantur, protinus præfocantur

et obruantur. Aliæ gignuntur, et augentur, atque ad pravas actiones procedunt, omnemque mentis nostræ sanitatem corrumpunt, si magna in socordia versemur. Hoc itaque dicit, *Elatum est cor ejus*, neque se intus continuit arrogantia, neque extincta est, sed ut prorupit, ad opus usque pravum progressa, totam illius virtutem corrumpit. Beatitudo est igitur, cogitationem improbam prorsus non admittere, quod et a propheta dictum est, *Domine, non est elatum cor meum* (*Psal.* 150. 4). Non dixit, *Elatum quidem est*, sed illud cohibui: verum, *Non est omnino elatum*: hoc est, Jugiter servavi animam meam inaccessam malitiæ. Hoc igitur est beatitudinis: huic proximum illud est, malas cogitationes jam ingressas celeriter repellere, neque sinere, ut illic diutius immorentur, ne in nobis pessime grassentur. Quod si eo usque socordiæ processerimus, est per Dei bonitatem et hujus socordiæ solatium, multaque ab illa summa et ineffabili bonitate talibus vulneribus parata sunt remedia. Sed age sermonem hunc missum faciamus, ne quod in initio verreamur, nunc accidat nobis, rerumque turba vestram obruat memoriam. Quapropter necessum est ut quæ dicta sunt, summam paucis repetamus: sic et matres facere solent cum poma, aut bellaria, aut aliud simile quidpiam in puerilem immittunt sinum: ne per puerorum negligentiam excidat aliquid eorum quæ data sunt, contractam undique tuniculam, cingulo subjiciunt, quo sint in tuto. Idem nos faciamus, orationem in longum porrectam contrahamus, memoriæque custodiæ deponamus. Audistis quomodo nihil agendum sit ad ostentationem, quantumque sit malum socordia, ut etiam in perfecta vita versantem facile supplantarit. Didicistis quanta nobis opus sit cura, potissimum sub vitæ finem, utque nec desperandum sit ei qui cum incedisset in peccata mutatus est, neque oporteat eum qui in socordia vivit, de recte factis confidere. Disseminemus vobis de differentia peccatorum, ne simus vehementer intenti ad eximias corporum formas: quantumque hinc oriatur mali, demonstravimus. Quæ de superbia vobis diximus meministis, quæque de pravis cogitationibus. Hæc servantes redeamus domum; quin potius hæc servantes excipiamus perfectionem eximii doctoris exhortationem. Nam nostra quidem, qualiacumque sunt, habent juventutis indicia: hujus autem, qualiacumque fuerint, cana quadam prudentia sunt ornata. Ac nostra quidem similia sunt torrenti, qui cum strepitu fertur; illius autem oratio similis est fonti magna tranquillitate fluvios effendenti, qui olei magis quam aquarum cursum imitetur. Excipiamus igitur ea fluentia, ut flant in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* 4. 14): quam nobis omnibus contingat assequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi (a), cum quo Patri, simul cum sancto et bono Spiritu honor, gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Quæ sequitur conclusio sic habetur in uno Codice, atque ita legerat Erasmus. Quamquam hæc conclusiones, ut jam alibi diximus, ad librorum libitum ut plurimum concinnatæ sunt.

Ejusdem in dictum illud Isaiaë, *Factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in solio excelso et elato* (*Isai.* 6. 4); et laus civitatis Antiochiæ; et adversus eos qui prohibent nuptias demonstratio divina.

#### HOMILIA IV.

1. *Frequentiam auditorum sibi ipsisque gratulatur; Romæ præfert suam civitatem.* — Præclarum nobis hodie theatrum adest, magnificus atarisque cœtus. Quid tandem est in causa? Sementis heri factæ fructus, hodie messis est. Heri plantavimus, hodie metimus. Non enim terram inanimam colimus, ut tarde fructificet, sed animas ratione præditas. Non est natura, quæ cunctatur, sed gratia, quæ accelerat. Recte compositus nobis populus, audiendi studiosa plebs est. Heri vocati sunt, hodie coronantur. Admonitionis hesternæ fructus hodiernum est obsequium. Unde nos quoque libenter semina jacimus, quia purum videmus arvom, non spinam quæ suffocat, neque viam quæ calcatur, neque petram sterilem, sed profundum ac pinguem agrum, qui simul et semen recipit, et spicam nobis exhibet. Hæc semper loquor, nec loqui desinam: hæc nostræ civitatis laus est, non quod senatum habeat, non quod consules numerare possimus, neque quod statuas complures, neque quod mercium copiam, neque quod situm habeat commodum: sed quod populum habeat audiendi studiosum, quod templa Dei plena, quod Ecclesiæ deliciae magis crescent in dies, quodque sermonem habeat profluentem, desideriumque nunquam satiantem. Siquidem civitas non ab ædificiis, sed ab inhabitantibus admiranda redditur<sup>1</sup>. Ne mihi narres Romanorum urbem magnitudine spatiosam esse; sed ostende mihi illic populum æque cupidum audiendi. Nam Sodoma turres habebant, cum Abraham in tugurio moraretur: atamen venientes angeli Sodoma præteribant, et ad lugurium divertebant (*Gen.* 18). Non enim ædium splendorem quærebant, sed animæ virtutem et pulchritudinem quærentes circumibant. Ita sane alias desertum habebat Joannem, civitas Herodem: eoque desertum nobilium erat civitate. Cur ita tandem? Quoniam non in structuris sita est prophetia. Hæc dico, nequando civitatem prædicemus, quæ moribus dissoluta est. Quid mihi narras ædificia, quid columnas? Hæc una cum præsentī vita diruuntur. Ecclesiam ingredi, ut civitatis videas nobilitatem. Ingressi, inquam, vide pauperes a medio noctis usque ad lucem perseverantes, vide sacra pervigilia diem cum nocte copulantes: vide eos neque interdiu neque noctu vel somni tyrannidem ac violentiam metuentes, vel inopiæ necessitatem formidantes. Magna revera civitas, ac totius orbis metropolis. Quot episcopi, quot doctores huc venerunt, et a populo docti discedunt, ac legem illam insitam in se transplantare curant<sup>2</sup>?

<sup>1</sup> Savil., sic habet..... sed ab inhabitantibus definitur.

<sup>2</sup> Sic Savil., Morel. et Manuscripti, uno excepto, qui habet, *hic discunt*, pro, *in se transplantare curant*, et sic legerat Erasmus, qui vertit, *hic discunt*.

Ταῦτα δὲ πάντα κανόνες εἰσὶ καὶ ὄροι καὶ δόγματα ἀκίνητα· καὶ δεῖ τοῦτο πεπηγμέναι ἐν τῇ ψυχῇ τῇ ἡμετέρᾳ, ὅτι ἀμήχανόν τινα σπουδῇ χρώμενον καὶ μεριμνῶντα ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας, καὶ τὰ παρ' ἑαυτοῦ πάντα ἐπιδεικνύμενον, ἐγκαταλειφθῆναι ποτε παρὰ τοῦ Θεοῦ. Οὐκ ἀκούεις τί φησὶ πρὸς τὸν Πέτρον; *Σίμων, Σίμων, ποσάκις ἠτήτησο ὁ Σατανᾶς σινιάσαι ὑμῶς ὡς τὸν σίτον, καὶ γὰρ ἐδοθήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου*. "Ὅταν μὲν γὰρ ἴδῃ τὸν φόρτον<sup>c</sup> μείζω τῆς ἡμέτερας δυνάμεως ὄντα, ὀρέγει χεῖρα, καὶ ἐπικουφίζει τὸν πειρασμόν· ὅταν δὲ ἴδῃ ἐξ οικείας ραθυμίας καὶ ὀλιγωρίας τὴν οικείαν προδιδόντας σωτηρίαν, καὶ μὴ βουλομένους σωθῆναι, ἀφήσῃ καὶ ἐγκαταλιμπάνει. Οὐ γὰρ βιάζεται, οὐδὲ ἀναγκάζει, καὶ ὅπερ ἐπὶ τῆς διδασκαλίας ἐποίει, τοῦτο καὶ ἐνταῦθα γίνεται. Καθάπερ γὰρ ἐκεῖ τοὺς μὴ θέλοντας ἀκούειν, ἀλλ' ἀποπηδῶντας, οὐκ εἶλεν, [167] οὐδὲ ἐβιάζετο, τοῖς δὲ προσέχουσιν διέλυσε τὰ ἀσαφή, καὶ τὰ αἰνίγματα ἐποίει φανερά· οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων· τοὺς μὲν ἀναλήθτους καὶ οὐκ ἐθέλοντας οὐκ ἀναγκάζει, οὐδὲ βιάζεται, τοὺς δὲ προαιρουμένους ἐπισπάται μετὰ πολλῆς τῆς σφοδρότητος. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Πέτρος φησὶν· *Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, ὅτι ἐν παντὶ ἔθνη ὁ φοβούμενος τὸν Θεόν, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστι*. Καὶ ὁ προφήτης αὐτὸ τοῦτο παραινέει λέγων· *Ἐὰν θέλητε, καὶ εἰσακουσθήτε μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε· εἴη δὲ μὴ θέλητε, μὴδὲ εἰσακουσθήτε μου, μάχαιρα ὑμᾶς κατέδεται*. Ταῦτα οὖν εἰδότες, καὶ ὅτι καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ τρέχειν ἐν ἡμῖν ἐστι, καὶ διὰ τοῦ θέλειν καὶ τοῦ τρέχειν τὸν Θεὸν ἐπισπασώμεθα πρὸς τὴν ἡμετέραν βοήθειαν, ἐπισπασάμενοι δὲ αὐτόν, πρὸς τὸ τέλος ἤξομεν τῶν πραγμάτων· διαναστώμεν, ἀγαπητοί, καὶ πᾶσαν σπουδὴν ἐπιδειξώμεθα ἐν τῇ τῆς ψυχῆς σωτηρίᾳ τῆς ἡμέτερας, ἵνα μικρὸν ἐνταῦθα πονήσαντες χρόνον, κατὰ τὸν ἀγήρω καὶ ἀθάνατον αἰῶνα τῶν ἀθανάτων ἀπολαύσωμεν ἀγαθῶν· ὧν γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ ἡ δόξα, ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

<sup>a</sup> Duo mss. αὐτοὺς ὑπέχειν.

<sup>b</sup> In Edit. Rom. τῶν Ὁ' legitur τίς ἐνεπίστευσε Κυρίῳ, καὶ κατορθύνθη; ἢ τίς ἐνέμεινε τῷ φόβῳ αὐτοῦ; etc. Verum Chrysost. loca illa ut menū sese offerebant adhibere solent.

<sup>c</sup> Unus τὸ φορτίον.

viuque non sit in eorum posita potestate? Itaque cum Deum videtur orare, ne graviore pœna mulctentur, nihil aliud indicat, quam dignos eos esse qui plecantur, ac pœnam sustineant : hoc autem nihil aliud quam libertatem arbitrii constituit. Si enim res gerendæ illorum juris et arbitrii non essent, non jam ut mitiori supplicio afficerentur peti oporteret, sed nec ullo modo puniri : imo vero neque precibus opus esset : non enim deprecatore indiget Deus, ut innocentes non puniat. Et quid dico, Deus, cum nec ullus homo prudens? Quando igitur pro Judæis orare prophetam videmus, satis liquet eum pro hominibus orare qui peccarunt : tum vero cernitur peccatum, cum penes nos est ut legem non transgrediamur, et tamen eam transgrediamur. Ergo undique nobis manifestum est, cum in nostra, tum in Dei potestate sita esse recte facta. Simile illud est etiam, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. 9. 16). Et quam ob causam curro, inquit, vel quam ob causam volo, nisi tota res in meo sit arbitrio sita? Ut nimirum dum vis, et dum curris, divinum auxilium et benevolentiam tibi concilies, sic ut te adjuvet, ac manum porrigat, atque ad finem usque perducat. Si enim hoc sustuleris, et currere simul et velle desieris, neque manum porriget Deus, sed et ipse abscedet. Unde autem id constat? Audi quid dicat Hierosolymæ: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluitis? Ecce relinquitur domus vestra deserta* (Matth. 23. 37). Vides, quoniam illi noluerunt, quo pacto etiam Deus abcessit? Propterea nobis quoque opus est ut velimus, et curramus, quo Deum nobis etiam conciliemus. Hoc igitur est, quod ait propheta, felicem exitum rerum in potestate nostra situm non esse, verum ab auxilio pendere divino : ut autem eligamus in nobis et in arbitrio nostro situm esse. Enimvero si rerum prosper aut sinister exitus ab auxilio divino pendet, dicet aliquis, nulli obnoxius crimini censeri debeo : cum enim omnia, quæ mearum partium sunt, præstitero, et voluero, et elegero, et rem ipsam aggressus fuero, is vero a cuius potestate pendet eventus, me non adjuverit, neque manum porrexerit, omni sum crimine liberatus. Verum non ita est, plane non est ita : neque enim fieri potest, ut si nos voluerimus, elegerimus, ac statuerimus, Deus nos derelinquat. Si enim eos qui nolunt hortatur et consilii eis, ut velint et statuunt, multo magis eos qui ultro eligunt, non derelinquet. *Respiciete* namque, inquit, *in generationes antiquas, et videte, quis speravit in Dominum, et confusus est? aut quis permansit in mandatis ejus, et desepit cum* (Eccli. 2. 11. 12)? Et rursus ait Paulus, *Spes non confundit* (Rom. 5. 5), spes nimirum in Deum. Impossibile enim est, ut finem propositum non adipiscatur is qui tota mente

in Deum sperat, et quæ suarum sunt partium præstat omnia. Et rursus, *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (1. Cor. 10. 13). Idcirco admonet sapiens vir quidam dicens : *Fili, si accedas ad servitatem Domini, præpara animam tuam ad tentationem. Dirige cor tuum, et sustine, et ne festines in tempore obductionis. Coniungere illi, et ne recedas* (Eccli. 2. 1. 2). Alius quoque sermo nos admonet : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. 10. 22).

*Vir bonæ voluntatis non deseritur a Deo. Deus non vim affert aut cogit.* — Porro hæc omnia regulæ sunt, leges, ac decreta immutabilia ; et hoc in mente vestra sit fixum oportet, fieri non posse, ut qui studium adhibeat, et de sua salute sit sollicitus, et omnia quæ suarum sunt partium exsequatur, is umquam a Deo deseratur. Non audis quid Petro dicat? *Simon, Simon, quoties expetivi satanas, ut cribraret vos sicut triticum : ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua* (Luc. 22. 31. 32). Nam cum viribus nostris esse majus viderit onus, manum porrigit, ac tentationem reddit leviolem : cum vero nos ex propria negligentia viderit ac desidia propriam salutem prodere, neque velle salvari, tunc derelinquit ac deserit. Neque enim vim affert, aut cogit, quodque dum doctrinam traderet, agebat, id etiam hic fit. Ut enim illic eos, qui audire nolebant, sed discedebant, non trahebat, neque vim afferebat : sed iis, qui attendebant obscura solvebat, et ænigmata manifesta reddebat : ita nimirum et in rebus ipsis : eos qui stupidij sunt, et minime volunt, non cogit, neque vim illis affert : eos autem, qui ultro eligunt summo studio sibi conciliat. Propterea dicit etiam Petrus : *In veritate comperi, quia in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi* (Act. 10. 34. 35). Et propheta hoc ipsum admonet his verbis : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis : si autem nolueritis, neque exaudieritis me, gladius devorabit vos* (Isai. 4. 19. 20). Quæ cum ita nota et explorata sint nobis, atque in nostra potestate situm esse ut velimus, et curramus, nosque, dum volumus currimusque, Deum nobis conciliaturos ad ejus auxilium obtinendum ; eo porro nobis conciliato, nos rerum exitum assequuturos ; excitemus nos, dilectissimi, atque ad salutem animæ nostræ omne studium conferamus, ut cum modicum in hac vita laborem exantlaverimus, in æterno et immortalis ævo illo bonis immortalibus perfruamur : quæ nobis omnibus ut contingant, faxit gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæculasæculorum. Amen.

---

 IN DUAS HOMILIAS DE PROPHETIARUM OBSCURITATE
 

---

Admodum difficile est tempus indicare, quo hæ duæ homiliæ habitæ fuere. Certum quidem est priorem aliquot diebus præcessisse, posteriorem vero die Dominica dictam fuisse. Id enim constat ex iis quæ dicuntur in Homilia cui titulus, *Dæmones non gubernare mundum*. Ibi enim, Tom. II, p. 247, B, sic ait: *Atque hoc quidem ab omni tempore jam innotuit, præsertim a Dominica superiore. Numquam enim divina vobis eloquia fastidium parere dies ille præsertim indicavit*. Ibidem autem, in concionis scilicet principio, illa omnia ordine repetit quæ in hujus concionis fine dixerat, quod in more esse Chrysostomo nemo nescit; nimirum agit de sanctis justisque viris, qui sua ipsorum peccata, non autem aliena, cum doloris significatione commemorabant, allatis etiam Scripturæ locis bene multis atque exemplis sanctorum, eadem serie et accuratissime. Nam quod exemplum desiderari in hac secunda concione querebatur Tillemontius, vir diligentis et accuratissimi singularissimæ, nempe illud Petri, *Exi a me, quia vir peccator sum*, jam ex Codice Colbertino restitutum habes. Itaque certum exploratumque est homiliam hanc secundam de Prophetiarum obscuritate dictam fuisse Dominica præcedente concionem illam supra memoratam. Certum perinde videtur hasce duas conciones Antiochiæ habitas fuisse; quia nempe Chrysostomus sic de episcopo loquitur in homilia secunda, num. 5, ut non se, sed alium episcopum esse subindicet. De anno autem nihil exploratum habetur. Vide Tomo II, p. 245.

Erit forte quispiam qui annum se hinc expiscari posse putet, quod in Homilia prima de Prophetiarum

---

 UTILITER ET PERCOMMODE FACTUM, UT PROPHETIÆ DE CHRISTO ET GENTIBUS DEQUE JUDÆORUM  
 REPROBATIONE OBSCURÆ ESSENT, DEMONSTRATIO (a).
 

---

1. *Sententiæ Isaïæ cum altitudine maris conferuntur. Experienciæ et exercitationis commoda.* — Prophetiam volis hodie volo mensam instruere, atque in pelagus sapientiæ Isaïæ meditor orationem immittere. Sed quid faciam? Dubito ac metuo, ne cum o portu egressi fuerimus, atque ad profundum sententiarum prophetæ pervenerimus, quod nautis contingit, qui navigationi assueti non sunt, vertigine laboremus. Nam et illi cum relicta terra ex utraque parte navis pelagus viderint, nec aliud quidquam præter mare ac cælum, tenebrosa vertigine corripiuntur, et una cum mari

(a) Collata cum Codice Regio 2343, et cum Colbertino 1030.

navigium in orbem existimant circumferri. Non tamen ex natura maris, sed quod inexperti sint qui navigant, oboriuntur vertigines: ceteri quidem certe nautæ nudis corporibus et in mediis fluctibus in caput se dejiciunt, neque tale quidquam patiuntur, sed cum ad ipsum profundum descenderint, tutius, quam qui in pavimento degunt, illic versantur, et licet ore, oculis, ac toto corpore salsuginem excipiant, non ægre ferunt. Tantum bonum est exercitatio, tantum malum est imperitia: sic ista persuadet, ut etiam quæ formidabilia sunt contemnamus, illa vero efficit, ut etiam tuta suspecta sint nobis, ac reformidanda vidantur. Nam hi quidem in sublimibus sedentes navis tabula-



## MONITUM.

obscuritate, numero 3, dicat se sermonem de Melchisedec in alterum diem rejicere. De Melchisedec vero pluribus egit Chrysostomus in Homilia septima contra Judæos, Tomo I : unde sequi videretur hanc homiliam, septimam contra Judæos præcessisse, atque in annum 387 consignandam esse. Verum præterquam quod sæpius de Melchisedec sermonem habuit Chrysostomus, hæc quæ in aliud tempus se remittere dicit Chrysostomus, genealogiam illius sine patre et sine matre spectabant, ut ex serie arguitur : in Homilia autem illa septima contra Judæos, id unum probat S. doctor, sacerdotium illud Melchisedec excellentius fuisse sacerdotio Judæorum. Quamobrem nihil hinc indicii expiscari possumus, quo de anno aliquid statuemus.

Has duas conciones inter nobilissimas commemoramus : hic multa ad morum institutionem præclara : hic modum precationis in cœtu ecclesiæ pro episcopo emitti solitæ perspicimus in concione 2, num. 5. In concione 1, num. 3, Persas obsedissee Jerosolymam dicit, de obsidione loquens quam Jeremiæ tempore Babylonios, non Persas, posuisse certum est. Et tamen inter dubitandi causas a viris doctis allatas περί γνησιότητος Sermonum de precatione, Tomo II, p. 778, hæc afferitur quod auctor horumce sermonum Sennacheribum vocarit regem Persarum; illi vero probe possunt ex hoc loco confutari, necnon ex aliis bene multis ubi Babylonios et Assyrios Chrysostomus Persas vocat.

Hæarum concionum interpretatio Latina est Frontonis Ducei, quam aliquot in locis castigavimus.

Ἀπόδειξις τοῦ χρησίμου τὰς περὶ Χριστοῦ καὶ ἐθνῶν καὶ τῆς ἐκπτώσεως Ἰουδαίων προφητείας ἀσαφεῖς εἶναι.

α'. Προφητικὴν σήμερον ὑμῖν παραθεῖναι βούλομαι τράπεζαν καὶ πρὸς τὸ πέλαιος τῆς Ἡσάου σοφίας ἐπαρτεῖναι τὸν λόγον παρασκευάζομαι. Ἄλλὰ τί πάθω; Ὅκνῶ καὶ δέδοικα, μὴ ποτε τὸν λιμένα ἐξεληθόντες, καὶ πρὸς τὸ βάθος κατανήσαντες τῶν προφητικῶν νοημάτων, λιγγιάσωμεν ὅπερ πάσχουσιν οἱ τῶν πλετήρων ἀθήναις. Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι, ἐπειδὴν τὴν γῆν ἀφέντες ἐξ ἑκατέρου μέρους τῆς νηὸς πέλαιος ἴδωσι, καὶ οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ' ἢ θάλατταν καὶ οὐρανὸν, σκοποδίνῃ κατέχονται, καὶ περιφέρεσθαι τὸ πλοῖον αὐτοῖς κύκλῳ νομίζουσι μετὰ τῆς θαλάττης. Ἄλλ' οὐ παρὰ τὴν φύσιν τῆς θαλάττης, ἀλλὰ παρὰ τὴν ἀπειρίαν τῶν πλεόντων οἱ λιγγοὶ γίνονται ἕτεροι γοῦν

τῶν ναυτῶν γυμοῖς τοῖς σώμασι κυβιστῶσι κατὰ τῶν κυμάτων, καὶ οὐδὲν πάσχουσι τοιοῦτον, ἀλλὰ πρὸς τὸ βάθος καταβάντες αὐτὸ, τῶν ἐν ἐδάφει διαιτωμένων ἀσφαλέστερον διατρέβουσι, καὶ τῷ στόματι, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ παντὶ τῷ σώματι δεχόμενοι τὴν ἄλμην, οὐ δυσχεραίνουσι. Τοσοῦτόν ἐστι μελέτη καλὴν, τοιοῦτόν ἐστιν ἀπειρία κακὴν ὅπως αὐτὴ καὶ τῶν φοβερῶν καταφρονεῖν κίθιαι, ἐκεῖνη δὲ καὶ τὰ ἀσφαλῆ ὑποπτύειν καὶ δεδοικέναι παρασκευάζει. Οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ὑψηλῶν τῶν ἰκρίων καθήμενοι τῆς νηὸς, καὶ πρὸς τὴν θέαν λιγγιώσιν· οἱ δὲ οὐδὲ ἐν μέσοις θορυβοῦνται τοῖς κύμασι. Τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς διανοίας γίνεται τῆς ἡμετέρας· καὶ γὰρ καὶ ταύτην πολλάκις καταλαμβάνει κύματα παθῶν τῶν θαλαττίων ἀγρώτερα, οἷον ζάλη θυμοῦ κάτωθεν στρέφουσα τὴν καρδίαν,

<sup>a</sup> Mss. σκότῳ δεινῷ, et sic supra, p. 158, A, separatis vocibus.

πνεύματα ἐπιθυμίας πονηρᾶς πολλὴν ἐμποιοῦντα <sup>a</sup> τῆ  
διανοίᾳ τὴν σύγχυσιν. Ἄλλ' ὁ μὲν ἀπειρος καὶ ἀμε-  
λέτητος, ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος τῆς ὄργῆς, εὐθέως  
[169] θορυβεῖται, ταραττεται, κλονεῖται, περιορᾷ γινο-  
μένην ὑποβρύχιον τὴν ψυχὴν ὑπὸ τῶν παθῶν, καὶ  
ναυάγιον ὑπομένουσαν· ὁ δὲ ἔμπειρος καὶ μεμελετη-  
κῶς τὰ τοιαῦτα φέρειν γενναίως, καθάπερ κυβερνή-  
την ἐπὶ τῶν οἰάκων, οὕτω τὸν λογισμὸν ἐπάνω τῶν  
παθῶν καθίσας, οὐ πρότερον ἀφίσταται πάντα ποιῶν,  
ἕως ἂν κατευθύνῃ τὸ σκάφος πρὸς τὸν εὐδιον τῆς φι-  
λοσοφίας λιμένα. Ὅπερ οὖν ἐπὶ τῆς θαλάττης γίνε-  
ται, καὶ ἐπὶ τῆς διανοίας συμβαίνει, τοῦτο καὶ ἐν τῇ  
ἐξηγήσει τῶν Γραφῶν συμπιπτει· ἀνάγκη θορυβεῖ-  
σθαι, ταραττεσθαι, ἐπειδὴν ἐξέλθωμεν εἰς τὸ πέρα-  
τος, οὐκ ἐπειδὴ τὸ πέρατος φοβερόν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἡμεῖς  
οἱ πλείοντες ἀπειροί. Ὅτι γὰρ ἔστιν, εὐκολον φύσει  
λόγον ὄντα, δύσκολον γενέσθαι παρὰ τὴν ἀπειρίαν  
τῶν ἀκούοντων, Παῦλον ὑμῖν παραστήσομαι μάρτυρα.  
Εἰπὼν γὰρ ὅτι Χριστὸς ἐγένετο ἀρχιερεὺς κατὰ τὴν  
τάξιν Μελχισεδέκ, καὶ ζήτησεν τίς ἐστὶν ὁ Μελχισε-  
δέκ, ἐπήγαγε· *Περὶ οὗ πολλὺς ὁ λόγος καὶ  
δυσσερμηνευτός*. Τί λέγεις, ὦ μακάριε Παῦλε; Δυσσερ-  
μηνευτός σοι τῷ πνευματικῇ ἔχοντι σοφίαν, τῷ τὰ  
ἀπόρρητα βήματα ἀκούσαντι, τῷ πρὸς τρίτον ἀρπα-  
γέντι οὐρανόν; Εἰ σοὶ δυσσερμηνευτός, τίνα κατα-  
ληπτός; Ἐμοί, φησὶ, δυσσερμηνευτός, οὐ παρὰ τὴν  
οἰκείαν δυσκολίαν, ἀλλὰ παρὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν  
ἀκούοντων. Εἰπὼν γὰρ, *Δυσσερμηνευτός*, ἐπήγαγεν·  
*Ἐπειδὴ νωθροὶ γενόνατε ταῖς ἀκοαῖς*. Ὅρᾳς ὅτι οὐχ  
ἡ φύσις τοῦ λόγου, ἀλλ' ἡ ἀπειρία τῶν ἀκούοντων  
δύσκολον τὸν οὐ δύσκολον ἐποίησεν; Οὐ μόνον δὲ  
δύσκολον, ἀλλὰ καὶ πολὺν ποιεῖ τὸν βραχὺν ἢ αὐτὴ  
αἰτία· διόπερ οὐχὶ δυσσερμηνευτὸν ἔφησεν εἶναι μόνον,  
ἀλλὰ καὶ πολὺν, καὶ τοῦ μήκους, καὶ τῆς δυσκολίας  
ἀναθεῖς τὴν αἰτίαν τῇ νωθρότητι τῆς ἀκοῆς. Καθά-  
περ γὰρ ἐπὶ τῶν ἀρρωστούντων οὐκ ἀναγκαῖον σύν-  
τομον καὶ ἐσχεδιασμένην παραθεῖναι τράπεζαν, ἀλλὰ  
δεῖ παρασκευάσαι τὰ σιτία διάφορα, ἵνα ἂν τοῦτο ὁ  
κάμνων μὴ βουληθῇ μεταλαθεῖν, τὸ ἕτερον λάθῃ· κἂν  
ἐκεῖνο μὴ προσίγῃται, τὸ ἄλλο δέξεται· κἂν τοῦτο  
διακρούσῃται, ἐπιλάβῃται θατέρου, καὶ τῇ ποικιλίᾳ  
τῶν βρωμάτων τὴν δυσκολίαν νικῆσωμεν, καὶ τῷ  
πολυτρόπῳ τῆς τραπέζης τὸ δυσάρεστον τῆς γνώμης  
θεραπεύσωμεν· οὕτω πολλὰκις καὶ ἐπὶ τῆς πνευμα-  
τικῆς ἐστίασεως χρὴ ποιεῖν. Ὅταν ἀσθενεῖς ὦμεν,  
πολὺν παρασκευάσασθαι χρὴ τὸν λόγον καὶ ποικίλον,  
παραβολὰς καὶ παραδείγματα ἔχοντα, κατασκευάσας,  
καὶ περιόδους, καὶ ἕτερα πολλὰ τοιαῦτα, ἵνα ἐκ πάντων  
βλάβη γένηται ἡμῖν τῶν συμφερόντων ἢ αἵρεσις. Πλὴν  
ἀλλ' εἰ καὶ πολλὺς ὁ λόγος καὶ δυσσερμηνευτός, οὐκ  
ἀπεστέρησεν αὐτοὺς τῆς διδασκαλίας τοῦ Μελχισε-  
δέκ· τῷ μὲν γὰρ εἰπεῖν, *Πολλὺς καὶ Δυσσερμηνευτός*,  
ἀναστήσας αὐτῶν τὴν σπουδὴν, ἵνα προθυμότεροι γέ-  
νωνται περὶ τὴν ἀκράσιν· τῷ δὲ παρασχέιν τὴν  
τράπεζαν, χαρισάμενος αὐτῶν τῇ ἐπιθυμίᾳ.

β'. [170] Τοῦτο δὲ καὶ ἡμεῖς ποιήσωμεν· εἰ καὶ ἀπει-  
ρον τὸ πέρατος τῶν προφητῶν, καὶ πολλὰ ἐκεῖ τὰ βᾶθη,

κατατολμῆσωμεν τῆς θαλάττης κατὰ τὴν ἡμετέραν  
δύναμιν· μάλλον δὲ μὴ κατὰ τὴν ἡμετέραν δύναμιν,  
ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀνωθεν δεδομένην ἡμῖν χάριν, οὐ διὰ  
τὴν ἡμετέραν παρρησίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν ὑμετέραν  
ὠφέλειαν κατατολμῆσωμεν τῆς θαλάττης, κἂν τούτῳ  
Παῦλον μιμούμενοι. Ὅτι γὰρ οὐκ ἀπεστέρησεν αὐ-  
τοὺς τοῦ λόγου τοῦ κατὰ τὸν Μελχισεδέκ, ἀκούσον  
τῶν ἑξῆς. Εἰπὼν γοῦν, *Περὶ οὗ πολλὺς ὁ λόγος καὶ  
δυσσερμηνευτός*, ἐπήγαγεν· *Ὁδοὺς γὰρ ὁ Μελχισε-  
δέκ, βασιλεὺς δικαιοσύνης· ἔπειτα δὲ καὶ βασι-  
λεὺς Σαλήμ, ὃ ἐστὶ βασιλεὺς εἰρήνης, ἀπάτωρ,  
ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν,  
μήτε ζωῆς τέλος ἔχων· ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ Υἱῷ  
τοῦ Θεοῦ μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές*. Ἄρα οὐκ  
ἐτάραξεν ὑμῶν τὰς ἀκοὰς περὶ ἀνθρώπου διαλεγόμε-  
νος ὁ Παῦλος καὶ λέγων, Ἄπάτωρ, ἀμήτωρ; Καὶ τί  
λέγω, περὶ ἀνθρώπου; Εἰ γὰρ περὶ τοῦ Χριστοῦ λέ-  
γοιτο τοῦτο, οὐκ ἂν πολλὴν καὶ οὕτως ἡμῖν παρέχοι  
ζήτησιν; Εἰ γὰρ ἀπάτωρ, πῶς Υἱός; εἰ ἀπάτωρ,  
πῶς Μονογενής; Ὁ γὰρ υἱὸς ὀφείλει πατέρα ἔχειν,  
ἐπεὶ οὐκ ἂν εἴη υἱός. Ἀλλὰ καὶ ἀπάτωρ ἐστὶν ὁ Υἱὸς  
τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀμήτωρ. Πῶς; Ἀπάτωρ τὴν κάτω  
γέννησιν, ἀμήτωρ τὴν ἄνω· οὐτε γὰρ ἐπὶ γῆς ἔσχε  
πατέρα, οὐτε ἐν οὐρανῷ μητέρα. Ἀγενεαλόγητος.  
Ἀκουέτωσαν οἱ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ πολυπραγμονοῦν-  
τες· καίτοι τινὲς νομίζουσιν, ὅτι τὸ Ἀγενεαλόγητος  
τοῦτο περὶ τῆς ἄνω γεννήσεως εἰρηται. Οἱ μὲν γὰρ  
αἰρετικοὶ οὐδὲ τοῦτο βούλονται· καὶ γὰρ καὶ ἐκεῖνην  
πολυπραγμονοῦσι καὶ περιεργάζονται· οἱ δὲ ἐπιει-  
κέστεροι τούτων ἐκεῖνη μὲν παραχωροῦσιν, οὐκέτι  
δὲ καὶ περὶ ταύτης τῆς κάτω νομίζουσιν εἰρησθαι  
τὸ, Ἀγενεαλόγητος. Δείξωμεν οὖν ὅτι περὶ ἑκατέρας  
γεννήσεως τοῦτο ὁ Παῦλος εἶπε, καὶ περὶ τῆς ἄνω, καὶ  
περὶ τῆς κάτω· καὶ γὰρ καὶ ἐκεῖνη φρικτὴ, καὶ αὐτὴ  
μυστικωτάτη. Διὰ τοῦτο καὶ Ἡσαίας φησὶ, *Τὴν  
γενεάν αὐτοῦ τίς διηγήσεται*; Ἀλλὰ περὶ ἐκεῖνης,  
φησὶν, εἶπε τῆς ἄνω. Τί οὖν ἐροῦμεν Παῦλον, ἀμφο-  
τέρας εἰπόντι τὰς γεννήσεις, καὶ τότε ἐπαγαγόντι τὸ,  
Ἀγενεαλόγητος; Πρότερον γὰρ εἰπὼν, Ἄπάτωρ,  
ἀμήτωρ, τότε ἐπήγαγε τὸ, Ἀγενεαλόγητος, ἵνα μὴ  
μόνον κατ' ἐκεῖνην τὴν γέννησιν, καθ' ἣν ἀμήτωρ  
ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ κατὰ ταύτην, καθ' ἣν ἀπάτωρ ἦν,  
τὴν κάτω λέγω, ἀγενεαλόγητον εἶναι πιστεύσῃς. Διὰ  
τοῦτο ἀμφοτέρας θεῖς, τότε εἶπε τὸ, Ἀγενεαλόγητος·  
καὶ γὰρ καὶ αὐτὴ ἡ κάτω ἀκατάληπτος, ἵνα πρὸς  
ἐκεῖνην μὴδὲ παρακλύψαι τολμῆσωμεν. Εἰ γὰρ τὰ  
προπύλαια τοῦ ναοῦ οὕτω φοβερά καὶ ἀπρόσιτα, πῶς  
εἰς τὰ ἄδυστα τις εἰσελθεῖν ἐπιχειρήσει; Ὅτι μὲν γὰρ  
ἐγεννήθη ἐκ τοῦ Πατρὸς, οἶδα· τὸ δὲ πῶς, οὐκ οἶδα.  
Ὅτι ἐτέχθη ἐκ τῆς παρθένου, ἐπίσταμαι· τὸν δὲ  
τρόπον οὐδὲ ἐνταῦθα καταλαμβάνω. Ἐκατέρας γὰρ  
[171] φύσεως ἡ γέννησις ὁμολογεῖται, καὶ ἑκατέρας  
ὁ τρόπος σεσίγηται. Καὶ ὡσπερ ἐνταῦθα ἐπὶ τῆς παρ-  
θένου, οὐκ εἰδὼς ἐγὼ πῶς ἐκ παρθένου ἐγεννήθη,  
ὁμολογῶ ὅτι ἐγεννήθη, καὶ οὐκ ἀναιρῶ τὸ πρᾶγμα  
διὰ τὴν ἀγνωσίαν τοῦ τρόπου· οὕτω καὶ σὺ ποίησον ἐπὶ  
τοῦ Πατρὸς· εἰ καὶ οὐκ οἶδας πῶς ἐγεννήθη, τὸ, Ἐγεν-  
νήθη, ὁμολόγησον <sup>b</sup>. Κἂν λέγῃ σοι ὁ αἰρετικὸς, Πῶς

<sup>b</sup> Savil. et Halesio legendum videtur, εἰ δὲ οὐκ οἶδας·  
πῶς ἐγέννησε, τὸ ἐγέννησε ὁμολόγησον.

<sup>a</sup> Sic unus cod., alii ποιῶντα.

tis etiam ipso ex aspectu vertigine corripiuntur : illi vero nec in mediis fluctibus perturbantur. Hoc et in mente nostra evenit : siquidem et ipsam sæpe fluctus perturbationem invadunt multo marinis sæviores, veluti procella iracundiæ, quæ deorsum cor dejecit, et pravæ cupiditatis venti, qui multam excitant in mente conturbationem. Atque is quidem qui inexper- tus est et inexercitatus, incipiente iræ tempestate, continuo turbatur, commovetur, agitur, animam sinit ab affectibus submergi, ac naufragium pati : qui vero expertus et exercitatus est ad hæc omnia patienter ferenda, tamquam gubernatorem ad clavum sedentem, ita rationem supra perturbationes istas collocat, neque prius absistit omnibus tentatis, quam navigium ad tranquillum philosophiæ portum duxerit. Quod igitur fit in mari, et quod in mente accidit, hoc et in expositione Scripturarum evenit : commoveri necesse est ac turbari, postquam in pelagus egressi fuerimus, non quod formidabile sit pelagus, sed quod inexperti simus nos qui navigamus. Nam orationem, quæ sua natura sit facilis, ob imperitiam auditorum difficilem fieri, Paulum vobis testem proferam. Cum enim Christum dixisset Pontificem fuisse secundum ordinem Melchisedec, quæsisissetque quis Melchisedec esset, adjecit : *De quo grandis nobis sermo, et interpretatu difficilis* (Hebr. 5. 11). Quid ais, beate Paulus? Tibi difficile est interpretatu, qui spirituali polles sapientia, qui arcana verba audivisti, qui ad tertium raptus es cælum? Si tibi difficile est interpretatu, a quo poterit comprehendi? Mibi difficile est interpretatu, inquit, non ob suam difficultatem, sed ob auditorum infirmitatem. Postquam enim dixit, *Interpretatu difficilis*, adjunxit : *Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*. Vides non naturam sermonis, sed auditorum imperitiam difficilem eum reddidisse, qui difficile minime fuit? Neque vero difficile tantum, sed et grandem efficit eum, qui brevis sit eadem causæ : quapropter non modo difficile interpretatu eum esse dixit, verum etiam grandem, et longitudinis, et difficultatis causam adscribens aurium imbecillitati. Nam sicut dum ægros curamus non oportet subitanam et paratu facilem mensam illis apponere, sed varia sunt illis edulia paranda, ut si ægrotus hoc gustare noluerit, alterum sumat : quod si illud non admittat, aliud acceptet : aut si hoc repudiet, alteri manum injiciat, et ciborum varietate fastidium vincamus, ac diversitate mensæ animi ejus morositatem mitigemus : ita sæpenumero in spiritualibus conviviis est agendum. Cum infirmi simus, multa et varia insituenda est oratio, quæ comparationes habeat, exempla, demonstrationes, verborum circuitus, aliaque multa ejusmodi, ut ex omnibus facilis sit nobis eorum, quæ sint profutura, delectus. Enimvero licet grandis esset atque interpretatu difficilis ille sermo, nequaquam illos doctrina de Melchisedec privavit (a), cum et dicendo grandem illum esse atque interpretatu difficilem illorum studium excitavit, ut alacriores

fierent ad audiendum : et dum illis mensam instruxit, eorum cupiditati fuerit obsequutus.

2. *Scriptura sacra quomodo tractanda. Anomæos redarguit. Adversus hæreticos de æterna Christi generatione. Generatio etiam terrena Christi non intelligitur.*— Hoc nos quoque faciamus : tametsi prophetarum immensum est pelagus, multa que insunt illic voragine, audacter pro nostra virili parte mare ingrediamur ; imo vero, non pro nostra virili parte, sed prout nobis superna gratia concessum fuerit, non fiducia freti nostra, sed procurandæ utilitatis vestræ causa mare audacter ingrediamur, et in hoc quoque Paulum imitemur. Quod enim oratione de Melchisedec illos minime privavit, ex iis, quæ sequuntur, intelliges. Sane cum dixisset, *De quo grandis sermo, et interpretatu difficilis*, adjecit : *Hic enim Melchisedec, rex justitiæ, deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens : assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum* (Hebr. 7. 1-3). Annon vestras aures perturbavit de homine verba faciens Paulus, ac dicens, *Sine patre, sine matre*? Quid dico, de homine? Nam si hoc de Christo etiam diceretur, nonne sic etiam multam quærendi occasionem præberet? Si enim est sine patre, quomodo Filius? si sine Patre, quomodo Unigenitus? Filius enim patrem habere debet, alioqui filius non erit. Attamen et sine patre Filius Dei est, et sine matre. Quo tandem modo? Sine patre secundum terrenam generationem, sine matre secundum cælestem : nam neque in terris habuit patrem, neque matrem in cælis. *Sine genealogia*. Audiant, qui ejus essentiam curiose scrutantur : tametsi arbitrantur quidam, quod hic dicitur *Sine genealogia*, ad cælestem generationem pertinere. Nam hæretici ne hoc quidem volunt : etenim illam quoque curiose scrutantur et inquirunt : qui vero sunt inter illos modestiores, illi generationi hoc concedunt : de terrena non item dictum existimant illud, *Sine genealogia*. Ostendamus igitur hoc de utraque Paulum generatione dixisse, de cælesti simul et de terrena : nam et illa tremenda est, et hæc mystica maxime. Propterea dicebat etiam Isaias, *Generationem ejus quis enarrabit* (Isai. 53. 8)? Atque de illa cælesti, inquit, hoc dixit. Quid ergo Paulo dicemus, qui utramque generationem commemoravit, ac deinde illud, *Sine genealogia*, subjunxit? Cum enim ante dixisset, *Sine patre, sine matre*, post adjunxit, *Sine genealogia*, ut non modo secundum illam generationem, secundum quam est sine matre, sed etiam secundum hanc, secundum quam erat sine patre, terrenam dico, sine genealogia ipsum esse credas. Idcirco utraque posita dixit, *Sine genealogia*, nam hæc terrena comprehendi non potest, ut in illam ne respicere quidem audeamus. Nam si templi vestibula sunt adeo terribilla et inaccessa, quo pacto in ipsa adyta penetrare quis audebit? Genitum enim ex Patre fuisse scio : quo pacto, nescio. Ex virgine illum fuisse natum novi ; modum autem ne hic quidem

(a) Sic et infra Colbertinus in multis deficit.

assequor. Nam utriusque naturæ generationem confitemur, et utriusque modum tacemus. Et sicut cum de virgine agitur, etsi nescio quo pacto sit ex virgine generatus, tamen eum generatum fuisse confiteor, nec rem tollo propter ignorantiam modi: ita fac tu quoque, cum de Patre agitur: licet nescias quomodo Filius sit genitus, eum fuisse genitum confitere<sup>1</sup>. Quod si dixerit tibi hæreticus, Quomodo genitus est ex Patre Filius? mentem ejus in terram deprime, atque illi dicito: Descende de cælis, ac mihi demonstra, quomodo ex virgine sit natus, tumque illa me roga. Retine illum, et obsessum urge, neque resilire sinito aut in labyrinthum ratiocinationum se proripere: verum retine, et strangula, non manu, sed oratione; ne distinctiones illi et effugia concedas, quæ cupit. Hinc fit ut eos perturbent et commoveant, quibuscum disputant, quod nos illis obsequamur, neque eos ad sacrarum Scripturarum leges adigamus. Undique igitur illi murum ex testimoniis Scripturarum oppone, ac ne hiscere quidem poterit. Dic illi, Quo pacto ex virgine natus est? non abistam, neque recedam. Atqui modum effari non poterit, tametsi omni ope conatuque contendat. Cum enim Deus occluserit, quis jam reserabit? Sola fide percipi possunt talia. Quod si non acquiescas, sed rationes disquiras, iisdem te verbis, quibus Nicodemum Christus, affabor: *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixerō vobis cælestia, credetis (Joan. 3. 12)?* De nativitate dixi ex virgine, neque nosti, neque hiscere audes, et cælum curiose scrutaris? Atque utinam in cælum, et non in Dominum cæli curiose inquireres. *Si terrena dixi vobis, et non creditis.* Non dixit, Et non persuademini, sed, *Non creditis*, quo verbo significat terrena etiam fide indigere. Quod si terrena fide indigent, multo magis cælestia. Quamquam tum Nicodemo de partu multo minori loquebatur: siquidem de baptismo sermo erat, et de spiritali regeneratione: sed hæc quoque fide comprehendenda dicebat. Cæterum terrena illa vocavit, non quod terrena sint, sed quod perficiantur in terra, et quod si comparentur cum superna illa et ineffabili nativitate, quæ mentem omnem exsuperat, hæc terrena sint. Si ergo fieri non potest, ut sciam quo pacto renascar ex aquis, sed fide sola res illa capienda est, neque modus curiose scrutandus: quantæ fuerit hoc insanix ad investigandam cælestem unigeniti Filii generationem cogitationes humanas admittere, ac modi, quo facta sit, rationem exigere?

3. *Vetus Testamentum obscurum. Cur obscuræ erant prophetiæ.*—Satis igitur demonstratum est quo pacto sine patre ac sine matre sit unigenitus Dei Filius, et quo pacto sine genealogia secundum utramque generationem: reliquum est ut ad id quod instat redeamus, postquam sermonem de Melchisedec in

<sup>1</sup> Melius, ni fallor, legeretur, assentientibus etiam Savilio et Halesio, *licet nescias quomodo filium genuerit, eum genuisse confitere.* Nam hic de Patre agitur, ut paulo ante de Virgine matre. Lectio tamen altera terri posse videtur, et alioquin omnium exemplarium auctoritate asseritur, illaque probat Joannes Boisius in notis Savilianis p. 857.

alterum diem rejecimus, ac prophetica ænigmata audituri nostram attentionem excitemus. Similes enim sunt ænigmatibus sermones prophetici, multaque difficultatibus obseptum est Vetus Testamentum, neque faciles intellectu sunt libri: Novum autem dilucidius est et facilius. Ecquam tandem ob causam, dicet aliquis, hæc ita sunt constituta, licet de rebus majoris momenti agatur in Novo, de regno cælorum, de resurrectione corporum, et ineffabilibus illis bonis, quæ et humanam mentem excedunt? Quid igitur in causa, ut obscuræ sint prophetiæ? Multa Judæis istæ mala prædicunt, ac fore ut ejiciantur illi, nos recipiamur, ut templum evertatur, nec amplius excitetur, ut occidant Jerosolyma, et omnibus sint pervia: tum vero Judæi errabundi, per universon orbem terrarum dispergantur, ac civitate destituti, ne veteres quidem ritus retineant, sed omnes illis res ipsorum priores auferantur, prophetiæ, sacrificia, sacerdotium, et regnum. Neque vero tantum ista, sed et alia multa ejusmodi prædicebant prophetæ, dum innumeras suis libris tragedias immiscerent. Ne igitur ab initio Judæi manifeste hæc audientes, eos interficerent qui hæc dicebant, interpretationis difficultate prædictiones occultarunt, ac multa obscuritate rebus offusa, per eorum quæ dicebantur obscuritatem prophetarum incolumitati consuluerunt. Unde vero id constat? Rationes enim a nobis reddendæ sunt, tametsi inter amicos verba facimus: siquidem multi fortassis adsunt non amici. Discant igitur hæc etiam illi, ut et amici ipsi fiant. Dixi, si Judæi audivissent mala, quæ comprehensura illos erant, ac fore, ut propter Christum excendantur Jerosolyma in perpetuum, nec umquam amplius instaurentur, hæc si perspicue a prophetis audivissent, confestim eos, qui hæc loquebantur, occidissent. Unde igitur id liquet? Primum quidem ex ipsorum moribus: furiosi enim erant ac belluini. Populus est semper sitiens sanguinem prophetarum, manus eorum in cædibus se sanctorum exercuerant. Hæc adversus illos magnus Elias vociferatur dicens: *Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua diruerunt (5. Reg. 19. 10).* Christus iterum, *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidit prophetas, et lapidat eos, qui ad ipsam missi sunt (Matth. 23. 37).* Et Isaias eosdem accusans his consonam vocem mittens ait: *Manus vestræ plenæ sunt sanguine (Isai. 1. 15).* Et rursus Christus: *Patres vestri occiderunt prophetas, vos autem ipsorum ædificatis monumenta: implete mensuram patrum vestrorum (Matth. 23. 31. 32).* Vides ut et Dominus et servi homicidas illos esse testentur? Quid est autem, *Implete mensuram patrum vestrorum?* Me quoque, inquit, occidite: adjicite servorum cædibus necem Domini. Licet enim mille occiderint homines, ac conservos omnes: cum vero contra Dominum manus extenderunt, tunc impleta mensura est: et merito. Quamdiu enim Dominum non occiderunt, spem salutis habuerunt, et ut adveniens agnus Dei peccata mundi tolleret, exspectarunt (Joan. 1. 29): postquam autem medicum interfecerunt, et in propitiatorium ipsum contumeliosi fuerunt,

ἐγεννήθη ἐκ τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός; κατέσπασον αὐτοῦ τὸ φρόνημα εἰς τὴν γῆν, καὶ εἶπὲ πρὸς αὐτόν· Κατάβηθι ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ δεῖξον πῶς ἐγεννήθη ἐκ τῆς παρθένου, καὶ τότε ἐκείνα ἔρωτα. Κάτασχε αὐτόν, καὶ περίστηθι, καὶ μὴ ἀφῆς ἀποτηθῆσαι, μηδὲ ἀναχωρῆσαι εἰς τὸν λαβύρινθον τῶν λογισμῶν· ἀλλὰ κάτασχε, καὶ ἀπόπνιξον, μὴ τῆ χειρὶ, ἀλλὰ τῷ ῥήματι· μὴ ὄψῃ διαστολὰς καὶ διαφυγὰς, ὡς βούλεται. Ἐκείθεν θόρυβον ἐμποιοῦσι τοῖς διαλεγόμενοις, ἐπειδὴ ἡμεῖς αὐτοῖς ἀκολουθοῦμεν, καὶ οὐκ ἄγομεν ὑπὸ τοὺς νόμους τῶν θείων Γραφῶν. Περιθές τοίνυν αὐτῷ τειχίον πάντοθεν, τὰς ἀπὸ τῶν Γραφῶν μαρτυρίας, καὶ οὐδὲ χῆναι δυνήσεται. Εἶπὲ πρὸς αὐτόν, Πῶς ἐγεννήθη ἐκ τῆς παρθένου; οὐκ ἀφίσταμαι οὐδὲ ἀναχωρῶ. Ἄλλ' οὐκ ἂν ἔχοι τὸν τρόπον εἰπεῖν, κἂν μυρία φιλονεικῇ. Ὅταν γὰρ ὁ Θεὸς ἀποκλείσῃ, τίς ἀνοίξει λοιπὸν; Πίστει παραδεκτὰ τὰ τοιαῦτα μόνη. Εἰ δὲ οὐκ ἀνέχῃ, ἀλλὰ λογισμοὺς ἐπιζητεῖς, ἐρῶ πρὸς σὲ, ὁ πρὸς τὸν Νικοδόμημον ὁ Χριστός· *Εἰ τὰ ἐπίγεια εἰσκὸς ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς, ἂν τὰ ἐπουράνια εἰσκὸς εἴπω, πιστεύσετε*; Περὶ τῆς ἐκ παρθένου γεννήσεως εἶπον, καὶ οὐκ οἶδας, οὐδὲ χῆναι τολμᾷς, καὶ τὸν οὐρανὸν περιεργάζῃ; Ἔθε μὲν οὖν τὸν οὐρανὸν, καὶ μὴ τὸν Δεσπότην τῶν οὐρανῶν ἐπολυπραγμῶνεις. *Εἰ τὰ ἐπίγεια εἰσκὸς ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε*. Οὐκ εἶπεν, οὐ πειθασθε, ἀλλ', *Οὐ πιστεύετε*, δεικνύς ἡμῖν, ὅτι καὶ τὰ ἐπίγεια πίστεως δεῖται. Εἰ δὲ τὰ ἐπίγεια πίστεως δεῖται, πολλῷ μᾶλλον τὰ οὐράνια. Καίτοι τότε τῷ Νικοδόμῳ περὶ τόκου διελέγετο πολὺ ἐλάττονος· περὶ τοῦ βαπτίσματος γὰρ ὁ λόγος ἦν, καὶ τῆς ἀναγεννήσεως τῆς πνευματικῆς· ἀλλ' ἔλεγεν, ὅτι καὶ ταῦτα πίστει ἐστὶ καταληπτά. Ἐπίγεια δὲ αὐτὰ ἐκάλεισεν, οὐκ ἐπειδὴ ἐπίγεια ἐστίν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τῇ γῇ τελεῖται, καὶ τῇ συγχρίσει τῆς ἄνω γεννήσεως τῆς ἀπορρήτου καὶ πάντα ὑπερβαινούσης οὖν, ἐπίγεια ταῦτα ἐστίν. Εἰ τοίνυν, πῶς ἀναγεννώμαι ἐκ τῶν ὑδάτων, οὐ δυνατόν εἶδέναι, ἀλλὰ πιστεῖται μόνη παραδέχεσθαι δεῖ τὸ γινόμενον, καὶ τὸν τρόπον μὴ περιεργάζεσθαι· πόσης ἂν εἴη μανίας, ἐπὶ τῆς ἄνω γεννήσεως τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ λογισμοὺς ἀνθρωπίνους κινεῖν, καὶ τρόπου γεννήσεως εὐθύνας ἀπαιτεῖν;

γ. Πῶς μὲν οὖν ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ ὁ Μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἱκανῶς ἀποδέδεικται, καὶ πῶς ἀγεωλογητὸς ἑκατέραν τὴν γέννησιν· λοιπὸν δὲ πρὸς τὸ [172] ἐπεῖγον ἀπαγάγωμεν<sup>a</sup>, τὸν λόγον τὸν περὶ τοῦ Μελχισεδεκ εἰς ἑτέραν ἡμέραν ἀναβαλλόμενοι, καὶ διαναστήσωμεν τὴν ἀκοήν, προφητικῶν μέλλοντες ἀκούειν αἰνιγμάτων. Αἰνίγματα γὰρ εἶκοι τὰ προφητικά, καὶ πολλὴ δυσκολία ἐν τῇ παλαιᾷ Διαθήκῃ, καὶ δυσεπιληπτα τὰ βιβλία· ἡ δὲ Καινὴ σαφέστερα καὶ εὐκολωτέρα. Καὶ τίνος ἕνεκεν, φησι, ταῦτα οὕτω διατετύπεται, καίτοι ἡ Καινὴ περὶ μειζόνων διαλέγεται πραγμάτων, περὶ βασιλείας οὐρανῶν, καὶ σωμάτων ἀναστάσεως, καὶ τῶν ἀπορρήτων ἄγαθῶν, καὶ ἀνθρώπινον ὑπερβαίνει νοῦν; Τίς οὖν ἡ αἰτία τοῦ τὰς προφητείας ἀσαφεῖς εἶναι; Πολλὰ προλέγουσιν Ἰουδαῖοι αὐτὰι κακά· καὶ ὅτι ἐκδηθή-

σονται μὲν ἐκεῖνοι, ἡμεῖς δὲ εἰσοδεχθόμεθα· καὶ ὅτι καταλυθήσεται μὲν ὁ ναὸς, καὶ οὐκέτι λοιπὸν ἀναστήσεται, πεσεῖται δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσιν ἔσται βατά· Ἰουδαῖοι τε πλανῆται γινόμενοι, πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης διασπαρῆσονται, καὶ τῆς πώλεως ἐκπεσόντες, οὐδὲ τὴν πολιτείαν ἔξουσι λοιπὸν τὴν ἀρχαίαν, ἀλλὰ πάντα αὐτῶν ἀφαιρεθήσεται τὰ πρότερα, καὶ προφητείας, καὶ θυσίαι, καὶ ἱερωσύνη, καὶ βασιλεία. Οὐ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα προέλεγον οἱ προφῆται, μυρίας τραγυφίας τοῖς οἰκείοις ἐγκαταμιγνύντες βιβλίοις. Ἴν' οὖν οἱ Ἰουδαῖοι μὴ σαφῶς ἀκούσαντες παρὰ τὴν ἀρχὴν, διαχειρίσωνται τοὺς λέγοντας ταῦτα, τῇ δυσκολίᾳ τῆς ἐρμηνείας ἀπέκρυψαν τὰς προρρήσεις, καὶ πολλὴν ἀσάφειαν κατέχεαν ἢ τῶν πραγμάτων, τῇ ἀσαφείᾳ τῶν λεγομένων τοῖς λέγουσι παρασκευάζοντες ἀσφάλειαν. Καὶ πῶθεν δῆλον τοῦτο; Δεῖ γὰρ καὶ εὐθύνας ἡμᾶς ἀπαιτεῖσθαι, εἰ καὶ ἐν φίλοις λέγομεν· καὶ γὰρ πολλοὶ ἴσως καὶ τῶν οὐ φίλων πάρεισι. Μανθανέτωσαν τοίνυν ταῦτα κἀκεῖνοι, ἵνα καὶ αὐτοὶ φίλοι γένωνται. Εἶπον, ὅτι εἰ ἤκουσαν οἱ Ἰουδαῖοι τὰ μέλλοντα αὐτοῦς καταλήψεσθαι κακά, καὶ ὅτι τὰ Ἱεροσόλυμα ἀλώσεται διὰ τὸν Χριστὸν τὴν αἰώνιον ταύτην τὴν ἀθάνατον, καὶ οὐκ ἔχουσαν μεταβολὴν, εἰ ἤκουσαν φανερώς παρὰ τῶν προφητῶν ταῦτα, εὐθὺς ἂν τοὺς ταῦτα λέγοντας ἀπέκτειναν. Πῶθεν οὖν τοῦτο δῆλον; Πρῶτον μὲν ἀπὸ τῶν τρόπων αὐτῶν· μανικὸι γὰρ καὶ θηριώδεις ἦσαν. Δῆμῶς ἐστὶν αἱμάτων ἀεὶ διψῶν προφητικῶν, αἱ χεῖρες αὐτῶν ἐμελέτησαν ἐν ταῖς σφαγαῖς τῶν ἀγίων. Ταῦτα ὁ μέγας Ἠλίας αὐτῶν καταβοῆ λέγων· *Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, τὰ θυσιαστήρια σου κατέσκαψαν*. Ὁ Χριστὸς πάλιν, *Ἰερουσαλήμ, Ἰερουσαλήμ, ἡ ἀποκτείνασα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτήν*. Καὶ ὁ Ἠσαῖας συνωδᾷ τοῦτοις αὐτῶν κατηγορῶν, ἐβόα· *Αἱ χεῖρες ὑμῶν αἵματος πλήρεις*. Καὶ πάλιν ὁ Χριστὸς· *Οἱ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν τοὺς προφήτας, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα αὐτῶν*· *πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν*. Ὁρᾷς πῶς καὶ ὁ Δεσπότης καὶ οἱ δοῦλοι μισοφονίαν αὐτῶν μαρτυροῦσι; Τί δὲ ἐστὶ· *Πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν*; [173] Ἀποκτείνετε, φησὶ, κάμ' πρόσθετε τοῖς δουλικῶς αἵμασι τὴν δεσποτικὴν σφαγὴν. Εἰ γὰρ μυρία εἴσφαξαν ἀνθρώπους, ἀλλὰ συνδούλους πάντας· ὅτε δὲ κατὰ τοῦ Δεσπότη τοὺς χεῖρας ἐξέτειναν, τότε ἐπληρώθη τὸ μέτρον· καὶ εἰκότως. Ἔως μὲν γὰρ οὐκ ἀπέκτειναν τὸν Δεσπότην, εἶχον ἐλπίδα σωτηρίας, καὶ προσεδόκων ὅτι ὁ ἄμνος τοῦ Θεοῦ ἐλθὼν ἀρεῖ τὴν ἀμαρτίαν τοῦ κόσμου· ἐπειδὴ δὲ τὸν λατρὸν διεχειρίσαντο, καὶ εἰς αὐτὸ τὸ ἱλαστήριον ὕβρισαν, καὶ τὸν ἐλθόντα ἀφείναι τὰ ἀμαρτήματα ἀπετρέψθησαν, πάσης λοιπὸν ἐλπίδος ἐξέπεσον. Διὰ τοῦτο λέγει· *Πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν*. Ναί, φησὶν· ἀλλ' ὅτι μὲν μισοφόνου καὶ ἐναγεῖς, ἀποδέδεικται ἐκ πολλῶν μαρτυριῶν· πῶθεν δὲ δῆλον, ὅτι τῶν προφητῶν οὐκ ἂν ἐφείσαντο, εἰ ἤκουσαν ὅτι τὰ Ἱεροσόλυμα κατα-

<sup>a</sup> Savilius legendum opinatur ἐπαναγάγωμεν, sed puto ἐπαγάγωμεν bene habere.

<sup>b</sup> Mss. κτείχον.

στραφήσεται, ὅτι ὁ νόμος παυθήσεται, ὅτι ἡ Παλαιὰ ἀλλαγῆσεται; Μάλιστα μὲν καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων δῆλον· πλὴν ἄλλ' ἐξ αὐτῶν τῶν Γραφῶν πάλιν ποιήσομαι τὴν ἀπόδειξιν σαφεστέραν. Εἰ γὰρ ποτε ἤκουσαν προφήτου λέγοντος, ὅτι τὰ Ἱεροσολύμα καταστραφήσεται καταστροφὴν πρόσκαιρον, δέον αὐτοὺς μεταβάλλεσθαι καὶ ἀπεκρούεσθαι τοῦ Θεοῦ τὴν ὄργην, εἰς τὸν προφήτην ἠφέσαν τὸν θυμὸν. Καὶ ὅτι τοῦτό ἐστιν ἀληθές, αὐτῶν ἀκούσατε τῶν ἱστοριῶν. Ἐπολιόρκουν τὴν πόλιν αὐτῶν οἱ Πέρσαι ποτὲ, καὶ βαρβαρικὸν στρατόπεδον ἐξω περιεκάθητο· καὶ τὰ τῶν κινδύνων οὐκ ἦν ἄδηλα, ἀλλ' ἐν μέσῃ παγίδι ἡ πόλις ἦν τότε Ἱερουσαλήμ, ὠπλισμένων ἀπάντων καὶ περιεστώτων ἐξωθεν· ἀλλ' ὁμοῦς οὕτω φανερῶν ὄντων τῶν δεινῶν, ἐπειδὴ Ἱερεμίας ἐλθὼν εἶπε πρὸς αὐτοῦς, ὅτι ἡ πόλις παραδοθήσεται εἰς χεῖρας Χαλδαίων· καίτοι τοῦτο οὐδὲ προφητεία ἦν· οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐώρων τὰ συμβησόμενα· ἀλλ' ὁμοῦς ἐπειδὴ τὰ φανερά καὶ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν εἶπεν, οἱ μισροὶ καὶ ἀνάσθητοι καὶ περὶ τοὺς εὐεργέτας ἀγνώμονες οὕτως ἐμάνησαν, ὡς προδότην αὐτὸν καὶ λυμῶνα τῆς πόλεως νομίσει, καὶ εἶπεν, ὅτι *Ἐκλύει τὰς χεῖρας τοῦ λαοῦ τούτου*. Καὶ μὴν ἔστρεψεν, καὶ μὴν διήγειρε τὴν προθυμίαν αὐτῶν, καὶ πρὸς Θεὸν ἦγε, τὴ ἀρραγῆς καὶ ἀκαταμάχτην αὐτοῖς περιτιθεῖς τείχος· ἀλλ' οὐδὲν τούτων ἐνοήσαντες ἐκεῖνοι, ἐκέλευον αὐτὸν ἀναρῆσθαι. Τοιαύτας γὰρ τοῖς εὐεργέταις αἰεὶ τὰς ἀμοιβὰς ἀπεδίδοσαν, καὶ τοῦ βασιλέως συγγνώμης, οὐδὲ οὕτως ἐνέδοικαν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἀνελεῖν οὐκ ἴσχυσαν. εἰς τὸν τοῦ βορβόρου λάκκον ἐνέβαλον.

δ. Εἰ δὲ πρόσκαιρον αἰχμαλωσίας ἀκοὴν οὐκ ἤνεγκαν, πῶς τὴν πρόρρησιν τῆς διηνεκοῦς δουλείας ἐμελλον εἰπακοῦεν; Εἰ Ἱερεμίας εἶπεν, ὅτι Ἀπελεύσεσθε εἰς Βαβυλῶνα, καὶ οὐχ ὑπήνεγκαν ἀκούσαι, ἀλλ' ἐτιμωρήσαντο τὸν εἰπόντα· εἰ ἤκουσαν τῶν προφητιῶν εἰπόντων, ὅτι οὐκ εἰς Βαβυλῶνα, ἀλλὰ πανταχοῦ τῆς [174] οἰκουμένης διασπαρήσεσθε, καὶ οὐκέτι λοιπὸν ἐπανήξετε, οὐκ ἂν καὶ τὸ αἶμα τῶν λεγόντων ἐξέπιον; Εἰ δὲ δοκεῖ τοῦτο εἶτι στοχασμὸς εἶναι, φανερὰν ὑμῖν ἀπόδειξιν παρέχου, ὅτι οὐκ ἦν ἀσφαλὲς αὐτοῖς λέγειν τὰ μέλλοντα, τὴν ἡμέτεραν τιμὴν λέγου, τὴν ἐκπτωσιν τὴν ἐκείνων. Στέφανον γὰρ, εἶπέ μοι, τὴν ἀπαρχὴν τῶν μαρτύρων, διὰ τί ἐλίθασαν; οὐ ταῦτα ἐγκαλοῦντες αὐτῷ καὶ λέγοντες, ὅτι Ὁ ἀνὴρ οὗτος λαλεῖ βλάσφημα ῥήματα; Εἶπε, φησὶν, ὅτι Ἰησοῦς καταλύσει τὸν ναὸν τούτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθνη, ἃ παρέδωκε Μωϋσῆς, καὶ διὰ τοῦτο αὐτὸν ἐλίθασαν. Εἰ δὲ τότε οὐκ ἠνείχοντο ταῦτα ἀκούειν, καὶ ταῦτα τῶν πραγμάτων αὐτοὺς πειθόντων λοιπὸν, πῶς ἂν τῶν προφητιῶν ἠνέσχοντο ταῦτα προαναφωνόντων; Ἦκουσας, ἀγαπητὲ, ὅτι διὰ τὸν ναὸν καὶ τὴν μετάθεσιν τῆς πολιτείας αὐτὸν ἐλίθασαν· ἀκουσον πῶς καὶ τῷ Χριστῷ τοῦτο προφέρουσιν ἐγκλημα. Εἶπε γὰρ, φησὶν, οὗτος· Ἀύσατε τὸν ναὸν τούτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. Εἶδες τοῦς πανταχοῦ ἢ κατάλυσις τοῦ ναοῦ, καὶ ἡ μετά-

θεσις τῆς πολιτείας τὴν ὄργην αὐτοῖς ἐνεποίει; Διὰ τοῦτο ἔλεγον μὲν οἱ προφῆται ταῦτα, οὐκ ἔλεγον δὲ φανερώς. Διὰ τοῦτο καὶ Παῦλον ἐβούλοντο ἀνελεῖν, ὅτι ἐπειθεν αὐτοὺς μετατιθεσθαι ἀπὸ τῆς πολιτείας; Πόθεν τοῦτο δῆλον; *Θεωρεῖς, φησὶν, ἀδελφὲ, πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων, καὶ οὗτοι πάντες κατήχηται περὶ σοῦ, ὅτι ἀποστασίαν τοῦ νόμου διδάσκεις*. Οἱ πιστοὶ οὐκ ἠνείχοντο διδάσκεσθαι ἀποστασίαν τοῦ νόμου· καὶ οἱ οὐδέπω πιστεύσαντες πῶς ἂν ἠνέσχοντο ἀκοῦσαι, ὅτι παυθήσεται ὁ νόμος ποτὲ; Ὅτι μὲν οὖν τοὺς προφῆτας ἀπέκτειναν ἂν οἱ Ἰουδαῖοι, εἰ τι τοιοῦτον σαφῶς προεῖπον, ἐδείξαμεν ἀπὸ τῶν μαρτυριῶν, ἀπὸ τε τοῦ μακαρίου Ἱερεμίου, καὶ τοῦ πρωτομάρτυρος Στεφάνου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ ἀποστόλου Παύλου. Πᾶσι γὰρ τὰ αὐτὰ ἐγκαλοῦντες, οὕτως αὐτοὺς ἀνελεον. Ὅτι δὲ καὶ αὐτὰ τὰ βιβλία κατέκαυσαν ἂν τὰ προφητικά, εἰ συνεῖδον τὰ λεγομένα, καὶ τοῦτο παραστήσαι πειράσομαι ἀπὸ τινος ἱστορίας, κεκρυμμένης μὲν ὑμῖν, δῆλης δὲ ἐσομένης αὐτίκα δὴ μάλα· οὕτω γὰρ αὐτὴν ἀπαγγεῖλαι πειράσομαι. Τίς οὖν ἡ ἱστορία, ἀκούσατε.

Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει Ἰωακείμ υἱοῦ Ἰωσίου βασιλέως Ἰούδα, εἶπε Κύριος πρὸς Ἰερεμίαν· *Γράψον πάντας τοὺς λόγους, οὓς ἐρημάτισα πρὸς σὲ ἀπὸ τῆς ἡμέρας Ἰωσίου, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης*· τούτεστι, πάντα τὰ κακὰ, ἃ λογίζομαι ποιῆσαι αὐτοῖς. Ὅρα τί φιλόδηρος ὁ Θεὸς καὶ κηδεμονικός. Ἐπειδὴ γὰρ κατὰ μέρος ἀκούσαι οὐκ ἠνείχοντο, Συναγάγε, φησεν, αὐτὰ πάντα, καὶ ἀβξήσον τὸν φόβον, ἵνα κἂν οὕτω ἢ βελτίους γένωται. Μνημονεύετε τῆς ὑποσχέσεως· τὸ ζητούμενον ἡμῖν δεῖξαι, ὅτι καὶ τὰ βιβλία ἂν αὐτὰ κατέκοψαν, εἰ ἐνόησαν τὰ σημεῖον ἐκδόνα πάντα. Ἰσως ἀκούσονται κακὰ (δεῖ γὰρ ἔγεσθαι τῆς ἱστορίας), ἢ λογίζομαι ποιῆσαι αὐτοῖς, καὶ ἀποστραφήσονται ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῶν τῆς πονηρᾶς. Ἰσως, ὁ Θεὸς λέγει; ἄγνοεῖ, [175] εἶπέ μοι, τὰ ἐσόμενα; οὐκ οἶδεν εἰ ἀκούσονται, ὁ εἰδὼς πάντα πρὶν γενέσεως. ὁ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροῦς, ὁ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐνομιῶν; ὦ πάντα γυμὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ; Τίνος δὲ ἔνεκεν ἔλεγον, Ἰσως ἀκούσονται; Καὶ γὰρ καὶ ταῦτα ἀναγκαῖον ὑμᾶς μανθάνειν, διὰ τοὺς ἐγκαλοῦντας ἄγνοιαν τῷ Μονογενεῖ. Ἰδοὺ γὰρ καὶ ὁ Πατὴρ ἄγνοοῦντος ἐβέβητα: ῥήματα· τὸ γὰρ, Ἰσως, ἀγνοοῦντός ἐστιν· ἀλλ' οὐκ ἄγνοεῖ. Ὅπόταν οὖν καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ ἢ ἀκούσης τι τοιοῦτον λέγοντος, τὴν αὐτὴν καταδέξαι ψῆφον. Υἱὸς γὰρ ὢν, πανταχοῦ τὸν Πατέρα μιμεῖται.

Ἄλλ' οἱ μὲν τῶν ἀγώνων καιροὶ τούτων ἀναμνηστώσαν, ἵνα μὴ τῆς προκειμένης ὑποθέσεως ἐκπέσωμεν· εἰπωμεν δὲ, τίνας ἔνεκεν λέγει, Ἰσως ἀκούσονται. Εἰ εἶπεν, ὅτι ἀκούσονται, χωρὶς τοῦ Ἰσως, ψευδὲς ἦν· οὐ γὰρ ἐμελλον ἀκούσεσθαι. Εἰ εἶπε τὸ ἀληθές, ὅτι οὐκ ἀκούσονται, περιττῶς ἐπεμπε τὸν προφήτην τοῖς οὐκ ἀκουσομένοις. Καὶ οὐ διὰ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἵνα μὴ ἡ πρόγνωσις αὐτοῦ νομισθεῖ ἀναγκαστική τις εἶναι τῆς παρακοῆς, διὰ τοῦτο ἐπαμ-

<sup>b</sup> Sic Reg. melius quam alii, qui habent Ina καὶ οὕτως.

<sup>c</sup> Alii omnes παρὰ τοῦ. Morel. περὶ τοῦ Υἱοῦ. At Fronto Ducusus παρὰ τοῦ legit.

eumque qui venerat, ut peccata dimitteret, aversati sunt, omni spe deinceps exciderunt. Propterea dicit: *Implete mensuram patrum vestrorum*. Certe, inquit: et multis quidem ostensum est testimoniis, homicidas illos ac nefarios fuisse: unde vero constat illos prophetis minime parcituros, si Jerosolyma eversum iri audivissent, et cessaturam legem, ac fore ut Vetus Testamentum immutetur? Id quidem ex iis, quæ dicta sunt, maxime apparet: verumtamen ex ipsis Scripturis manifestiorem subjiciam demonstrationem. Nam si quando prophetam dicentem audierunt, fore ut Jerusalem temporario excidio excinderetur, cum illos mutare mentem oportuisset et iram Dei depellere, in prophetam furorem effuderunt. Atque hoc verum esse, ex historiis ipsis intelligetis. Obsidebant aliquando civitatem ipsorum Persæ, atque ipsam foris barbaricus exercitus circumvallabat: nec obscurum erat periculum quod imminebat, sed in mediis tupaqueis urbs Jerusalem, armatis omnibus et illam foris circumsidens, versabatur: attamen cum tam certa mala eos premerent, quoniam progressus in medium dixit illis Jeremias, fore ut in manus Chaldeorum civitas traderetur; tametsi neque prophetia fuit hoc, cum ipsorum oculi quæ eventura essent intuerentur; quia tamen ea quæ manifesta erant, et eorum oculis observabantur dicebat, scelesti illi ac stupidi, et erga benefactores ingrati sic insanierunt, ut proditorem illum et eversorem arbitrarentur, ac dicerent: *Hic dissolvit manus populi hujus* (Jer. 38. 4). Attamen confirmabat, attamen ipsorum alacritatem excitabat, et ad Deum ducebat, eosque invicto et inexpugnabili muro circumvallabat: sed illi nihil horum intelligentes, interfici eum jubebant. Talia quippe bene de se meritis præmia semper rependebant, et cum rex ignovisset, ne sic quidem cesserunt, sed quoniam necare non poterant, in luti lacum projece-  
runt.

4. Quod si temporariæ captivitatis mentionem fieri non tulerunt, quo tandem pacto perpetuæ servitutis prædictionem audituri fuissent? Si cum dixisset Jeremias, in Babylonem abibitis, neque potuerunt audire, sed eum qui dixerat punierunt: si prophetas audivissent dicentes, fore ut non in Babylonem, sed quoqueversam per orbem terrarum dispergamini, nec amplius revertamini, nonne talia dicentium sanguinem ebibissent? Quod si vobis istud adhuc conjectura videtur esse, demonstratione clara probabo, non tantum fuisse futura illis denunciare, nostrum, inquam, honorem et reprobationem illorum. Cur enim, quæso, Stephanum primitias martyrum lapidarunt? nonne quod hoc illi crimini verterent dicerentque, *Vir iste loquitur verba blasphemiarum? Dixit, aiunt, quoniam Jesus destruet templum istud, et mutabit ritus, quos tradidit Moyses* (Act. 6. 11. 14), atque idcirco illum lapidibus obruerunt. Si tum hæc audire non potuerunt, idque cum res ipsæ fidem ipsis deinceps facerent, quomodo prophetas hæc prænuntiantes tulissent? Audivisti, dilectissime, propter templum, et propter religionis mutationem ab illis eum fuisse lapidatum:

audi, quo pacto Christo etiam istud ipsum crimen objiciant. *Dixit enim, inquit, iste: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (Math. 26. 61; Joan. 2. 19). Vides ubique templi destructionem, ac religionis mutationem bilem illis movisse? Ideo dicebant hoc quidem prophetæ, sed evidenter non dicebant. Ideo Paulum etiam interficere voluerunt, quod illis persuaderet ut religionem mutarent. Unde hoc liquet? *Vides, frater, inquit, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes isti audierunt de te, quod discessionem doceas a lege* (Act. 21. 20). Fideles doceri se discessionem a lege non patiebantur; et qui nondum crediderant, quomodo audire potuissent fore, ut lex aliquando cessaret? Ac Judæos quidem interfecturos fuisse prophetas, si quid tale manifesto prædixissent, testimoniis allatis ostendimus, ex ipso beato Jeremia, ac protomartyre Stephano, ex ipso Christo, et apostolo Paulo. Omnibus enim eadem crimini dantes, eos de medio sustulerunt. Ipsos autem propheticos etiam libros combusturos eos fuisse, si quæ dicta fuerant cognovissent, hoc quoque per historiam quamdam probare satagam vobis occultam, sed quæ manifesta continuo fiet: ita conabor illam exponere. Quænam igitur illa historia sit, audite.

*Historia de Jeremia. — Et factum est in anno quarto Joacim filii Josiæ regis Juda, dixit Dominus ad Jeremiam: Scribe omnia verba, quæ loquutus sum ad te, a diebus Josiæ usque ad diem hanc* (Jer. 36. 1. 2): hoc est, omnia mala quæ cogito facere eis. Vide, quid benignus ac providus dicat Deus. Nam quoniam singula nolebant audire, Collige, inquit, illa omnia, ac metum auge, ut vel hac ratione resipiscant. Reordamini promissi nostri: in questione positum est, ut ostendamus eos libros ipsos laceraturos fuisse, si cuncta quæ hodie contigerunt, illis in mentem venissent. *Forte audient mala* (adharendum enim est historiæ), *quæ cogito facere eis, et advertentur a via sua prava* (Ibid. v. 3). *Forte, dicit Deus? num igitur, quæso, futura ignorat? non novit an audituri sint, is qui novit omnia antequam fiant, qui corda scrutatur et renes, qui discretor est cogitationum et mentium, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia? Cur autem dixit, Forte audient? Nam et hæc operæ pretium fuerit vos didicisse, propter eos qui unigenito Dei Filio ignorantiam objiciunt. Ecce enim Pater quoque ignorantis verbis utitur: siquidem, Forte, vox est ignorantis: verumtamen nequaquam ignorat. Quando igitur et Filium tale quid dicentem audiveris, eandem sententiam suscipe. Nam cum Filius sit, ubique Patrem imitatur.*

*Præscientia non est causa peccati. — Sed differamus tantisper has concertationum occasiones, ne a proposito argumento discedamus: quæramus cur dicat, Forte audient. Si dixisset, Audient, atque Forte, falsum fuisset: non enim erant audituri. Si verum dixisset, Non audient, frustra non audituris prophetam misisset. Neque idcirco tantum, sed ne vim ac necessitatem aliquam ad non parendum afferre ipsius præscientiæ putaretur, propterea cum dubitatione*



quadam hæc verba protulit, ne forte dicerent aliqui, Prædixit Deus, et omnino evenire oportebat : quod de Juda solent dicere. Prædixit, inquit, eum proditorem futurum, et idcirco proditor factus est. O demerentiam ! o impudentiam ! Neque enim præscientia malitiæ causa fuit, mi homo : absit. Non enim rebus futuris affert necessitatem, sed prævidet tantum. Non quia prædixit Christus, factus est proditor ille ; sed quia proditor futurus erat, Christus idcirco prædixit. Ne igitur hic etiam dicant eum non audituros illos dixisse, ac poenitentiam viam illis præclusisse, prævenit, atque omnem occasionem illis præripuit, dum prophetæ dixit, *Forte audient.*

ruebant in mare magnum. 5. Et quatuor bestiae grandes ascendebant de mari, diversae inter se. 4. Prima similis leonae, et alae ejus velut alae aquilae. Aspicebam, donec evulsae sunt alae ejus: et sublata est de terra, et in pedibus hominis stetit, et cor hominis datum est ei. 5. Et ecce bestia alia similis urso, et in partem unam stetit, et tria latera in ore ejus, inter dentes ipsius. Et sic dicebant ei: Surge, comede carnes multas. 6. Post hoc aspicebam, et ecce alia bestia tamquam pardalis: et ipsi alae quatuor volucris super eam, et quatuor capita bestiae, et potestas data est illi. 7. Post hoc aspicebam in visione noctis, et ecce bestia quarta, terribilis, et stupenda, et fortis nimis: et dentes ejus ferrei et magni; comedens et comminans; et reliqua pedibus suis conculcabat: et ipsa diversa valde praeter omnibus bestiis quae ante eam: et cornua ejus decem. 8. Considerabam cornua ejus, et ecce cornu aliud parvum ascendebat in medio eorum, et tria cornua ejus, de iis quae antea, eradica sunt a facie ejus. Et ecce oculi, quasi oculi hominis in cornu isto, et os loquens grandia. » Cur non dixit se vidisse mulieres? At quidem cum poemam et maledictionem oportuit exhibere, mulieres adduxit Scriptura: cum autem regna exprimere, bestias protulit. Incorporea res est regnum: corpus igitur illi tribuit. An non oportebat? Et recte. Nam quoniam regnorum qualitates praecipue in bestiis istis existunt; ideo iis opus habuit. Ostendere voluit illam in feritate superbiam atque luxuriam (a), et leonem produxit. Voluit ostendere tarditatem, et ursum adduxit. Voluit designare velocitatem et pernicitatem, et quod bellis omnia imperia everterint: atque pardalim protulit. Aspice ut prius pulchre viderit mare, quod representat universum orbem terrarum. Totidem enim plenus est tumultibus, et eodem modo agitur, quasi piscibus, non hominibus repletus (b). Id etiam Christus declarat, praesentem nempe vitam mare esse, dum dicit: « Simile factum est regnum caelorum saenae missae in mare, et ex omni genere congreganti. » (Matth. 13. 47.) « Et ecce, » inquit, « quatuor venti caeli iruebant in mare magnum. » Declarat bestias illas inde prodiisse: indicat etiam celeritatem divinae providentiae. Etenim nos, cum de velocitate sermo est, ventos in medium producimus. Irruerunt in mare; et emergerunt, inquit, bestiae e mari. Nam naturae nostrae participes sunt principes nostri. Sic etiam regem leonem saepe vocat, regiam dignitatem et ferinos mores indicare cupiens. Vel quia ventorum ille quidem orientalis est, hic vero ex

(a) In Graeco, ἀέφο. Porro haec vox, teste Suida, *arrogantiam* atque *delicias* significat. Quare utrumque in versione juncti, ductus auctoritate S. Hieronymi, qui in Commentario ad hunc locum regno Babylonio crudelitatem, luxuriam et superbiam attribuit. Crudelitatis specimen dabit caput praecedens; luxuriae liber Judithae, praesertim cap. 12, vers. 21; superbiae, ut alia omittam, rex Assyrius Lucifer dicitur Is. 14, 12.

(b) Piscibus se invicem devorantibus improbos homines comparant, post Habacucum prophetam, Athenagoras Legatione pro Christianis, B. Ireneus lib. 5, cap. 24, et omnium elegantissime S. Basilii Hom. septima in Hexaemeron. Notum est ea de re proverbium.

septentrione, alter vero ab austro. Ut si quis dixerit: Evertit mare; illud de caelo agitarunt. *Diversae inter se. Prima, quasi leona.* Quemadmodum in somnio: non enim haec rerum natura erat. Per duo signa majestas regia ostenditur. Quidam vero dicunt, quod quia Assyrium superavit, ideo cum duobus animalibus confertur. *Et aspicebam, donec evulsae sunt alae ejus*, id est, imperium, *et sublata est de terra: et in pedibus hominis stetit: et cor hominis datum est ei.* Ferox animal. Utrunque habebat celeritatis vim: superne quidem ab alis, inferne vero a pedibus; sed utraque velocitas ablata est, alis quidem evulsis, nec amplius apparentibus, pedibus vero degenerantibus: in debiliores, humanos scilicet. *Et cor hominis datum est ei.* Tanta in illo animali fuerat superbia. Humilis, inquit, mitis et mansuetus factus est rex. *Et ecce bestia alia similis urso: et in partem unam stetit: et tria latera in ore ejus, inter dentes ipsius. Et sic dicebant ei: Surge, comede carnes multas.* Sub Persis homines fuerunt tardi ac segnes. Sub Medis et Persis existiterunt tria latera: id est, vel loca, vel regna, quae in unum illi contraxerunt. *Dicebant ei: Surge, comede carnes multas.* Hi enim ceperunt et Babylonem, et multas calamitates intulerunt. « Post hoc aspicebam; et ecce alia bestia, quasi pardalis: et ipsi alae quatuor volucris super eam, et capita quatuor bestiae: et potestas data est illi. » *Deinde, inquit, pardalis: Alexander Macedonum rex, qui totum orbem pervolavit.* Nihil quippe illo fuit terribilius, nec velocius: at vehemens erat ac celer, sicuti haec bestia. *Quatuor, inquit, alae volucris super eam.* Hoc est, omnem potentiam sibi adjunxit. Persas enim in tredecim regna ab se divisos sibi subjecit universos. Vides illius celeritatem? Et ex bestiae natura, et ex alis. Universum orbem percurrit. *Et capita, inquit, quatuor bestiae. Et regnum et potestas data est ei.* Dehinc narrat quartae bestiae adventum multiformem et omnigenum, et non potest afferre similitudinem: adeo bestia illa varians erat. Alia quippe omnia devicit regna. Caeteris quidem imperiis a velocitate inerat vis: hujus vero animalis vires in dentibus, qui ferrei erant. *Et reliqua pedibus suis conculcabat.* Multa intelligit bella. Quinam sunt decem reges? quod parvum cornu? Ego aio Antichristum inter aliquot reges apparere. *Et oculi, quasi oculi hominis, in cornu isto, et os loquens grandia.* Quid enim illo ore grandium esse potest quod loquitur, *Supra quidquid dicitur Deus, aut numen, adeo ut in templo Dei sedeat (2. Thess. 2. 4)?* Si autem oculi hominis, ne mireris: etenim talia loquitur. Homo est (2. Thess. 2. 3), inquit. Cur autem cornu parvum, et non ab initio magnum apparet? At posthac crescet, et quorundam regum dominabitur. Quid igitur? Nullum regnum excipiet hunc regem: sed illum Deus ipsemet dissolvit ac destruet. 9. « Aspicebam, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit: et vestimentum ejus candidum sicut nix: et capillus capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flamma ignis: rotae ejus ignis ardens. 10. Fluvius ignis manabat egrediens a conpectu ejus. Mille

millia ministrabant ei, et dena millia denum millium assistebant ante eum. Judicium sedit, et libri aperti sunt. » Contendamus animo, carissimè. Non enim parvis de rebus agitur. *Throni*, inquit, *positi sunt, et antiquus dierum sedit*. Quis est iste? Sicuti cum audiisti ursum, non de urso cogitasti, et cum leonem, non id animal suspicabaris, sed regna; et cum mare, non mare, sed orbem terrarum, in aliis alia cogitans: ita et nunc. Antiquus dierum quid est? Seni cuidam similis erat. Nam ad usus rerum, propter quas apparet, seipsum format: atque hic ostendit senibus judicia esse committenda. Sicut enim cum audis thronum, non cathedram intelligis: verum quis adeo vilem ac vulgarem sensum arriperet, cum et alibi Deus armatus videatur, et alibi cruentatus (*Sap. 5. 18. Isai. 63. 3*)? Hoc itaque indicare vult, tempus iudicii esse. *Vestimentum ejus, quasi nix, candidum*. Quare? Quoniam non modo tempus est iudicii, sed retributionis quoque: quoniam cunctos ipsi ad stare oportet: quoniam *Judicium illius*, inquit, *quasi lux egredietur* (*Osee 6. 5*). Deinde *Throni positi sunt*. Nonne throni in quibus *Sedebitis*, inquit, *super duodecim thronos* (*Matth. 19. 28*)? *Et capillus capitis ejus quasi lana munda*. Ignis nihil consumebat, quandoquidem lenis erat. Vides faciem et habitum civilem ac popularem? Thronus terrebat, quod igne abundaret; et non igne simpliciter, sed igne ardente. Nam ne existimares, per similitudinem factam esse comparisonem, addidit ignis illius efficaciam, non solum ignem dicens, sed ignem ardentem. *Fluvius ignis manabat a conspectu ejus. Mille millia ministrabant ei, et dena millia denum millium assistebant ante eum* (a). *Judicium sedit*. Hoc est, ideo advenit, ut iudicium daretur. *Et libri aperti sunt* (*Dan. 13. 42*). Quid ais? libris Deus indiget, *Qui omnia novit antequam fiant? Qui fixit sigillatim corda eorum* (*Psal. 32. 15*)? Sed juxta consuetudinem magistratuum nostrorum loquitur; et sic acta fiunt apud nos. Sicut enim acta non ideo leguntur, ut magistratus solum edoceatur, sed etiam ut appareat justum esse iudicium: ita et tunc evenit. Nam licet Deus sciat se juste iudicare, attamen libros aperit. Cujus rei gratia? Quid ais, et quid tibi vis? Cur non præmia quoque dixit? At dixit: *Throni positi sunt*; quandoquidem Deus et illa definivit: postquam vero nos non audimus, tunc punitionem et

(a) Numerus certus pro incerto. Quare hæc verba varie ab Ecclesiæ doctoribus allata invenies, S. Irenæo lib. 2, cap. 6, Tertulliano adversus Praxeam cap. 3, Auctore libri ad Novatium inter Opera S. Cypriani, Eusebio Evang. Præpar. lib. 7, cap. 15, atque etiam B. Chrysostomo Hom. 6 contra Anomæos; nec non in Ordinationibus Maronitarum. At Editiones S. Hieronymi ad hunc locum vitiosæ sunt: *Duplex autem angelorum officium est: aliorum qui justis præmia tribuunt; aliorum qui singulis præsent cruxiatibus*. Nemo non videt scribendum esse, *civilitibus*, ut et postea comperi legere S. Thomam in Expositione in hunc prophetam. Porro notabilis imprimis discrepantia inter B. Theodoretum et S. Thomam, seu potius S. Dionysium, in assignanda dignitate angelorum, qui ministrant, et qui assistunt. Ab utroque dissentit S. Gregorius Papa; cujus opinioni favet verus Clemens Romanus in Epistola ad Corinthios; pseudo-Clemens autem in Constitutionibus apostolicis, lib. 8, cap. 12, a Theodoro stat: sed de variis circa angelos sententiis præclare disserit Joannes Morinus ad Ordinationes Syriacas. Lege Origenem ad cap. 5 Epist. ad Rom.

supplicium minatus est. Et nonne nobis hanc primam vocem emisit? *Exinde cœpit*, inquit, *prædicare regnum: cœlorum* (*Matth. 4. 17*). Nihil corporeum suspicaris, dilecte, nec existimes Deum, qui immensus est, solio esse inclusum. Nam si *In manu ejus sunt fines terræ* (*Psal. 94. 4*): si *Montes statuit statera: si Omnes gentes quasi salivæ in conspectu ejus reputatæ sunt, et si cuncta sicut pulvis coram eo* (*Isai. 40. 12. 15*), ut ipse ait: quis locus totum simul comprehendere poterit? Sed quid? Res non ita se habet: solio non includitur Deus. Si autem vestimentum habebat, quomodo ignis illud non consumpsit? et qua ratione Antiquus dierum dicitur ille, qui ante omnia sæcula existit? quo pacto autem et antiquus? Tu enim, inquit, *idem ipse es* (*Psal. 101. 28*). Cur igitur antiquus, cum dicatur: *Et anni tui non deficient* (*Ibid.*)? Qui vero vestimentum quoque fuerit circa immensum ac incorporeum? *Etiam magnitudinis ejus*, inquit, *non est finis* (*Psal. 144. 3*). Et rursus: *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades* (*Psal. 134. 8*). Quomodo igitur veste circumscribatur humana, nec illam consumebat? At vero et alia ejusmodi multa videre ac legere poterat propheta. Quomodo autem capilli in igne non absumebantur? Propter hoc siquidem subjicit: *Thronus ejus ignis ardens. Et libri aperti sunt*. Ut ille qui damnatur, suo sibi iudicio condemnatur. 11. « Aspiciebam tunc a voce sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur. Spectabam donec interfecta est bestia illa, et perit, » ob magniloquentiam. Quamquam Alexander Deum adoravit. « Et corpus ejus datum est in combustionem ignis. 12. Et reliquarum bestiarum translatus est principatus: et longitudo vitæ data est eis usque ad tempus et tempus. » Quamvis finem habuerint, attamen hoc factum est. *Et combusta est bestia, et corpus illius igne absumptum*. Funditus periisse declarat. 13. *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat*. Quis hæc ignorat? quis perspicere poterit? num enim Petrus est qui ista dicit, o Judæe? num Paulus? *Et ecce*, inquit, *quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit*. Ecce et par dignitas utriusque. *Et in conspectu ejus oblatus est illi*. Ut cum videris ipsi regnum tradi, illud, tradi, humano modo non censeas accipiendum. Nam *A nubibus cæli*, inquit: *nubes autem pro cælo sumere solet Scriptura*. 14. « Et ipsi datus est principatus, et honor, et regnum: et omnes populi, tribus, linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non pertransibit, et regnum ejus non corrumpetur. » Quid, quæso, his verbis manifestius? *Et omnes populi*, inquit, *tribus, linguæ ipsi servient*. Vide ut omnem orbis gentem complexus sit. Vide ut et iudicis acceperit tribunal ac potestatem. Ne enim id esse temporarium existimes, ait: *Quæ non pertransibit: et regnum illius non corrumpetur*: sed stat ac manet. Quod si fidem non habes, a rebus persuadere. Vides æqualitatem honoris cum Patre? Nam quia Filius post Patrem apparuit, propter hoc ait eum venisse cum nubibus. Quod autem existeret et antea, clarum est ex ipsis nubibus:

κυρός εἶπεν ἐκπορευόμενος ἐμπροσθεν αὐτοῦ. Χίλια χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύρια μυριάδες παρεστῆκεισαν ἐμπροσθεν αὐτοῦ. Κριτήριον ἐκάθισε, καὶ βιβλοὶ ἀνεψήθησαν. Συντείνωμεν τὴν διάνοιαν, ἀγαπητοί. Οὐ γὰρ περὶ μικρῶν ὁ λόγος ἐστὶ. Θρόνοι, φησὶν, ἐτέθησαν, καὶ ὁ Παλαιὸς ἡμερῶν ἐκάθητο. Τίς ἐστὶν οὗτος; Ὅσπερ ἀκούσας ἄρξον, οὐκ ἄρξον ἐνόησας, καὶ λέαιναν, οὐ τοῦτο ὑπώπτευες, ἀλλὰ βασιλείας; καὶ θάλασσαν, οὐ θάλασσαν, ἀλλὰ τὴν οἰκουμένην, δι' ἑτέρων ἕτερα· οὕτω καὶ νῦν. Παλαιὸς ἡμερῶν τί ἐστὶν; Γεγηρακότι τιμὴ ἐψέκει. Πρὸς γὰρ τὰς χρεῖας τῶν πραγμάτων, δι' αὐτῶν φαίνεται, τυποῖ ἑαυτὸν, [239] δεικνύς ὅτι τοῖς τοιοῦτοις πιστεῦσθαι τὰ κριτήρια χρή. Ὅσπερ γὰρ θρόνον ἀκούων οὐχὶ καθέδραν νοεῖς· ἀλλὰ πῶς τὸν χυδαῖον<sup>a</sup> τις ἐπισπάσαιοι, ἐπεὶ καὶ ἀλλαγῶ ὀπισθισμένη φαίνεται, καὶ ἑτέρωθεν ἡμαγαμέως; Τοῦτο οὖν βούλεται δεῖξαι, ὅτι κρίσεως καιρός. Τὸ ἐνδύμα αὐτοῦ, ὡσεὶ χιῶν, λευκόν. Τίνος ἕνεκεν; Ὅτι οὐχὶ κρίσεως καιρὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀναπαύσεως· ὅτι πάντας δεῖ αὐτῷ παρεστῆναι· ὅτι τὸ κρίμα αὐτοῦ, φησὶ, ὡς φῶς ἐξελεύσεται. Ἔτα θρόνοι ἐτέθησαν. Οὐ θρόνοι, ἐν οἷς καθήσασθε, φησὶ, ἐπὶ δώδεκα θρόνους; Καὶ ἡ θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ὡσεὶ ἕριον καθαρόν. Τὸ πῦρ οὐδὲν ἀνήλισκεν, ἐπειδὴ γὰρ ἡμερον. Εἶδες θῆν καὶ σχῆμα πολιτικὸν καὶ δημαγωγικόν; Ὁ θρόνος ἐφόδει, τῷ πολυτέρας εἶναι· πῦρ οὐκ ἀπλῶς, ἀλλὰ φλέγον. Ἴνα γὰρ μὴ νομίσης διὰ τὴν εἰκόνα παραβεβλήσθαι, προσέθηκεν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν, εἰπὼν οὐκ ἀπλῶς πῦρ, ἀλλὰ, Πῦρ φλέγον. Ποταμὸς κυρός εἶπεν ἐμπροσθεν αὐτοῦ. Χίλια χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύρια μυριάδες παρεστῆκεισαν ἐμπροσθεν αὐτοῦ. Κριτήριον ἐκάθισεν. Τουτέστι, διὰ τοῦτο παρεγένετο, ὥστε κριτήριον καθῆσαι. Καὶ βιβλοὶ ἀνεψήθησαν. Τί λέγεις; βιβλίων ὁ θεὸς δεῖται, Ὁ τὰ πάντα εἰδὼς πρὶν γενέσεως αὐτῶν; Ὁ πλάσας κατὰ νόμον τὰς καρδίας αὐτῶν; Ἀλλὰ κατὰ τὸν νόμον τῶν ἀρχόντων τούτων λέγει, ὡσπερ τὰ ὑπομνήματα πράττεται παρ' ἡμῖν. Καθάπερ γὰρ ἐν ταῦθα οὐ διὰ τοῦτο ἀναγινώσκεται, ὥστε μαθεῖν τὸν ἔργον μόνον, ἀλλ' ὥστε φανῆναι δικαίαν οὕσαν τὴν κρίσιν· οὕτω καὶ τότε, εἰ καὶ οἶδε δικαίως δικάζων, ἀλλ' ὁμως ἀνοίγει τὰς βίβλους. Τίνος ἕνεκεν; Τί λέγεις, καὶ τί θέλεις εἰπεῖν; Τίνος ἕνεκεν οὐ λέγει καὶ τὰς τιμὰς; Εἶπεν· Θρόνοι ἐτέθησαν, ἐπεὶ καὶ ὁ θεὸς ταῦτα; ὥρῃσεν· ἐπειδὴ δὲ καὶ οὐκ ἠκούσαμεν, τότε τὴν τιμωρίαν καὶ τὴν κόλασιν. Καὶ οὐκ ἡμῖν πρώτην ταύτην ἀφῆκε φωνήν; Ἀπὸ τότε ἤρξατο, φησὶ, κηρῶσιν τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Μῆδὲν σωματικὴν ὑπολάβης, ἀγαπητὰ, μηδὲ ἐμπεριελήφθαι θρόνον τὸν ἄπειρον θεὸν νομίσης. Εἰ γὰρ Ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ τὰ πέρατα τῆς γῆς· εἰ τὰ ὄρη ἐστησε ζυγῷ· εἰ πάντα τὰ ἔσθη ὡς στέλας ἐνώπιον αὐτοῦ ἐλογίσθη, καὶ ὡς κοριοτὸς ἐνώπιον αὐτοῦ τὰ πάντα, ὡς αὐτὸς φησὶ· ποῖος τόπος ὄλον ὁμοῦ περιβαλεῖν θνήσκειται; Ἀλλὰ τί; Οὐκ ἐστὶ τοῦτο, οὐκ ἐναπειλη-

πται θρόνον. Εἰ δὲ ἐνδύμα εἶχε, πῶς οὐκ ἀνήλωσεν αὐτὸ τὸ πῦρ; πῶς εἰ δὲ (f. εἴη) Παλαιὸς ἡμερῶν, ὁ [f. δε] πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ὑπῆρχε; πῶς δὲ καὶ παλαιός; Σὺ γὰρ, φησὶ, [240] ὁ αὐτὸς εἶ. Πῶς οὖν παλαιός; Καὶ τὰ ἔστη σου γὰρ, φησὶ, οὐκ ἐκλείψουσιν. Πῶς δὲ καὶ ἐνδύμα γένοιτ' ἂν περὶ τὸν ἄπειρον καὶ ἀσώματον; Οὐδὲ γὰρ τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, φησὶ, ὅστι πέρις. Καὶ πάλιν· Ἐὰν ἀναθῶ εἰς τὸν οὐρανόν, σὺ ἐκεῖ εἶ· Ἐὰν καταθῶ εἰς τὸν ἄδην, πέρις. Πῶς οὖν ἡματίῳ περιεγράφετο ἀνθρωπίνῳ, καὶ οὕτω τοῦτο ἀνήλκεν; Ἀλλὰ μὴ καὶ ἕτερα πολλά ἡδύνατο ἰδεῖν ὁ προφήτης. Πῶς δὲ τρίχες ἐν πυρὶ οὐκ ἀνήλκοντο; Διὰ γὰρ τοῦτο ἐπήγαγεν· Ὁ θρόνος αὐτοῦ πῦρ φλέγον. Καὶ βιβλοὶ ἀνεψήθησαν. Ὅσπερ αὐτοκατάκριτον γενέσθαι τὸν κρινόμενον. Ἐθεώρουν τότε ἀπὸ φωνῆς τῶν λόγων τῶν μεγάλων, ὧν τὸ κέρα ἐκείνο ἐλάλει. Θεωρῶν ἤμην, ἕως ἀνηρέθη τὸ θηρίον, καὶ ἀπόλωτο, ἀπὸ τῆς μεγαληγορίας. Καίτοι Ἀλέξανδρος προσεκύνησε τὸν θεόν. Καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐδόθη εἰς καῦσιν κυρός. Καὶ τῶν λοιπῶν θηρίων μετεστάθη ἡ ἀρχὴ· καὶ μακρότης<sup>b</sup> ζωῆς ἐδόθη αὐτοῖς ἕως καιρῶν καὶ καιροῦ. Εἰ καὶ τέλος ἔσχον, ἀλλ' ὁμως τοῦτο ἐγένετο. Καὶ κετακῆθη τὸ θηρίον, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐκαύθη. Τὸ παντελὲς ἀνηρῆσθαι δηλοῖ. Ἐθεώρουν ἐν ὀράμει τῆς τυχεῖς· καὶ ἰδοὺ μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ ὡς Υἱὸς ἀνθρώπου ἐρχόμενος ἦν. Τίς ταῦτα ἀγνοεῖ; <sup>c</sup> τίς διαβλέπει δυνήσεται; μὴ γὰρ Πέτρος ταῦτα λέγει, ὡς Ἰουδαῖε; μὴ γὰρ Παῦλος; Καὶ ἰδοὺ, φησὶ, ὡς Υἱὸς ἀνθρώπου ἐρχόμενος ἦν, καὶ ἕως τοῦ Παλαιοῦ τῶν ἡμερῶν ἔφθασεν. Ἴδου καὶ τὸ ὁμοτίμον. Ἐνώπιον αὐτοῦ προσηρέθη αὐτῷ. Ἴνα ὅταν ἴδῃς διδομένην αὐτῷ τὴν βασιλείαν, μὴ ἀνθρωπίνως νομίσης εἶναι τὸ δεδῶσθαι. Ἀπὸ γὰρ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, φησὶ· τὰς δὲ νεφέλας ἀντὶ τοῦ οὐρανοῦ παραλαμβάνειν εἰσθεν ἡ Γραφή. Καὶ αὐτῷ ἐδόθη ἡ ἀρχὴ, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ βασιλεία· καὶ πάντες οἱ λαοὶ, φυλαὶ, γλώσσαι αὐτῷ δουλεύουσιν. Ἡ ἐξουσία αὐτοῦ ἐξουσία αἰώνιος, ἥτις οὐ παρελεύσεται· καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ οὐ διαφθαρήσεται. Τί τοῦτο σαφέστερον; εἰπέ μοι. Καὶ πάντες λαοὶ, φησὶ, φυλαὶ, γλώσσαι αὐτῷ δουλεύουσιν. Ὅρα πῶς ἄπαν τὸ ἔθνος τῆς οἰκουμένης περιέγραψεν. Ὅρα καὶ τὸ κριτήριον αὐτὸν λαβόντα. Ἴνα γὰρ μὴ χρόνου νομίσης εἶναι τοῦτο, φησὶ· Ἦτις οὐ παρελεύσεται· καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ οὐ διαφθαρήσεται· ἀλλ' ἔστηκε καὶ μένει. Ἐὶ δὲ ἀπιστεῖς, ἀπὸ πραγμάτων πείθου. Εἶδες ὁμοτιμίαν αὐτοῦ πρὸς τὸν Πατέρα; Ἐπειδὴ γὰρ ὑστερος ἐφάνη τοῦ Πατρὸς, διὰ τοῦτο φησὶ, ὅτι ἦλθε μετὰ τῶν νεφελῶν. Ὅτι δὲ ἦν καὶ πρῶτον, δῆλον ἐκ τῶν νεφελῶν· ἐπὶ τῶν νεφελῶν γὰρ ἔρχεται. Καὶ αὐτῷ προσηρέθη ἡ τιμὴ. Ἦν εἶχε, τουτέστι. Καὶ λαοὶ, φυλαὶ, γλώσσαι αὐτῷ δουλεύουσιν. Τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν εἶχεν ἄνω, τότε δὲ ἔλαβεν αὐτὴν ἦν εἶχεν. Ὅσπερ γὰρ ἐπὶ τοῦ Πατρὸς νοεῖς τὰς τρίχας, καὶ τὰ λοιπὰ· οὕτω καὶ τοῦτο. Τὸ δὲ Ἐδόθη [241], καὶ ὅσα τοιαῦτα ἀκούων,

<sup>a</sup> Si legamus τὸ χυδαῖον, clara erunt omnia. Postea recedat ἑτέρωθεν.

<sup>b</sup> In Theodoro perperam habetur μακροτήτης. Mox maiorem cum ceteris legere ἕως καιροῦ καὶ καιροῦ.

<sup>c</sup> Τίς διαβλέπει δυνήσεται. Addendum forte οὐ, vel μέ.

μηδὲν ἀνθρώπινον ὑποπεύσης, μηδὲ ταπεινὸν περὶ τοῦ Υἱοῦ. Ὅσπερ γὰρ γεγρακότα ὄρων, οὐχὶ γέροντα ὑποπετεύεις, οὕτω καὶ τὰ λοιπά. Μὴ γὰρ ζήτει τὴν σαφήνειαν ἐν ταῖς προφητείαις, ἐνθα σκιαὶ καὶ αἰνίγματα · ὡσπερ ἐπὶ τῆς ἀστραπῆς οὐ ζητεῖς διηνεκὲς φῶς, ἀλλὰ ἀρκεῖ φανῆναι μόνον. Ἐφριξε τὸ πνεῦμα μου, ἐγὼ Δαυιὴλ ἐν τῇ ἔξει μου · καὶ αἱ ὁράσεις τῆς κεφαλῆς μου ἐτάρασόν με. Εἰκότως ὑπὸ τῆς ἕψεως τῶν ὀρωμένων. Πατέρα καὶ Υἱὸν οὕτως καὶ πρῶτος καὶ μόνος ὄρα, ὡς ἐν ὄφει. Τί ἂν ἔχοιεν Ἰουδαῖοι πρὸς τοῦτο εἰπεῖν; Μελλούσης γὰρ τῆς παρουσίας αὐτοῦ λοιπὸν ἐγγυτέρω εἶναι, εἰκότως καὶ αἱ βῆσεις θαυμασταὶ φαίνονται. Καὶ προσήλθον ἐπὶ τῶν ἐστηκότων, καὶ τὴν ἀκριβείαν ἐζήτουν παρ' αὐτοῦ μαθεῖν περὶ τούτων πάντων. Καὶ εἰπέ μοι τὴν ἀλήθειαν, καὶ τῶν λόγων τὴν σύγκρισιν ἐγγώρισέ μοι. Ἐρωτᾷ τί ποτὲ ἐστι τὰ φαινόμενα · καὶ μαυθάνει περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου, καὶ μαυθάνει βασιλείαν τέλος οὐκ ἔχουσαν. Ταῦτα, φησί, τὰ θηρία τὰ μεγάλα, τέσσαρες βασιλείαι ἀναστήσονται. Καὶ παραλήφονται τὴν βασιλείαν ἄγριοι Ὑψίστου, καὶ καθέξουσιν αὐτὴν ἕως αἰῶνος, καὶ ἕως αἰῶνος αἰῶνων. Καὶ ἐζήτουν ἀκριβῶς περὶ τοῦ θηρίου τοῦ τέταρτου, οὗ ἦν διαφέρων κατὰ πᾶν θηρίον, καὶ φοβερὸν περισσῶς · οἱ δδόντες αὐτοῦ σιδηροῖ, οἱ ὄνυχες αὐτοῦ χαλκοῖ· ἐσθλὸν καὶ λεπτόν, καὶ τὰ ἐπίλοιπα τοῖς ποσὶν αὐτοῦ συνεπάτεται. Καὶ περὶ τῶν κέρατων αὐτοῦ τῶν δέκα, τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἑτέρου τοῦ ἀναδάντος, καὶ ἐκτινάξαντος τῶν προτέρων τρία · καὶ τὸ κέρασ ἐκείνο, ᾧ ὀφθαλμοὶ αὐτῷ, καὶ στόμα λαλοῦν μεγάλα, καὶ ἡ ὄρασις αὐτοῦ μελιζῶν τῶν λοιπῶν. Ἐθεώρουν, καὶ τὸ κέρασ ἐκείνο ἐποίει πόλεμον μετὰ τῶν ἀγίων, καὶ ἰσχυσε πρὸς αὐτοὺς, ἕως οὗ ἦλθεν ὁ Παλαιὸς τῶν ἡμερῶν, καὶ τὸ κρίμα ἔδωκεν ἀγίοις Ὑψίστου · καὶ ὁ καιρὸς ἔφθασε, καὶ τὴν βασιλείαν κατέσχον οἱ ἄγιοι. Καὶ εἶπεν οὕτως · Τὸ θηρίον τὸ τέταρτον βασιλεία τέταρτη ἐστὶ ἐν τῇ γῆ, ἣτις ὑπερέξει πάσας τὰς βασιλείας, καὶ καταφάγεται πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ συμπατήσῃ αὐτὴν, καὶ κατακλύσει αὐτὴν. Καὶ τὰ δέκα κέρατα αὐτοῦ δέκα βασιλεῖς ἀναστήσονται · καὶ ὀπίσω αὐτῶν ἀναστήσεται ἕτερος, ὃς ὑπεροίσει κακοῖς πάντα τοὺς ἔμπροσθεν, καὶ τρεῖς βασιλεῖς ταπεινώσει. Καὶ λόγους πρὸς τὸν Ὑψίστον λαλήσει, καὶ τοὺς ἀγίους Ὑψίστου καλαιώσει, καὶ ὑπονοήσει τοῦ ἀλλοιωσαὶ καιροῦ καὶ νόμον · καὶ δοθήσεται ἐν χειρὶ αὐτοῦ ἕως καιροῦ · Καὶ τὸ κριτήριον ἐκάθισε · καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ μεταστήσουσι, τοῦ ἀφανίσαι καὶ ἀπολέσαι ἕως τέλους. Καὶ ἡ βασιλεία, καὶ ἡ ἐξουσία, καὶ ἡ μεγαλωσύνη τῶν βασιλέων τῶν ὑποκάτω παντὸς τοῦ οὐρανοῦ ἐδόθη ἀγίοις Ὑψίστου · καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ, βασιλεία αἰώνιος · καὶ πᾶσαι αἱ ἀρχαὶ αὐτῷ δουλεύουσιν καὶ ὑπακούουσιν. Ἔως

ὧδε τὸ πέρας τοῦ λόγου. Ἐγὼ Δαυιὴλ · οἱ διαλογισμοὶ μου ἐπὶ πλεῖον συνετάρασόν με, καὶ ἡ μορφή μου ἠλλοιώθη, καὶ τὸ ῥῆμα ἐν τῇ καρδίᾳ μου συνετήρησα. Καὶ τίνος ἕνεκεν οὐκ εἶπες, ἄνθρωπε; Ὅτι οὐδὲν πρὸς Ἰουδαίους ἦν · ἀλλὰ τούναντιον ἐν μὲν τοῖς ῥήμασι διὰ τῆς ἀσαφείας αὐτὰ συνεκάλυπτεν, ἐν δὲ τῷ προφήτῃ συνετήρησεν ἐν τῇ καρδίᾳ. Καὶ γὰρ πρὸς τῷ τέλει φησὶν · Ἴδου οἱ λόγοι ἐσφραγισμένοι · καὶ βούλεται αὐτοὺς [242] ἀσαφεῖς εἶναι. Τοῦτο ποιεῖ καὶ αὐτὸς διὰ παραβολῶν λέγων. Ὅρα πανταχοῦ πῶς τὴν βασιλείαν ἐπαίρει, ἐνα μὴδὲν ἀνθρώπινον ὑποπεύσης. Εἰ γὰρ καὶ πᾶσαν τὴν γῆν κατέσχον οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ' οὐκ αἰεὶ, οὐδὲ εἰς ἀπειρον αἰῶνα. Καὶ μὴ μοι λεγέτω τις, ὅτι βραχὺν χρόνον λέγει. Τὸ γὰρ, οὐ παρελεύσεται, τί ἐστὶν; οὐδὲ ἔθνη ἐτέρω δοθήσεται; Καὶ ὄρα τὰ κατὰ Δαρείον καὶ Μακεδόνας. Τίνος ἕνεκεν ταῦτα; Διὰ τοῦς Ἰουδαίους. Διὰ τοῦτο καὶ Ἀλέξανδρος προσεκύνησεν τὸν ναόν, ὡς φησὶ, τὸ βιβλίον τοῦτο ἰδὼν · καὶ Ἕλληνες ἐθαύμασαν αὐτοῦ τὴν ἰσχὺν τῆς προρρήσεως. Περὶ τούτων οὐδεὶς εἶπεν, ἀλλ' ἡ οὕτος μόνος.

## ΚΕΦΑΛ. Η΄.

Ἐν ἔτει τρίτῳ τῆς βασιλείας Βαλτάσαρ ὄρασις ὄφθη πρὸς με, ἐγὼ Δαυιὴλ, μετὰ τὴν ὀφθεισάν μοι ἐν τῇ ἀρχῇ. Καὶ εἶδον ἐν τῇ ὁράσει · καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἰδεῖν με, καὶ ἤμην ἐν Σούσοις τῇ βίβρι, ἣ ἐστὶν ἐν χώρᾳ Ἐλάμ. Καὶ εἶδον ἐν ὁράματι, καὶ ἤμην ἐπὶ τοῦ Οὐβάλ. Καὶ ἦρα τοὺς ὀφθαλμοῦς μου, καὶ εἶδον · καὶ ἰδοὺ κριδὸς εἰς ἐστηκὼς πρὸ τοῦ Οὐβάλ· καὶ αὐτῷ κέρατα, καὶ τὰ κέρατα ὑψηλά· καὶ τὸ ἐν ὑψηλότερον τοῦ ἑτέρου, καὶ τὸ ἐν ὑψηλότερον ἀνέβαινε ἐπ' ἐσχάτων. Καὶ εἶδον τὸν κριδὸν κρατίζοντα κατὰ θάλασσαν, καὶ βοφρᾶν, καὶ νότον, καὶ λίβυ· καὶ πάντα τὰ θηρία οὐστήσονται ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἔξαιρούμενος ἐκ χειρὸς αὐτοῦ · καὶ ἐποίησε κατὰ θέλημα αὐτοῦ, καὶ ἐμεγαλύνθη. Καὶ ἐγὼ ἤμην συνιών · καὶ ἰδοὺ τράγος αἰγῶν ἤρχετο ἀπὸ λίθους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς · καὶ οὐκ ἦν ἀπειμτος τῆς γῆς · καὶ τῷ τράγῳ ἐκείνῳ κέρασ θεωρητὸν ἀνὰ μέσον τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. Καὶ ἦλθεν ὁ τράγος ἕως τοῦ κριοῦ τοῦ τὰ κέρατα ἐχοντος, ὃν εἶδον ἐστῶτα ἐνώπιον τοῦ Οὐβάλ· καὶ ἔδραμε πρὸς αὐτὸν ἐν ὀργῇ<sup>a</sup> τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. Καὶ εἶδον αὐτὸν φθάσαντα ἕως τοῦ κριοῦ, καὶ ἐξηγριώθη πρὸς αὐτὸν, καὶ ἔπαισε τὸν κριδὸν, καὶ συνέτριψεν ἀμφότερα τὰ κέρατα αὐτοῦ · καὶ οὐκ ἦν ἰσχύς τῷ κριῷ τοῦ στήναι ἐνώπιον αὐτοῦ. Καὶ ἐβρίψεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ συνεπάτησεν αὐτὸν, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἔξαιρούμενος τὸν κριδὸν ἐκ χειρὸς αὐτοῦ. Καὶ ὁ τράγος τῶν αἰγῶν ἐμεγαλύνθη ἕως σφόδρα. Καὶ ἐν τῷ ἰσχυῖσιν αὐτὸν, συνετρίβη τὸ κέρασ αὐτοῦ τὸ μέγα · καὶ ἀνέβη τέσσαρα κέρατα ὑποκάτωθεν αὐτοῦ εἰς τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τοῦ

\* Omissae sunt voces sequentes, καὶ καιρῶν, καὶ γε ἡμισυ καιροῦ.

<sup>a</sup> Ita in Hebraeo. At nunc in Theodotione ac in Theodoro legitur ὀργῇ. Frequenter ex istis duobus nominibus unum pro alio scribunt librarii.



siquidem in iis venit. *Et illi delatus est honor. Quem habebat scilicet. Et populi, tribus, linguæ ipsi servient.* Principatum etenim habebat antea, tunc vero illum ipsum quem obtinebat accepit. Nam sicut in Patre intelligis capillos, et reliqua : ita et istud accipiendum. Cum autem audis, *Datum est*, et alia id genus, nihil humanum suspiceris, nec humile de Filio. Sicut enim videns eum qui senuit, non senem arbitraris : ita et cætera. Noli quippe perspicuitatem in prophetiis quæ- rere, ubi umbræ sunt ac ænigmata : quemadmodum in fulgure non exquiris lumen perpetuum, sed sufficit si modo appareat. 15. *Horruit spiritus meus, ego Daniel in habitu meo : et visiones capitis mei turbabant me.* Merito sub aspectu eorum quæ videntur. Patrem et Filium iste et primus et solus, ut in visione videt. Quid ad hoc respondeant Judæi? Cum enim Domini adventus deinceps propior futurus esset, merito et visiones mirabiles apparent. 16. « Et accessi ad unum assistentium, et veritatem de his omnibus quærebam ab eo discere. Et dixit mihi veritatem, et sermonum interpretationem indicavit mihi. » Interrogat quænam tandem essent quæ apparebant : et edocetur de Antichristo, et discit regnum quod non habet finem. 17. « Hæc, » inquit, « bestię magnæ, quatuor regia consurgent. 18. Et sancti Altissimi suscipiant regnum, et obtinebunt illud usque in sæculum, et usque in sæculum sæculorum. 19. Et quærebam diligenter de bestia quarta, quia erat diversa ab omni bestia, et terribilis valde : dentes ejus ferrei, ungues ejus ænei : comedens et comminuens, et reliqua pedibus suis conculcabat. 20. Et de cornibus ejus decem, quæ in capite illius ; et de alio, quod ascenderat, et excusserat priorum tria : et cornu, cui erant oculi, et os loquens grandia, et aspectus ejus major cæteris. 21. Aspiciebam, et cornu illud faciebat bellum cum sanctis, et prævaluit adversus eos, 22. donec venit antiquus dierum, et iudicium dedit sanctis Altissimi : et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti. Et dixit sic : 23. Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod superabit omnia regna, et devorabit omnem terram, et conculcabit eam, et concidet eam. 24. Et decem cornua ipsius decem reges consurgent ; et post eos consurget alius, qui superabit malis omnes priores, et tres reges humiliabit. 25. Et sermones contra Altissimum loquetur, et sanctos Altissimi inveterabit, et cogitabit mutare tempora et legem ; et tradetur in manu ejus usque ad tempus (a). 26. Et iudicium sedit ; et principatum ejus transferent, ut deleant et disperdant usque in finem. 27. Et regnum, et potestas, et magnitudo regum qui subter omne cælum, data sunt sanctis Altissimi : et regnum ejus, regnum sempiternum : et omnes principatus servient ipsi ac obedient. 28. Huc usque finis verbi. Ego Daniel : cogitationes meæ multum conturbaverunt me, et forma mea mutata est : et verbum in corde meo conservavi. » Et quare verbum illud non dixisti, o homo? Quia ad Judæos nullo modo spectabat : sed e

(a) Incertitia exscriptoris factum videtur, ut omisæ sint voces sequentes, et tempora et dimidium temporis.

contrario in verbis quidem ea per obscuritatem occultabat, in propheta autem conservavit in corde. Etenim sub finem ait : *Ecce sermones signati (Dan. 12. 9) ;* et vult illos obscuros esse. Id facit etiam ipse (a) (Jesus Christus) per parabolas loquens. Vide quomodo ubique regnum extollat Daniel, ut nihil humani suspiceris. Etsi enim universum orbem obtinuerint homines ; at non semper, neque in infinitum sæculum. Nec mihi quisquam dicat, breve tempus memorari. Quid enim sibi vult illud : *Non pertransibit, neque genti alteri tradetur (Dan. 2. 44) ?* Et vide quæ inter Darium et Macedonas gesta sunt. Quam ob causam hæc? Propter Judæos. Ideo et Alexander adoravit templum (b), ut aiunt, cum hunc Danielis librum inspexisset : et Græci vim prædictionum ipsius admirati sunt. Porro de istis rebus nemo loquutus est, nisi hic solus.

### CAPUT VIII.

1. « In anno tertio regni Baltasaris visio apparuit mihi (c), ego Daniel, post eam quæ mihi apparuerat in principio. 2. Et vidi in visione : et factum est cum ego viderem, et eram in Susis regia (d), quæ in provincia Elamitide sita est. Et vidi in visione, et eram super Ubal. 3. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce aries unus stans ante Ubal : et ipsi erant cornua, et cornua excelsa : et unum excelsius altero, et excelsius ascendebat in extremis. 4. Et vidi arietem cornu petentem contra mare, et aquilonem, et austrum et africanum : et omnes bestię non stabunt coram eo : et non erat qui erueret de manu ejus : et fecit secundum voluntatem suam, et magnificatus est. 5. Et ego eram intelligens : et ecce hircus caprarum veniebat ab africo super faciem totius terræ : et non tangebatur terram : et hirco illi cornu spectabile in medio oculorum ejus. 6. Et venit hircus usque ad arietem illum habentem cornua, quem videram stantem coram Ubal : et cucurrit ad eum in ira fortitudinis suæ. 7. Et vidi eum pervenisse usque ad arietem : et efferatus est in eum, percussitque arietem, et contrivit utraque cornua ejus : et non erat robur arietis, ut staret coram eo. Et projecti ipsum in terram, et conculcavit ipsum, et non erat qui liberaret arietem de manu ejus. 8. Et hircus caprarum magnificatus est mirum in modum. Et cum invalesceret ipse, con-

(a) De Christo hic dicitur, *ipse facit* (ποιεῖ αὐτός), per ellipsim emphaticam, qua utebantur olim Pythagoræi, de suo doctore dicentes : Αὐτός ἐποίη.

(b) Supra dixit : *Alexander adoravit Deum* (προσεκύνησε τὸν Θεόν), quomodo hic quoque legi debere nullus dubito : nec enim Macedo templum adoravit, sed Deum, seu nomen tetragrammaton, quod in lamina insculptum pontifex fronte gestabat. Rem narrat Græcus Livius Antiqu. Jud. lib. 11, cap. ultimo, ac post illum Eusebius et S. Hieronymus.

(c) Idem Josephus in fine libri decimi refert hoc visum, sed confuse, ac, uti solet, parum accurate. Non extra rem erit Josephi locum legere quæ apud S. Chrysostomum 5 (nunc Tom. I) adversus Judæos, ut ex collatione, mendis, quod factum perfacile, repergetur.

(d) In Græco, ἐν Σούσις ἢ Βάβυλ. Vox, ΒΑΒ, unde Βάβυς deducitur, significat plurima in Scripturis. Hic autem, ut existimo, *regium* denotat. Josepho ac Theodoro atque etiam Nostro 5 adversus Judæos, *Metropolis Persarum* dicitur hæc urbs. Videsis 1 Esdræ 6, 2, et 2, 1, 1.

tritum est cornu illius magnum : et ascenderunt quatuor cornua subter illud, in quatuor ventos cæli. 9. Et ex uno eorum egressum est cornu unum forte <sup>1</sup>, et factum est grande nimis, ad austrum, et ad orientem, et ad occidentem. 10. Et magnificatum est usque ad virtutem cæli : et dejecit in terram de virtute cæli, et de stellis, et conculcavit eas. 11. Et usque ad principem virtutis magnificatum est (a) : et per ipsum sacrificium turbatum est : et factum est, et prospere successit ei. 12. Et sanctuarium desolabitur : et datum est super sacrificium peccatum, et projecta est humi justitia. Et fecit, et prospere ei fuit. 13. Et audivi unum sanctum loquentem : et dixit unus sanctus Phelmoni loquenti : Usquequo visio stabit, et sacrificium ablatum, et peccatum desolationis datam, et sanctum, et virtus conculcabitur? 14. Et dixit ei : Usque ad vesperam et mane dies bis mille ac trecenti, et mundabitur sanctuarium. 15. Et factum est dum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam. Et ecce stetit in conspectu meo. Et visio viri inter Ubal. 16. Et vocavit, et dixit : Gabriel, fac istum intelligere visionem. 17. Et venit, et stetit juxta stationem meam. Et cum ille veniret, territus sum, et cado in faciem meam. Et dixit ad me : Intellige, fili hominis; adhuc enim in temporis finem visio. 18. Cumque loqueretur ipse mecum, cado in faciem meam super terram : et teliigit me, et statuit me super pedes meos. 19. Et dixit : Ecce ego indico tibi quæ futura sunt in novissimis iræ : adhuc enim in temporis finem. 20. Aries quem vidisti, qui habebat cornua, rex Medorum est atque Persarum. 21. Et hircus caprarum, rex Græcorum. Et cornu magnum, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. 22. Et quod contritum est, et surrexerunt quatuor cornua subter ipsum; quatuor reges consurgent de gente ejus, et non in fortitudine illius. 23. Et in extremis regni ipsorum, completis peccatis eorum, consurget rex impudens facie, et intelligens problemata. 24. Et robusta fortitudo ejus, et non in viribus suis : et mirabiliter pervertet, et faciet, et corrumpet fortes, et populum sanctum. 25. Et jugum catenæ ejus dirigitur. Dolus in manu ejus, et in corde suo magnificabitur, et dolo destruet multos, et in perditione multorum stabit, et quasi ova in manu conteret eos. 26. Et visio vespertini ac matutini temporis supradicti vera est. Et tu signa visionem, quia in dies multos erit. » Et dixit, inquit, *Illi visionem manifesta, Gabriel. Aspice jussa angelorum et archangelorum. Majorne est potestas alia? Et venit, inquit, et territus sum. Et stetit juxta stationem meam. Et cum ille veniret, territus sum. Ubinam igitur sunt qui angelos maledictis prosequuntur? Non a seipso quidquam fecit Deus. Vides et illos in ordines multos, formas, ac descriptiones esse dispositos? In prima*

visione, *Accessi, inquit, et interrogavi (Dan. 7. 16). Hic non item. Et audivi unum sanctum loquentem. Et alius interrogavit : seu ignorans, ut Daniel disceret. Et respondit, inquit. Et in novissimis regni, completis peccatis eorum, consurget rex impudens facie. Vide ut Judæis ostendat, ipsos esse auctores istarum calamitatum. Ideo autem non patefecit sermonea, ne illi de industria in malitia sua ac ignavia perstarent : si enim, cum nihil horum dictum fuerit, tamen illi permanserunt : multo magis si ea manifestata fuissent; et ut intelligas Spiritum ubique vim habere, et Deum omnia prævidere, et cum sciret Judæos peccatores, tamen eos in patriam reduxisset. Et vide, quia sibi dixisset annos, modicum tempus visum fuisset, ideo in dierum numerum resolvit, ut multitudine terreat, non dies tantum, sed et noctes numerando. Et immoratur tragicæ calamitati, quæ per Antiochum contigit; ut vel sic terrorem incutiat. *Ut non in viribus suis. Id est, poterat Deus illum reprimere : sed permisit ob peccata, et non eorum qui simpliciter peccassent, sed postquam completa sunt peccata. Igitur delictorum aliqua mensura est? Nondum enim, inquit, completa erant peccata Amorrhæorum (Gen. 15. 16). Et adverte, nondum itaque incendium, sed cædium occisiones. Nam cum quidam futuri essent boni, et patribus præstantiores, supplicia quoque minora fuere. Hæc autem dicuntur, ne victoriis, quas sub Zorobabele reportaturi erant, elati, segnes fierent. Et vide ut splendida quædam non ponat hic, post illa quæ ad Antiochum pertinent, sed dumtaxat solutionem a calamitatibus, et tempus quod obtinuit dicat. Quid igitur? hujusne temporis non prædixit captivitatem? Sane prædixit, sed valde obscure. Ideoque Christus ait : *Cum videritis abominationem desolationis, qui legit intelligat (Matth. 24. 15). Venient, inquit, quasi ipse non vaticinatus fuisset. Et nonnulli quidem dicunt, merito ista non esse prædicta : quoniam hæc captivitas tempus ac finem acceptura non erat. Dabo enim, inquit, et improbos pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus. Et tu signa visionem hanc, quia in dies multos erit (Isai. 53. 9). Hoc est, Custodi, conserva, ne diuturnitate temporis corrumpatur. Vide Deum ubique illis parcere. Descenderunt in Ægyptum, improbi evaserunt; non abscessit, duxit eos in desertum. Permanserunt in malitia; non abstiit, introduxit eos in terram promissionis. Rursus illos reduxit sub Antiocho; adhuc lidem manserunt. Tempore Christi adhuc lidem : et neque sie abscessit, sed semper eorum curam gerit. Et quemadmodum naturalia, quæque a natura nobis insunt, numquam abcesserint, quidquid eveniat : ita nec Deus; imo fieri quidem potest ut illa deficient : at Dei providentiam ac curam recedere impossibile est. Nam si, inquit, et oblita fuerit mulier misereri fetum uteri sui, sed ego non obliviscar tui (Isai. 49. 15). Sic ut enim mater non respicit ad liberorum virtutem, sed naturæ legem implet : ita, et multo magis, Deus semper curam gerit, nec unquam destitit; semper eandem mensuram exhibet. 27. Et ego Daniel docu-***

<sup>1</sup> Veritas Hebraica postulare videtur ut legatur, non forte, pro, unum forte (Gr. ἀνίσχυρον, pro, ἐν ισχυρόν). (a) Hæc (Græce, καὶ ἕως ἀρχοντος τῆς δυναμείας ἡδρόνθη) non habentur in Editione vulgata Theodotionis; quæ hunc, et ex Theodoro, magis autem ex Hebræo, videntur adjicienda.

οὐρανοῦ. Καὶ ἐκ τοῦ ἐνός αὐτῶν ἐξῆλθε κέρασ ἐν ἰσχυρόν, καὶ ἐμεγαλύνθη περισσῶς πρὸς τὸν νότον, καὶ πρὸς ἀνατολήν, καὶ [243] πρὸς τὴν δύσιν<sup>α</sup>. Καὶ ἐμεγαλύνθη ἕως τῆς δυνάμεως τοῦ οὐρανοῦ· καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν ἀπὸ τῆς δυνάμεως τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἀπὸ τῶν ἀστέρων, καὶ συνεπέτησαν αὐτούς. Καὶ ἕως ἀρχοτος τῆς δυνάμεως ἠδρύνθη· καὶ δι' αὐτὸν θυσία ἐταράχθη, καὶ ἐστῆθη, καὶ κατενωδῶθη αὐτῷ. Καὶ τὸ ἄγιον ἐρημώθησεται· καὶ ἐδόθη ἐπὶ τὴν θυσίαν ἀμαρτία, καὶ ἐβρίβη χαμαὶ ἡ δικαιοσύνη. Καὶ ἐποίησε, καὶ ἐνωδῶθη. Καὶ ἤκουσα ἐνός ἀγίου λαλοῦντος, καὶ εἶπεν εἰς ἄγιος τῷ φελλουρι<sup>β</sup> τῷ λαλοῦντι· Ἔως πότε ἡδρασις στήσεται, καὶ ἡ θυσία ἡ ἀρθεῖσα, καὶ ἡ ἀμαρτία τῆς ἐρημώσεως ἡ δοθεῖσα, καὶ τὸ ἄγιον, καὶ ἡ δύναμις συμπάθησεται; Καὶ εἶπεν αὐτῷ· Ἔως ἐσπέρας καὶ πρὸς ἡμέραι δυσχίλιαι καὶ τριακόσθαι, καὶ καθαρῶσθεται τὸ ἄγιον. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἰδεῖν με, ἐγὼ Δαυὶδ, τὴν δρασιν, ζητῶν (ἰ. καὶ ἐζήτουν) σύντασιν. Καὶ ἰδοὺ ἔστι ἐνώπιόν μου. Καὶ δρασις (ἰ. μου, ὡς δρ.) ἀνδρός ἀνὰ μέσον τοῦ Οὐδάλ. Καὶ ἐκάλεσε, καὶ εἶπεν· Γαβριήλ, συντίστον ἐκείνον τὴν δρασιν. Καὶ ἦλθε, καὶ ἔστι ἐχόμενα τὸν (ἰ. ἐχόμενος τῆς) στάσεώς μου. Καὶ ἐν τῷ ἔλθειν αὐτὸν, ἐθαμβήθη, καὶ πίπτω ἐπὶ πρόσωπόν μου. Καὶ εἶπε πρὸς με· Σύνταξ, ὑλὲ ἀνθρώπου· ἐτι γὰρ εἰς καιροῦ πέρας ἡ δρασις. Καὶ ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν με<sup>γ</sup> ἐμοῦ, πίπτω ἐπὶ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ ἤψατό μου, καὶ ἔστησέ με ἐπὶ τοὺς πόδας μου. Καὶ εἶπεν· Ἰδοὺ ἐγὼ γυνάμιζω σοὶ τὰ ἐσόμενα ἐπ' ἐσχάτων τῆς ὀργῆς· ἐτι γὰρ εἰς καιροῦ πέρας. Ὁ κριὸς ἐν εἶδες, ὁ ἔχων τὰ κέρατα, βασιλεὺς Μήδων καὶ Περσῶν. Καὶ ὁ τράγος τῶν αἰγῶν, βασιλεὺς Ἑλλήνων. Καὶ τὸ κέρασ τὸ μέγα, ὃ ἦν ἀνὰ μέσον τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, αὐτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς ὁ πρῶτος. Καὶ ὅτι συνετριβή, καὶ ἀνέστη τέσσαρα κέρατα ὑποκάτωθεν αὐτοῦ, τέσσαρες βασιλεῖς ἀναστήσονται ἀπὸ τοῦ ἔθνου αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ. Καὶ ἐπ' ἐσχάτων τῆς βασιλείας αὐτῶν, πληρουμένων τῶν ἀμαρτιῶν αὐτῶν, ἀναστήσεται βασιλεὺς ἀναιδῆς προσώπων, καὶ συνίων προδύματα. Καὶ κραταῖα ἡ ἰσχύς αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ· καὶ θαυμαστά διαφθερεῖ, καὶ ποιήσει, καὶ διαφθερεῖ ἰσχυρούς, καὶ λὸν ἄγιον. Καὶ ὁ ζυγὸς τοῦ κλοιοῦ αὐτοῦ κατευθυνεῖ. Δόλος ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ μεγαλυνθήσεται, καὶ δόλῳ διαφθερεῖ πολλούς, καὶ ἐπὶ ἀπωλεία πολλῶν στήσεται, καὶ ὡς ὡς ἐν χειρὶ συντριφεῖ αὐτούς. Καὶ ἡ δρασις τῆς ἐσπέρας, καὶ τῆς πρωίας τῆς βηθείσης, ἀληθῆς ἐστιν. Καὶ σὺ σφράγισαι τὴν δρασιν, ὅτι εἰς ἡμέρας πολλὰς ἔσται. Καὶ εἶπε, φησί, Ἰνῶρισον ἐκαίνῳ τὴν δρασιν, Γαβριήλ. Ὅρα ἐπιτάγματα ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων. Μειζῶν ἰσως δύναμις ἐτέρα; Καὶ ἦλθε, φησί, καὶ ἐθαμβήθη. Καὶ ἔστι ἐχόμενα τῆς στάσεώς μου. Καὶ ἐν τῷ ἔλθειν αὐτόν, ἐλαμβήθη. Τοῦ (ἰ. ποῦ) τοίνυν οἱ τοὺς ἀγγέλους κα-

κῶς λέγοντες; Οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ τι ἐποίησεν. Ὅρᾳ καὶ αὐτοὺς εἰς τάξεις πολλὰς καὶ διατυπώσεις τεταγμένους; Ἐν τῇ πρώτῃ, Προσηλθε<sup>ε</sup>, φησί, καὶ ἠρώτησα [244]. Ἐνταῦθα οὐκέτι. Καὶ ἤκουσα ἐνός ἀγίου λαλοῦντος. Καὶ ἕτερος ἠρώτησεν, ἦτοι ἀγίων, ἵνα οὗτος μάθῃ. Καὶ ἀπεκρίνατο, φησί. Καὶ ἐπ' ἐσχάτων τῆς βασιλείας, πληρουμένων τῶν ἀμαρτιῶν αὐτῶν, ἀναστήσεται βασιλεὺς ἀναιδῆς προσώπων. Ὅρα πῶς δεικνυσιν αὐτοῖς, ὅτι αὐτοὶ αἱρετοὶ. Διὰ τοῦτο οὐ φανεροὶ τοὺς λόγους, ἵνα μὴ ἐθελοκαχῆσαντες μένωσιν· εἰ γὰρ, μηδενὸς τούτων εἰρημένων, ἔμενον, πολλῷ μᾶλλον, φανερωθέντων· καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι πανταχοῦ τὸ Πνεῦμα ἰσχύον ἔχει, καὶ ὅτι πάντα πρόοιδεν ὁ Θεός, καὶ ὅτι εἰδῶς ἀμαρτήσοντας ἀνήγαγε. Καὶ ὅρα, ἐπειδὴ εἶπεν ἐνιαυτούς, ὀλίγος χρόνος ἐφαίνετο, εἰς ἡμερῶν ἀναλύει ἀριθμὸν, ἵνα τῷ πληθῆι φοβήσῃ, οὐχ ἡμέρας, ἀλλὰ καὶ νύκτας ἀριθμῶν. Καὶ ἐνδιατριβεῖ τῇ τραγωδίᾳ τῇ κατὰ Ἀντιόχου, ἵνα κἄν οὕτω φοβήσῃ. Καὶ οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ. Τουτέστιν, ὅτι ἡδύνατο ὁ Θεός κωλύσαι αὐτόν, ἀλλ' ἐπέτρεψε διὰ τὰς ἀμαρτίας, καὶ οὐκ ἀπλῶς ἀμαρτάντων, ἀλλ' ἠνίκα ἐπληρώθησαν. Ἄρα μέτρον τί ἐστιν; Οὕτω γὰρ ἂν ἐπεπλήρωτο, φησί, αἱ ἀμαρτίαι τῶν Ἀμορραίων. Καὶ ὅρα, οὕτω λοιπὸν ἐμπρησμός, ἀλλὰ σφαγῶν ἀναίρεσεις. Ἐπειδὴ γὰρ ἐμελλόντινες εἶναι οἱ καλοὶ, καὶ προιστάμενοι τῶν πατέρων, καὶ τὰ τῆς τιμωρίας ἐλάττω γέγονε. Ταῦτα δὲ λέγεται, ἵνα μὴ ταῖς νίκαις ταῖς ἐπὶ Ζορωδάβελ ἐπαρθέντες, βῆθουμοί γίνωνται. Καὶ ὅρα πῶς οὐ τίθησι λαμπρά τινα ἐνταῦθα μετὰ τὰ κατὰ Ἀντιόχου, ἀλλὰ μόνον λύσιν τῶν δεινῶν λέγει, καὶ τὸν κατασχόντα καιρόν. Τί οὖν; ταύτην οὐ προεῖπε τὴν αἰχμαλωσίαν; Ναί, σφῶδρα αἰνιγματώδως· διὸ καὶ ὁ Χριστὸς εἶπεν· Ὅταν ἰδῆτε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, ὁ ἀναγινώσκων νοεῖτω. Ἐλεύσονται, φησί, οὐχ ὡς προειπόντος. Καὶ τινες μὲν λέγουσιν, ὅτι εἰκότως ταῦτα οὐ προεβῆθη· οὐ γὰρ εἶχε χρόνον ἡ αἰχμαλωσία αὕτη λαβεῖν. Δώσω γὰρ, φησί, καὶ τοὺς πονηροὺς ἀντὶ τῆς ταφῆς αὐτοῦ, καὶ τοὺς πλουσίους ἀντὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ. Καὶ σὺ σφράγισαι τὴν δρασιν ταύτην, ὅτι εἰς ἡμέρας πολλὰς ἔσται. Τουτέστι, φύλαξον, διατήρησον, ἵνα μὴ τῷ μακρῷ χρόνῳ διαφθαρή. Ὅρα πανταχοῦ τὸν Θεὸν φειδόμενον αὐτῶν. Κατήλθον εἰς Αἴγυπτον, ἐγένοντο φαῦλοι· οὐκ ἀπέστη, ἤγαγεν εἰς τὴν ἔρημον. Ἐπέμειναν τῇ κακίᾳ· οὐκ ἀπέστη, εἰσῆγαγεν αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας. Ἀνήγαγε πάλιν αὐτοὺς ἐπὶ Ἀντιόχου· πάλιν οἱ αὐτοὶ ἔμενον. Ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ πάλιν οἱ αὐτοὶ· καὶ οὐδὲ οὕτως ἀπέστη, ἀλλ' ἀεὶ κήδεσται. Καὶ καθάπερ τὰ φυσικὰ οὐκ ἂν ἀποσταῖν, τὰ φύσεως προσόντα ἡμῖν, ὅπερ ἂν γένηται· οὕτως οὐδὲ Θεός· μᾶλλον δὲ ἔκεινα δυνατόν ἀποστηναί, αὐτὸν δὲ οὐδαμῶς προνοῦντα, καὶ κηδόμενον. Εἰ γὰρ καὶ ἐπιλάθοιτο, φησί, γυνὴ τοῦ ἐλεῆσαι τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας αὐτῆς, ἀλλ' ἐγὼ οὐκ ἐπιλήσομαι σου. Καθάπερ γὰρ ἐκεῖνη οὐ πρὸς τὴν ἀρετὴν ὀρᾷ τῶν παίδων, ἀλλὰ φύσεως νόμον πληροῖ· οὕτω, καὶ [245] πολλῷ μᾶλλον, ὁ Θεός ἀεὶ κήδεσται, οὐδέποτε ἀφίσταται, ἀεὶ τὸ αὐτὸ μέτρον ἐπιδεικνύεται. Καὶ ἐγὼ Δαυὶδ ἐκοιμήθη, καὶ ἐμαλακίσθη ἡμέρας· καὶ ἀνέστη, καὶ

<sup>α</sup> Hæc, καὶ πρὸς τὴν δύσιν, non habet B. (Chrysostomus Homilia jam citata. At paulo post cum Theodoro legit καὶ δι' αὐτὸν θυσία ἐταράχθη παραπτώματι.

<sup>β</sup> Idem error in nostris codd., ac etiam in Theodoro. Scripserat enim Theodotus φελλουρι. Auctor Constit. apost. lib. 7. c. 36. φελλουρι.

<sup>ε</sup> Libentius scripserim προσηλθον, ut supra, Dan. 7. 16. Sic lib. 20 de Civitate Dei, cap. 23, habetur, accessit: viuose forsant.

*ἐποιοῦν τὰ ἔργα τοῦ βασιλέως· καὶ ἐθαύμαζον τὴν δρασιν· καὶ οὐκ ἦν ὁ συνιών.* Πόθεν ἐμαλακίσθη; Ὑπὸ τῆς ἀθυμίας ἰσως τῶν ἐσομένων δεινῶν, λογισάμενος πρὸς ἑαυτὸν, ὅτι οὐδέπω τὰ παρόντα τέλος ἔχει. Καὶ τοσαῦτα, φησί, πάλιν δεινά. Ἡ πάλιν οὕτω κατήλλαξα αὐτοῖς τὸν Θεόν, καὶ αὐτοὶ ἐκπολεμοῦσιν<sup>a</sup> αὐτόν. *Καὶ ἀνέστην, καὶ ἐποιοῦν τὰ ἔργα τοῦ βασιλέως.* Τουτέστιν, ὑπηρέτουν. *Καὶ ἐθαύμαζον τὴν δρασιν· καὶ οὐκ ἦν ὁ συνιών.* Μάλιστα τοῦτο φέρει τινὰ δόξιν, ὅταν μὴδὲ ἐξενεγκεῖν ἐξῆλθῆς εἰς τινα τὰ λυπηρά· ἢ ὅτι πονηροὶ ἦσαν. *Καὶ ἐποιοῦν, φησί, τὰ ἔργα τοῦ βασιλέως.* Τουτέστιν, οὐδὲν παρελίμπανον, ἀλλ' ἐποιοῦν τὰ ἔργα.

#### ΚΕΦΑΛ. Θ.

*Ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Δαρείου, τοῦ υἱοῦ Ἀσσουήρου, ἀπὸ τοῦ σπέρματος Μήδων, δὲ ἐβασίλευσεν ἐπὶ τὴν βασιλείαν Χαλδαίων, ἐν ἔτει ἐνὶ τῆ; βασιλείας αὐτοῦ, ἐγὼ Δανιὴλ συνῆκα ἐν ταῖς βίβλοις τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐτῶν, περὶ οὗ ἐγενήθη λόγος Κυρίου πρὸς Ἱερεμίαν τὸν προφήτην, εἰς συμπλήρωσιν ἐρημώσεως τῆς Ἱερουσαλήμ ἑβδομήκοντα ἔτη. Καὶ ἔδωκα τὸ πρόσωπόν μου πρὸς Κύριον τὸν Θεόν, τοῦ ἐκζητῆσαι προσευχὴν καὶ δέησιν ἐν νηστείαις καὶ σάκκῳ καὶ σποδῷ. Οὗτος ὁ Μήδος Δαρεῖος. Πρῶτον δὲ ἔτος οὐχὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ φησὶ· οὐ γὰρ εἶπεν, ἐν τῷ πρώτῳ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ἀλλ', Ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Δαρείου, ἐν ἐνὶ ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὥστε δυνατὸν λέγεσθαι καὶ πρῶτον ἔτος, βασιλεύοντος μὲν αὐτοῦ, τότε δὲ ἀνελόντος ἰσως τοῦς περὶ Βαλτάσαρ. Ἐγὼ Δανιὴλ συνῆκα ἐν ταῖς βίβλοις τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐτῶν. Τουτέστι, τὴν σφραγὴν. Καὶ ἀνελογισάμην. Ὅρα αὐτὸν πρὸ τῆς προθεσμίας οὐ τολμῶντα προσελθεῖν τῷ Δεσπότη. Ἄλλ' οἱ μὲν τρεῖς παῖδες ποιοῦσιν αὐτὸ ἐν τῇ καμίνῳ· οὗτος δὲ ἐν τῷ λάκκῳ οὐδὲν ἐποίησε. Τί οὖν; ἢ ἐκεῖνοι κακῶς, ἢ οὗτος; Οὐδέτεροι. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ τὴν φιλοστοργίαν, οὗτος δὲ τὴν σύνεσιν τοῦ καιροῦ παραγενομένου ἐδείκνυ. Ἄρ' οὖν συνετῶς ἀνεγίνωσκε τὰ προφητικά; Οἶμαι δ' αὐτὸν οὐκ ἐκ τῆς ἀλώσεως ἀριθμεῖν, ἀλλ' ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας ἰσως τοῦ Ἰσραήλ. Ἐρῆμωσιν γὰρ εἰκότως ἂν τις εἰποι Ἱερουσαλήμ καὶ τοὺς πολέμους. Ὅρα καὶ τὸν ἀριθμὸν σαβδατικῶν. Ὄσπερ γὰρ τότε τετρακόσια τριάκοντα καὶ διακόσια δεκαπέντε ἐποίησεν, οὕτως οἶμαι καὶ νῦν ἐλάττω εἶναι. [246] *Περὶ οὗ ἐγενήθη, φησί, λόγος πρὸς Ἱερεμίαν τὸν προφήτην, εἰς συμπλήρωσιν ἐρημώσεως Ἱερουσαλήμ ἑβδομήκοντα ἔτη. Καὶ ἔδωκα τὸ πρόσωπόν μου πρὸς Κύριον τὸν Θεόν, τοῦ ἐκζητῆσαι προσευχὴν καὶ δέησιν ἐν νηστείαις καὶ σάκκῳ καὶ σποδῷ.* Ὅρα εὐλάβειαν. *Καὶ ἔδωκα, φησί, τὸ πρόσωπόν μου.* Τουτέστι, κατασχυμμένους ἡμῖν πρὸ τούτου, πρὸ τῆς ταπεινώσεως· νῦν δὲ ἔδωκα, ἀντὶ τοῦ ἐτόλμησα. Εἰ δὲ ὀφειλόμενον ἀπήγει, οὐκ ἂν ἔλεγε, ἔδωκα τὸ πρόσωπόν μου,*

ὡς ἐπὶ παρακεκινδυνευμένῳ πράγματι. Εἰ ὑπὲρ ἄλλων τοσαύτη χρῆται σπουδῇ, εἰ τοσαύταις ἀπολαύων καὶ παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ παρὰ τοῦ βασιλέως εὐνοίας<sup>b</sup>, οὐκ ἔχει τινὰ ἀσθησιν τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὡς αὐτὸς ὢν ἐν τοῖς δεινοῖς, αὐτῶν τῶν δυντων μᾶλλον ἐδάκνυτο· πῶς ἂν τις αὐτὸν κατ' ἀξίαν θαυμάσειεν; Ὅρα δὲ καὶ μετὰ τὰς θλίψεις ἐκείνας οὐ θαρβύοντα προσελθεῖν, ἕως εἶδε τὸν χρόνον πληρωθέντα. Πού τοίνυν κεισόμεθα λοιπὸν ἡμεῖς οἱ ἄθλιοι; Τί λέγεις, ὦ Δανιήλ; ἐν ἀγαθοῖς εἰ σὺ, τιμῆς ἀπολαύεις παρὰ Θεοῦ, παρὰ ἀνθρώπων· τί σοι μέλλει (ἰ. μέλει) περὶ τῶν ἄλλων; Οὕτω καὶ Μωϋσῆς ἐποίει. Καὶ τί φησι; Ἐν νηστείαις καὶ σάκκῳ καὶ σποδῷ τὰ ὀφειλόμενα ἀπαιτῶν. Τί γὰρ, εἰ ὠφειλετο; Μήποτε καὶ τούτου ἀναξίους ἑαυτοὺς ἐποίησαν. Οὐ γὰρ ἐστὶν ἀνάγκη παρὰ Θεῷ· ἀνώτερος νόμων ἐστί. *Τοῦ ζητῆσαι, φησί, προσευχὴν καὶ δέησιν.* Πρῶτον τοῦτο ἐπιζητεῖ. Εἰ ἐπιτρέπει μοι, φησί, εὐξασθαι ὑπὲρ αὐτῶν· ἐπαίδῃ ἤκουσεν Ἱερεμίου τοῦτο ἀκούοντος, ὅτι *Μὴ προσέχου ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ μὴ ἀξίου ὑπὲρ αὐτῶν.* Ἐχων (f. add. τὴν) ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας, τὴν ἀπὸ τῶν χρόνων συμμαχίαν, τὴν ἀπὸ τῆς οἰκείας ἀρετῆς, καὶ τοῦ μυρία παθεῖν, οὐδέπω θαρραῖ, ἀλλὰ τέφραν ὑποστρωσάμενος καὶ σάκκον, οὕτως ἐδείτο. Τί ποιήσομεν ἡμεῖς οἱ ἀνάλητοι; Τοῦτον ἡμᾶς ἐχρῆν μιμεῖσθαι. Ἴνα γὰρ μὴ τις λέγῃ, ὅτι διὰ πένιν οἱ λοιποὶ προφητῆται ταῦτα ἐποιοῦν· ὁ μάλιστα πάντων πρὸς ἀξιωμάτων μέγεθος ἀναχθεῖς, οὗτος μάλιστα πάντων ταπεινοῦται. Καὶ ἀπὸ τοῦ σπέρματος τῆς βασιλείας ἦν, καὶ τοσοῦτων ἀπέλαυσεν. Οὕτω δεῖ πενθεῖν τὰ οἰκεία δεινά, οὕτω τῶν μελῶν φειδῆσθαι τῶν οἰκείων. Τοῦτο συμπάθεια τῶν προφητῶν. Ὅρα ταύτη μάλιστα θαυμασιώτερον ὄντα. Μωϋσῆς ἔλεγεν· *Εἰ μὲν ἀφ' αὐτοῖς, ἐπεὶ κάμῃ ἐξέλειψον ἐκ τῆς βίβλου.* Οὗτος ἐν νηστείαις ἦν καὶ δάκρυσιν διηνεκῶς. Παῦλος διηνεκῶς ἐν δάκρυσιν, καὶ γέεννης αὐτῆς κατετόλμησεν. Οὐδεὶς αὐτῶν ἔχει τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἀσθησιν· ἀλλ' ὡσπερ ἐν σώματι, τοῦ ὀφθαλμοῦ καλοῦ τυγχάνοντος, οὐκ ἂν λάβοι τοῦ κάλλους ἀσθησιν, σεσηπῶτων τῶν ποδῶν καὶ διεφθαρμένων· οὕτω καὶ τότε ἦν. Τίνος ἕνεκεν ἡ σποδός; Ἄνεμίμησεν αὐτὸν τῆς οἰκείας φύσεως. Τίνος ἕνεκεν ὁ σάκκος; Τῆ τραχύτητι ταπεινοῖ. Τίνος ἕνεκεν ἡ νηστεία; Καὶ αὕτη τῶν ἐν παραδείσῳ ἀνεμίμησεν. Τοῦτο αὐτοῖς ἔθος [247] ἐστὶ, τὰ βασανίζοντα διώκειν. Οὐδὲ τῆς γῆς ἀξίος εἶμι, φησὶν, οὐδὲ τῶν ἱματίων, οὐδὲ τῶν κατὰ φύσιν πραγμάτων, ἀλλὰ χαλεπωτέρας τιμωρίας, ὁ τὰ Περσικά περιβεβλημένος ὑφάσματα, ὁ τῶν Περσικῶν ἐπιβεβλημένος ὑφάσματα, ὁ τῶν Περσικῶν ἐπιβεβλημένος ὑφάσματα, ὁ τῶν Περσικῶν ἐπιβεβλημένος ὑφάσματα. Καὶ τί φησι; Ἴδωμεν τὴν ἐξομολόγησιν. *Καὶ προσηυξάμην πρὸς Κύριον τὸν Θεόν μου.* Ὅρα τὸ φίλτρον τὸ περὶ τὸν Δεσπότην. *Τὸν Θεόν μου, φησὶ·* ὃν οὐκ ἐτόλμησα ἱκετεύειν, τοῦτον Θεόν αὐτοῦ καλεῖ. *Ἐτι ἐμοῦ*

<sup>a</sup> Vide Suidam, apud quem in verbo ἐκπολεμῶσαι, nihil mutare debuert H. Steph. Eleganter autem, qui Constit. apost. collegit, ἐκ παρατάξεως ἀμαρτάνειν in hac significatione usurpat, lib. 2, cap. 23.

<sup>b</sup> Lege τοσαύτης.... εὐνοίας, ut infra τιμῆς ἀπολαύεις, et τοσοῦτων ἀπέλαυσεν. Praevit Segaar. Animadv. ad Daniel. p. 49.

*bui, et aegrotavi dies aliquot: et surrexi, et faciebam opera regis: et admirabar visionem: et non erat qui intelligeret.* Unde aegrotavit? Fortassis ex tristitia ob futuras calamitates, secum reputans, nondum finem habere res praesentes. Et tot, inquit, adhuc supersunt mala. Vel iterum, Nondum Judæis Deum reconciliavi, et ipsi eum ad bellum provocant, ac sibi reddunt inimicum. *Et surrexi, et faciebam opera regis.* Id est, Ministrabam. *Et admirabar visionem; et non erat qui intelligeret.* Maxime id affert dolorem, cum ne quidem licet res tristes efferre in aliquem: an quia improbi erant. *Et faciebam, inquit, opera regis.* Hoc est, Nihil praetermittebam, sedungebar officio meo.

## CAPUT IX.

1. « In primo anno Darii, filii Assueri, de semine Medorum (a), qui regnavit super regnum Chaldaeorum, 2. in anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, in complementum desolationis Jerosolymæ septuaginta anni (Jer. 25. 11). 3. Et dedi faciem meam ad Dominum Deum, ut exquirerem orationem et deprecationem in jejuniis et sacco et cinere. » Iste est Darius Medus. Primum autem annum non regni ipsius ait: non enim dixit, In primo regni ejus, sed, *In primo anno Darii, in uno anno regni ejus:* ita ut et dici possit primus annus, quo quidem ille regnabat, tunc vero forte occiderant Baltasarem. *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum.* Id est, Baltasaris cædem. Et reputavi. Vide ut ante praefinitum tempus non audeat accedere ad Dominum. At tres quidem pueri id agunt in fornace; iste vero in lacu non fecit. Quid igitur? vel illi male, vel hic? Neutri. Illi siquidem amorem erga patriam ostendebant, hic vero intelligentiam temporis quod advenerat. Nonne ergo intelligenter legebat prophetarum oracula? Existimo autem illum non ab urbe capta numerare, sed forte a captivitate Israelis (b). Jure enim desolationem quis vocaverit Jerosolymæ etiam bella. Vide et numerum sabbaticum. Nam sicut aliquando quadringentos et triginta annos (Exod. 12. 40) in ducentos et quindecim mutavit, ita puto et nunc annos pauciores esse. « De quo factus est, » inquit, « sermo ad

Jeremiam prophetam, in complementum desolationis Jerosolymæ septuaginta anni. Et dedi faciem meam ad Dominum Deum, ut exquirerem orationem et deprecationem in jejuniis et sacco et cinere. » Cerne religionem prophetæ. *Et dedi, inquit, faciem meam.* Hoc est, Rubore suffusus eram antea, nempe ante humiliationem; nunc vero *Dedi*, id est, Ausus sum. Quod si rem debitam postulasset, sane non dixisset, *Dedi faciem meam*, quasi in facto periculose suscepto. Si pro aliis tanto utitur studio, si tanta cum frueretur tam apud Deum, quam apud regem, benevolentia, harum tamen rerum nullum sensum habet, sed quasi ipse in malis versaretur, magis mordetur ac moleste fert, quam ii qui ab ea calamitate erant oppressi: quomodo quis eum digne miretur? Vide autem, ut etiam post illas afflictiones, non ausus sit accedere, donec vidit tempus esse completum. Ubi ergo desidebimus deinceps, nos miseri? Quid ais, o Daniel? in prosperis tu es; honorem habes a Deo, et ab hominibus; quid tibi curæ est de cæteris? Sic et Moyses agebat. Et quid ait? *In jejuniis et sacco et cinere, debita exigens.* Quid enim, si debebatur? Ne forte Judæi se hoc quoque indignos fecissent. Apud Deum quippe non est necessitas; superior legibus est. *Ut quærerem, inquit, orationem et deprecationem.* Id primum poscit. Si permittat mihi, inquit, pro illis orare; quoniam audierat Jeremiam ista verba a Domino retulisse: *Ne ores pro populo isto, et ne postules pro eis* (Jer. 7. 16). Auxiliantur ipsi captivitas, tempora, propria virtus, et quod innumera pro Deo passus sit; et tamen nondum confidit, sed cinerem substernens et saccum, ita precabatur. Quid faciemus nos qui indolentia sumus præditi? Hunc oportuit nobis imitandum proponere. Nam ne quis dicat, reliquos prophetas propter paupertatem ista fecisse: qui maxime omnium evectus fuerat ad dignitatum amplitudinem, ille maxime omnium se deprimit. Et de semine regni, ac de stirpe regia erat, et tot tantaque fuerat consequutus. Ita oportet lugere sua mala, sic propriis membris parcere. Hæc est commiseratio prophetarum. Vide nostrum ea parte præcipue esse admirabilem. Moyses dicebat: *Siquidem remittas eis: sin minus, etiam me dele de libro* (Exod. 32. 32). Hic in jejuniis et lacrymis continue debebat. Paulus assidue in lacrymis, et contra gehennam ipsam ausus est. Ipsorum nullus sensu afficitur propriorum bonorum; sed ut in corpore, oculus licet pulcher sit, non tamen percipiet suæ bonitatis ac pulchritudinis sensum, si pedes putrefacti sint ac corrupti; ita et tunc erat. Cur cinis? Admonebat eum propriæ naturæ. Cur saccus? Asperitate deprimit. Cur jejunium? Et ipsum ea quæ in paradiso gesta sunt, in memoriam revocabat. Hic viris sanctis mos est, ea quæ affligunt consecrari. Neque terra dignus sum, inquit, neque vestibus, neque rebus quæ secundum naturam sunt, sed graviori supplicio, qui Persicis amictus sum vestibus, qui tiam gesto Persicam. Et quid ait? Videamus confessionem. 4. *Et oravi ad Dominum Deum meum.* Cerne amorem erga Dominum. *Deum meum, inquit.* Cui non audebat supplicare, hunc

(a) Quis assentiatur Josepho Scaligero asserenti prognatum Medo genere Medum esse non potuisse? Mardocheus igitur non erat Judæus, quia de semine Judæorum? Esth. 6. 13. Quid quod Darius iste dicitur Medus Dan. 5. 31, et 11. 1? Certe non majus pondus habent cæteræ Scaligeri probationes, qui dum sententiam suam de Nabonido nobis persuadeat, id quibus modis assequatur, minimum curat.

(b) Captivitatem Israelis interpretor, non Israelitarum deportationem a Salmanasare factam, sed Judæorum translationem sub Nabuchodonosoro primam. Recte igitur septuaginta servitutis annos ordiri videtur ab initio bellorum, et a prima captivitate, seu ab anno quarto Joacimi. Atque ita censent qui inter chronologos familiam ducunt. Quod subdit de annis in pauciores contractis, magis oratorie æstimo dictum, quam vere; quare verisimilius est quod in 5 adversus Judæos, et infra scribit, quodque alibi scripserat, tempus fuisse completum: quæ est etiam opinio Origenis Item. 4 in Ezechielem: quamvis una vera sententia sit, quod septuaginta anni tunc ad finem vergebant. Locum Exodi 12. 40, aliter, ac mea quidem sententia longe commodius acceperere LXX, ac post eos Josephus, Eusebius, Severus, Augustinus.

Deum suum vocat. 20. « Adhuc me loquente, ac orante, et conflante peccata mea, et peccata populi mei Israelis, et prosternente misericordiam meam coram Domino Deo meo, ad montem sanctum Dei mei : 21. et adhuc me loquente in oratione, et ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, volans : et tetigit me circiter horam sacrificii vespertini. 22. Et intelligere fecit me, et loquutus est mecum, et dixit : Daniel, nunc egressus sum, ut conciliarem tibi intelligentiam. 23. In principio deprecationis tuæ exiit sermo : et ego veni, ut annuntiarem tibi, quia vir desideriorum tu es (a). Et animadvertite in verbo, et intellige in visione. » Itaque cum dicent nobis Judæi : Cur in Isaiâ, cum Ozias de bello timeret, et de expeditione duorum regum (b), propheta egressus dedit eis signum (Isai. 7), quod post innumeros annos evenit? dicemus et nos ad illos : Cur cum Daniel precaretur pro reditu, et de iis rebus aliquid audire cuperet, egressus angelus, de his quidem nihil renuntiavit, res autem longo post tempore futuras edocuit? Sed sicut hic ex abundanti quæstionem solvit; ita et illic. Fidem enim maximam facit urbis erigendæ, quod iterum capienda dicitur. Quid ergo? an quod velit prophetam contristare, id agit? Minime, sed Hebræos cupit timidiore efficere. Et non semel, neque bis, sed sæpe repetit. Quandoquidem enim futura prosperitas sufficiens erat ad eorum mentem inflandam, non solum instaurata civitate, sed et manibus barbaricis ædificata, barbaricis illis quæ eam everterant. Hoc enim etiam Isaias dicit, ostendens omnipotentiam ac divitias Dei, quomodo potens sit omnia et facere et mutare (Isai. 49. 17). Quoniam igitur futurum erat, ut Judæis patria bona redderentur, utque reportarent illustres continuasque victorias, quas et propheta magna voce prædicant : ut Ezechiel quidem, quod septem annis comburerentur arma eorum qui capiendi erant (Ezech. 39. 9); alii autem prophetæ eadem assidue dicebant : ne his, inquam, rebus elati deteriores prioribus fierent, metu prædictionis, et quod eadem subinde dicerentur, eos velut ad necessitatem inevitabilem redigit, ut ne volentes quidem perirent. Et propter hoc et tempus incertum faciebat; quoniam quæ utilitas erat ista annuntiari? Et vide quando prophetentur. Sub ipsum reditum, rebus illorum vigentibus ac florentibus. Quemadmodum et Moyses, cum eos introducturus esset in terram promissionis, prope ipsam bonorum perceptionem prophetat ipsis mala quæ nunc sustinent, dicens : *Contestor vobis cælum et terram (Deut. 4. 26); indolentiæ, quam felicitas parit,*

(a) *Vir desideriorum*, hoc est, *vir desideratus*, vel *desiderans*, ut exponunt sancti Patres. Isidorum fugit ratio, cum Originum lib. 7, c. 8, scribit de Daniele : *Desideriorum vir appellatus est, quia panem desiderii non manducavit, et vinum concupiscentiæ non bibit*. Ea tamen verba postea nactus sum in S. Augustino Serm. 63 de Tempore : *Daniel, inquit, ideo vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiæ non bibit, quia magis Christum quam epulas desiderabat*.

(b) Imo *Achaz* Is. 7, 1. Contra Origenes initio Homiliæ primæ in librum Judicum Achazum (male enim ibi legere *Achaz*, quam *Achab*) posuit pro Ozia, ut etiam manifestum est ex ejusdem Adanantii initio, Hom. 1 in Isaiam.

æquilibrium ponens punitionem quam minatur; ita et iste continet ipsos in metu. Ideo et Zacharias plurimum in istis rebus moratur, eademque manifestius dicit. Nihil quippe humana natura minus aptum est ad prosperitatem ac laxamentum. *Adhuc me loquente*, inquit, *in oratione, venit angelus Gabriel*, illi familiaris, *volans : et tetigit me circiter horam sacrificii vespertini*. Vel ne ex visione obstupesceret, vel ut intelligeret quæ dicerentur. Et quia non licebat ea clare propter reliquos proferre, jure tangit eum. « Et docuit me, » inquit, « ac loquutus est mecum, et dixit : Daniel nunc exivi, ut conciliarem tibi intelligentiam. In principio deprecationis tuæ exiit sermo : et ego veni, ut renuntiarem tibi, quia vir desideriorum tu es. Et animadvertite in verbo, et intellige in visione. » Attende, inquit, ea quæ dicuntur. Cum enim aliquis de aliis quidem rogat, alia vero audit, multa tunc indiget attentione. 25. *Et redibit, et ædificabitur platea et murorum ambitus*. Quidam esse dicunt murum, quem Agrippa condidit (a). « Et evacuabuntur tempora. 26. Et post hebdomadas sexaginta duas exterminabitur unctio; et judicium non est in eo : et civitatem et sanctuarium labefaciet cum duce; et excidentur sicut in diluvio, et usque ad finem belli concisi calamitibus. 27. Et confirmabit testamentum multis hebdomas una. » Vide ut terribiliter mala enarret. « Vel dimidium hebdomadis, cessare faciet thymiama, et sacrificium, et libamen; et super templum abominatio desolationis, et usque ad consummationem temporis consummabitur in desolationem. » Vide ut in rebus tristibus sermone finem imposuerit, et ea quidem quæ bona erant obscure dixerit; hoc enim sibi vult illud : *Confirmabit multis testamentum hebdomas una*; tristitia vero, frequenter et sæpe. *Et abominatio desolationis* : id est, quæ ab Adriano facta est (b). Hæc apertius Zacharias, qui etiam res commodas prædicat propter eos qui remanserant. Fortassis et in Ægypto totidem annos fecit (c); et non labefacti sunt : nunc autem non amplius expectas ista. Vide et alia. Judæus in

(a) Adito sis ad Josephum Antiq. Judaic. lib. 19, cap. 7, et lib. 2 de Bello Judaico, cap. 18, quæ duo loca inter se conferre pretium operæ erit. Veriorem expositionem discas ex aliis, atque adeo ex Nostro tertio contra Judæos. Lege Originem ad Matth. 24. 15.

(b) Et hic quoque cum ceteris videndus B. Chrysostomus allata homilia; notandumque multo ante tempora Hadriani coepisse vasitatis abominationem. Sed de his omnibus luse interpretes, maximeque S. Hieronymus. (Nota istipsum dicere Chrysostomum Homilia 5 contra Judæos, T. 1 : ββελυγµα δὲ ἐρηµώσεως τὸν ἀνδράντα, ὃν ἔστησαν ὁ τὴν πόλιν καθελὼν ἔδωκεν ἐν τῷ ναῷ et paulo post ait, *Adrianum fuisse eum qui statuam erexit*).

(c) In Græco. Τετὰρ καὶ μετὰ Ἀγρίππην τοσούτων ἐτῶν ἔσθλητος. LOCUS hic perquam difficilis est. Quod si μετὰ pro post, ut vulgo accipias, nec veritas, nec sensus constabit. Conjiciebam μετὰ idem esse ac κατά, quemadmodum interdum usurpatur; adeo ut B. Chrysostomus voluerit presentem calamitatem Judæorum, finem non accepturam, sicut accepit Ægyptiaca (quod argumentum tertio adversus Judæos diligentissime persequitur), respexeritque ad locum Exodi 13, 40 : *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum et triginta annorum*; qui numerus ad harum hebdomadarum numerum accedit. Ita exponendum hunc locum non male forsitan divinavi. qui meliora habuerit, candidus impertiat. Posset etiam scribi, *fecerunt, et est, manserunt*.

λαλοῦντος, καὶ προσευχομένου, καὶ ἐξαγορευόντος τὰς ἀμαρτίας μου, καὶ τὰς ἀμαρτίας τοῦ λαοῦ μου Ἰσραὴλ, καὶ ῥίπτοντος τὸν ἔλεόν μου ἐναντι Κυρίου τοῦ Θεοῦ μου, ἐπὶ τοῦ ὄρους τοῦ ἁγίου τοῦ Θεοῦ μου· καὶ ἐτι ἔμοῦ λαλοῦντος ἐν τῇ προσευχῇ, καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος Γαβριήλ, ὃν εἶδον ἐν τῇ ὁράσει ἐν τῇ ἀρχῇ, πετώμενος· καὶ ἤψατό μου ὡσεὶ ὄραν θυσίας ἐσπερινῆς. Καὶ συνέτισέ με, καὶ ἐλάλησεν μετ' ἐμοῦ, καὶ εἶπεν· Δαυιήλ, τῶν ἐξῆλθον, συμβιβάσαι σε σύνεσις. Ἐν ἀρχῇ τῆς δεήσεώς σου ἐξῆλθεν ὁ λόγος· καὶ ἐγὼ ἦλθον τοῦ ἀναγγεῖλαι σοι, ὅτι ἄνθρωπος ἐπιθυμῶν εἶ σύ. Καὶ ἐννοήθητι ἐν τῷ ῥήματι, καὶ σύνεσις ἐν τῇ ὄπτασι. Ὅστε καὶ ὅταν λέγωσιν ἡμῖν οἱ Ἰουδαῖοι· Διὰ τί ἐν τῷ Ἰσραὴλ, τοῦ Ὁσίου περὶ τοῦ πολέμου δεδιότος, καὶ τῆς ἐφόδου τῶν δύο βασιλέων, ὁ προφήτης ἐξελεύθων ἔδωκεν αὐτοῖς σημείον, μετὰ μυρία ἔτη συμβαίνον; ἐροῦμεν καὶ αὐτοὶ πρὸς αὐτούς· Τίνος ἔνεκεν τοῦ Δαυιήλ ἀξιώσαντος; ὑπὲρ τῆς ἀνόδου, καὶ ἐπιθυμοῦντος ἀκοῦσαι τι περὶ τούτων, ἐξελεύθων ἄγγελος περὶ μὲν τούτων οὐδὲν ἀτήγγειλε, πράγματα δὲ μακροῖς ὑστερον χρόνοις ἐδίδεξεν; Ἄλλ' ὡς περὲν ταῦθα ἐκ περιουσίας τὸ ζῆτοῦμενον λύει· οὕτω καὶ ἐπεὶ Πίστις γὰρ μεγίστη τοῦ τὴν πόλιν ἀναστήσεσθαι, τὸ καὶ πάλιν αὐτὴν ἀλώσεσθαι. Τί οὖν; λυπῆσαι τὸν προφήτην βουλόμενος, τοῦτο ποιεῖ; Οὐδαμῶς, ἀλλ' αὐτοὺς φοβερωτέρους ἐργάσασθαι. Καὶ οὐχ ἅπασι, οὐδὲ δις, ἀλλὰ πολλάκις. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ μέλλουσα ἔσθαι εὐπραγία ἰκανὴ φυῆσαι τὴν ἐκείνων διάνοιαν, οὐ μόνον ἀνορθομένης τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ χερσὶ βαρβαρικαῖς οἰκοδομουμένης, βαρβαρικαῖς ἐκείναις ταῖς καθελούσαις αὐτήν. Τοῦτο γὰρ καὶ ὁ Ἰσραὴλ φησὶ, δεικνύς τὸ παντοδύναμον καὶ εὐπαρὸν τοῦ Θεοῦ, πῶς ἰκανὸς πάντα καὶ ποιῆσαι καὶ μεταβαλεῖν. Ἐπεὶ οὖν ἐμελλεν αὐτοῖς τὰ πάτρια ἀποδοθῆσθαι, καὶ νίκαι λαμπραὶ καὶ συνεχεῖς, ἅς καὶ οἱ προφῆται ἀναβαδῶσιν· οἷον ὁ μὲν Ἰεζεκιήλ, ὅτι μετὰ ἑτὴ τὰ ὄπλα αὐτῶν κατακαυθήσεται τῶν μελλόντων ἀλώσεσθαι· οἱ δὲ ἄλλοι τὰ αὐτὰ συνεχῶς ἐλεγόν· ἵνα μὴ τούτοις ἐπαρθέντες, χεῖρους τῶν προτέρων γένωνται, τῷ φόβῳ τῆς προρρήσεως, καὶ τὸ πολλάκις (forte τῷ πολλ.) τὰ αὐτὰ εἰπεῖν, καθάπερ αὐτοὺς εἰς ἀνάγκην ἀφυκτον καθιστῶν τοῦ μηδὲ βουλομένους διαφάρηαι. [248] Καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὸν χρόνον ἀσηλον ἐποίησεν· ἐπεὶ τίς χρεῖα ταῦτα ἀπαγγελλῆναι; Καὶ ὅρα πότε προφητεύεται. Παρ' αὐτὴν τὴν ἀνοδὸν, ἀκμαζόντων αὐτοῖς καὶ ἀνοδόντων τῶν πραγμάτων. Ὅσπερ καὶ ὁ Μωϋσῆς μέλλων αὐτοὺς εἰσ-

αγειν εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας, παρ' αὐτὴν τῶν ἀγαθῶν τὴν μετάληψιν προφητεύει αὐτοῖς παρόντα τὰ δεινὰ, λέγων· Διαμαρτύρομαι ὑμῖν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· ἀντίβροπον τῇ διὰ τὴν εὐπραγίαν ἀπαθείξ τὴν ἀπὸ τῆς ἀπειλῆς τιμωρίαν τιθεῖς· οὕτω καὶ οὗτος κατέχει αὐτοὺς ἐν φόβῳ. Διὰ τοῦτο καὶ Ζαχαρίας τὸ πλεον ἐν τούτοις διατριβεῖ, καὶ σαφέστερον τὰ αὐτὰ λέγει. Οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς ἀνθρωπίνῃ φύσει πρὸς εὐπραγίαν καὶ ἀνεσιν ἀχρηστον. Ἐτι ἐμοῦ λαλοῦντος, φησὶ, ἐν τῇ προσευχῇ, ἦλθεν ὁ ἄγγελος Γαβριήλ, ὁ συνήθης αὐτῷ, πετώμενος· καὶ κατέσχε με ὡσεὶ ὄραν θυσίας ἐσπερινῆς. Ἡ ὡστε μὴ ἐκπληκτον γενέσθαι ἀπὸ τῆς βίβως, ἡ ὡστε νοῆσαι τὰ λεγόμενα. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἦν αὐτὰ σαφῶς εἰπεῖν διὰ τοὺς λοιπούς, εἰκότως ἄπτεται. Καὶ συνέτισέ με, φησὶ, καὶ ἐλάλησεν μετ' ἐμοῦ, καὶ εἶπεν· Δαυιήλ, τῶν ἐξῆλθον συμβιβάσαι σε σύνεσις. Ἐν ἀρχῇ τῆς δεήσεώς σου ἐξῆλθεν ὁ λόγος· καὶ ἐγὼ ἦλθον τοῦ ἀναγγεῖλαι σοι, ὅτι ἄνθρωπος ἐπιθυμῶν εἶ σύ. Καὶ ἐννοήθητι ἐν τῷ ῥήματι, καὶ σύνεσις ἐν τῇ ὄπτασι. Νόησον, φησὶ, τὰ λεγόμενα. Ὅταν γὰρ τις ὑπὲρ ἐτέρων μὲν ἀξιοί, ἕτερα δὲ ἀκούη, πολλῆς δεῖται τῆς προσευχῆς. Καὶ ἐπιτρέψει<sup>b</sup>, καὶ οἰκοδομηθήσεται πλατεῖα καὶ περιτειχος. Τινὲς τὸ τεῖχος, ὅπερ Ἀγρίππας ἐποίησε, φασίν. Καὶ ἐκκενωθήσονται οἱ καιροί. Καὶ μετὰ τὰς ἑβδομάδας τὰς ἐξήκοντα δύο ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, καὶ κρῖμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ ἄγιον διαφθερεῖ σὺν τῷ ἡγουμένῳ· καὶ ἐκκοπήσονται ὡς ἐν κατακλισμῷ, καὶ ἕως τέλους πολέμου σιντευμημένου ἀφυρισμοῖς. Καὶ δυναμώσει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομάς μία. Ὅρα πῶ; πληκτικῶς τὰ κακὰ (suppl. διηγείται). Ἡ καὶ ἡμῶν τῆς ἑβδομάδος, καταπαύσει θυμῆμα, καὶ θυσία, καὶ σπονδή· καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, καὶ ἕως συντελείας καιροῦ συντελεσθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν. Ὅρα πῶς ἐν τοῖς λυπηροῖς τὸν λόγον κατέπαυσε, καὶ τὰ μὲν χρηστὰ ἀσαφῶς εἶπεν· τοῦτο γὰρ ἔστι· Δυναμώσει πολλοῖς διαθήκην ἑβδομάς μία· τὰ δὲ λυπηρὰ, συνεχῶς<sup>c</sup> καὶ πολλάκις. Καὶ τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τουτέστι, τὸ Ἀδριανοῦ. Ταῦτα σαφέστερον ὁ Ζαχαρίας λέγει· λέγει δὲ ἐκεῖνος καὶ τὰ χρηστὰ διὰ τοὺς ἐναπομείναντας. Τάχα καὶ μετὰ Αἴγυπτον τὸσαῦτα ἔτη ἐποίησε, καὶ οὐ διεφάρησαν· [249] νῦν δὲ οὐκέτι προσδοκᾷ ταῦτα. Ὅρα καὶ τὰ ἄλλα. Οὐκ ἐπιβαίνει Ἰουδαίους (i. Ἰουδαίους), καθάπερ καὶ πρό-

<sup>b</sup> I. e.g. προσοχῆς, et ἐπιστρέψει. Similita errata passim emendant critici.

<sup>c</sup> Legendum suspicor συνετῶς, ut respondeat superior ἀσαφῶς.

<sup>a</sup> In margine codicis nostri scriptum est, ἴσως ἐπὶ τὰ. Quae est emendatio certissima.



περον τῆς πόλεως. Τίς δὲ ὄλωσ περι ἐπανόδου εἶπεν; Οὐδεὶς.

## ΚΕΦΑΛ. Γ'.

Ἐν ἔτει τρίτῳ τοῦ βασιλέως Περσῶν Κύρου λόγος ἀπεκαλύφθη τῷ Δαυιήλ, οὗ τὸ ὄνομα ἐπεκλήθη Βαλτάσαρ. Καὶ ἀληθινὸς ὁ λόγος· καὶ δύναμις μεγάλη καὶ σύνεσις ἐδόθη αὐτῷ ἐν τῇ ὀπτασίᾳ. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐγὼ Δαυιήλ ἤμην πενήθων τρεῖς ἑβδομάδας. Ἄρτον ἐπιθυμιῶν οὐκ ἔφαγον, καὶ κρέα καὶ οἶνος οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ στόμα μου, καὶ ἀλειμμα οὐκ ἠλειψάμην ἕως τριῶν ἑβδομάδων ἡμερῶν. Τίνος ἔνεκεν πάλιν πενθεῖ; Εἰ γὰρ τὸ πρῶτον ἔτος Κύρου ἀνέβη, τίνος ἔνεκεν πενθεῖ; καὶ πάσα ἡμέρας, εἰκὸς μίαν; πάλιν οὐδὲν ἀκούει, ὑπὲρ ὧν εὐχεται. Ἐμοὶ δοκεῖ, ὅτι εὐχεται ὥστε λυθῆναι τὰ δεινὰ ταῦτα. Ἄλλ' οὐδὲν τοιοῦτον ὁ Θεός· καὶ λέγει σαφέστερον αὐτό. Μᾶλλον δὲ ὥστε πάντας ἀνελεῖν εὐχεται. Εἰ καὶ μεγάλα τὰ δεινὰ, καὶ ἐβούλετο ἀποβαλεῖν τὴν πατρίδα. Οὕτως δὲ σαφέστερον αὐτὸ λέγει, καὶ ἀκριβέστερον. Ὅρα δὴ πανταχοῦ τὸν Δαυιήλ οὐκ ἀπλῶς ἐπιτυγχάνοντα τῶν ὄψεων, ἀλλὰ μετὰ νηστειῶν. Ὅτε ἔδει τὸ ὄνομα μαθεῖν, νηστεία προηγήσατο. Ὅτε Γαβριήλ ἐφάνη, νηστεία πάλιν καὶ σποδὸς καὶ σάκκος. Ὅτε οὗτος φαίνεται, καὶ νηστεία καὶ εὐχή. Ἄλλ' ὄρα καὶ τοῦτον ἀπολογούμενον αὐτῷ σχεδόν. Καὶ ἐν ἡμέρᾳ εικοστῇ καὶ τετάρτῃ τοῦ μηνὸς τοῦ πρώτου, ἐγὼ ἤμην ἐχόμενος τοῦ ποταμοῦ τοῦ μεγάλου, οὗτός ἐστι Τίγρις. Καὶ ἦρα τοὺς ὀφθαλμούς μου, καὶ εἶδον· καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ἐνδεδυμένος βαδίζω, καὶ ἡ ὄσφύς αὐτοῦ περιεζωμένη χρυσίῳ ὄφάξ, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ὥσει θαρσεῖς, καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὥσει δρασις ἀστραπῆς, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὥσει λαμπάδες πυρός, καὶ οἱ βραχίονες αὐτοῦ καὶ τὰ σκέλη ὡς δρασις χαλκοῦ στίλβοντος, καὶ ἡ φωνὴ τῶν λόγων αὐτοῦ ὡς φωνὴ ὄχλου. Καὶ εἶδον ἐγὼ Δαυιήλ μόνος τὴν ὀπτασίαν, καὶ οἱ ἄνδρες οἱ μετ' ἐμοῦ οὐκ εἶδον τὴν ὀπτασίαν, ἀλλ' ἡ ἔκστασις μεγάλη ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτούς, καὶ ἔφυγον ἐν φόβῳ. Καὶ ἐγὼ ἀπελείφθην μόνος, καὶ εἶδον τὴν ὀπτασίαν τὴν μεγάλην ταύτην, καὶ οὐκ ὑπελείφθη ἐν ἐμοὶ ἰσχύς, καὶ ἡ δόξα μου μεστράφη εἰς διασποράν, καὶ οὐκ ἐκράτησα ἰσχύος. Καὶ ἤκουσα τὴν φωνὴν τῶν λόγων αὐτοῦ· καὶ ἐν τῷ ἀκούσει μὲ ἤμην καταγεφυμένον ἐπὶ πρόσωπόν μου, καὶ τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν. Καὶ ἰδοὺ χεῖρ ἀπτομένη μου, καὶ ἤγειρέ με ἐπὶ τὰ γόνατά μου, καὶ ἐπὶ τὰ ἰγγὴ τῶν ποδῶν μου. Καὶ εἶπε πρὸς με· Δαυιήλ, ἀνὴρ ἐπιθυμιῶν, σύνεσις ἐν τοῖς λόγοις, οἷς ἐγὼ λαλῶ πρὸς σέ, καὶ στήθι ἐν τῇ στάσει σου, ὅτι νῦν ἀπεστάλην ἐγὼ πρὸς σέ. Καὶ ἐν τῷ λαλήσαι αὐτὸν πρὸς με τὸν λόγον τοῦτον, ἀνέστην ἐντρομος. Καὶ εἶπε [250] πρὸς με· Μὴ φοβοῦ, Δαυιήλ, ὅτι ἀπὸ τῆς ἡμέρας τῆς πρώτης, ἧς ἔδωκας τὴν καρδίαν σου τοῦ συνεῖναι καὶ κακωθῆναι ἐναντὶ Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, ἠκούσθησαν οἱ λόγοί σου, καὶ ἐγὼ ἦλθον ἐν τοῖς λόγοις σου. Ὅραξ ὅπερ ἔφην, καὶ τοῦτον ἀπολογούμενον αὐτῷ σχεδόν; Ἀπὸ πρώτης ἡμέρας, φησὶν,

\* Theodoretus χειρῶν.

ἀπεστάλην. Τίνος οὖν ἔνεκεν ἐβράδυνας; Καὶ ὁ ἄρχων βασιλεὺς Περσῶν εἰστήκει δὲ ἐναντίας μου εἰκοσι καὶ μίαν ἡμέραν. Ἦκουσας ὅτι ἔθηκεν ὄρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων αὐτοῦ; Καὶ ἕκαστον ἔθνος ἔχει τὸν ἐφεστῶτα, καὶ βούλεται αὐτὸς εἶναι δυνατώτερος. Καὶ σύνεσις ἐδόθη αὐτῷ ἐν τῇ ὀπτασίᾳ. Οὐ γὰρ ἔρκει τὰ ῥήματα διδάξαι τὰ λεγόμενα. Ὅραξ ἐτέρως παιδευομένους τοὺς προφήτας; Καὶ δύναμις μεγάλη τῆς ὄψεως. Ὅντως γὰρ μεγάλη, τὸ τοὺς ἡσθενηκότας ἐκείνους τοῦ τοσαῦτα περιγενομένου περιγενέσθαι Ἀντιόχου. Καὶ ἀληθινὸς ὁ λόγος. Ἐπειδὴ τινες ἐμελλον ἀπιστεῖν. Οὐ τὸ ὄνομα Βαλτάσαρ. Ἀναμνήσκει σε τῶν πρώτων, ἵνα ἀξιόπιστος φανῇ. Ἰδοὺ καὶ τὸ πάσχα ἔλυσεν. Εἰ γὰρ ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ τὸ πάσχα γίνεται, οὗτος δὲ μέχρι τῆς τετάρτης εἰκάδος τοῦ μηνὸς ἐνήστευσεν. Ἐμπίπτει δὲ εἰς τὴν τεσσαρεσκαίδεκάτην, ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαίδεκάτης ἐπὶ τὴν πρώτην εἰκάδα, καὶ ἐτέρας δύο ἡμέρας. Ὅρα τὰ νόμιμα ἤδη καταλυόμενα. Οὐκ ἐνέτρεψέ σε ὁ φόβος, ὦ Δαυιήλ; Οὐχί, φησὶ. Ὅρα ποῦ τὴν ὀπτασίαν βλέπει· ἐπὶ τῆς ἐρήμου, καθάπερ καὶ Μωϋσῆς. Αἱ γὰρ πόλεις θορύβων γέμουσι, καὶ παραγῆς. Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἐπὶ τοῦ θρους μεταμορφούται. Καὶ ἰδοὺ Μιχαὴλ εἰς τῶν ἀρχόντων πρώτων ἦλθε βοηθῆσαι μοι, καὶ αὐτὸν κατέλιπον ἐκεῖ μετὰ τοῦ ἀρχοντος βασιλέως Περσῶν. Καὶ ἦλθον συνετίσαι σε ὅσα ἀπατήσεται τῷ λαῷ σου ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, ὅτι ἰδοὺ ἡ δρασις εἰς ἡμέρας. Καὶ ἐν τῷ λαλήσαι αὐτὸν μετ' ἐμοῦ πάντας τοὺς λόγους τοῦτους, ἔδωκα τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ κατεύνην. Καὶ ἰδοὺ ὡς ὁμοίωμα υἱοῦ ἀνθρώπου ἤψατο τῶν χειλέων μου. Καὶ ἠνοιξα τὸ στόμα μου, καὶ ἐλάλησα, καὶ εἶπον πρὸς τὸν ἐστῶτα ἐναντίον μου· Κύριε, ἐν τῇ ὁράσει σου ἐστράφη τὰ ἐντός μου ἐν ἐμοὶ, καὶ ἰδοὺ οὐκ ἔχω ἰσχύρ. Καὶ πῶς δυνησεται ὁ παῖς σου, Κύριε, λαλήσαι μετὰ τοῦ Κυρίου μου τούτου; Καὶ ἐγὼ, ἀπὸ τοῦ νῦν οὐ στήσεται ἐν ἐμοὶ ἰσχύς, καὶ προῆ οὐκ ὑπελείφθη ἐν ἐμοὶ. Καὶ προσέθετο, καὶ ἤψατό μου ὡς δρασις ἀνθρώπου, καὶ ἐνίσχυσέ με, καὶ εἶπέ μοι· Μὴ φοβοῦ, ἀνὴρ ἐπιθυμιῶν, εἰρήνη σοι, ἀνδρίζου, καὶ ἰσχυε. Καὶ ἐν τῷ λαλήσαι αὐτὸν μετ' ἐμοῦ, ἐνίσχυσα, καὶ εἶπον· Λαλήτω ὁ Κύριός μου, ὅτι ἐνίσχυσάς με. Καὶ εἶπον, Εἰ οἶδας τί ἦλθον πρὸς σέ; Καὶ νῦν ἐπιστρέψω τοῦ πολεμήσαι μετὰ τοῦ ἀρχοντος Περσῶν. Καὶ ἐγὼ ἐξεπορεύμην, καὶ ὁ ἄρχων τῶν Ἑλλήνων ἤρχετο. [251] Ἄλλ' ἡ ἀναγγελῶ σοι τὸ τεταγμένον ἐν γραφῇ ἀληθείας· καὶ οὐκ ἔστιν εἰς ἀντεχόμενος μετ' ἐμοῦ περὶ τούτων, ἀλλ' ἡ Μιχαὴλ ὁ ἄρχων ὑμῶν. Καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ἐνδεδυμένος στολήν. Ἰσως ἱερατικὴν. Ἡ ὄψις αὐτοῦ ὡς ἀστραπὴ ἦν πυρός ἀπὸ ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. Πῶς ἐν ἀστραπῇ ἐκείνοις ἔφατε; τίνος ἔνεκεν οὕτω φαίνεται ὁ ἄγγελος οὗτος; Ἄρ' ἵνα ἐκπλήξῃ τὸν δῆμον; καὶ τί τὸ κέρδος; Ἰνα πείσῃ μηκέτι πενθεῖν τὸ (f. τῷ) πολλὰς ταῦτα λέγεσθαι· μαρτυρῶν μαρτυρεῖ δυνάμει τῶν ἐσομένων· ἢ ἵνα πιστώσῃται αὐτόν. Καὶ ἡ φωνὴ μεγάλη. Ὅστε καὶ οὕτω καταπλήξασθαι. Ἐξίσταται, καὶ πάλιν ὁμιλοῦντος ἐξίσταται, συγχωροῦντος ἰσως, οὐκ ἀδυνατοῦντος· ἐπεὶ πρότερον εἶπεν· Ἄρ-

urbem non remigrat, ut antea (a). Quis autem omnino de reditu loquutus est? Nemo.

### CAP. X.

1. « In anno tertio Cyri regis Persarum (b) verbum revelatum est Danieli, qui nominatus est Baltasar. Et verum erat verbum; et potentia magna et intelligentia data est ei in visione. 2. In diebus illis ego Daniel in luctu eram tres hebdomadas. 3. Panem desideriorum non comedi, et carnes ac vinum non introierunt in os meum, et unguento non unctus sum usque ad tres hebdomadas dierum » (c). Quare iterum luget? Nam si primus annus Cyri advenerat, cur luget? et omnes dies, cum unum dumtaxat lugere debuisset? Rursus nihil audit de iis rebus, pro quibus orat. Mihi videtur quod pro solutione calamitatum presentium precatur. At Deus nihil tale, sed id ipsum quod supra, atque apertius dicit. Imo ut omnes redeant, orat Daniel. Licet enim magna essent mala, quibus Judæi premebantur, non tamen ideo volebat patriam amittere. Iste autem angelus clarius ac exactius id dicit. Vide autem ubique Danielem non simpliciter ac sine labore obtinere visiones, sed cum jejuniis. Quando oportuit somnium discere, jejunium præcessit. Cum Gabriel apparuit, jejunium iterum, et cinis, et saccus: cum iste conspicitur, et jejunium et oratio. Sed vide angelum se propemodum excusare Danieli. 4. « Et in die vigesima quarta mensis primi ego eram juxta fluvium magnum, hic est Tigris. 5. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir indutus Badiin, et lumbus ejus præcinctus auro Ophaz, 6. et corpus ejus, quasi Tharsis, et facies ejus, ut aspectus fulguris, et oculi ejus, velut lampades ignis, et brachia ejus ac crura, sicut visio æris coruscantis, et vox sermonum ejus, quasi vox turbæ. 7. Et vidi ego Daniel solus visionem, et viri qui erant mecum visionem non viderunt, sed terror gravis irruit super eos, et fugerunt in timore. 8. Et ego relictus sum solus, et vidi visionem magnam hanc, et non remansit in me fortitudo, et gloria mea conversa est in corruptionem, et non retinui robur. 9. Et audivi vocem sermonum ejus: et cum ego audirem, eram compunctus super faciem meam, et facies mea super terram. 10. Et ecce manus tetigit me, ac erexit me super genua mea, et super vestigia pedum meorum. 11. Et dixit ad me: Daniel, vir desideriorum, intellige in sermonibus quos ego loquor ad te, et sta in statione tua, quia

nunc ego missus sum ad te. Cumque loqueretur ipse ad me sermonem istum, surrexi tremens. 12. Et dixit ad me: Ne timeas, Daniel, quia a die prima, qua dedisti cor tuum ad intelligendum, et ad æffigendum te coram Domino Deo tuo, audita sunt verba tua, et ego veni in verbis tuis. » Vides quod dixi, hunc tantum non se excusare Danieli? *A prima die*, inquit, *missus sum*. Quare ergo moratus es? 13. *Et princeps regni Persarum scietis ex adverso mei unum et viginti dies*. Audisti illud, *Posuit terminos gentium secundum numerum angelorum suorum (Deut. 32. 8)*? Et unaquæque gens præfectum habet angelum, qui vult potentior esse reliquis. *Et intelligentia data est ei in visione*. Non enim sufficiebat docuisse ea quæ dicebantur. Cernis aliter institui prophetas? *Et virtus magna visionis*. Vere enim magnæ potestatis fuit, quod homines infirmi vicerint illum Antiochum, qui tot tantaque superaverat. *Et verum verbum*. Quandoquidem nonnulli credituri non erant. *Cujus nomen Baltasar*. Commemoratur tibi priora, ut fide dignus habeatur. En et Pascha solvit (a). Nam Pascha in primo celebratur mense; iste vero usque ad quartam et vicesimam mensis jejunavit. Incidit autem in decimam quartam jejunium illius, et a decima quarta ad vicesimam primam, et duos alios dies durat. Vide legalia jam tunc fuisse abrogata. Nonne præ formidine in fugam conversus es, o Daniel? Minime, inquit. Adverte quo loci visum videat: in deserto, sicut et Moyses. Urbes namque tumultibus et perturbatione plenæ sunt (b). Sic etiam Christus in monte transfiguratur. 13. « Et ecce Michael unus de principibus primis venit ad auxiliandum mihi: et me reliquerunt ibi cum principe regis Persarum. 14. Et veni ut docerem te quæcumque eventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quia ecce visio in dies. 15. Et cum loqueretur ipse mecum omnia verba hæc, dedi faciem meam super terram, et compunctus sum. 16. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea. Et aperui os meum, et loquutus sum, et dixi ad eum qui stabat coram me: Domine, in visione tua conversa sunt interiora mea in me, et ecce non habeo fortitudinem. 17. Et quomodo poterit servus tuus, Domine, loqui cum Domino meo isto? Et ex nunc non stabit in me fortitudo, et halitus non est relictus in me. 18. Et addidit, et tetigit me quasi visio hominis, et corroboravit me. 19. Et dixit mihi: Ne timeas, vir desideriorum, pax tibi, viriliter age, ac esto fortis. Et cum loqueretur ipse mecum, corroboratus sum, et dixi: Loquatur Dominus meus, quia corroborasti me. 20. Et dixit: An nosti cur veni ad te? Et nunc revertar, ut prælier cum principe Persarum. Atque egrediebar; princeps vero Græcorum veniebat. 21. Verumtamen annuntiabo

<sup>1</sup> Theodoretus legit, *manuum mearum*, pro, *pedum meorum*.

(a) Interdixerant quippe Romani Judæis, ne Jerosolymam ingrederentur. Testes sunt Justinus, Tertullianus, Eusebius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Severus atque Hieronymus.

(b) Hoc igitur tempore in extrema senectute erat Daniel. Et tamen S. Chrysostomus, tertio de incomprehensibili Dei natura, juvenem facit. (*Nempe T. 1. At Chrysostomus parum, et sæpe nullam temporum rationem habet.*)

(c) Theodoretus hic, S. Basilius Homilia prima de Jejunio, et noster secunda contra Judæos, cibo penitus et potu abstinentem per tres hebdomadas mansisse Danielem opinantur: ut de Mose legitur Exodi 34, 28. Quod cum divino contextui adversari videatur, in sententiam S. Hieronymi discedo libens.

<sup>1</sup> In Hebræo et in Vulgata legitur, *et ego remansi ibi*.

(a) Hujus argumenti interpretatio petenda est ex libris adversus Judæos, in quibus ista omnia fusius tractantur.

(b) Urbium tumultus ac incommoda pereleganter descripta et suis coloribus depicta habes apud suadæ medullam Gregorium Nazianzenum Oratione 28, Christianorum Demosthenem Basilium Homilia de Gordio martyre; atque etiam, si prolixa sacris miscenda sunt, apud Juvenalem sat. 5.

tibi quod constitutum est in scriptura veritatis : et non est unus, qui a me stet de his , nisi Michael princeps vester. Et ecce vir indutus stolam. » Fortassis sacerdotalem. « Aspectus ejus quasi fulgur erat igneæ flammæ ab oculis ejus. » Quomodo in fulgure illis apparebat? cur sic apparet iste angelus? an ut populum percellat? et quodnam inde emolumentum? Nempè ut persuadeat non amplius lugere, quod eadem sæpè numero dicta fuerint : et testimonium perhibet futurorum virtuti : an ut illi fidem faciat. *Et vox magna.* Ut etiam ea re perterruerit. Daniel obstupescit, et iterum angelo colloquente obstupescit, idque indulgente illo forsàn, et non impotentem faciente seu impediante (a) : quandoquidem prius dixerat : *Viriliter age.* Et stetit. Vides quid sit aspectus angeli? Ne existimes a se esse id quod videtur, nec aurum. Quis enim non ferret earum materialium aspectum? Cum ubique lumen positum sit. Quoniam igitur missus sum, præsignifico hoc solum, inquit, ne corrupas gratiam. *Audita sunt verba tua, et ego veni in verbis tuis.* Quid enim rogabat, et quid precabatur? Et quidem illa ipsi non dicis, nec quidquam ejusmodi. Forte volebat discere exacte tempus, et quid postea futurum esset. *Et princeps, inquit, regni Persarum stetit ex adverso sæci.* Anne hominum principem dicit? Minime. Etenim et alibi ait : *Princeps Græcorum exiit.* Mihi videtur iste qui loquitur non esse de principibus, neque ex iis qui præfecti sunt genti alicui, sed ex supernis virtutibus. Deinde quia angeli alii non valebant illi resistere, huic dicitur. Absoluti sunt, inquit, ac liberati Judæi; quid adhuc queris? « Et ecce Michael, unus principum primorum, venit ad auxiliandum mihi; et me reliquerunt tibi cum principe regis Persarum. Et veni docere te quæcumque evenient populo tuo in novissimis diebus, quia ecce visio in dies. » Quare ante viginti dies non venit Michael? Ut mihi videtur, ostendere vult prophetæ, illum res prohibitas et iniquas atque coactas postulare, ac propemodum angelis vim facere. Propter hoc neque Michael statim ab initio auxiliatur, sed postea, ut discerent indignos reditu esse eos qui postea in patriam reversi sunt. Injuria afficiuntur angeli. *Et me reliquerunt tibi, ut vel persuaderem, vel inliberem ( principem regis Persarum ).* Et quis angelus ejusmodi, qui cum audit Deum præbere gratiam, resistat? Rem, ut arbitror, ita exprimit ac si esset corporea : quemadmodum cum ait : *Quis egredietur et decipiet mihi Achaabum ( 2. Paral. 18. 19 )?* et iterum : *Dimitte me, et delebo eos ( Exod. 32. 10 ).* Non prohibetur Deus, nec vim patitur, detentus a propheta. Ita sane et hic. Rursus vero alibi ait : *Dimitte me, quia ascendit dituculum ( Gen. 32. 26 ).* Et adhuc de angelo et asina : *Nisi faciem tuam apprehendissem ( b ),* inquit. Id itaque non

ostendit, ipsum Deo obsistere, sed hoc unum tantum injuria angelos affici. Tantum valuit Daniel. *Descendi ut docerem te quæcumque populo tuo sunt eventura.* Vide quomodo, re necessaria dimissa, propheta se excuset. Iterum Daniel consternatur : iterum angelus illum erigit, et ait : *Ego proficiscor ut præliet cum principe Persarum. Atque ego egrediebar, princeps vero Græcorum veniebat.* Forte cum uno adversantium ipsi de rebus futuris, quique contra Macedonas pugnaret. Ac nondum persuadetur. Bellumne est inter angelos, et pugna de hominibus? Sane. Maximam quippe eorum curam gerunt. Nondum persuasus est. Quasi si quis diceret : Cogor cum hoc contendere.

## CAPUT XI.

1. *Et factum est in anno primo Cyri, ego steti in robur et fortitudinem.* 2. *Et nunc annuntiabo tibi veritatem.* Et tunc, ego sum qui servavi. Nam ne aliquis dicat : Cur igitur præliaris? quid ergo, si non viceeris? nequaquam, inquit. Et tunc ego illis patrocinatus sum. *Etenim non est, inquit, unus qui a me stet de his, nisi Michael princeps ipsorum ( Dan. 10. 21 ).* Hæc dicit ut Danieli persuadeat, se non esse ipsi hostem ac inimicum, et eum res vetitas petere. Nec ideo dicit, quod adjutoribus indigeat. Quomodo enim? Ostenditur istum angelum non esse de principibus. Postea omnia refert accurate, et ait unde clades. Deinde salutem populi ipsius, et acceptionem in sequentibus narrat.

## CAPUT XII.

7. « Cum completa fuerit dispersio manus populi sanctificati, cognoscent sanctum, et consummabuntur hæc omnia. 8. Et ego audivi, et non intellexi. et dixi : Domine, quid extrema horum? 9. Et dixit : Vade, Daniel, quia et clausi sunt sermones usque ad tempus finis. 10. Quoad eligantur et dealbentur et igne probentur multi : inique autem agent iniqui, neque intelligent omnes impii : at intelligentes intelligent. 11. Et a tempore quo mutatum fuerit iuge sacrificium, et data fuerit abominatio desolationis, erunt dies mille ducenti nonaginta. 12. Beatus qui exspectat et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque. 13. Et tu vade, ac requiesce : adhuc enim dies in completionem consummationis : et requiesces tempus tuum in consummationem dierum » (a). Et tu, inquit, sede. Nam post multum tempus hæc erunt. Igitur non de reditu lamentatur, sed post reditum pro iis qui redierant.

## CAPUT XIII. ( In Vulg. XIV. )

1. « Et rex Astyages appositus est ad patres suos : et accepit Cyrus Persa regnum ejus ( b ). 2. Et erat

(a) In Græco, ἡρξυνοβόρος τῶν, οὐκ ἀδυνατοβόρος. Ut potui interpretatus sum; an feliciter, clam me est. Sane illa verba, *viriliter age*, ab angelo pronuntiata fuere post Danielis stupores; sed, *noti metuere*, idem significat. Lege in Editione Græca Dan. 4. 6.

(b) Non memini me legere ista in sacris scripturis. Forte allusum ad Num. 22, 23, 27, 31, 32. Verum quia quid si-

mille habetur Jobi 42, 8, existimo s. Chrysostomum eum locum in mente habuisse. Sic enim interdum hallucinantur Ecclesie doctores sanctissimi. Posset etiam dici excerptorem duo loca confudisse in unum.

(a) Consulendi B. Hieronymus ac Theodoretus.

(b) Id primo observo, s. Chrysostomum Græcos Codices sequutum, ista cum superioribus conjunxisse : *librarium*

δριζου. Καὶ ἔστη. Εἶδες τί ἐστὶν ὄψις ἀγγέλου; Μὴ νομίσης χαλκὸν εἶναι τὸ ὀρώμενον, μηδὲ χρυσίον. Τίς γάρ οὐκ ἂν ἐνέγκοι τούτων τὴν ὄψιν; Πανταχοῦ γὰρ τὸ φῶς καίται. Ἐπεὶ τοίνυν ἀπεστάλην, προσημαίνω τοῦτο μόνον, φησί, μὴ διαφθείρης τὴν χάριν. *ἤκουσθησαν οἱ λόγοι σου, καὶ ἐγὼ ἦλθον ἐν τοῖς λόγοις σου.* Τί γὰρ παρεκάλει, καὶ τί ἔδειτο; Καὶ μὴν οὐχὶ ταῦτα αὐτῷ λέγεις, οὐδὲ τοιοῦτον οὐδέν. Τάχα ἐθούλετο μαθεῖν ἀκριβῶς τὸν χρόνον, καὶ τὸ μετὰ ταῦτα. *Καὶ ὁ ἄρχων τῆς βασιλείας, φησί, Περσῶν εἰστήκει ἐξ ἐναντίας μου.* Ἄρα μὴ τὸν τῶν ἀνθρώπων λέγων ἄρχοντα; Οὐδαμῶς. Καὶ γὰρ ἀλλαχοῦ λέγει· *Ὁ ἄρχων τῶν Ἑλλήνων ἐξῆλθεν.* Ἐμοὶ δοκεῖ οὗτος οὐκ εἶναι τῶν ἀρχόντων, οὐδὲ τῶν ἐπιτεταγμένων ἔθνος, ἀλλὰ τῶν ἄνω δυνάμεων. Εἶτα ἐπειδὴν οὐκ ἴσχυον οἱ ἄγγελοι ἄλλοι ἀντιστῆναι αὐτῷ, τοῦτ' αὖ λέγεται. Ἀπελύθησαν, φησί· τί πάλιν ζητεῖς; *Καὶ ἰδοὺ Μιχαὴλ εἰς τῶν ἀρχόντων τῶν πρώτων ἦλθε βοηθῆσαι μοι· καὶ αὐτὸν κατέλιπον ἐκεῖ μετὰ τοῦ ἀρχοντος βασιλέως Περσῶν.* Καὶ ἦλθον συντίσαι σε ὅσα ἀπαντήσεται τῷ λαῷ σου ἐκ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, ὅτι ἰδοὺ ἡ ὄρασις εἰς ἡμέρας. Τίνος ἕνεκεν πρὸ τῶν εἰκοσι ἡμερῶν οὐκ ἦλθεν ὁ Μιχαὴλ; Ἐμοὶ δοκεῖ, δεῖξαι βούλεται τῷ προφήτῃ, ὅτι κεκωλυμένα πράγματα αἰτεῖ καὶ παράνομα καὶ κατηναγκασμένα, μονονοχὶ καὶ τοῖς ἀγγέλοις βίαν ποιῶν. Διὰ τοῦτο οὐδὲ Μιχαὴλ εὐθέως ἐν ἀρχῇ βοηθεῖ, ἀλλ' ὕστερον, ἵνα μάθωσιν ὅτι οὐκ ἦσαν ἄξιον ἀνελεθεῖν οἱ μετὰ ταῦτα. Ἄδικοῦνται οἱ ἄγγελοι. *Καὶ αὐτὸν ἀφῆκον ἐκεῖ, ὥστε ἡ πείσαι, ἡ κωλύσαι.* Καὶ τίς ἄγγελος τοιοῦτος, ὡς ἀκούσας τοῦ Θεοῦ δόντος τὴν χάριν, ἀντιστῆναι; Σωματοποιεῖ, ὡς οἶμαι, τὸ πρᾶγμα, ὥσπερ ἐκεῖ [ψ. ἐπει] ἔλεγε· *Τίς ἐξελεύσεται, καὶ ἀπατήσεται μοι τὸν Ἀχαάβ;* Καὶ πάλιν· *Ἄφες με, καὶ ἐξαλείψω αὐτούς.* Οὐ κωλύεται ὁ Θεός, οὐδὲ ἀνάγκην πάσχει, κατεχόμενος; ὑπὸ τοῦ προφήτου. Οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα. Καὶ πάλιν ἀλλαχοῦ φησί· *Ἄφες με, ὅτι ἀνέθῃ ὁ ὄρθρος.* [252] Καὶ πάλιν ἐπὶ τοῦ ἀγγέλου καὶ τῆς ὄνου· *Εἰ μὴ πρόσωπόν σου ἔλαβον, φησὶν.* Οὐκ ἄρα τοῦτο δείκνυσιν αὐτὸν ἀνθιστάμενον τῷ Θεῷ, ἀλλ' ἐν μόνον, ὅτι ἀδικοῦνται. Τεσσαῦτα ἴσχυον ὁ Δανιὴλ. *Κατῆλθον συντίσαι σε ὅσα ἀπαντήσεται τῷ λαῷ σου.* Ὅρα πῶς ἀναγκαῖον πρᾶγμα ἄφεις, ἀπολογεῖται τῷ προφήτῃ. Πάλιν ἐξίσταται· πάλιν αὐτὸν ἀνίστασι, καὶ φησί· *Ἐγὼ κορευόμενος τοῦ πολεμῆσαι μετὰ τοῦ ἀρχοντος Περσῶν. Καὶ ἐγὼ ἐξεκορευόμην, καὶ ὁ ἀρχων τῶν Ἑλλήνων ἤρχετο.* Ἰσως ἐνδὸς τῶν ἐναντιουμένων ἐπὶ τοῖς ἐσομένοις, ὥστε τοῖς κατὰ Μακεδονίαν πολεμῆσαι. Καὶ οὕτω πείθεται. Πόλεμος ἐν ἀγγέλοις ἐστὶ, μάχη περὶ ἀνθρώπων; Ναί. Πάνυ γὰρ αὐτῶν κήδονται. Οὕτω ἐπέστη. Ὅσπερ ἂν εἶποι τις· Ἄναγκάζομαι τῷδε φιλονεικῆσαι.

## ΚΕΦΑΛ. ΙΑ'.

*Καὶ ἐγένετο ἐν ἑταί πρώτῳ Κύρου, ἐγὼ ἔστην εἰς κράτος καὶ ἰσχύρ. Καὶ νῦν ἀναγγελάω σοι ἀλήθειαν.*

Καὶ τότε, φησί, σώσας ἐγὼ εἰμι. Ἴνα γὰρ μὴ λέγη τις· Τί οὖν πολεμεῖς; τί οὖν, ἂν μὴ νικήσης; Οὐχί, φησί. Καὶ τότε ἐγὼ αὐτῶν προέστην. Καὶ οὐκ ἔστι γὰρ, φησί, *εἰς ἀντεχόμενός μοι περὶ τούτων, ἀλλ' ἡ Μιχαὴλ ὁ ἀρχων αὐτῶν.* Ταῦτα λέγει ἵνα πείσῃ αὐτὸν, ὅτι οὐ πολέμιός ἐστιν αὐτῷ καὶ ἐχθρός, καὶ ὅτι πράγματα αἰτεῖ κεκωλυμένα. Οὐχ ὅτι βοηθῶν δεῖται. Πῶς γὰρ; Δείκνυται ὅτι οὗτος οὐκ ἦν τῶν ἀρχόντων. Εἶτα λέγει πάντα μετὰ ἀκριβείας, καὶ λέγει πόθεν αἰ ἦρται. Εἶτα λέγει τὴν σωτηρίαν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐξῆ; καὶ τὸ δόκιμον.

## ΚΕΦΑΛ. ΙΒ'.

*Ἐν τῷ συντελεσθῆναι διασκορπισμὸν χειρὸς λαοῦ ἠγιασμένου, γνώσονται ἄγιον, καὶ συντελεσθήσεται ταῦτα πάντα. Καὶ ἐγὼ ἤκουσα, καὶ οὐ συνῆκα, καὶ εἶπον· Κύρις, τί τὰ ἐσχάτα τούτων; Καὶ εἶπε· Δεῦρο, Δανιὴλ, ὅτι καὶ ἐμπεφραγμένοι οἱ λόγοι ἕως καιροῦ πέρατος. Ἔως ἐκλεγῶσιν, καὶ ἐκλευκανθῶσιν, καὶ πυρωθῶσι πολλοὶ, καὶ ἀνομήσωσιν ἄνομοι, καὶ οὐ συνήσωσι πάντες ἀσεβεῖς, καὶ οἱ ροήμορες συνήσωσιν. Καὶ ἀπὸ καιροῦ παραλλάξεως τοῦ ἐνδελεχισμοῦ, καὶ δοθηται βδέλυγμα ἐρημώσεως, ἡμέραι χίλια διακόσονται ἐννετήκοντα. Μακάριος ὁ ὑπομένων καὶ φθάσας εἰς ἡμέρας χιλίας τριακοσίας τριακονταπέντε. Καὶ σὺ δεῦρο, καὶ ἀναπαύου· ἐτι γὰρ ἡμέραι εἰς ἀναπλήρωσιν συντελείας· καὶ ἀναπαύσεις τὸν καιρὸν σου εἰς συντέλειαν ἡμερῶν. Καὶ σὺ, φησί, κάθισον· μετὰ γὰρ χρόνον πολὺν ταῦτά ἐστιν. Ἄρα οὐ περὶ τῆς ἀνάδου θρηνεῖ, ἀλλὰ μετὰ τὸ ἀνελεθεῖν περὶ τῶν ἀνελεθόντων.*

## [253] ΚΕΦΑΛ. ΙΓ'.

*Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀστυάγης προστέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ· καὶ παρέλαβεν Κύρος ὁ Πέρσης τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Καὶ ἦν Δανιὴλ συμβίωτης τοῦ βασιλέως, καὶ ἐνδοξος ὑπὲρ πάντας τοὺς φίλους αὐτοῦ. Τὰ κατὰ τὸν Βῆλ ἡμῖν ἀνέγραψεν ὁ Δανιὴλ. Οὐχ ὄρε, φησί, πόσα ἐσθίει καὶ πίνει; Βαβαί, ἤλικον τεκμήριον Θεοῦ, καὶ γνώρισμα, τὸ πολλὰ ἐσθίειν καὶ πίνειν. Ὁ Δανιὴλ οὐκ εἶπε τοῦτο··· Τοῦτο οὖν Θεός, εἶπέ μοι; ἀσθενῆς γὰρ ἦν ἐκεῖνος· ἀλλ' ἐκ περιουσίας ἐνίκησεν. Ἐγὼ σοὶ τὸν Θεὸν [τὸν] κτίσαντα τὸν οὐρανὸν λέγω καὶ τὴν γῆν· σὺ δὲ μοι γαστέρα μαινομένην παράγεις εἰς μέσον; Τοῦτο μάλιστα οὐκ ἂν εἴη Θεοῦ· Θεός γὰρ οὐ πεινάζει, οὐ κοπιάσει. Ἄλλ' οὐ βούλεται ἀπὸ λογισμῶν, ἀλλὰ ἀπὸ πραγμάτων νικᾷ. Καὶ τιμωρίαν ὤρισεν αὐτὸς ὁ βασιλεὺς. Τίνος ἕνεκεν οὐχὶ παρόντων ἐσθίει, ἀλλ' ἐν νυκτί; Πῶς ἐκεῖνοι τοῦτο οὐ συνείδον, ὅτι ἡμελ-*

• Τοῦτο. Vox inutilis, forsitan delenda.

λον διὰ τῆς βοηθείας\* ἐλέγχεσθαι; Ὅταν Θεὸς οἰκονομήῃ, μηδὲν θαυμάσης. Καὶ ἀπέκτεινεν αὐτούς, φησί. Τί οὖν πάλιν ἐπὶ τοῦ δράκοντος; θηρίον τις προσκυνεῖ; Καὶ τοῦτον ἀνεῖλεν. Ὅρα ὡς ἀνόητοι, πῶς ἀναδροὶ οἱ βασιλεῖς τῶν Περσῶν; Ἐκδίδωσι τὸν Δαριήλ. Τίνος ἕνεκεν, μετὰ τὴν νίκην τὴν οὕτω λαμπράν; Ὁ δὲ Ἀμβακούμ, φησί, ἀριστον ἤνεγκε τῷ Δαριήλ. Ὅρα τὸ θαῦμα. Μὴ γὰρ οὐκ ἦν δυνατόν αὐτῷ ἄλλοθεν

ἐπιχθῆναι, ἀλλ' ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας; Τοῦτο φίλον ἦν τῷ προφήτῃ. ἵνα μὴ τὰ αὐτὰ ποιῆσθαι πάλιν, καθάπερ ἐπὶ τοῦ εὐνούχου, ἵνα μὴ νομίσας ἠλισγησθαι τὴν τράπεζαν, τὸν λιμὸν ἐπιτείνη. Πόθεν ἔγνω τὸν Ἀμβακούμ; Ἀπὸ τῆς συγγενείας τῆς κατὰ τὴν φωνήν. Ἐμελλεν αὐτὸς κήρυξ γίνεσθαι τοῖς κατὰ τὴν Ἰουδαίαν θαύματος μεγίστου. Πῶς οὐκ ἐφοδῆθη τὰ θηρία ὁ ἄνθρωπος; Οὗτος μὲν ἦσθιεν, ἐκείνα δὲ ἐνήστευον. Ἔστω, τοῦ σώματος ἀπέιχετο τοῦ δικαίου τίνος ἕνεκεν καὶ τῆς τροφῆς; Ὡσπερ κημὸς τις καλὸν χαλινὸς κατεῖχεν ἐκείνα.

\* Quamvis sensus esse possit, Beli sacerdotes revictum iri per auxilium quod Deo suo ferebant, dum cibis illi appositis vescerentur, sine dubio tamen corrigendum γοητείας.

## MONITUM

[254) Hanc pulcherrimam homiliam primus e tenebris eruit vir doctissimus Ericus Benzelius, et Upsalæ publicavit anno 1708, ad fidem Ms. cujusdam Anglicani, multis in locis vitiati. Sed commodum accidit ut hanc eandem homiliam ex Ms. Ottoboniano Romæ descripserimus, cujus Ms. ope hiulca sarsimus, vitiataque emendavimus.

Habendæ homiliæ, seu potius disceptationis (nam tota in genere πολεμικῶν versatur) occasio fuit Anomæorum quædam objectio. Cum enim Chrysostomus in priori hanc præcedente concione, hoc dicto evangelico in medium adducto, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, ostendisset Filii cum Patre æqualitatem, quod etiam, inquit, declarat evangelista his verbis: *Propterea magis persequerentur eum, non solum quia solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*; ita sermonem clausit. Hæretici autem Anomæi huic argumento ex Joanne evangelista desumpto alium opposuere Joannis locum, nempe illud Joannis 5, 19: *Nihil potest facere Filius, nisi viderit Patrem facientem*. Cumque talis esset objectio, quæ posset auditores turbare atque percellere, opus erat hasce Anomæorum argutias confutare: quamobrem Flavianus episcopus pauca præfatus, cum sciret populum audiendi ea de re Chrysostomi cupidum, utpote qui posset hujusmodi tela strenue depellere, cito finem dicendi fecit, et Chrysostomo hæreticos confutandi curam demandavit: noverat enim quanto amore ipsum plebs Antiochena prosequeretur; neminemque posse tam fortiter lucifugas illos profligare, quam Joannes

Daniel conviva regis, et gloriosus super omnes amicos ejus. » Quæ ad Belum spectant descripsit nobis Daniel. 5. *Nonne vides, inquit, quanta comedat et bibat?* Papæ, quale argumentum ac indicium divinitatis, multa edere ac bibere! Daniel non dixit: Hoccine, quæso, est Deus? imbecillus enim erat rex: sed ex abundanti vicit. Ego tibi Deum dico, qui creavit cælum et terram; tu vero mihi ventrem avidum productis in medium? Hoc maxime Dei esse non potest: Deus siquidem non esuriet, non fatigabitur. Verum rationibus contendere non vult, sed rebus vincit. Et supplicium ipse rex definivit. Qua de causa Belus

vero ex Vulgata apposuisse notam capitibus: id etiam patet ex eo quod capiti 12 præfixum est in meo Codice, *ϕ. δ.*, hoc est, 12. 14. Secundum quod notatum velim, in ea videri esse sententia nostrum Joannem, ut existimet hunc versiculum pertinere ad historiam Beli, et ad Cyri tempora; non autem ad historiam Susannæ, et ad Danielis juventutem: atqui supra Tom. 2, et Homilia prima in Psalmum 50 Tom. 5, in contraria abit, ac parum verisimiliter scribit Danielem tunc temporis duodecimum ætatis annum egisse, qui est etiam Pseudo-Ignatii error. Nec quemquam movere debet hæc diversitas, in re præcipue adeo obscura.

palam et ante oculos omnium non comedit, sed noctu? Quomodo sacerdotes non perspiciebant se per suam fallaciam convictum iri? Quando Deus dispensat, nihil mireris. 21. *Et occidit illos,* inquit. Quid igitur adhuc de dracone? belluam aliquis adorat? Illum Daniel interfecit. Vides quam dementes, quam ignavi sint reges Persarum? 29. *Tradidit Danielem.* Quam ob rem, post victoriam adeo illustrem? 33. *Ambacum autem,* inquit, *prandium attulit Danieli.* Cerne miraculum. Nonne enim poterat illi aliunde afferri cibus, quam a Judæa? Hoc gratum erat prophetæ, ne eadem iterum ageret, quæ sub eunucho fecerat, neve existimans mensam pollutam esse, famem intenderet. Unde agnovit Ambacum? Ex affinitate linguæ ac vocis. Futurus erat ille maxime miraculi præco apud eos qui in Judæa habitabant. Qui potuit homo non timere feras? Hic quidem comedebat, illæ vero jejunabant. Esto, corpore viri justii abstinerint: quare etiam abstinebant cibo? Veluti camus quidam ac frenum illas continebat.

#### AD HOMILIAM SEQUEMTEM.

ille, cujus strenuitatem, acumen ingenii, atque *διαλεκτικὴν* experti sæpe fuerant. Unde mireris Flaviani modestiam, pietatem, animi ingenuitatem, qui se a presbytero suo sibi subdito ita libenter fateretur et doctrina et eloquentia superari. Chrysostomus vero, ut erat moderatus, et a propria laude alienus, initio vehementer queritur sibi delatum munus esse a doctore suo, qui vere fons doctrinæ esset, et hanc provinciam probe suscipere posset. Deinde vero argumentum adversariorum tam strenue, tam clare depellit, ut nescias utram magis mireris, eloquentiam an dialecticæ vim.

Certum igitur est hanc concionem Antiochiæ in magna ecclesia, ut fert titulus, præsentem Flaviano habitam fuisse, cum jam Chrysostomus in magna esset apud Antiochenos existimatione. Hinc est quod illa alia homilia Chrysostomi, quæ hujus habendæ occasio fuit, cujusque notas aliquot in hac Chrysostomus exhibet, ut nos supra diximus, jam non compareat inter illas homilias quas contra Anomæos Antiochiæ pronuntiavit Chrysostomus decem numero: quasque edidimus primo Tomo, a'ditis undecima et duodecima, quæ Constantinopoli, item contra Anomæos, habitæ sunt. Illæ enim decem homiliæ eo anno dictæ sunt quo ipse presbyter factus est, et concionari cœpit, nempe anno 386, et anno sequenti 387. At hæc homilia, ut et ea quæ ipsam præcedebat, post illas habita fuit, cum ex assiduo concionandi officio magnum sibi Antiochiæ nomen peperisset Chrysostomus. De anno autem nihil prorsus habemus.

Interpretationem nostram Latinam ad fidem Ottoboniani exemplaris edidimus.

## SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS CHRYSOSTOMI,

IN MAGNA ECCLESIA, CUM PAUCA PRÆFATUS ESSET EPISCOPUS, IN ILLUD EVANGELII, FILIUS EX SE IP SO NIHIL FACIT, NISI QUOD VIDERIT PATREM FACIENTEM (*Joan. 5. 19*).

1. O violentiam! o tyrannidem! Doctor noster, qui a te nos præfatus est, plenam cum haberet phialam, summis tantum labris poculum degustandum nobis propinavit: id autem fecit non ob doctrinæ penuriam: nam fontis instar scaturire solet; sed quemadmodum dixi, ut vestræ caritatis tyrannidem palam faceret, quam erga tenuitatem nostram exhibere soletis: ea de causa cito tacuit sermonemque conclusit, ut vestro desiderio gratificaretur; et toti solvendo debito nos obnoxios constituit. Quia igitur et is nobis dicendi loco cessit, et vos nostro ab ore pendere video, necesse tandem est ut ad certamina nos exuamus: vos autem mihi opem ferite, et manum porrigite, precibus nostram excitantes linguam, et attentione animi facilem parantes doctrinæ viam. Quandoquidem propheta non admirabilem modo consiliarium, sed etiam prudentem auditorem postulat (*Isai. 3. 3*). Non enim leve nobis certamen hodie paratum est, sed quod multis egeat precibus, multa auditorum vigilantia, multa concionantis diligentia, ut quæ dicenda sunt et accurate proferantur, et tuto in caritatis vestræ animis inserantur. Cupio namque vos non audire tantum, sed etiam institui; non discere modo, sed etiam docere; non accipere solum, sed etiam in alios transmittere. Sic enim et splendidius nobis theatrum, et major cœtus erit, quando vos per ea quæ audieritis, alios etiam inducere poteritis. In priore itaque concione hoc dicto evangelico in medium adducto, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan. 5. 17*), cum hinc ostendissem ejus cum Genitore æqualitatem, quod et supra declarat evangelista his verbis, *Propterea magis persequantur eum, non solum quia solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan. 5. 18*), ita sermonem clausi. Hodie autem opus est ea solve, quæ adversus hæc obijciunt hæretici. Quamvis enim inter amicos certemus, tanta tamen adhibenda diligentia est, ut undique a fraude tuta et invicta sit oratio, etiamsi in mediis hostibus versetur. Ut enim ante dicebam, non audire tantum vos volo, sed etiam alios instituere. Ideo sollicitè studui vos armis spiritualibus circummunire, ut nullum membrum nudum appareat, vel letali vulnere confodiatur. Armorum quippe loco nobis est sermo, qui nostros munit, et hostes ferit; ferit, inquam, non ut dejiciat, sed ut jacentes erigat. Hujusmodi enim pugnae genus est, quod in salutem contra pugnantium tropæum erigat.

Ut igitur hoc fiat, attento adeste animo, omni ejecta sæculari cura animum excitate, acute cernentem oculum præbete mihi. Dives ne socordia diffuat: pauper ne egestatis curis opprimatur; sed missa omni vitæ inæqualitate, quisque se paratum auditorem præbeat: neque enim parvi prelii sunt, quæ nunc tractantur. Ideo hæc frequenter moneo: novi quippe quam profundo in pelago navigemus. Ne turberis profundum audiens: Spiritu namque duce, non sunt aquæ caligini obnoxia, sed facillima erit via, si eam tantummodo, quam jubeo, teneatis. Ne turbemini, neque moveamini. Quæ enim hodie agitantur, auditorem initio turbant, inque dubitationem conjiciunt: si vero finem exspectet, ubi consentaneam solutionem videbit, jucunda fruetur tranquillitate, et in portum nullis agitatum fluctibus animum appellere poterit. Ut ergo hæc ita se habeant, ne turbemini, ne commoveamini, sed cum omni patientia et perseverantia viam sequimini, quam verbi doctrina ostendit.

*Anomæorum obiectio, quæ fucum facere poterat, refellitur.* — Quæ sunt ergo quæ nobis ab illis obijciuntur? *Nihil potest, inquit, facere Filius, nisi viderit Patrem facientem* (*Joan. 5. 19*). Atqui hæc Scriptura dixit. Quorsum ergo hæc nobis obijciunt? Non eo sensu, quo a Scriptura dicta sunt, afferuntur. Quid hinc aiunt, concludere volunt? Vides quomodo Filius Dei, inquit, illam æqualitatis suspicionem auferat? Quia enim Judæi id suspicabantur, nempe eum Deo æqualem se facere, ideo intulit his verbis, *Non potest Filius a seipso facere quiddam.*

2. Num frustra dicebam, hæc verba vos turbare posse, atque initio auditorem percellere? Verum exspectate, et videbitis eos propriis confectos telis. Cum primis enim observandum id, quod dicitur, non fuisse Judæorum suspicionem: quod etiam in præcedenti disputatione cum omni perspicuitate ostendimus; quæ ne iterum agitentur, eo remittimus auditorem, et quod nunc obijciitur solve conabimur, ostendereque ipsum non ut everteret eorum suspicionem hæc dixisse, sed ut eam accuratissime firmaret ac stabiliret, nobisque argumentum præberet suæ cum Patre propinquitatis, naturalis conjunctionis, atque concordia. Ita enim huic dicto confido, ut illo maxime dicam demonstrari ejus cum Patre conjunctionem, et substantiæ unitatem. Neque perturbemini ex ratiociniis hæreticorum. Neque enim gladii in muris depicti, neque hastæ, neque spicula hostes turbare possent, torvum et terribi-



ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ  
**ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ**

Ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ, προειρηκότος (ἐπισκόπου) ὀλίγα εἰς τὸ Εὐαγγέλιον, εἰς τὸ, (Οὐδέποτε ἀπ' αὐτοῦ ποιεῖ ὁ Υἱὸς οὐδέν, ἐὰν μὴ τι βλέπῃ τὸν Πατέρα ποιοῦντα \*.)

culum abductus es? Hæccine ferenda? hæccine toleranda? Neque enim finem faciam hæc sæpe dicendi, doloremque meum sic leniendi, ut ne illum silentio premam, sed in medium afferam, et ob oculos vestros ponam. Quomodo poterimus deinceps Deum propitium reddere? quomodo iratum nobis reconciliare? Ante tres dies (a) irrupente pluvia ingenti, atque omnia secum trahente, et ab ore, ut ita dicam, agricularum mensam rapiente, comatas spicas dejiciente, cæteraque omnia per humidæ materiæ copiam devastante, litanie (b) et supplicationes fuere, totaque civitas nostra quasi torrens ad loca apostolorum currebat: advocatosque implorabamus sanctum Petrum et beatum Andream, par illud apostolorum (c), Paulum item et Timotheum. Post hæc vero, cum ira sedata esset, aucter trajectis pelago fluctibusque, ad coryphæos accurrimus (d), Petrum fundamentum fidei, et Paulum vas electionis, festum celebrantes spirituale, eorumque certamina prædicantes, tropæa victoriasque contra dæmonas. At tu neque formidine gestarum rerum deterritus, neque magnitudine apostolicorum gestorum eruditus, ita confestim, uno tantum interposito die, exsilis, clamas, animam tuam pravis affectibus in captivitatem abductam et dejectam contemptim aspicias? Quod si volebas brutorum cursum spectare, quare non junxisti brutos animi tui affectus, iram et concupiscentiam? cur non imposuisti eis philosophiæ jugum suave illud et leve? cur non aurigam rectam

(a) Hinc aliquid emergit difficultatis. Vide Monitum supra. *Montefalconius*. Equidem credo hanc homiliam habitam esse sabbato ante Pascha, quo die theatrum illi frequentabant. rationes ita iniit. Die Veneris ante Pascha in Circo fuerunt; inter hos ludos autem et inter istam inundationem unus dies intercessit: ergo die Mercurii fuit inundatio. Die Sabbati adierunt theatra: hoc ipso die habuit concionem. Ergo quarto die post calamitatem. Vide tamen, quæ supra monuit ante hanc homiliam ad Montefalconii animadversionem.

(b) *Litanie* processiones erant cum supplicationibus, vel ad nemum placandum in adversis casibus, vel ad gratias ipsi agendas pro acceptis beneficiis: *Litania est supplicatio communitatis ad Deum, sive propter iram nobis illatam, sive ad gratias agendum pro bonis collatis*, inquit Symeon Thessalonicensis in Opusculo contra hæreses. Litanie quoque apud Latinos mediæ ævi processiones sæpe significant. *Ibid.*, in loca apostolorum, in ecclesiis nempe ss. Apostolorum, de qua modo dicebamus; ubi speciatim Petrus, Apostolorum princeps, et Andreas, Byzantiæ Ecclesiæ fundator et frater Petri, itemque Paulus et Timotheus in advocatos compellabantur. Hinc Bosphorum trajiciunt Constantinopolitani supplicandi causa, Chrysostomo episcopo duce, ad ecclesias ss. Petri et Pauli e regione Constantinopolis trans Bosphorum sitam. Hic observes velim, invocationem sanctorum frequentatam, et intercessionem creditam fuisse quarto sæculo, contra quam effluunt hæretici. Id quod passim apud Chrysostomum observatur.

(c) Ita hic appellantur Paulus et Timotheus, quod Timotheus discipulus fere numquam a latere Pauli præceptoris recessit.

(d) Ex his colligit Montefalconius, Constantinopolitanos, comite Chrysostomo, mare trajecisse. Sed in ipsa urbe erat etiam templum Petri et Pauli. Id didici ex Codice, quem in secunda parte mæse N. Testamenti Editionis appellavi a. Ex eodem cognovi, factas esse processiones ad istud templum. Sed iste Codex nunc non erat ad manus. Vide ipsum Montefalcon. superius nota (a), col. 264. Jam cum Chrysostomus vehementer amet tropicam dictionem, credo hæc, *aucter trajectis pelago fluctibusque*, accipienda esse de calamitate illa feliciter superata. *Coryphæus* proprie est *dux chori*, deinde omnino *dux, princeps, excellens*. Frequenter autem vel Petrus solus *Coryphæus apostolorum*, vel Petrus et Paulus *Coryphæi apostolorum* appellantur, *principes apostolorum*.

rationem imposuisti eis, nec cucurristi ad bravium supernæ vocationis, non a scelere in scelus (a), sed a terra in cælum cursum dirigens? Nam cursus hujusmodi genus cum voluptate multam conjunctam habet utilitatem. Verum negotiis tuis temerario et fortuito casui relictis, de aliorum victoria sollicitus sedebas, diem tantum frustra et temere, imo in rem malam insumens.

2. An ignoras quemadmodum nos cum argentum domesticis nostris tradimus, rationem ab eis expetimus ad usque unum obolum: ita Deum dierum vitæ nostræ rationem a nobis expetiturum esse, nempe qua ratione unumquemque diem transegimus? Quid ergo dicemus? quam excusationem afferemus, quando diei illius rationes exposcentur? Propter te sol ortus est, luna noctem illumnavit, varius stellarum chorus effulsit; propter te flaverunt venti, et fluvii manarunt; propter te semina germinarunt, plantæ creverunt, naturæ cursus ordinem tenuit suum, dies apparuit, noxque pertransiit: hæcque omnia propter te facta sunt: tu vero rebus creatis tibi ministrantibus, diaboli optatum imples? Et cum tantam a Deo donum, hunc videlicet mundum, mercede conduxeris, mercedem non solvisti. Nec tibi satis fuit priore die (b) id egisse, etiam insequenti, cum a nequitia pristina paulum quiescere oportuisset, ad theatra iterum conscendisti, a fumo currens ad ignem, tæquæ in aliud deterius barathrum conjecisti (c). Senes canos suos dehonestant, adolescentes juventutem suam præcipitabant, patres filios suos eo adducebant, jam a principio ætatem nequitie expertem in improbitatis barathra inducentes, ita ut non aberret quisquam, si illos, non patres, sed filiorum interfectores appellet, qui nequitia sua animam liberorum in exitium impellant. Ecqua nequitia? inquires. Ideo certe lugeo, quia dum morbo laboras, ægrotare te non nosti, ut medicum quæras. Adulterio plenus evasisti, et interrogas, quæ nequitia (d)? Annon audisti Christum dicentem: *Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam (Matth. 5. 28)*? Quid ergo, inquires, si non respiciam ad concupiscendum? Et quomodo id mihi persuadere poteris? Nam qui ab aspectu non temperat (e); imo qui tanto studio ad id incumbit, quomodo post aspectum poterit a labe purus remanere? An lapis corpus tuum? an ferrum? Carne circumdatus es, carne, inquam, humana, quæ velocius quam fenum a concupiscentia incenditur.

*Scortorum in theatris impudici gestus.* — Ecquid theatrum memoro? In foro sæpe si mulieri occur-

(a) Id est, ut mox apparebit, e Circo ad theatrum.

(b) *Prior dies* est dies Veneris ante Pascha. Eo die fuerant in Circo: die proximo Sabbati ante Pascha adierant theatrum.

(c) In Græco, *κατέβη*, hoc est proprie, *demissiati*. Nox enim docet, theatrum pejus esse Circo. Bene autem dixit, demittere se in barathrum, tanquam in locum profundum.

(d) His prorsus similia habet t. IV, Hom. 3 de Davide et Saule, col. 603, iisdem sæpe verbis. *Montefalconius*.

(e) In Græco, *ταῖς ὀφθαλμοῖς καὶ κερταῖς*, quæ hunc sensum exhibent, *qui se a spectaculis non potest cohibere*.

ramus, perturbamur : tu vero superne sedens, ubi tantum est ad turpitudinem incitamentum, vides mulierem (a) nudo capite cum impudentia magna intrantem, aureis indutam vestimentis, delicato mollique gestu utentem, cantica meretricia canentem, carmina lubrica, turpia verba proferentem, tamque turpiter agentem, quam tu potes qui vides in mente concipere, tu te inclinas ut respicias, et audes dicere te nihil humanum pati? Num corpus tuum lapis, num ferrum est? Neque enim eadem repetere gravabor. Numquid tu majore philosophia instructus es, quam magni illi ac strenui viri, qui per simplicem aspectum prostrati sunt? Annon audisti Salomonem dicentem : *Ambulabit quis super carbones ignis, et pedes non comburent? Ligabit quis ignem in sinu, et vestimenta non incendet? Sic qui ingreditur ad mulierem alienam (Prov. 6. 28. 27. et 29)*. Etsi enim cum meretrice non coivisti, ac concupiscentia cum illa copulatus es, et animo peccatum perpetrasti. Neque tantum illo tempore, verum etiam soluto theatro, postquam illa discessit, ejus imago in mente tua insidet, verba, habitus, aspectus, inaccessus, elegantia (b), membra meretricia (c) : ac sexcentis acceptis vulneribus discedis. Annon inde domorum subversiones? annon inde continentiae perniciēs? annon inde connubiorum divortia? annon inde lites et jurgia? annon inde molestiae et tædia nulla ratione fulta? Postquam enim illa repletus rediisti captivus, tibi uxor injucundior et deformior videtur, et liberi importuniores, et famuli onerosi, domus fastidio est, solitæque curæ ad domestica necessariaque negotia gerenda molestæ : ac quisquis accedit oneri tibi atque importunus est.

3. In causa autem illud est, quod non solus domum redeas, sed meretricem tecum ducas : non palam, non aperte ; id quod sane tolerabilius esset ; nam uxor illam cito depelleret : sed in animo, in conscientia insidentem, et Babylonicam flammam intus accendentem ; imo graviorem : non enim stupa, naphtha et pix, sed quæ supra diximus, esca illius ignis sunt, et omnia sus deque vertunt. Ac quemadmodum ii qui feбри laborant, etsi nullam eos qui sibi ministrant criminandi causam habeant, ob morbi vim importuni omnibus sunt, alimenta repellunt, medicos male accipiunt (d), familiaribus irascuntur, contra famulos rabie feruntur : sic qui hoc gravi morbo tenentur, inquieti sunt, indignantur, semper illam præ oculis habentes. O res indignissimas! Lupus, leo, cæteræque feræ sagittis impetite fugiunt venatorem : homo autem ratione præditus, vulneratus, eam quæ ipsum vulneravit sequitur, ita ut longe gravius telum excipiat, et in vulnere sibi placeat ; quod est omnium acerbissimum, morbumque insanabilem efficit. Nam

(a) In Græco, *ἀνυμφή*, hoc est, *meretricem*. Sic theatrales reginas appellat Chrysostomus. *MOX, nudo capite* ; id enim olim indecorum habebatur.

(b) In Græco, *ἡ εὐπρεπία, ἡ διακρίσις, rhythmus, elegantia, sive rhythmus intelligitur de cantu, sive de saltatione.*

(c) Verba Græca, *μυρία πορνεία*, licet etiam interpretari, *meretricia cantiones*.

(d) In Græco, *κατακλιθεὶς*, quæ vox melius redderetur, *accusanti, reprehendenti*.

qui ulcus non odit, neque ab eo liberari cupit, quomodo medicum quærat? Ideo dolore afficior, ideo discrucior, quia tanta accepta perniciē inde disceditis, et propter exiguam voluptatem perpetuum fertis dolorem. Etenim ante gehennam et supplicium hic extremas a vobis pœnas exposcitis. Annon hoc, die mihi, extremum supplicium est, talem concupiscentiam alere, perpetuo uri, et fornacem absurdi amoris ubique circumferre, necnon conscientiae accusationem? Quomodo ad limina illa sacra accedes? Quomodo tanges cælestem mensam? Quomodo sermones de continentia auditurus es, ulceribus plenus tantisque vulneribus, animumque habens huic morbo servientem? Ecquid opus est alia dicere? Ex iis quæ nunc apud nos aguntur licet animi dolorem perspicere. Jam enim video quosdam, qui dum hæc loquor, frontes sibi percutiunt, multamque vobis gratiam habeo, quod populus sitis commiseratione plenus. Puto autem multos fortasse eorum qui nihil peccarunt id agere, dolentes de fratrum vulneribus. Propterea doleo et discrucior, quod talem gregem diabolus pessundet. Verum si volueritis, cito illi ingressum obstruemus. Quomodo et qua ratione? Si infirmos bona valetudine esse videamus : si doctrinæ retia expandentes circumeamus quæsitum eos qui a feris capti sunt, et ex ipsis leonis faucibus eos abstrahamus. Ne mihi dicas : Pauci sunt ii qui a grege sunt avulsi. Etiam si decem tantum fuerint, non parvum huic detrimentum : etiam si quinque, vel duo, vel unus. Quandoquidem etiam pastor ille, ideo relictis nonaginta novem ovibus, ad unam cucurrit, nec rediit donec illam reduceret, et claudicantem centum ovium numerum, per restitutionem ejus, quæ erraverat, complevit ( *Math. 18. 12* ). Ne dicas, unum tantum esse : sed cogita, esse animam, propter quam visibilia omnia facta sunt ; propter quam leges, supplicia, statuta sexcentaque miracula patrata, diversæque Dei operationes ; propter quam nec Unigenito suo pepercit. Cogita quantum pro uno sit pretium solutum, ac ne parvipendas ejus salutem, sed discedens nobis reduc illum, suade illi ne in paria incidat, et sufficientem habemus defensionem. Sin nec nos consulentes, nec vos hortantes ferat, potestate demum utar ea, quam Deus nobis dedit non ad destructionem, sed ad ædificationem.

4. Ideo prædico, et perspicua voce clamo : Si quis post hanc cohortationem atque doctrinam, ad iniquam theatrorum perniciem defecerit, non illum intra hæc septa (a) recipiam, non administrabo ei mysteria, non permittam ut sacram mensam attingat ; sed quemadmodum pastores oves scabie plenas a sanis sequestrant, ne cæteris morbum communicent : ita et ego faciam. Nam si quondam leprosus extra castra sedere jubebatur, atque etiam si rex esset, cum diademate ejiciebatur ; multo magis nos eum qui ani-

(a) Hoc quid sit, ipse mox explicat : intelligit enim locum in ecclesia septam, vel ubi erant auctores, vel qui intrabant sacræ coenæ causa : *mysteria enim sacram coenam* appellat.

συνεγένου, καὶ τῇ γνώμῃ τὴν ἀμαρτίαν εἰργάσω. Καὶ οὐδὲ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ θεάτρου λυθέντος, ἀπελθούσης αὐτῆς, τὸ εἰδωλὸν ἐκεῖνης ἐναπόκειται σου τῇ ψυχῇ, τὰ ῥήματα, τὰ σχήματα, τὰ βλέμματα, ἡ βάδις, ὁ ῥυθμὸς, ἡ διάκρισις <sup>α</sup>, τὰ μέλη τὰ πορνικά, καὶ μυρία τραύματα λαβὼν ἀναχωρεῖς. Οὐκ ἐντεῦθεν οἰκων ἀνατροπαί; οὐκ ἐντεῦθεν σωφροσύνης ἀπώλεια; οὐκ ἐντεῦθεν γάμων διαίρεσεις; οὐκ ἐντεῦθεν πόλεμοι καὶ μάχαι; οὐκ ἐντεῦθεν ἀηδία λόγον οὐκ ἔχουσαι; Ἐπειδὴν γὰρ ἐμπλησθεὶς ταύτης <sup>β</sup> ἀνέληθες γενόμενος αἰχμάλωτος, καὶ ἡ γυνὴ σου ἀηδεστέρα φαίνεται, καὶ τὰ παῖδια φορτικώτερα, καὶ οἱ οἰκέται ἐπαχθεῖς, καὶ ἡ οἰκία περιττή, καὶ αἱ συνήθειες φρονιτῖδες ἐνοχλεῖν δοκοῦσι πρὸς πῖν, οἰκονομίαν τῶν δεόντων πραγμάτων, καὶ ἕκαστος προσῶν φορτικὸς καὶ ἐπαχθής.

γ'. Τὸ δὲ αἴτιον, οὐκ ἀνέρχῃ μόνος εἰς τὴν οἰκίαν, ἀλλὰ τὴν πόρνην ἔχων μετὰ σεαυτοῦ, οὐ φανερώς καὶ δῆλως <sup>α</sup> ἀνιούσας ὅπερ ἦν κουφότερον· ταχέως γὰρ ἂν ἐξήλασεν ἡ γυνὴ· ἀλλὰ τῇ γνώμῃ, καὶ τῷ συνειδότῳ ἐγκαθημένην, καὶ ἀνάπτουσαν ἔνδον τὴν Βαβυλωνίαν κάμινον, μᾶλλον δὲ πολλῶν χαλεπωτέραν· οὐ γὰρ στυπλίον καὶ νάφθα καὶ πίσσα, ἀλλὰ τὰ εἰρημένα <sup>δ</sup> τροφὴ τῷ πυρὶ γίνεται, καὶ πάντα ἄνω καὶ κάτω. Καὶ καθάπερ οἱ πυρέττοντες, οὐδὲν ἔχοντες ἐγκαλεῖν τοῖς διακονουμένοις, διὰ τὴν τοῦ νοσήματος κακίαν δυσάρεστοι πρὸς πάντας εἰσι, ζιτία διακρουόμενοι, καὶ ἱατροὺς κακίζοντες, καὶ πρὸς τοὺς οἰκείους ἀγανακτοῦντες, καὶ κατὰ τῶν διακονούντων λυτῶντες· οὕτω δὲ καὶ οἱ τὴν χαλεπὴν νόσον ταύτην νοσοῦντες, ἄλλοιοῦσι <sup>ε</sup>, δυσχεραίνουσι, πάντοτε ἐκείνην βλέποντες. Ὡ χαλεπῶν πραγμάτων. Λύκος μὲν καὶ λέων, καὶ τὰ λοιπὰ θηρία τοξυόμενα φεύγει τὸν κυνηγέτην· ἄνθρωπος δὲ ὁ λογώτατος τρωθεὶς, περιδιώκει τὴν τρώσασαν, ὥστε πολλῶν χαλεπωτέρον βέλος λαβεῖν, καὶ ἐνηδυπαθεῖν τῷ τραύματι· ὅπερ δὴ πάντων ἐστὶ πικρότατον, καὶ τὴν νόσον ἀνίατον ἐργάζεται. Ὁ γὰρ μὴ μισῶν τὸ ἔλκος, μηδὲ ἀπαλλαγῆναι βουλόμενος, πῶς ὄν ἐπιζητήσει τὸν ἱατρὸν; Διὰ ταῦτα ὀδυνῶμαι καὶ διακόπτομαι, ὅτι τοσαύτην λύμην λαμβάνοντες, ἐκείθεν κατέρχεσθε, καὶ διὰ μικρὰν ἠδονὴν διηνεκῆ τὴν ὀδύνην ὑπομένετε. Καὶ γὰρ καὶ πρὸ τῆς γέννησις καὶ τῆς κολάσεως <sup>ζ</sup> ἐνταῦθα τὴν ἐσχάτην ἑαυτοῦς ἀπαιτεῖτε δίκην. Ἡ οὐκ ἐσχάτης τιμωρίας, εἰπέ μοι, ἐπιθυμίαν τοιαύτην τρέφειν, καὶ διηνεκῶς ἐμπέπρασθαι, καὶ κάμινον ἔρωτος ἀτόπου πανταχοῦ περιφέρειν, καὶ συνειδότος κατηγορίαν; Πῶς γὰρ ἐπιθήσῃ τῶν προθύρων ἐκείνων τῶν ἱερῶν; [276] πῶς ἀψῆ τῆς οὐρανοῦ τραπέζης <sup>η</sup>; πῶς δὲ ἀκούσεις τὸν περὶ σωφροσύνης λόγον, ἔλκων γέμων καὶ τραυμά-

<sup>α</sup> Forte hic intelligitur ἡ διάκρισις τῶν φθόγων, *distinctio vocum*.

<sup>β</sup> Intellige ex superioribus, τῆς πόρνης.

<sup>γ</sup> Rarius hoc adverbium occurrit.

<sup>δ</sup> Intelligit ea, de quibus paulo ante dixerat: τὰ ῥήματα, τὰ σχήματα, κ. τ. λ.

<sup>ε</sup> Intepres, *inquieti sunt*. Ergo αἰδύουσι legerit, quod et mihi probatur, id est, ἀστατοῦσι, δυσφοροῦσιν, ἀγωνιῶσι. Nam ἄλλοιουν non dicitur ἀμεταβάτως.

<sup>ζ</sup> Forte καὶ τῆς ἐκεί κολάσεως. Mox enim opponitur ἐνταῦθα.

<sup>η</sup> De sacra caena loquitur; οὐράνιος autem dixit fortasse *ex Jo 6, 51: ὁ ἄφρος—ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς*.

των τοσοῦτων, καὶ τὴν διάνοιαν ἔχων τῷ πάθει δουλεύουσαν; Καὶ τί δεῖ τὰ ἄλλα λέγειν; Ἀπὸ τῶν νῦν παρ' ἡμῶν <sup>β</sup> γινομένων ἔξεσι τῆς διανοίας ἰδεῖν τὴν ὀδύνην. Νῦν γοῦν ὀρῶ μεταξὺ τῶν λόγων τούτων τὰ μέτωπα τύποντας, καὶ πολλὴν ὑμῖν ἔχω χάριν, ὅτι δημοσ οὕτως ἐστὲ εὐσπλαγχνος. Τάχα δὲ οἶμαι <sup>ι</sup> πολλοὺς τῶν μηδὲν ἡμαρτηκότων ταῦτα ποιεῖν, ἀλγούντας ὑπὲρ τῶν ἀδελφικῶν τραυμάτων. Διὰ τοῦτο ὀδυνῶμαι καὶ κόπτομαι, ὅτι τοιαύτην ἀγέλην ὁ διάβολος λυμáινεται. Ἄλλ' εἰ βουληθεῖτε, ταχέως αὐτοῦ τὴν εἰσοδὸν ἀποφράξομεν. Πῶς καὶ τίνοι τρόπων; Εἰ τοὺς νοσοῦντας ὑγιαίνοντας ἴδοιμεν· εἰ τὰ δίκτυα τῆς διδασκαλίας ἀπλώσαντες περιέλθοιμεν τοὺς θηριαλῶτους ζητῶντες, καὶ ἐξ αὐτῆς τοῦ λέντος τῆς φάρυγγος αὐτοὺς ἐξαρπάσοιμεν. Μὴ γάρ μοι λέγε· Ὀλίγοι εἰσίν οἱ ἀποβουκολισθέντες. Κἂν δέκα μόνον ὦσιν, οὐχ ἡ τυχοῦσα ζημία· κἂν πέντε, κἂν δύο, κἂν εἷς. Ἐπεὶ καὶ ὁ ποιμὴν ἐκεῖνος τὰ ἐνεήχοντα ἐννέα διὰ τοῦτο καταλιπὼν πρόβατα, ἐπὶ τὸ ἐν ἔτραχε, καὶ οὐκ ἐπανήλθεν ἕως πάλιν αὐτὸ ἐπανήγαγε, καὶ τὸν τῶν ἑκατὸν ἀριθμὸν χωλεύοντα δι' ἐκείνου τὴν ἀποκατάστασιν τοῦ πλανηθέντος ἐπλήρωσε. Μὴ λέγε, ὅτι εἷς ἐστὶν· ἀλλ' ἐνόησον, ὅτι ψυχὴ ἐστὶ, δι' ἣν τὰ ὀρώμενα πάντα γέγονεν· δι' ἣν νόμοι, καὶ τιμωρίαι, καὶ κολάσεις, καὶ τὰ μυρία θαύματα, καὶ αἱ ποικιλίαι τοῦ Θεοῦ πραγματεῖται· δι' ἣν οὐδὲ τοῦ Μονογενοῦς ἐφέριστο. Ἐνόησον ὅση τιμὴ καταβέβληται καὶ ὑπὲρ τοῦ ἐνός, καὶ μὴ καταφρόνει τῆς σωτηρίας αὐτοῦ, ἀλλ' ἀπελθὼν ἡμῖν ἐπανάγαγε, καὶ πείσον μηκέτι τοῖς αὐτοῖς περιπεσεῖν, καὶ ἀρκοῦσαν ἔχομεν ἀπολογίαν. Εἰ δὲ μὴ ἀνέχοιτο, μηδὲ ἡμῶν συμβουλεύοντων, μηδὲ ὁμῶν παραινούντων, τῇ ἐξουσίᾳ χρῆσονται λοιπὸν, ἧ ὁ Θεὸς ἡμῖν ἔδωκεν οὐκ εἰς καθάρσειν, ἀλλ' εἰς οἰκοδομήν.

δ'. Διὰ δὲ τοῦτο προλέγω, καὶ λαμπρῶ βοῶ τῇ φωνῇ, ὅτι εἴ τις μετὰ τὴν παραινέσιν ταύτην καὶ διδασκαλίαν ἐπὶ τὴν παράνομον τῶν θεάτρων αὐτομολήσειε λύμην, οὐ δέξομαι αὐτὸν εἰσω τουτωνῶ τῶν περιδῶλων, οὐ μεταδώσω μυστηρίων, οὐκ ἀφήσω τῆς ἱερᾶς ἀψαθῆς τραπέζης· ἀλλ' ὥσπερ οἱ ποιμένες τὰ ψώρας ἐμπεπλησμένα πρόβατα τῶν ὑγιαίνοντων ἀπέργουσιν, ὥστε μὴ μεταδοῦναι τοῖς λοιποῖς τῆς νόσου· οὕτω δὲ ἐργάσομαι καγῶ. Εἰ γὰρ τὸ παλαιὸν ὁ λεπρὸς ἔξω τῆς παρεμβολῆς ἐκλεύετο καθῆναι, κἂν βασιλεὺς ἦν, ἐξεβάλλετο μετὰ τῷ διαδήματός, πολλῶν μᾶλλον ἡμεῖς τὸν τὴν ψυχὴν λεπρούνητα <sup>ι</sup> ταύτης ἐκβαλοῦμεν τῆς ἱερᾶς παρεμβολῆς. Ὡσπερ γὰρ τὴν ἀρχὴν παραινέσει· καὶ συμβολῆ ἔχρησάμην, οὕτω καὶ νῦν μετὰ τοσαύτην παραινέσιν καὶ διδασκαλίαν ἀνάγκη λοιπὸν καὶ τομὴν ἐπαγαγεῖν. Καὶ γὰρ ἐνιαυτὸν ἔχω λοιπὸν τῆς πόλεως ἐπιβάς τῆς ὑμετέρας, καὶ οὐ διέλιπον πολλάκις καὶ συνεχῶς ταῦτα ὑμῖν παραινῶν. [277] Ἐπεὶ οὖν ἐναπέμεινάν τινες τῇ σηπεδόνι,

<sup>β</sup> Forte, παρ' ἡμῶν. Auditores enim frontes manibus pulsabant, quod est poenitentium; aut, παρ' ἡμῖν, nimirum in ecclesia.

<sup>ι</sup> Τάχα, ἵτα collocatum, locum habere nequit. Forte legendum ταῦτα δὲ οἶμαι, excluso proximo ταῦτα.

<sup>ι</sup> Apud LXX reperitur λεπρῶς et λεπρῶ. Intransitive est Ἐποδ. 4, 6, γερὶ λεπρῶσα. Transitive habet Gregor. Naz. p. 171: οὗτος καὶ Μωσὴς ἐλέπρωσε.



φέρει λοιπὸν τὴν τομὴν ἐπαγάγωμεν. Εἰ γὰρ μὴ σιδήριον ἔγω, ἀλλ' ἔγω λόγον σιδήρου τομώτερον· εἰ καὶ μὴ πῦρ βαστάζω, ἀλλ' ἔστι μοι διδασκαλία πυρὸς θερμότερα, εὐτονώτερον δυναμένη καίειν.

Μὴ οὖν καταφρόνει τῆς ἀποφάσεως τῆς ἡμετέρας. Εἰ γὰρ εὐτελεῖς ἡμεῖς καὶ σφόδρα οἰκτροὶ <sup>α</sup>, ἀλλ' ὁμῶς ἐνεχειρίσθημεν ἀξίαν παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος τὴν δυναμένην ταῦτα ἐργάζεσθαι. Ἐκβαλλέσθωσαν τοίνυν οἱ τοιοῦτοι, ἵνα οἷ τε ὑγιαίνοντες ἡμῖν ὑγιεινότεροι γένωνται, οἷτε νοσοῦντες ἀνακτῆσονται ἑαυτούς ἐκ τῆς χαλεπῆς ἀρρώστιας. Εἰ δὲ ἐφρίξατε ταύτην ἀκούσαντες τὴν ἀπόφασιν (καὶ γὰρ ὁρῶ πάντας συγναζέοντας καὶ συνεσταλμένους βντας), μεταβαλλέσθωσαν, καὶ λέλυται τὰ τῆς ἀποφάσεως. Ὡσπερ γὰρ ἐξουσιαν ἐλάβομεν δεῖσαι, οὕτως καὶ λύσαι, καὶ πάλιν ἐπαγαγεῖν <sup>β</sup>. Οὐ γὰρ τοὺς ἀδελφούς ἡμῶν ἀποκόψαι βουλόμεθα, ἀλλὰ τὸ θνεῖδος τῆς Ἐκκλησίας ἀποκρούσασθαι. Νῦν μὲν γὰρ καὶ Ἕλληνες ἡμῶν καταγελάσσονται, καὶ Ἰουδαῖοι κωμωδῆσουσιν, ὅταν ἀμαρτάνοντας ἑαυτούς οὕτως περιορῶμεν. Τότε δὲ καὶ ἐκεῖνοι σφόδρα ἡμᾶς ἐπαινέσουσι, καὶ θαυμάσονται τὴν Ἐκκλησίαν, τῶν παρ' ἡμῖν αἰδεσθέντες νόμων <sup>γ</sup>. Μῆδεὶς τοίνυν τῶν ἐπιμενόντων τῇ αὐτῇ πορνείᾳ τῆς ἐκκλησίας ἐπιβαινέτω, ἀλλὰ καὶ ἀφ' ὑμῶν <sup>δ</sup> ἐπιτιμάσθω, καὶ κοινὸς ἔστω πολέμιος. Εἰ τις γὰρ, φησὶν, οὐχ ὑπακούσῃ <sup>ε</sup> τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς, οὕτως σημειούσθε, καὶ μὴ συναγαμίγνυσθε αὐτῷ. Τοῦτο δὲ ποιήσατε· μῆτε λόγου μετὰδοτε, μῆτε εἰς οἰκίαν δέξησθε, μῆτε τραπέζης κοινωνήσητε, μῆτε εἰσόδοι, μῆτε ἐξόδου, μῆτε ἀγορᾶς· καὶ οὕτω βράδιως αὐτοὺς ἀνάκτῃσόμεθα. Καὶ καθάπερ οἱ κυνηγοὶ τὰ δυσάλωτα τῶν θηρίων οὐκ ἐξ ἐνὸς μέρους, ἀλλὰ πάντοθεν ἐλαύνοντες, εἰς τὴν σαγήνην ἐμβάλλουσιν· οὕτω δὲ καὶ ἡμεῖς τοὺς ἐκθρηωθέντας συνελάσωμεν, καὶ ταχέως εἰς τὰ δίκτυα τῆς σωτηρίας ἐμβαλοῦμεν, ἡμεῖς ἐντεῦθεν, ὑμεῖς ἐκεῖθεν. Ἴν' οὖν τοῦτο γένηται, καὶ ὑμεῖς ἡμῖν συναγανακτῆσατε,

<sup>α</sup> Duo. hæc vocabula eὐτελής et οἰκτρός recentioribus temporibus sibi vindicarunt monachi, hisque utuntur in iudiciis scriptorum suorum. Reperitur etiam ἐλάχιστος.

<sup>β</sup> Mallim hic ἐπάγειν accipere in sensu reducendi ad Ecclesiam.

<sup>γ</sup> Αἰδεῖσθαι accusativo jungitur. Scribendum ergo τοὺς νόμους.

<sup>δ</sup> Forte, ὅφ' ὑμῶν.

<sup>ε</sup> Legē cum Bibl. ὑπακούει.

μᾶλλον δὲ ὑπὲρ τῶν τοῦ Θεοῦ νόμων ἀλγήσατε, καὶ μικρὸν <sup>ι</sup> ἀποστρέψατε τούτους τὰ τοιαῦτα νοσοῦντας καὶ παρανομοῦντας τῶν ἀδελφῶν, ἵνα διηνεκῶς αὐτοὺς ἔχητε. Οὐδὲ γὰρ τὸ τυχεῖν ὑμῖν ἐστὶ κρῖμα, εἰ παρίδητε τοσαύτην ἀπώλειαν, ἀλλὰ μεγίστην ἔχετε τιμωρίαν. Εἰ γὰρ ἐν ταῖς τῶν ἀνθρώπων οἰκίαις ἂν ἀλῶ τις τῶν οἰκετῶν ἀργύριον ἢ χρυσίον ὑφελόμενος, οὐκ αὐτὸς κολάζεται μόνον ὁ ἄλοος, ἀλλὰ καὶ οἱ συνειδότες καὶ μὴ καταγειλαντες, πολλῶ μᾶλλον ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας. Ἐρεῖ γὰρ σοὶ τμηκαῦτα ὁ Θεός· Ὅρων ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ ἐμοῦ οὐκ ἀργύριον, οὐδὲ χρυσοῦν σκευὸς κλαπέν, ἀλλὰ σωφροσύνην συληθεῖσαν, καὶ τὸν λαβόντα τὸ πῦμα τὸ τίμιον, καὶ τοιαύτης μετασθέντα θυσίας, ἀπελθόντα εἰς τὸ τοῦ διαβόλου χωρίον <sup>ε</sup>, καὶ τοιαῦτα παρανομήσαντα, πῶς ἢ ἐσίγησας; πῶς ἤνεγκας; πῶς οὐκ ἀπήγγειλας τῷ ἱερεῖ; καὶ οὐ τὰς τυχοῦσας ἀπαιτηθῆση εὐθύνας. Διὰ τοι τοῦτο καὶ ἐγὼ, καίτοι γε μέλλων λυπεῖν, οὐδενὸς φείσομαι τῶν [278] ἐπαχθεστέρων. Πολλῶ γὰρ βέλτιον ἐνταῦθα λυπηθέντας ἡμᾶς <sup>ι</sup> ἐξελεῖσθαι τῆς μελλούσης κρίσεως, ἢ βήματι χαρισάμενον μεθ' ὑμῶν κολασθῆναι τότε. Οὐδὲ γὰρ ἀσφαλὲς ἡμῖν, οὐδὲ ἀκίνδυνον, σιγῇ τὰ τοιαῦτα φέρειν. Ὑμῶν γὰρ ἕκαστος ὑπὲρ ἑαυτοῦ δώσει τὰς εὐθύνας· ἐγὼ δὲ τῆς ἀπάντων σωτηρίας ὑπεύθυνος. Διὰ δὲ τοῦτο οὐ παύσομαι πάντα ποιῶν καὶ λέγων, κἂν λυπησῶ δέη, κἂν ἐπαχθῇ φανῆναι, κἂν φορτικὸν, ὥστε δυνηθῆναι παραστῆναι τῷ βήματι ἐκεῖνον τῷ φοβερῷ, μὴ ἔχων σπῆλον ἢ βυτίδα, ἢ τι τῶν τοιούτων. Γένοιτο δὲ εὐχαῖς τῶν ἁγίων τούς τε διαφθαρέντας ἦδη ταχέως ἐπανελθεῖν <sup>ι</sup>, τούς τε μείνοντας ἀσινεῖς ἐπὶ μείζον προκόψαι κοσμιότητος καὶ σωφροσύνης· ἵνα καὶ ὑμεῖς σώζοισθε, καὶ ἡμεῖς εὐφραινώμεθα, καὶ ὁ Θεὸς δοξάζεται νῦν καὶ αἰεὶ, καὶ εἰς τοὺς ἀτελευτήτους αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

<sup>ι</sup> Sic codex. Sed mallem, καὶ κατὰ μικρὸν ἀποστρέφετα.

<sup>ε</sup> Circum et theatrum intelligit.

<sup>ε</sup> Constructio, ὁρῶν, πῶς;

<sup>ι</sup> Hæc non sunt sana. His tamen nititur lectio λυπεῖσθαι. Ita vero ἐξελεῖσθαι non habet, quo referatur. Mallim ergo, λυπηθέντας ὑμᾶς ἐξελεῖσθαι. Ceterum æqualitatem membrorum neglexit in oppositis, λυπηθέντας et χαρισάμενον. Æqualitatem servasset, si dixisset, λυπήσαντα ὑμᾶς ἐξελεῖσθαι.

<sup>ι</sup> Hoc non recte convenit τῷ διαφθαρέντας. Proprie, οἱ ἀποπλανηθέντες ἐπανέρχονται. Credo ergo legendum esse ἀποφθαρέντας. Hesych. ἀποφθάρθῃ μου· ἀκαλλάγηθῃ μου. Et: φθεῖρεται· κλανέται.

## MONITUM

Hanc homiliam, Romæ ex Cod. Vaticano 559 a me exscriptam, veram et authenticam esse nemo non fatebitur, nisi sit in Chrysostomi scriptis hospes. Omnes enim styli, dictionis inventionisque notæ concurrunt, nulla desideratur. Ipsam vero habuit cum per multos dies absens, infirmitateque detentus fuisset, ac præ amore populi nondum positus morbi reliquiis ad ecclesiam concionaturus advolvit. Id quod ipse

ma leprosus est ex his sacris castris eliminabimus. Ut enim primo cohortatione et consilio usus sum: sic et nunc post tantam adhortationem et doctrinam necesse est demum sectionem etiam infligere. Et enim annus tandem est elapsus (a) ex quo in vestram civitatem advectus sum, neque cessavi hæc de re vos frequenter cohortari. Quia igitur quidam in hac sanie permanserunt, age demum sectionem inferamus. Etsi enim ferrum non habeam, at verbum habeo ferro acutius (b): etsi ignem non feram (c), at doctrina adest mihi igne ferventior, quæ vehementius urere possit.

*Excommunicationis sententia in illos qui theatrorum spectacula diebus sanctis adierunt.*— Ne spernas igitur sententiam nostram. Quamvis enim viles admodum ac miserabiles simus, attamen a divina gratia dignitatem accepimus, qua possimus hæc efficere. Ejiciantur ergo hujusmodi homines, ut et qui sani sunt valentiores evadant; et qui morbo laborant, a gravi ægitudine ad sanitatem sese revocare possint. Si vero perhorruistis hanc audientes sententiam (video namque omnes ingenuiscentes et compunctos), respiscant, et sententia soluta est. Quemadmodum enim alligandi potestatem accepimus, sic et solvendi, ac rursus sententiam ferendi. Non enim fratres nostros abscondere volumus, sed opprobrium Ecclesiæ depellere. Nunc quippe nos et gentiles irridebunt, et Judæi traducent, quando nos ipsos peccantes ita despiciamus. Tunc autem et illi admodum nos laudabunt, et mirabuntur Ecclesiam, leges nostras reveriti. Nemo itaque ex iis, qui in eadem permanent fornicatione, in ecclesiam veniat, sed et a vobis corripatur, et communis sit hostis. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo* (2. Thess. 3. 14). Hoc autem facite: neque colloquamini, neque dum recipiatis, neque mensæ participes admittatis, neque ingressus vel egressus, neque in foro cum illis versemini: et sic facile illos recuperabimus. Ac quem-

(a) Chrysostomus in episcopatum Constantinopolitanum promotus fuerat anno 398, mensis Februarii die 26, ut ait Socrates l. 6, c. 2. *Montefalcon*.

(b) Verba divina intelligit. Expressit enim Hebr. 4. 12.

(c) Nam medici, aut, ut nos loquimur, chirurgi etiam urunt.

admodum venatores feras captu difficiles non ex una parte, sed undique pellentes, in retia conjiunt: ita et nos eos, qui moribus efferati sunt, una pellamus, et cito in salutis retia conjiciemus, nos ex una parte, vos ex alia. Ut igitur illud eveniat, vos quoque nobiscum indignemini: imo potius pro Dei legibus dolete, et paulatim avertetis eos ex fratribus, qui hoc morbo laborant et in hoc peccatum incidunt, ut perpetuo illos vobiscum servetis. Neque enim parvo crimine rei eritis, si tantam perniciem neglexeritis, sed magno supplicio eritis obnoxii. Nam si in hominum ædibus, cum quis ex famulis argentum vel aurum furatus deprehenditur, non ipse solus qui deprehensus est, sed etiam conscii, et qui non revelaverint, poena plectuntur, multo magis in Ecclesia. Tunc enim dicet tibi Deus: Cum videres ex domo mea non argenteum vel aureum vas furto abripi, sed continentiam auferri; eumque qui pretiosum corpus accipit, et hujusmodi sacrificii particeps est, in diaboli locum abire, et in tantum peccatum incidere, cur siluisti, cur id tulisti, cur non annuntiasti sacerdoti, ne poenæ abs te repeterentur non leves? Ideo et ego etiam si id mihi dolori futurum sit (a), ne a gravioribus quidem inferendis poenis abstinebo. Longe melius quippe est nos hic mœrore affectos, a futuro abripi judicio, quam verborum gratia lenitateque usos, hunc vobiscum poenâ luere. Neque enim tutum vobis vel sine periculo est, res hujusmodi silentio tegere. Nam quisque vestrum pro se poenas dabit: ego vero omnium saluti sum obnoxius. Quamobrem non finem faciam omnia agendi et dicendi, etiam si vos mœrore afficere oporteat, etiam si molestus videar et onerosus, ut possim adstare ante tribunal illud horrendum, nullam habens maculam aut labem vel quid hujusmodi. Utinam autem, precibus sanctorum, ii qui corrupti sunt citius revertantur; illi vero qui illæsi manserunt, in majorem ornatum continentiamque proficiant: ut et vos salutem consequamini, et nos lætemur, et Deus gloria afficiatur nunc et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.


(a) In Græco, καίτοι γε μέλλω λυγρῶν, quas voces sic oportuisset interpretari, *quamvis dolorem sim illaturus*.

## AD HOMILIAM SEQUENTEM.

initio, maximeque in fine homiliæ ait. Cum autem sæpe morbis afflictus fuerit, non ita facile est, in quod tempus hæc incidant deprehendere, neque dicere valemus Antiochiæne an Constantinopoli hæc habita concio fuerit. Antiochiæ tamen dictam suadere videtur ipsum principium homiliæ, ubi se ad docendum imperitum profitetur Chrysostomus.

## HOMILIA

IN APOSTOLICUM DICTUM : HOC AUTEM SCITOTE, QUOD IN NOVISSIMIS DIEBUS ERUNT TEMPORA GRAVIA (2. Tim. 3. 1).



1. *Caritas Chrysostomi erga discipulos. Fidei oculi ea vident quæ Christus agebat; Judæi præsentem non videbant. Abraham fidei oculis vidit nasciturum Isaacum.*— Infirmus quidem sum (a) et egenus, atque ad docendum imperitus: sed cum vestrum cœtum intueor, infirmitatis obliviscor, paupertatem ignoro, imperitiam non novi: tanta nempe est caritatis vestræ tyrannis. Quapropter alacrius quam si, qui facultatibus abundant, egestatis meæ mensam vobis appono. Magnanimitatis porro hujus vos auctores mihi estis, quoniam lapsos erigitis, quia ad audiendum proni estis, atque ab ore nostro pendetis. Sic et pulli hirundinum, cum vident advolantem matrem, e nido sese efferentes et pronum obtendentes collum, ita cibum ab illa accipiunt. Eodem modo et vos cum ingenti alacritate concionantem intuentes, ex lingua mea profectam doctrinam excipitis, et antequam verba ex ore exsiliant, ea studio magno omnia abripitis. Quis non et vos et nos super his beatos prædicet, quia nempe loquimur *Ad aures audientium* (Eccl. 25. 12)? Communis labor, communis et corona; commune lucrum, communis etiam et merces. Ideo Christus beatos prædicavit discipulos dicens: *Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt* (Matth. 13. 16). Concedite mihi ut his etiam verbis vos alloquar, quandoquidem tantam exhibetis alacritatem: *Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt*. Verum quod aures quidem vestræ audiant palam est: quod oculi vero vestri videant, sicut discipuli tunc videbant, id demonstrare conabor, ut beatitudo vestra non dimidia, sed omnino perfecta sit. Quid ergo tunc videbant discipuli? Mortuos suscitatos, cæcos visum recipientes, leprosos mundatos, pulsos dæmonas, claudos ambulantes, naturæ vitium omne correctum. Hæc et nunc vos videtis, etiamsi non corporis, sed fidei oculis. Hujusmodi namque sunt fidei oculi: quæ non apparent vident, et quæ nondum facta sunt intelligunt. Undenam hoc demonstratur, nempe fidem esse aspectum et argumentum non apparentium? Audi Paulum dicentem: *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium* (Hebr. 11. 1). Et quod mirabile est, hi carnales oculi quæ sub aspectum cadunt, vident, quæ autem sub aspectum non cadunt, non vident: at fidei oculi omnino contra, quæ sub aspectum cadunt, non vident, quæ vero sub aspectum non cadunt, vident. Quod autem quæ videntur non videant, et quæ non videntur videant, Paulus declaravit his verbis: Nam *Momentaneum et leve tribulationis supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis; non*

(a) Chrysostomus infirmitate corporis laborabat.

*considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur* (2 Cor. 4. 17). Et quomodo quispiam ea quæ non videntur viderit? Quo alio modo, nisi fidei oculis? Sic et alibi ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula* (Hebr. 11. 5). Quomodo? non enim videmus. *Ut ex invisibilibus visibilia fierent*. Vultis aliud proferam testimonium, quod fidei oculi ea videant quæ non videntur? Galatis aliquando scribens Paulus dicebat: *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus* (Gal. 3. 1).

2. Quid dicis, o beate Paule? in Galatiane viderunt eum Galatæ crucifixum? nonne confitemur omnes in Palæstina in media Judæa Christum esse passum? Quomodo ergo ipsum Galatæ crucifixum viderunt? Fidei, non carnis, oculis. Vidistis? quomodo fidei oculi ea quæ non apparent videant? A tanto enim intervallo et post tantum tempus Christum viderunt crucifixum. Sic et vos videtis mortuos resurgentes: sic hodie cernitis leprosum mundatum: sic paralyticum vidistis erectum, et magis vidistis, quam Judæi, qui tunc aderant. Illi namque præsentem non admisere miraculum, vos autem absentes fidem admisistis. Itaque jure dixi vobis, *Beati vestri oculi, quia vident* (Matth. 13. 16). Quod si aliunde quoque discere volueris, fidei oculos ea, quæ non videntur, videre, et ea, quæ videntur, prætercurrere: neque enim alio modo viderint ea, quæ non videntur, nisi supra dicta despexerint: audi Paulum de Abrahamo disserentem, quod nempe fidei oculis viderit filium suum Isaac nasciturum, et sic acceperit promissionem. Quid enim ait? *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum* (Rom. 4. 19). Magna vis fidei. Quemadmodum enim *Cogitationes hominum timidæ sunt et infirmæ* (Sap. 9. 14); sic fides fortis potensque est. *Non consideravit corpus suum emortuum*. Viden? quomodo visibilia dimiserit? quomodo non respexerit in senectutem? Etiamsi hæc præ oculis erat, sed fidei oculis videbat, non oculis corporis. Ideo non respexit ad senectutem, neque *Ad emortuam vulvam Sarre* (Rom. 4. 19). Hic sterilitatem nobis subindicat. Duplex enim infirmitas erat; alia a senectute, alia ab infirmitate naturæ. Neque enim tantum corpus ob ætatem ad liberorum procreationem ineptum erat, sed vulva quoque ejus et naturæ officina erat emortua, etiam ante senectutem, nempe ob sterilitatem. Viden? quanta impedimenta? Senectus viri, senectus uxoris: sterilitas major obex, quam senectus: nam illud est maximum ad liberorum procreationem impedimentum. Veruntamen hæc omnia prætercurrit, atque oculis fidei in

## ΟΜΙΛΙΑ

Εἰς τὸ ἀποστολικὸν ρητὸν τὸ λέγον· Τοῦτο δὲ γινώσκειτε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἔσονται καιροὶ χαλεποί.

α'. Ἀσθενὴς μὲν εἰμι καὶ πτωχός, καὶ διδασκαλικῶν ἀπειρος λόγων· ἀλλ' ὅταν ἴδω τὸν ὑμέτερον σύλλογον, ἐπιλανθάνομαι τῆς ἀσθενείας, ἀγνοῶ τὴν πτωχείαν, οὐκ οἶδα τὴν ἀπειρίαν· τοιαύτη γὰρ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης ἡ τυραννίς. Διὸ καὶ τῶν ἐν εὐπορίᾳ καθεστῶτων προθυμότερον ὑμῖν τὴν τῆς πτωχείας παρατίθημι τράπεζαν. Ταύτης δὲ ὑμεῖς αἴτιοι τῆς μεγαλοψυχίας, τῆ προθυμίας τῆς ἀκράσεως τοὺς ἀναπεπνωκότες διεγείροντες, πρὸς τὴν ἀκράσιν κεκνηότες, καὶ τῆς τοῦ λέγοντος ἐκκρεμάμενοι γλώττης. Οὕτω καὶ νεοσοὶ χελιδόνων, ἐπειδὴν ἴδωσι προσιπταμένην τὴν μητέρα, τῆς καλιᾶς προκύψαντες καὶ τοὺς αὐγένας ποιήσαντες ἐκκρεμείς, οὕτω ἔχονται τὴν παρ' ἐκείνης τροφήν. Οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ κολλῆς τῆς προθυμίας πρὸς τὸν λέγοντα βλέποντες, δέχεσθε τὴν ἀπὸ [279] τῆς γλώττης κομιζομένην ὑμῖν διδασχίαν, καὶ πρὶν ἢ τὰ ῥήματα ἐκπιθῆσαι τοῦ στόματος ἡμῶν, ἤρπασεν ἡ διάνοια τὰ λεγόμενα. Τίς οὖν οὐκ ἂν καὶ ὑμᾶς καὶ ἡμᾶς ἐπὶ τούτοις μακαρίσειεν, ὅτι λέγομεν *Εἰς ὧσα ἀκούστων*; Κοινὸς ὁ πόνος, κοινὸς καὶ ὁ στέφανος· κοινὸν τὸ κέρδος, κοινὸς καὶ ὁ μισθός. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Χριστὸς ἐμακάρισε τοὺς μαθητάς λέγων· *Ἵμῶν δὲ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοί, ὅτι βλέπουσι, καὶ τὰ ὧσα ἡμῶν, ὅτι ἀκούουσιν*. Δότε μοι ταῦτα τὰ ῥήματα καὶ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν, ἐπειδὴ καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιδείκνυσθε προθυμίαν· *Ἵμῶν δὲ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοί, ὅτι βλέπουσι, καὶ τὰ ὧσα ἡμῶν, ὅτι ἀκούουσιν*. Ἄλλ' ὅτι μὲν ἡμῶν τὰ ὧσα ἀκούει, δηλον· ὅτι δὲ καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ βλέπουσι, καθάπερ ἔβλεπον οἱ μαθηταὶ τότε, τοῦτο ἀποδείξει πειράσομαι, ἵνα μὴ ἐξ ἡμισείας, ἀλλ' ὀλόκληρος ἡμῶν ὁ μακαρισμὸς ἦ. Τί οὖν ἔβλεπον τότε οἱ μαθηταί; Νεκροὺς ἀνισταμένους, τυφλοὺς ἀναθλιπόντας, λεπρούς καθαιρομένους, δαίμονας ἔλαυνομένους, χυλοὺς βαδίζοντας, ἅπαν φύσεως ἀμάρτημα διορθούμενον. Ταῦτα βλέπετε καὶ ὑμεῖς νῦν, εἰ καὶ μὴ τοῖς τοῦ σώματος, ἀλλὰ τοῖς τῆς πίστεως ὀφθαλμοῖς. Τοιαῦται γὰρ αἱ τῆς πίστεως ὕψεις· τὰ μὴ φαινόμενα βλέπουσι, καὶ τὰ μηδὲν πρᾶχθέντα κατανοοῦσι. Πόθεν τοῦτο δηλον, ὅτι πίστις ὕψις ἐστὶ τῶν μὴ βλεπομένων καὶ ἔλεγχος; Ἄκουσον τοῦ Παύλου λέγοντος· *Ἔστι δὲ πίστις ἐλαττωμένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἐλεγχος οὐ βλεπομένων*. Καὶ τὸ δὴ θαυμαστόν, οὗτοι μὲν οἱ τῆς σαρκὸς ὀφθαλμοὶ τὰ μὲν ὁρώμενα βλέπουσι, τὰ δὲ μὴ ὁρώμενα οὐ βλέπουσιν· οἱ δὲ τῆς πίστεως ὀφθαλμοὶ τούναντιον ἅπαν, τὰ μὲν ὁρώμενα οὐ βλέπουσι, τὰ δὲ μὴ ὁρώμενα βλέπουσι. Καὶ ὅτι τὰ βλεπόμενα οὐ βλέπουσι, καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα βλέπουσι, ὁ Παῦλος ἐδήλωσεν εἰπὼν οὕτως· *Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαττὸν τῆς θλίψεως καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης ἡμῖν*

*κατεργάζεται, μὴ σκοποῦντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα*. Καὶ πῶς ἂν τις ἴδοι τὰ μὴ βλεπόμενα; Πῶς ἄλλως, ἀλλ' ἢ τοῖς τῆς πίστεως ὀφθαλμοῖς; Οὕτω καὶ ἀλλαχοῦ φησι· *Πίστει νοοῦμεν κατηγορεῖσθαι τοὺς αἰῶνας*. Πῶς; οὐ γὰρ εἶδομεν. *Εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γρηγορῆσαι*, φησί. Βούλεσθε καὶ ἐτέραν παράγω μαρτυρίαν, ὅτι τὰ μὴ βλεπόμενα βλέπουσιν οἱ τῆς πίστεως ὀφθαλμοὶ; Γαλάταις ποτὲ γράφων ὁ Παῦλος ἔλεγεν· *Οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προσεγράφη ἐν ὑμῖν ἀσταυρωμένος*.

β'. Τί λέγεις, ὦ μακάριε Παῦλε; ἐν Γαλατίᾳ σταυρούμενον αὐτὸν εἶδον Γαλάται; οὐχὶ πάντες ὁμολογοῦμεν, ὅτι ἐν Παλαιστίνῃ ἐν μέσῃ Ἰουδαίᾳ τὸ πάθος ἐγένετο; Πῶς οὖν αὐτὸν εἶδον σταυρούμενον Γαλάται; Τοῖς τῆς πίστεως ὀφθαλμοῖς, οὐ τοῖς τῆς σαρκός. Εἶδες πῶς οἱ τῆς πίστεως ὀφθαλμοὶ τὰ μὴ φαινόμενα βλέπουσιν; Ἀπὸ τοσοῦτου γοῦν διαστήματος καὶ μετὰ τοσοῦτον χρόνον τὸν Χριστὸν εἶδον σταυρούμενον. Οὕτω καὶ ὑμεῖς βλέπετε τοὺς νεκροὺς ἀνισταμένους· οὕτω σήμερον εἶδετε τὸν λεπρὸν καθαιρόμενον· οὕτως εἶδετε τὸν παραλελυμένον ἀναστάντα, [280] καὶ μᾶλλον Ἰουδαίων τῶν παρόντων εἶδετε. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ παρόντες οὐ παρεδέξαντο τὸ θαῦμα, ὑμεῖς δὲ ἀπόντες παρεδέξασθε τὴν πίστιν. Ὡστε δικαίως εἶπον πρὸς ὑμᾶς, ὅτι *Μακάριοι ὑμῖν οἱ ὀφθαλμοί, ὅτι βλέπουσιν*. Εἰ δὲ καὶ ἐτέρωθεν βούλει μαθεῖν ὅτι τὰ μὴ βλεπόμενα βλέπουσιν οἱ τῆς πίστεως ὀφθαλμοὶ, τὰ δὲ βλεπόμενα παρατρέχουσιν· οὐδὲ γὰρ ἂν ἄλλως ἴδοιεν τὰ μὴ βλεπόμενα, εἰ μὴ καταφρονήσαιεν τῶν εἰρημένων· ἄκουσον τοῦ Παύλου περὶ τοῦ Ἀβραάμ διαλεγόμενον, ὅτι τοῖς τῆς πίστεως ὀφθαλμοῖς εἶδε τὸν υἱὸν τικτόμενον τὸν Ἰσαὰκ, καὶ οὕτω κατεδέξατο τὴν ἐπαγγελίαν. Τί γὰρ φησι; *Καὶ μὴ ἀσθενήσας τῆ πίστει, οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα νεκρωμένον*. Μεγάλῃ τῆς πίστεως ἡ δύναμις. Ὡσπερ γὰρ *λογισμοὶ ἀνθρώπων δειλοὶ καὶ ἀσθενεῖς*, οὕτω πίστις ἰσχυρὰ καὶ δυνατὴ. *Οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα νεκρωμένον*. Ὁρᾷς πῶς ἀφῆκε τὰ ὁρώμενα; πῶς οὐκ εἶδεν εἰς τὸ γῆρας; Καίτοι γε αὐτὸ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἔκειτο· ἀλλὰ τοῖς τῆς πίστεως ὀφθαλμοῖς ἑώρα, οὐ τοῖς τοῦ σώματος. Διὸ οὐκ εἶδε τὸ γῆρας, οὐδὲ τὴν νέκρωσιν *Σάρρα*· οὐ κατενόησε *τὴν νέκρωσιν τῆς μητέρας Σάρρας*. Τὴν στειρώσιν ἡμῖν ἐνταῦθα αἰνίττεται. Διπλῆ γὰρ ἡ ἀσθένεια ἦν, ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ηλικίας, ἡ δὲ ἀπὸ τῆς ἀσθενείας φύσεως. Οὐ γὰρ τὸ σῶμα μόνον διὰ τὴν ηλικίαν ἀχρηστον ἦν πρὸς παιδογονίαν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ μήτρα νεκρωτο, καὶ τὸ τῆς φύσεως ἐργαστήριον, καὶ πρὸ τοῦ γήραος ἀχρηστον ἦν διὰ τὴν στειρώσιν. Εἶδες ὅσα κωλύματα; Τὸ γῆρας τοῦ

ἀνδρὸς, τὸ γήρας τῆς γυναικὸς· ἢ τοῦ γήρω; ἀχρηστοτέρα στείρωσις· καὶ γὰρ καὶ τοῦτα μάλιστα κώλυμα παιδογονίας. Ἄλλ' ὁμως ταῦτα πάντα παρέδραμεν, καὶ τοῖς τῆς πίστεως ὀφθαλμοῖς εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνέστη, μεγίστην τῶν ἐπηγγελμένων ἀπόδειξιν ἔχων τὴν δύναμιν τοῦ ὑποσχομένου. Διὰ τοῦτο *Εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει*. Βακτηρία γὰρ τίς ἐστὶν ἰσχυρὰ ἢ πίστις, καὶ λιμὴν ἀσφαλῆς, τῆς τῶν λογισμῶν ἀπαλλάττουσα πλάνης, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ πολλῇ τὴν ψυχὴν ἀναπαύουσα. Ὑμῶν δὲ *μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ, ὅτι βλέπουσι*· καὶ γὰρ εἰς αὐτὸ πάλιν ἐπανελθεῖν ἀναγκαῖον τὸ ῥῆμα. Καίτοι ἔβλεπον καὶ οἱ Ἰουδαῖοι τὰ τότε γινόμενα. Ἄλλ' οὐ ταύτην μακαρίζει τὴν ὄψιν τὴν ἔξωθεν· αὕτη γὰρ καθ' ἑαυτὴν οὐχ ὄρα τὰ θαύματα, ἀλλ' ἡ ἔκδοξ. Ἐκεῖνοι εἶδον τυφλοὺν καὶ λέγον· *Οὗτός ἐστιν, οὐκ ἔστιν οὗτος· καλέσωμεν αὐτοῦ τὸν ῥοαεῖς*. Ἀκούεις ἀμφιβαλλόντων; ὄρας ὅτι οὐκ ἀρκεῖ ἡ τοῦ σώματος ὄψις πρὸς τὴν τοῦ θηύματος θεωρίαν; Οἱ παρόντες καὶ θεώμενοι ἔλεγον· *Οὗτός ἐστιν, οὐκ ἔστιν οὗτος*· ἡμεῖς δὲ οἱ μὴ παρόντες; οὐ λέγομεν, *Οὗτός ἐστιν, οὐκ ἔστιν οὗτος*· ἀλλ' *Αὐτός ἐστιν*. Ἐμαθεῖς ὡς οὐδὲν βλέπτει ἡ ἀπουσία, ὅταν πίστεως ὀφθαλμοὶ ὦσι, καὶ ὡς οὐδὲν ὠφελεῖ ἡ παρουσία, ὅταν πίστεως ὀφθαλμοὶ μὴ ὦσι; Τί γὰρ ἐκείνους ὠνησε τὸ ἰδεῖν; Οὐδέν. Ἡμεῖς γὰρ ἐκείνων σαφέστερον εἶδομεν. Ἐπεὶ οὖν βλέπουσιν οἱ ὀφθαλμοὶ ὑμῶν θεωρίαν, καὶ ἀκούει τὰ ὅσα ἀκρόασιν, ἦν ὁ Χριστὸς ἐμακάρισε, φέρε ὑμῖν τοὺς μαργαρίτας τῶν Γραφῶν παραθῶμεν. Ὡσπερ γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις [281] οὐκ ἐπέλυσε τὰ ζητήματα ὁ Χριστὸς, ἀλλὰ καὶ ἐπέτεινε τὴν ἀσάφειαν, ἐπειδὴ μὴ προσείχον· οὕτω δὴ καὶ ὑμῖν, ἐπειδὴ προσέχετε, τὰ κεκρυμμένα ἀγειν εἰς μέσον χρή. Καὶ γὰρ προσήλθον οἱ μαθηταὶ καὶ ἐθαύμαζον λέγοντες· *Διατί ἐν παραβολαῖς λαλεῖς αὐτοῖς;* Ὁ δὲ ἔφη, *Ἐπειδὴ βλέποντες οὐ βλέπουσιν*. Οὐκοῦν ἐπειδὴ μὴ ἰδόντες ὑμεῖς εἶδετε, ἀναγκαῖον μὴ ἐν παραβολῇ εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς· καὶ ἐπειδὴ *ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν*. Οὐκοῦν ἐπειδὴ ὑμεῖς μὴ ἀκούσαντες τότε, ἀκούετε νῦν οὐκ ἔλαττον, ἢ τότε ἠκούσατε, ἀναγκαῖον ὑμᾶς μὴ ἀποτερῆσαι τῆς τραπέζης ταύτης. Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς τούτους οὐχ ἤττον ἐμακάρισεν ἢ ἐκείνους· *Εἶδος γὰρ, φησὶ, καὶ ἐπίστευσας· μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες*. Μὴ τοίνυν ὀκνηροὶ γίνεσθε πρὸς ἀρετὴν, ὅτι μὴ κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, ἀλλὰ κατ' αὐτὸν ἐγένεσθε. Ἄν γὰρ ἐθέλοις, οὐκ ἐζημιώθης· ὥσπερ οὖν πολλοὶ καὶ τῶν τότε γενομένων, ἐπειδὴ μὴ ἤθελον, οὐκ ὠφελήθησαν.

γ'. Τί οὖν ἐστὶ τὸ σήμερον ἀναγνωσθέν; *Τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνοστήσονται καιροὶ χαλεποί*. Τῷ Τιμοθέῳ πάλιν ὁ Παῦλος ἐπιστέλλει. Φοβερὰ ἢ ἀπειλή· ἀλλὰ διαναστῶμεν· τούτους γὰρ ἡμῖν τοὺς καιροὺς ἀνιέττεται, καὶ τοὺς μετὰ τούτους, καὶ τοὺς περὶ τὴν συντέλειαν αὐτὴν. *Τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνοστήσονται καιροὶ χαλεποί*. Βραχὺ τὸ ῥῆμα, καὶ μεγάλη ἡ δύναμις. Καθάπερ γὰρ τὰ ἀρχαῖα οὐ τῷ πλήθει, ἀλλὰ τῇ φύσει τὴν εὐωδίαν ἐνδείκνυται· οὕτω καὶ αἱ θείαι Γραφαὶ οὐ τῷ πλήθει τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ τῇ δυνάμει τῶν ἐγκειμένων πᾶσαν ἡμῖν παρέχουσι τὴν ὠφέλειαν. Οὕτω καὶ θυμιάματος

φύσις καὶ καθ' ἑαυτὴν μὲν ἐστὶν εὐωδῆς· ἐπὶ δὲ εἰς πῦρ αὐτὴν ἐμβάλλῃς, τότε πᾶσαν ἐπιδείκνυται τὴν ἐξ αὐτῆς ἡδονὴν. Οὕτω καὶ ἡ θεία Γραφή καὶ καθ' ἑαυτὴν μὲν ἐστὶν ἡδίστη· ἐπειδὴ δὲ τῆς ἡμῶν ἐπιλάβηται ψυχῆς, καθάπερ εἰς θυμιατήριον ἐμπεσοῦσα, ἅπαντα τὸν οἶκον τῆς εὐωδίας ἐμπύπλησι. *Τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνοστήσονται καιροὶ χαλεποί*. Περὶ τῆς συντελείας λέγει. Τί οὖν πρὸς σέ, ὦ μακάριε Παῦλε; τί δὲ πρὸς Τιμόθεον; τί δὲ πρὸς τοὺς τότε ἀκούοντας; Μικρὸν γὰρ ὑστερον μέλλουσιν ἀποθνήσκειν, ἐξαρπάζεσθαι τῶν ἐπιόντων δεινῶν καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. Ἄλλ' οὐχὶ τὰ παρόντα βλέπω μόνον, φησὶν, ἀλλὰ καὶ τὰ μέλλοντα προορῶ. Οὐχὶ τῆς παρουσίας φειδομαι ποίμνης, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῆς μελλούσης ἀγωνῶ καὶ δέδοικα. Ἡμεῖς μὲν γὰρ τῶν συνόντων ἡμῖν ἀνθρώπων μόλις ποιούμεθα πρόνοιαν, ἐκείνους δὲ ὑπὲρ τῶν μηδέπω τεχθέντων πολλὴν ποιεῖται τὴν σπουδὴν. Οὕτω καὶ ποιμὴν ἀριστος οὐχ ὅταν ἰδῇ τοὺς λύκους ἐπίνοτας τῇ ποίμνῃ καὶ τῶν προβάτων ἐγγὺς γενομένους, τότε προλέγει μόνον, ἀλλὰ καὶ πόρρωθεν ὄντας μηνύει. Οὕτω καὶ ὁ Παῦλος, καθάπερ ποιμὴν ἀριστος, ἐφ' ὠφλοῦ χωρίου τοῦ τῆς προφητείας ἀξιώματος καθήμενος, καὶ τοῖς [282] προφητικαῖς ὀφθαλμοῖς ἀνωθεν προορῶν κατατρέχοντα τὰ θηρία, ἐπ' αὐτῆς τῆς συντελείας ὀρμῶντας καὶ ἀποτεινομένους κατὰ τῆς ποίμνης προλέγει καὶ προδιαμαρτύρεται, ἵνα καὶ τοὺς μηδέπω γεννωμένους παρασκευάσῃ νήφειν, καὶ πᾶσαν τειχίση τὴν ποίμνην τῇ προφητείᾳ. Καὶ γὰρ καὶ πατὴρ φιλόστοργος οἰκίαν οἰκοδομούμενος πολλάκις τοῖς αὐτοῦ παῖσι λαμπρὰν καὶ μεγάλην οὕτως οἰκοδομεῖ, οὐχ ὥστε ἐκείνους χρησίμην γενέσθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐγγόνους καὶ τοῖς μετ' ἐκείνους. Οὕτω καὶ βασιλεὺς πόλει φιλούμενην περιβαλὼν τεῖχος ἔξωθεν, ἀσφαλῆς τοῦτο ποιεῖ. καὶ ἰσχυρὸν καὶ διαρκές, οὐχ ἵνα ἐπὶ τῆς γενεᾶς αὐτοῦ μόνῃς ὑπηρετῇ, ἀλλ' ἵνα καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα πᾶσι γένηται χρησίμῳ, οὐ πρὸς τὰς τότε μηχανάς, ἀλλὰ πρὸς τὰς ὑστερον γενομένας προσβολὰς ἐπιτήδειον. Οὕτω καὶ ὁ Παῦλος ἐποίησεν. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ γράμματα ἀποστολικὰ τεῖχη τῶν Ἐκκλησιῶν ἐστὶν, οὐχὶ τοὺς τότε μόνον ὄντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὑστερον ἐσομένους ἀσφαλίζεταί δι' αὐτῶν. Καὶ οὕτως ἰσχυρὸν καὶ ἀβραγῆθὸν περὶ θλον τοῦτον κατασκευάσας, καὶ πάση περιήλασεν αὐτὸν τῇ οἰκουμένῃ μετὰ ἀσφαλείας ἀπάσης, ὥστε καὶ τοὺς τότε, καὶ τοὺς μετ' ἐκείνους, καὶ τοὺς νῦν, καὶ τοὺς αὐθις ἐπομένους μέχρι τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας ἀπάσης ἀπαλλάξαι τῆς τῶν πολεμίων πολιορκίας. Τοιαῦτα τῶν ἁγίων αἱ ψυχαὶ φιλόστοργοι, κηδεμονικαί, πατρικὴν εὐνοίαν ἀποκρύπτουσαι τῷ φίλτρῳ, καὶ τὴν τῆς φύσεως φιλοστοργίαν νικῶσαι, καὶ τὰς ὠδῖνας ὑπερβαίνουσαι ἐκείνας· Πνεύματος γὰρ εἰσι καὶ θείας χάριτος.

δ'. Βούλεσθε καὶ ἐτέρωθεν δεῖξω πάλιν, ὅτι οὐ τὰ καθ' ἑαυτοὺς μεριμνῶσιν οἱ ἄγιοι, οὐδὲ ὑπὲρ τῶν παρόντων δεδοίκασι μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν μετὰ ταῦτα ἐσομένων; Προσήλθον αὐτῷ, φησὶν, οἱ μαθηταὶ ἐπὶ τοῦ δρους καθήμενοι, ἀνθρωποὶ λοιπὸν γεγηρακότες καὶ μετ' ὀλίγον χρόνον μέλλοντες ἀποδημεῖν ἀπὸ τῆς παρουσίας ζωῆς. Τί οὖν ἐρωτῶσι; τί ἀγωνιώσι; τί δεδοίκασι; ὑπὲρ τίνων τὴν πῦσιν τῷ διδασκάλῳ προσάγουσιν; ἄρα ὑπὲρ τῶν κατὰ τὴν ζωὴν αὐτῶν, ἢ ὑπὲρ τῶν κατὰ τοὺς χρόνους ἐκείνους; Οὐδαμῶς. Ἄλλὰ πάντα ἐκείνα παραδραμόντες τί λέγουσι; *Τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας*

\* Sic mss. Sed mendum suspicor.

cælum usque surrexit, magnum habens promissorum argumentum, ejus nempe qui promiserat potestatem. deo *In promissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide* (Rom. 4. 20). Etenim ceu baculus quidam firmus tatusque portus fides est, quæ a rationiorum errore liberat, animumque in tranquillitate magna constituit. *Vestri autem beati oculi, quia vident* (Matth. 13. 16); nam hoc dictum denuo repetendum est. Atqui etiam Judæi tunc eadem ipsa videbant. Verum non hoc externum videndi genus beatum prædicat; hoc quippe per seipsum miracula non videt, sed internum conspicit. Illi cæcum videbant dicebantque, *Hic est, non est hic; vocemus ejus parentes* (Joan. 9. 8. 9. 18). Audis ambigentes? vident non sufficere corporis aspectum ad miraculi spectaculum? Qui præsentis et spectantes erant dicebant: *Hic est, non est hic*; nos vero qui præsentis non sumus, non dicimus, *Hic est, non est hic; sed, Ipse est*. Didicisti nihil absentiam nocere, cum fidei adsunt oculi; nihilque utilitatis ex præsentia percipi, cum fidei oculi non adsunt? Quid enim illis profuit videre? Nihil. Nos enim clarius quam illi videmus. Quoniam igitur oculi vestri vident eo videndi, et aures vestræ audiunt eo audiendi genere, quod Christus beatum prædicavit, agedum vobis Scripturæ gemmas apponamus. Quemadmodum enim Judæis quæstiones non solvit Christus, imo auxit obscuritatem, quia non attendebant: sic et vobis, quia attento estis animo, occulta in medium adducere par est. Etenim accesserunt discipuli, et mirabantur dicentes: *Cur in parabolis eis loqueris* (Matth. 13. 10. et 13)? Ille vero respondit, *Quia videntes non vident*. Quia igitur vos non videntes videtis, par est vobis sine parabola loqui; et quia *Audientes non audiunt*. (a) Quia igitur vos qui tunc non audivistis, nunc non minus auditis, quam tunc audivissetis, consentaneum est vos non hac privare mensa. Etenim Christus hos non minus beatos prædicavit, quam illos: *Vidistis namque, ait, et credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt* (Joan. 20. 29). Ne igitur ideo segnes ad virtutem estote, quod illis temporibus non fueritis, sed hoc tempore vivatis. Nam si volueris, nihil hinc detrimenti percipies; quemadmodum multi eorum, qui tunc fuerunt, quia noluerunt, nihil hinc utilitatis percipere.

3. *Scripturæ divinæ virtus. Paulus non de præsentis solum, sed etiam de futuro grege sollicitus. Apostolica scripta mænia Ecclesiarum. Apostoli de futuris solliciti. Petrus apostolorum coryphæus, etc. Orbis præfectus, etc.* — Quidnam igitur hodie lectum est? *Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus erunt tempora gravia* (2. Tim. 3. 1). Timotheo rursum scribit Paulus. Terribilis comminatio; sed animum erigamus: hæc quippe tempora nobis subindicat Scriptura, necnon post futura, etiamque ea quæ consummationem spectant. *Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus erunt tempora gravia*. Breve dictum, et magna virtus. Quemadmodum enim aromata non copia et

(a) Hæc textus deficere videtur.

4. *Moralis exhortatio. Judicium Dei quam timendum.* — Hæc cum sciamus, dilecti, imo his longe plura (multa enim alia dici possent, sed hæc erunt sapientioribus satis), fugiamus nequitiam, diligamus virtutem, ut ex rebus ipsis ostendamus, nos libero uti ad ea quæ placent arbitrio, ne confundamur illo die, quo singulorum opera revelabuntur. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut ait Paulus, ut referat unusquisque, prout gessit, sive bonum, sive malum* (2. Cor. 5. 10). Tribunal, quæso, illud nobiscum reputemus, quasi jam adesset, Judexque sederet, et omnia revelarentur, in mediumque adducerentur. Non modo enim nos adstare oportet, sed etiam manifestari. Annon erubescitis? annon perhorrescitis? annon sæpe mori potius optamus, quam occultum scelus venerabilibus amicis nostris detegi? Quo tunc sensu afficiemur, cum peccata nostra coram omnibus angelis hominibusque detegentur et ante oculos sistentur? *Arguam te, inquit, et statuam contra faciem tuam peccata tua* (Psal. 49. 21). Quod si re nondum præsentem, sed tantum suppositam, sermoneque descriptam, conscientia urgente obruimus, quid faciemus cum tempus aderit, cum totus orbis præsens erit, cum angeli et archangeli, cum princi-

patus et potestates, cum tubæ frequentes clangent, cum justi rapiuntur in nubibus, et ingens erit peccatorum fletus? Quis tunc terror apprehendet eos qui in terra manebunt? Nam *Una, inquit, rapietur, et una relinquetur: unus assumetur, et unus relinquetur* (Matth. 24. 40). Quo erunt illi animo, quando videbunt illos magno cum honore assumi, se vero cum multa turpitudine relinqui? Non potest, non, inquam, potest, credite mihi, verbo declarari doloris magnitudo. Vidistis sæpe eos qui ad mortem adducuntur? Quo illos animo putatis esse dum ad ostium pergunt? Quid non agere, quid non pati optarent, ut a tanta caligine eriperentur? Audivi ego multos eorum qui, postquam abducti fuerant, Imperatorum clementia revocati, dicerent se animo ita perturbato, ita percusso fuisse, ut neque homines quasi homines viderent. Verum quid de abductis loquor? Circumstabat multitudo hominum quorum magna pars abductos non noverat. Si quis singulorum animos explorasset, nullum reperisset tam immanem, tam ferocem, tam strenuum qui, præ terrore et angore, non demisso animo caset. Quod si dum alii, ipsis nullo necessitudinis vinculo juncti, morte mulctantur, ita affecti sunt; quando nos in graviora incidemus, quo erimus animo, a gaudio illo ineffabili ejecti, et in sempiternum missi supplicium? Etenim etiamsi nulla esset gehenna, a tanto splendore ejici, et sine honore recedere, quantum esset supplicium! Nam si hodieque Imperatorem ingredientem multi cernentes, suamque paupertatem considerantes, non tantam percipiunt ex hoc spectaculo voluptatem, quantum mœrorem ex eo, quod nullius horum sint consortes bonorum, neque inter clientes imperantis connumerentur, quid tunc erit? Num parvum esse putatis supplicium in choro illo non accenseri? ineffabili gloria non dignari? ab illo cœtu et inenarrabilibus bonis procul abjici? At cum præter hæc erunt tenebræ, stridor dentium, vincula insolubilia, vermis qui non moritur, ignis qui non exstinguitur, animi mœror, angustia, linguæ adustæ, ut illa divitiis, cum plorabimus, et nemo erit qui audiat, cum ingemiscemus et frememus ex doloribus, et nemo attendet, undique respiciemus, et nemo aderit qui consoletur: quo in ordine locabimus eos, qui in hujusmodi statu versantur? quid hujusmodi animabus miserabilibus?

5. Si porro in carceres ingressi, dum squalidos illos videmus, qui catenis ferreis vincti sunt, alios vero in tenebris conclusos, frangimur, horrescimus, nihilque non agimus ne in tantam calamitatem incidamus: cum abducemur vincti in gehennæ tormenta, quo erimus animo? quid faciemus? Non enim ex ferro cusa sunt illa vincula, sed ex igne, qui nunquam exstinguitur, nec æquales nobis sunt illi, qui nobis præficiuntur, quos sæpe demulcere liceat, sed angeli terribiles et immisericordes, quos ne respicere quidem possimus, quique ob contumeliam in Dominum irrogatam, vehementer sæviunt. Non videre est, ut hic, alios argento, alios cibo, alios suadela, sibi consolationem parare, sed omnia ibi venia ca-

πατέρες παισίν, οὔτε διδάσκαλοι μαθηταῖς, οὔτε ἄρχοντες ἀρχομένοις, ἀλλὰ μικροὶ τῶν τετολημμένων ἐξετασθαι καὶ τιμωροὶ γινόμεθα, καὶ δικαστήρια καταλαμβάνομεν, καὶ πληγαῖς ὑποβάλλομεν, καὶ ἐπιτιμήσοι χρώμεθα, καὶ πάντα πράττομεν, ὅπως ἀπαλλάξωμεν αὐτοὺς τῶν κακῶν. Τοῖς δὲ παισὶ τοῖς ἡμετέροις καὶ παιδαγωγούσι ἐπιστώμεν, καὶ εἰς διδασκάλους πέμπομεν, καὶ ἀπειλάς προστίθεμεν, καὶ μάστιγας ἐπιτίθεμεν, καὶ πολλὰ ἔτερα βοηθήματα προσάγομεν, ἵνα καλοὶ γένωνται. Τίς οὖν χρεῖα πόνων καὶ ἰδρώτων πρὸς τὸ κατορθοῦν ἀρετῆν; Εἰ γὰρ εἰμαρταὶ τινι γενέσθαι καλόν, καὶ καθεύδων ὁ τοιοῦτος καὶ βέγγχων ἔσται καλός· μάλλον δὲ οὐδὲ καλὸν τὸν τοιοῦτον ἔστιν εἰπεῖν, τὸν ἐξ ἀνάγκης τοῦτο γινόμενον. Τίς χρεῖα πόνων καὶ ἰδρώτων πρὸς τὸ φεύγειν κακίαν; Εἰ γὰρ εἰμαρταὶ τινι γενέσθαι κακόν, κἂν μυρία ταλαιπωρῆ, κακὸς ἔσται· μάλλον δὲ οὐδὲ κακὸν τὸν τοιοῦτον ἔστιν εἰπεῖν, τὸν ὑπ' ἀνάγκης πρὸς τοῦτο ὠθούμενον. Ὅσπερ γὰρ τὸν δαιμονῶντα, κἂν λοιδορῆ, κἂν τύπη (πάλιν γὰρ τῷ αὐτῷ κέρημαί παραδείγματι), οὐ προσερούμεν ὕδριστῆν· οὐ γὰρ αὐτῷ λογιζόμεθα τὴν λοιδορίαν, ἀλλὰ τῇ ἀνάγκῃ τοῦ δαιμονοῦ· οὕτω καὶ τὸν κακόν, εἰ ὑπὸ τῆς εἰμαρμένης ὠθεῖται πρὸς τοῦτο, μὴ καλῶμεν αὐτὸν κακόν, ὥσπερ οὐδὲ τὸν καλὸν καλόν. Καὶ γὰρ εἰ τοῦτο δοθεῖ, πάντα συγχυθήσεται τὰ καθ' ἡμᾶς, καὶ οὔτε ἀρετὴ ἔσται τι, οὔτε κακία, οὐ τέχνη, οὐ νόμοι, οὐκ ἄλλο τῶν τοιούτων οὐδέν. Τίνος δὲ ἔνεκεν σπουδὴν πολλὴν ποιῶμεθα νοσοῦντες, καὶ χρήματα δαπανῶμεν, καὶ ἰατροὺς καλοῦμεν, καὶ φάρμακα ἐπιτίθεμεν, καὶ γαστρὸς κατέχομεν, καὶ ἐπιθυμίαν κολάζομεν; Εἰ γὰρ τῆς εἰμαρμένης ἤρτηται καὶ ὑγίεια καὶ νόσος, περιττὰ τῶν χρημάτων τὰ ἀναλώματα, περιττὴ τῶν ἰατρῶν ἡ εἰσόδος, περιττὴ τῆς τῶν νοσοῦντων διαίτης ἡ ἀκρίβεια. Νῦν δὲ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ἐκ τούτων δηλοῦμεν, ὅτι οὐδὲν αὐτῶν περιττόν ἐστιν. Ἄλλ' οἴχεται μὲν ὁ τῆς εἰμαρμένης μῦθος· οὐδεμιᾶ γὰρ ἀνάγκῃ τὰ καθ' ἡμᾶς ὑπόκειται· πάντα δὲ, καθὼς ἔφην, ἐλευθερίᾳ πετιμῆται προαιρέσεως.

8. Ταῦτ' οὖν εἰδότες, ἀγαπητοὶ, καὶ τὰ τούτων πλείονα (πολλὰ γὰρ ἔστι καὶ ἄλλα περὶ τούτων εἰπεῖν, ἀλλὰ τοῖς συνετωτέροις ἀρκεῖ ταῦτα), φύγωμεν κακίαν, ἐλώμεθα ἀρετῆν, ἵνα δείξωμεν διὰ τῶν πραγμάτων, ὅτι αὐτεξούσιον ἔχομεν πρὸς τὰ δοκούντα τὴν γνώμην, ἵνα μὴ κατασχυνθῶμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς τῶν ἔργων ἀποκαλύψεως. *Τοὺς γὰρ παντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἐμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, καθὼς φησὶν ὁ Παῦλος, ἵνα κομισθῆται ἕκαστος πρὸς ἃ [292] ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθόν, εἴτε κακόν.* Λάβωμεν, παρακαλῶ, κατὰ νοῦν ἕκείνο τὸ δικαστήριον, καὶ νομισωμεν αὐτὸ παρεῖναι νῦν, καὶ τὸν κριτὴν καθέζεσθαι, καὶ τὰ πάντα ἀνακαλύπτεσθαι, καὶ εἰς μέτρον ἄγεσθαι. Οὐ γὰρ ἀπλῶς παραστῆναι δεῖ, ἀλλὰ καὶ φανερωθῆναι ἡμᾶς. Ἄρα οὐκ ἠρωθριάσατε; ἄρα οὐκ ἐφρίξατε; ἄρα οὐκ αἰρούμεθα πολλὰκις ἀποθανεῖν, ἢ ἐπὶ φίλων αἰδεσίμων παιδείμα κρυπτῆν ἡμῶν φανερωθῆναι; Πῶς οὖν τότε δικαιοσύμεθα, ἐπὶ πάντων ἀγγέλων καὶ πάντων ἀνθρώπων φανερούμενων τῶν ἡμετέρων ἀμαρτημάτων, καὶ πρὸς τῶν ὀφθαλμῶν ἡμῶν ἰσταμένω; Ἐλέγξω σε γὰρ, φησὶ, καὶ παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὴν ἁμαρτίαν σου. Εἰ δὲ μήπω τοῦ πράγματος παρόντος, ἀλλὰ καθ' ὑπόθεσιν δοθέντος, καὶ λόγῳ διαγραφέντος, ἀπολλύμεθα ὑπὸ τοῦ συνειδότες, τί ποιήσομεν ὅταν

παραγῆνται, ὅταν ἡ οἰκουμένη πᾶσα παρῆ, ὅταν ἄγγελοι καὶ ἀρχάγγελοι, ὅταν ἄρχαι καὶ ἐξουσαί, ὅταν σάλπιγγες ἠχῶσιν αἱ συνεχεῖς καὶ ἐπάλληλοι, καὶ ἀρπαγὴ τῶν δικαίων ἐπὶ νεφελῶν, καὶ πολὺς τῶν ἡμαρτηκῶτων ὁ κλαυθμός; Πῶς; ἄρα φόβος ἔξει τότε τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς ἀπομένοντας; *Μία γὰρ, φησὶν, ἀρπάξεται, καὶ μία ἀφίεται· καὶ εἰς παραλαμβάνεται, καὶ εἰς καταλιμπάνεται.* Τίς ἔσται ἡ ψυχὴ ἐκείνων, ὅταν τοὺς μὲν ὀρῶσιν ἀπαγομένους μετὰ τιμῆς μεγάλης, ἑαυτοὺς δὲ ἀφιμένους μετὰ πολλῆς ἀσχύνης; Οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστι, πιστεύσατε, παραστῆσαι λόγῳ τὸ πάθος. Εἰδέτε ποτε τοὺς ἀπαγομένους ἐπὶ θάνατον; Ποῖαν αὐτοῖς νομίζετε εἶναι τὴν ψυχὴν τῆς μέχρι τῆς πύλης ὁδὸν βαδίζουσι; Τί οὐκ ἂν εἴλαντο καὶ ποιήσαι καὶ παθεῖν, ὥστε ἀπαλλαγῆναι τῆς ἀχλὺς ἐκείνης; Ἐγὼ πολλῶν ἤκουσα λεγόντων τῶν φιλανθρωπίᾳ βασιλικῇ μετὰ τὴν ἀπαγωγὴν εἰς τοῦπίσω ἀνακληθέντων, ὅτι οὐδὲ ἀνθρώπους ἐώρων τοὺς ἀνθρώπους, τεθορυβημένης τῆς ψυχῆς καὶ ἐκπεπληγμένης. Καὶ τί λέγω περὶ τῶν ἀπαγομένων; Ὅχλο; περιέστηκε τότε, οἱ πλείους οὐκ εἰδότες αὐτοὺς. Εἰ τις ἐνός τότε ἐκάστου τὴν ψυχὴν περιεσκόπησεν, οὐδεὶς οὕτως ὠμός, οὐδεὶς οὕτω θρασὺς, οὐδεὶς οὕτω γενναῖος, ὃν οὐ καταπετοῦκυλαν αὐτὴν ἔχοντα εὔροι καὶ παρειμένην ὑπὸ τοῦ φόβου καὶ τῆς ἀθυμίας. Εἰ δὲ ἑτέρων ἀναιρουμένων οἱ μὴδὲν αὐτοῖς κοινωνοῦντες οὕτω διατίθενται, ὅταν ἡμεῖς αὐτοὶ τοῖς μεῖζοσι περιπέσωμεν, τίνας ἄρα ἐσόμεθα, τῆς μὲν ἀρρήτου χαρᾶς ἐκείνης ἀποτεμπόμενοι, εἰς αἰωνίαν δὲ τιμωρίαν παρατεμπόμενοι; Εἰ γὰρ καὶ γένενα μὴ ἦν, τὸ ἐκ τοσαύτης λαμπρότητος ἀπωσθῆναι, καὶ ἄτιμον ἀνιχωρῆσαι, πόση κόλασις; Καὶ γὰρ εἰ νῦν, βασιλείας ἐνελαύνοντες, θεωρούμετες πολλοὶ, καὶ τὴν ἑαυτῶν πενίαν ἰννοοῦντες, οὐ τοσαύτην ἀπὸ τῆς θέας λαμβάνουσιν ἡδονήν, ὅσην ἀπὸ τοῦ μηδενὸς μετέχειν τῶν περὶ τὸν βασιλέα, μὴδὲ ἐγγὺς εἶναι τοῦ κρατοῦντος, ἀθυμίαν ὑπομένουσι, τί τότε ἔσται; Ἡ μικρὰν εἶναι νομίζετε κόλασιν τὸ μὴ κατατάττεσθαι ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ; τὸ μὴ καταξιοῦσθαι τῆς ἀποβόρῃτου δόξης; τὸ τῆς πανηγύρεως ἐκείνης καὶ τῶν ἀφράστων ἀγαθῶν πόρῳ που καὶ μακρὰν ἀπερβῆσθαι; Ὅταν δὲ καὶ σκότος ἦ, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων, καὶ δεσμὰ [293] ἄλυτα, καὶ σκώληξ ἀτελεῦτητος, καὶ πῦρ ἀσβεστον, καὶ θλίψις καὶ στενοχωρία, καὶ γλώσσαι ἀναγίζόμεναι, καθάπερ ἡ τοῦ πλουσίου, καὶ ὀλοφυρῶμεθα, καὶ μὴδεις ἀκούη, καὶ στένωμεν, καὶ βρῶχουμεν ὑπὸ τῶν ἀλγηδόνων, καὶ μὴδεις προσέχη, καὶ πανταχοῦ βλέπωμεν, καὶ μηδαμοῦ μὴδεις ὁ παραμυθούμενος ἢ· ποῦ τάξομεν τοὺς ἐν τούτοις ὄντας; τί δὲ ἐκείνων ἀθλιώτερον τῶν ψυχῶν; τί δὲ ἐλεεινότερον;

ε'. Εἰ δὲ εἰς δεσμιωτήριον εἰσιόντες, καὶ τοὺς μὲν αὐγμῶνας ὀρώντες, τοὺς δὲ σιδηραῖς ἀλύσει δεδεμένους, τοὺς δὲ σκότῳ κατακλεισμένους, κατακλώμεθα, φρίττομεν, πάντα πράττομεν ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐμπεσεῖν εἰς τοιαύτην ἀνάγκην καὶ θλίψιν· ὅταν ἀπαγώμεθα εἰς αὐτὰ τὰ τῆς γενένης βασιανιστήρια δεδεμένοι, τίνας ἐσόμεθα; τί δὲ πράξομεν; Οὐ γὰρ ἐκ σιδήρου τὰ δεσμὰ ἐκείνα, ἀλλ' ἀπὸ πυρός εἰσιν οὐδέποτε σβεννυμένου, οὐδὲ ὁμοίμοι τινας οἱ ἐφεστῶτες ἡμῖν, οὗς καὶ ἐκμελιζέσθαι πολλὰκις ἐνι, ἀλλ' ἄγγελοι φοβεροὶ καὶ ἀσυμπαθεῖς, οἷς οὐδὲ ἀντιβλέψαι δυνατὸν, σφοδρῶς ὑπὲρ ὧν τὸν δεσπότην ὑβρίσασαν ὀργιζόμενοι. Οὐκ ἔστι, καθάπερ ἐναυθα, τοὺς μὲν ἀργύ-

\* Sic Colbert. In Savil. autem οὐδένα οὕτως ὠμόν, οὐδένα, etc., ita ut sententia imperfecta esset.

ριον, τοὺς δὲ τροφάς, τοὺς δὲ λόγους εἰσάγοντας παρακλητικούς ἰδεῖν, καὶ παραμυθίας τυχεῖν, ἀλλὰ πάντα ἐκεῖ ἀσύγγνωστα. Κὰν Νῶε ἦ, κὰν Ἰωβ, κὰν Δανιήλ, καὶ τοὺς οικειοὺς ἴδωσι κολαζομένους, οὐ τολμῶσι παραστήναι, καὶ χεῖρα ὀρέξει. Καὶ γὰρ τὴν ἐκ φύσεως συμπάθειαν ἀναιρεῖσθαι τότε συμβαίνει. Ἐπειδὴ γὰρ εὐρίσκονται ἰκεῖνοι τέκνων ἀμαρτωλῶν πατέρες, καὶ παῖδες ἀγαθοὶ γέναιον πονηρῶν (οὐ γὰρ φύσεως ἐστίν, ἀλλὰ γνώμης τὰ κακά), ὥστε καθαρὰν αὐτοῖς εἶναι τὴν εὐφροσύνην, καὶ μὴ τῇ τῆς συμπαθείας ἀνάγκῃ κατακλᾶσθαι τοὺς ἀπολαύοντας τῶν ἀγαθῶν ἐκείνων, καὶ ταύτην σβέννυσθαι τότε ἐστὶ, καὶ αὐτοὺς συναγανακτεῖν τῷ Δεσπότη κατὰ τῶν οικειῶν σπλάγγων. Εἰ γὰρ καὶ νῦν τινες, ὅταν ἴδωσι φαύλους τοὺς αὐτῶν παῖδας, ἀποκηρύττουσι, καὶ τῆς συγγενείας ἀποπέμνουσι, πολλῶ μᾶλλον ἐν τῇ κρίσει τοῦτο γενήσεται. Τοιγαροῦν μηδεὶς ἐπιτιζέτω, χρηστὰ μὴ ἐργασάμενος, τί χρηστὸν, κὰν μυρίους ἔχη προγόνους δικαίους. *Ἐκαστος γὰρ κομίζεται, φησὶ, τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς δ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθόν, εἴτε κακόν.* Ἀκούσωμεν, παρακαλῶ, καὶ σωτηρονώμεν. Ἄν πῦρ ἔχῃς ἐπιθυμίας πονηρᾶς, ἐννόησον τῆς κολάσεως ἐκείνης τοῦ πῦρ, καὶ τοῦτο κατασβεσθὲν οἴχεται. Ἄν βουληθῆς φθέγγεσθαι τὴν αὐτῶν ἀπόπτων, ἐννόησον τὸν βρυγμὸν τῶν ὀδόντων, καὶ χαλινὸς ἐστὶ σοὶ φόδος. Ἄν ἀρπάσαι θελήσῃς, ἀκουσον τοῦ δικαστοῦ λέγοντος, *Δίσατε αὐτοῦ χεῖρας καὶ πόδας, καὶ βάλετε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον.* καὶ ταύτην ἐκβαλεῖς τὴν ἐπιθυμίαν. Ἄν ὠμὸς καὶ ἀνελεήμων ἦς, ἀναμνήσθητι τῶν παρθένων ἐκείνων, αἱ, τῶν λαμπάδων αὐτῶν σβεσθειῶν διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἔλαιον, τοῦ νυμφῶνος ἐξέπεσον, καὶ ταχέως ἔση φιλάνθρωπος. Ἄν μεθύειν καὶ τρυφᾶν ἐπιθυμῆς, ἀκουσον τοῦ πλουσίου λέγοντος, *Πέμψον Λάζαρον,* ἵνα ἄκριπ τῷ δακτύλῳ καταψύξῃ τὴν τηγανίζομένην γλώσσαν, καὶ οὐ τυγχάνοντος τῆς αἰτήσεως, καὶ ταχέως ἀποστήσῃ τοῦ πάθους [294]. Καὶ τὰ ἄλλα δὲ πάντα τοῦτω κατορθώσεις τῷ τρόπῳ· οὐδὲν γὰρ φορτικὸν ἐπέταξεν ὁ Θεός. Πόθεν οὖν φορτικὰ φαίνεται τὰ ἐπιτάγματα; Ἄπὸ τῆς βραθυμίας τῆς ἡμετέρας. Ὡσπερ γὰρ, ἐὰν σπουδάζωμεν, καὶ τὰ δοκοῦντα βαρῆα κούφα ἔσται καὶ βράδια, οὕτως, ἐὰν βραθυμῶμεν, καὶ τὰ φορητὰ φανεῖται δύσκολα ἡμῖν. Ἄπερ ἅπαντα λογισάμενοι, μὴ τοὺς τρυφώντας μακαρίζωμεν, ἀλλὰ τὸ τέλος αὐτῶν ἐννοώμεν. Ἐνταῦθα μὲν γὰρ κόπρος καὶ πολυσαρκία, ἐκεῖ δὲ σκώληξ καὶ πῦρ. Μὴ τοὺς ἀρπάζοντας, ἀλλὰ τί τὸ τέλος αὐτῶν. Ἐνταῦθα φροντίδες καὶ πόνοι, ἐκεῖ δεσμὰ ἄλυτα καὶ σκότος ἐξώτερον. Μὴ τοὺς δόξης ἐρῶντας, ἀλλὰ τί τὸ τέλος αὐτῶν. Ἐνταῦθα δουλεία καὶ εἰρωνεία, ἐκεῖ ζημία πολλή καὶ τὸ διηνεχὲς ἐμπυρρίζεσθαι. Ἄν οὕτως ἑαυτοῖς διαλεγώμεθα, καὶ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα συνεχῶς ἐπάθωμεν ταῖς πονηραῖς ἡμῶν ἐπιθυμίαις, ταχέως καὶ κακίαν ἐκφυγόμεν, καὶ ἀρετὴν κατορθώσωμεν, καὶ τὸν τῶν παρόντων ἔρωτα σβέσωμεν, καὶ τὸν τῶν μελλόντων ἀνάφομεν. Τί γὰρ ἔχει τὰ παρόντα βέβαιον, ἢ τί ξένον καὶ παράδοξον, ὅτι πᾶσαν τὴν σπουδὴν εἰς αὐτὰ ἀναλίσκωμεν; Οὐχὶ τὰ αὐτὰ διαπαντὸς ὀρῶμεν ἀνακυκλούμενα, οἷον ἡμέρα καὶ νύξ, νύξ καὶ ἡμέρα, χειμῶν καὶ θέρος, θέρος καὶ χειμῶν, καὶ πλεόν οὐδέν; Ἀνάψωμεν τοίνυν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν τὸν πόθον. Μεγάλῃ γὰρ ἀπόκειται δόξα τοῖς δικαίοις, καὶ ἦν οὐκ ἐνὶ παραστήσει λόγῳ. Τὰ γὰρ σώματα μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀπολαθόντες ἀφθαρτα, συνοδοξάζονται καὶ εὐμβασιλεύουσι τῷ Χριστῷ.

ς. Τοῦτο δὲ ἥλικον ἐστίν, ἐντεῦθεν εἰσόμεθα· μᾶλλον δὲ σαφῶς μὲν οὐδαμῶθεν εἰσόμεθα· ὥστε δὲ ἀπὸ τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν ἀναχθέντες, μικρὰν γοῦν τινα λάδωμεν ἔνοϊαν, ὡς ἂν οἶός τε ὦ, παραστήσει πειράσσομαι τὸ λεχθέν. Εἰπέ γὰρ μοι, εἰ τίς σε γεγηρακότα, καὶ ἐν πενία ζῶντα ἐπηγγέλλετο ποιήσῃς ἐξαίφνης νέον, καὶ εἰς αὐτὴν ἄξειν τῆς ἡλικίας τὴν ἀκμὴν, καὶ σφόδρα ἰσχυρὸν καὶ ὠραῖον ὑπὲρ πάντας κατασκευάσειν, καὶ βασιλείαν δώσειν τῆς γῆς ἀπάσης ἐπὶ ἔτεσι χιλίοις, βασιλείαν εἰρήνην ἔχουσαν βαθυτάτην, τί οὐκ ἂν ὑπὲρ ταύτης ἐλιου τῆς ὑποθέσεως καὶ ποιῆσαι καὶ παθεῖν; Ἰδοὺ τοίνυν, ὁ Χριστὸς οὐχὶ ταῦτα, ἀλλὰ πολλῶ μείζονα τούτων ἐπαγγέλλεται, Οὐ γὰρ ὅσον γῆρας καὶ νεότητος τὸ μέσον, τοσοῦτον φθορᾶς καὶ ἀφθαρτίας τὸ διάφορον· οὐδὲ ὅσον βασιλείας καὶ πενίας, τοσοῦτον τῆς δόξης τῆς παρουσίας καὶ τῆς μελλούσης· ἀλλ' ὅσον ὄνειράτων καὶ ἀληθείας. Μᾶλλον δὲ οὐδὲν οὐδέτερον εἶρηκα· οὐδὲ γὰρ ἐστὶ λόγος ἱκανὸς παραστήσει τὸ μέγεθος τῆς διαφορᾶς τῶν ἐσομένων πρὸς τὰ παρόντα. Χρόνου δὲ ἕνεκεν, οὐδὲ [295] ἐννοῆσαι ὅλως ἐστὶ διαφορὰν. Πῶς γὰρ ἂν τις παραβάλοι τοῖς παροῦσι ζωὴν πέρας οὐκ ἔχουσαν; Τῆς δὲ εἰρήνης τοσοῦτο τὸ μέσον, ὅσον εἰρήνης καὶ πολέμου τὸ διάφορον· καὶ τῆς φθορᾶς καὶ τῆς ἀφθαρσίας, ὅσον βώλου πηλίνης ὁ καθαρός μαργαρίτης ἀμύμον. Μᾶλλον δὲ, ὅσα ἂν εἴπη τις, οὐδὲν παραστήσει δινησεται. Κὰν γὰρ τῷ τῆς ἀκτίως παραβάλω φωτὶ τὸ κάλλος τῶν τότε σωμάτων, κὰν ἀστραπῇ τῇ φανοτάτῃ, οὐδὲν οὐδέτερον τῆς λαμπρότητος ἐκείνης ἄξιον ἐρῶ. Ὑπὲρ δὴ τούτων πόσα οὐκ ἄξιον προέσθαι χρήματα καὶ σώματα; μᾶλλον δὲ πόσας οὐκ ἄξιον προέσθαι ψυχάς; Νῦν δὲ, εἰ μὲν τίς σε εἰς βασιλεία εἰσῆγαγε, καὶ πάντων παρόντων διαλεχθῆναι σοὶ τὸν βασιλεῖα παρεσκευάσας, καὶ ὁμοτράπεζον αὐτῷ καὶ ὁμοδόνταν ἐποίησε, πάντων ἂν ἐφῆς σαυτὸν εἶναι μακαριώτερον· εἰς δὲ τὸν οὐρανὸν μέλλων ἀναθῆναι, καὶ παρ' αὐτὸν ἐστάναι τὸν βασιλεῖα τῶν ὄλων, καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἀντιλάμπειν, καὶ τῆς ἀπροσίτου δόξης ἀπολαύειν ἐκείνης, ἀμφιδάλλεις εἰ θεοὶ προέσθαι χρήματα, θεόν, εἰ καὶ τὴν ζωὴν αὐτὴν ἀποδύσασθαι ἔδει, σκιρτᾶν καὶ ἀγάλλεσθαι καὶ πετροῦσθαι ὑπὸ τῆς ἡδονῆς; Σὺ δὲ, ἵνα μὲν ἀρχὴν λάβῃς τὴν παρεχουσάν σοι κλοπῶν ἀφορμάς (οὐ γὰρ κέρδος τὸ τοιοῦτον ἐγὼ καλῶ), καὶ τὰ ὄντα ἐκβάλλεις, καὶ τὰ ἐτέρων δανεισάμενος, εἰ θεοὶ, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα ὑποθέσθαι οὐ κατοκνεῖς, τῆς δὲ βασιλείας τῶν οὐρανῶν προκειμένης, τῆς οὐδένα διάδοχον ἐχούσης ἀρχῆς, ὄκνεῖς καὶ ἀναδύῃ καὶ πρὸς χρήματα κέχηνας; καὶ οὐκ ἐννοεῖς, ὅτι εἰ τὰ πρὸς ἡμᾶς τοῦ οὐρανοῦ μέρη οὕτω καλὰ καὶ τερπνὰ, ἡλίκα τὰ ἀνώτατα, καὶ ὁ τοῦ οὐρανοῦ οὐρανός; Ἄλλ' ἐπειδὴ σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς ταῦτα ἰδεῖν οὐκ ἐστίν, ἀνάβηθι τῷ λογισμῷ, καὶ ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν τοῦτον στάς, ἀνάβλεψον εἰς ἐκεῖνον τὸν ἀνωτέρω τούτου οὐρανὸν, εἰς τὸ ὕψος τὸ ἄπειρον, εἰς τὸ φῶς τὸ ἀπρόσιτον, εἰς τοὺς δῆμους τῶν ἀγγέλων, εἰς τὰς τάξεις τῶν ἀρχαγγέλων, εἰς τὰς ἄλλας δυνάμεις τὰς ἀσωμάτους· καὶ πάλιν ἐπιλαβοῦ τῆς παρ' ἡμῖν εἰκόνας, καταβάς ἄνωθεν, καὶ ὑπόγραψόν μοι τὰ περὶ τὸν βασιλεῖα τὸν ἐπὶ γῆς, οἷον, ἄνδρας χρυσοφοροῦντας, καὶ ζεῦγος λευκῶν ἡμιόνων χρυσοῦ καλλωπιζομένων καὶ δχημα λιθοκόλλητον, καὶ πέταλα τούτων περισειόμενα, καὶ δράκοντας ἐν ἱματίοις σχηματιζομένους σρικκοῖς, καὶ ἀσπίδας χρυσοῦς ἐχούσας ὀφθαλμοῦς, καὶ ἱπποὺς χρυσοφοροῦντας, καὶ χαλινῶν χρυσοῦς. Ἄλλ' ὅταν τὸν βασιλεῖα ἴδωμεν, οὐδὲν τούτων ὀρώμεν λοιπὸν

rent. Etiam si Noe fuerit, vel Job, vel Daniel, qui suos viderint supplicio affectos, non audent illis adstare, et manum porrigere. Naturæ quippe commiserationem tunc auferri contingit. Quia enim reperiuntur justii peccatorum filiorum patres, filiique prohi parentum improborum (non enim naturæ, sed arbitrii mala sunt), ut illi puram habeant lætitiã, nec misericordiæ vi frangantur, qui illis fruuntur bonis, illam tunc exstingui contingit, ipsique cum Domino contra propria viscera indignantur. Etenim si nunc, cum vident quidam filios suos improbos, ipsos exheredant et a familia sua abscindunt, id multo magis in iudicio eveniet. Nemo igitur, qui bona non operetur, aliquid boni speret, etiam si sexcentos justos progenitores habeat: *Unusquisque enim referet, inquit, quæ per corpus sunt, prout gessit, sive bonum, sive malum* (2. Cor. 5. 10). Audiamus, quæso, et respiscamus. Si pravæ concupiscentiæ igne ardeas, cogita illius supplicii ignem, et hic ignis exstinguetur. Si volueris quid absotum loqui, tecum reputa stridorem dentium, et metus tibi freni loco erit. Si alienum rapere volueris, audi Judicem dicentem: *Ligate manus et pedes ejus, et projicite eum in tenebras exteriores* (Math. 22. 13), et hanc abjicies concupiscentiam. Si crudelis et immisericors fueris, recordare virginum illarum, quæ, extinctis lampadibus suis, cum non haberent oleum, ex sponsi thalamo exclusæ sunt (Math. 25), ac cito benignus evades. Si ebrietati et comessationibus operam dare cupias, audi divitem dicentem, *Mitte Lazarum* (Luc. 16. 24), qui summo digito refrigeret adustam linguam, neque optatam consequutus est, et statim ab hoc cupiditatis morbo averteris. Cætera quoque omnia virtutis officia sic exsequeris: nihil enim onerosum Deus præcepit. Unde igitur præcepta onerosa esse videntur? Ex segnitie nostra. Quemadmodum enim si studiose diligenterque agamus, quæ videntur esse gravia, levia faciliæque erunt: sic, si segniter agamus, tolerabiliora quoque difficilia nobis videbuntur. Quæ omnia nobiscum reputantes, ne beatos illos prædicemus qui lauta fruuntur mensa, sed illorum finem cogitemus. Nam hic stercus et pinguedo, illic vermis et ignis. Ne raptores, sed eorum finem nobiscum reputemus. Nam hic sollicitudines et labores, illic vincula insolubilia et tenebræ exteriores. Ne gloriæ humanæ amatores; sed quis sit eorum exitus, consideremus. Hic servitus et fucus, illic damnum multum et combustio æterna. Si ita apud nos ratiocinemur, atque hæc et similia pravis nostris concupiscentiis assidue occinamus, cito nequitiam effugiemus et virtutem exsequemur, præsentium amorem exstinguemus, et futurorum accendamus. Quid enim firmitatis habent præsentia, quid tam insolitum, quid tam stupendum, ut omnem erga illa curam insumamus? Annon eadem ipsa perpetuo videmus quasi in circulum recurrentia, ut diem et noctem, noctem et diem, hiemem et æstatem, æstatem et hiemem, et nihil ulterius? Accendamus ergo futurorum desiderium bonorum. Magna quippe justis reposita est gloria, et quam verbis exprimere non

possimus. Nam corpora post resurrectionem incorruptibilia accipientes, gloriæ regni que Christi consortes erunt.

6. *Resurrectio futura quantum bonum. Futuram inter et præsentem vitam discrimen.* — Hoc vero quantum sit, hinc intelligemus; imo potius numquam clare intelligemus; ut autem exemplo ex bonis præsentibus assumpto, parvam quamdam ejus notitiam attingamus, pro virili mea id quod dictum est declarare curabo. Dic mihi, si quis tibi seni et in penuria degenti polliceretur id præstiturum se, ut repente juvenis esses, et in ipsum ætatis florem reducereris, formaque ac robore corporis cunctis præstares, daturumque tibi totius orbis regnum, idque ad mille annos, regnum, inquam, in profundissima pace transigendum, quid pro tali assequendo promisso non facere, quid non pati velles? En igitur, Christus non hæc, sed his longe majora pollicetur. Non enim quanta senectutem inter et juventutem, tanta solum est inter corruptionem et incorruptionem differentia; neque quantum est inter regnum et paupertatem discrimen, tantum etiam est inter gloriam præsentem et futuram: sed quantum inter somnia et rei veritatem. Imo vero nondum quidpiam dixi: nullus quippe sermo potest differentiam illam exprimere, quæ est inter futura et præsentia. Si ratio autem habeatur temporis, nulla omnino potest cogitari differentia. Quomodo enim conferre quis potest præsentibus, vitam nullum terminum habituram? In pace autem tantum est discrimen, quantum inter pacem et bellum, inter corruptionem vero et incorruptionem, quantum inter luteum frustum et gemmam puram. Imo vero potius quidquid dicas, nihil declarare poteris. Quævis enim corporum beatorum pulchritudinem radio lucis conferam, quamvis conspicuo fulguri, nihil illo splendore dignum dicam. Pro his certe quot non pecunias, quot non corpora profunderè par esset? imo quot non animas? Nunc porro, si quis te in regiam introduceret, omnibusque præsentibus id curaret ut Imperator te alloqueretur, teque et mensæ et ædium consortem admitteret, te omnium beatissimum esse pronuntiares: at cum in cælum sis ascensurus, et cum ipso universorum Imperatore versaturus, cum angelis vicissim micaturus, et inaccessa illa gloria fruiturus, ambigis num pecunias profunderè oporteat, cum par esset, etiam si vitam emittere opus esset, exsultare, gaudere et præ voluptate alas assumere? At tu, ut præfecturam adipiscaris, quæ tibi furtorum occasiones præbeat: non enim id lucrum vocarim: et facultates expendis, ab aliisque mutuaris, ac si oporteat etiam uxorem et liberos pignori dare non vereris, regno autem cælorum tibi proposito, imperioque successoris experte, segnis es, refugis, et pecuniis inhias? nec cogitas, si cæli partes illæ, quas conspicerè valemus, ita pulchræ, ita jucundæ sunt, quantæ erunt aliæ his superiores, quantum cælum cæli?

*Imperatorum cultus cum Christi novissimo adventu comparatus.* — Sed quia corporeis oculis hæc videre

non licet, mente ascende, et supra hoc cælum atans, respice in illud superius cælum, in immensam altitudinem, in lucem inaccessam, in angelorum populos, in archangelorum ordines, et in alias incorporeas virtutes: ac rursus hinc descendens imaginem illam nostram terrenam accipe, ac describe mihi illa quæ terrenum Imperatorem circumstant, puta viros auro decoratos, jugam albarum mularum auro ornatarum, currum lapillis coagmentatum, lamina in illo mobiles et agitata, dracones in vestimentis sericis depictos, aspides aureis instructas oculis, equos auro ornatos, frena aurea. At quando Imperatorem videmus, nihil eorum ultra respicimus: ille quippe solus nos in se convertit; nempe purpurea vestimenta, diadema, sella, fibula, calcei, vultus splendor. His omnibus simul accurate perpensis, ab his rursus cogitationem transfer ad superna, diemque terribilem cogita, qua Christus adveniet. Non enim jugum mularum tunc videbis, non currus aureos, non dracones et aspides, sed quod horrorem incutiat, et tantum stuporem injiciat, ut cælestes ipsæ virtutes stent attonitæ: nam *Virtutes cælorum*, inquit, *commovebuntur* (Matth. 24. 29). Tunc cælum totum aperietur, descendet vero unigenitus Dei Filius, non viginti, non centum satellitibus stipatus, sed millennis et decies millies millenis angelis et archangelis, omniaque erunt timore et terrore plena, discissa terra, omnibusque hominibus ab Adam usque ad illam diem, ex terra surgentibus et abreptis, ipso cum tanta gloria fulgente, ut solis et lunæ totam lucem occultent, radiis illis ipsam superantibus. Sed, heu me, quantus stupor ille, cum talia expectantes bona præsentibus inhiamus, nec cogitamus diaboli vafritiem, qui per res illas exiguas magnis nos privat bonis, dat lutum, ut abripiat cælum, umbram exhibet, ut expellat veritatem, atque in somniis vanam ostendit pompam (hoc enim sunt præsentis divitiæ), ut, adveniente luce, nos omnium pauperrimos exhibeat. Quæ cum sciamus, dilecti, ejus dolum fugiamus, id vitare curemus, ne cum illo damnemur, ne nobis Judex dicat: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum paratum diabolo et angelis ejus* (Matth. 25. 41).

7. At benignus est Deus; id non accidet, inquires. Ergone frustra scriptum est? Nequaquam, aies; sed ad comminationem solum, ut respiscamus. Si igitur non respiscamus, sed improbi maneamus, nonne, die mihi, supplicium inferet? Ergo neque bonis mercedem retribuet? Retribuet, inquires: id enim ipsum decet, etiam supra merita beneficia conferre. Hæc itaque vera sunt, et prorsus evenient: quæ autem ad supplicia atinent, nequaquam? O multam diaboli vafritiem! o inhumanam ejus humanitatem! Ipsius enim est hæc cogitatio, ut gratiam conferat inutilem et seniores reddat. Quia novit enim, supplicii metum, ceu quoddam frenum, id præstare ut animis angamur et a vitiis retrahamur, nihil non agit et molitur, ut illud radicitus erellat, quo demum sine timore per præcipitia feramur. Quomodo igitur illum superabimus? Quæcumque ex Scripturis proferimus dicent ii, qui

contradicunt, comminationis causa scripta esse. Verum id de futuris forte dicere possint, etsi admodum impie; de præteritis vero, deque iis quæ jam contigerunt, non item. Interrogemus igitur eos: Audistisne de diluvio, deque pernicie illa universali? num etiam illud comminationis causa dictum fuerat? annon contigit, et in exitum deductum est? nonne id testificantur Armeniæ montes, ubi arca consedit? annon reliquæ ejus illic hactenus servantur ad nostram admonitionem (a)? Similia tunc multi dicebant, ac per centum annos dum arca construeretur, ligna aptarentur, justusque clamaret, nemo erat qui crederet: sed quia non crediderunt comminationi verborum, ultionem repente ac reipsa subierunt. Atqui is, qui tantum ipsis supplicium intulit, annon multo majus nobis inferet? non enim minora sunt hæc malis illius temporis. Tunc illicitis coitibus operam dabant: nam *Ingressi sunt*, inquit, *filius Dei ad filias hominum* (Gen. 6. 2): nunc autem nullum est genus peccati quod retro relinquatur.

*Maledictum Sodomorum non temporis spatio delatum.* — Verum, si placet, ad alia supplicii genera sermonem convertamus, ut ex præteritis futura credantur. Num quis vestram umquam in Palæstinam peregrinatus est? Mihi quidem videtur. Vos ergo dictorum veritati testimonium ferte. Nam ultra Ascalonem et Gazam ad ipsum postremum Jordanis fluvii terminum erat quædam regio magna et feracissima, quæ cum paradiso Dei concertare posset: nam *Vidit*, inquit, *Lot omnem regionem circum Jordanem, quæ irrigabatur quasi paradisi Dei* (Gen. 13. 10). Verum hæc nunc est omnium desertorum desertissima. Stant enim arbores, et fructum habent, at fructus ille iræ divinæ monimentum est. Stant malogranata splendida facie spem bonam ignorantibus præsentia, manibus autem accepta et fracta, fructum quidem nullum, sed pulverem cineremque multum intus positum exhibent. Talis est terra, tales lapides, talis ipse aer. Omnia incensa sunt, omnia in cinerem redacta, præterquam iræ monimenta, futuri supplicii indicia. Num et hæc sunt verborum comminationes? num et hæc sermonum strepitos? Si quia non credit gehennæ, Sodomam cogitet, Gomorrhæam secum reputet, supplicium videlicet jam sumptum et hactenus manens. Id quod divina Scriptura enarraus de sapientia sic loquitur: *Hæc justum, pereuntibus impiis, liberavit fugientem descendentem ignem in Pentapolim* (Sap. 10. 6. 7). Hæc etiam nunc *In testimonium nequitie fumigans stat deserta terra, et incerto tempore fructus arborum emittit*. Necesse autem est et causam dicere ob quam talia passi sunt. Unum erat eorum scelus, grave quidem et execrandum; at tamen unum. Insano in pueros amore ferebantur, ideoque ignea pluvia combusti sunt: nunc autem sexcenta parva et graviora perpetrantur, neque tale incendium mittitur. Quare? Quia alius ignis præparatus est, numquam exstinguendus. Quomodo enim qui pro uno

(a) Reliquæ arcæ Noe tempore Chryzostomi in montibus Armeniæ servabantur.

ἐκεῖνος γὰρ ἡμᾶς ἐπιστρέφει μόνος, καὶ τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια, καὶ τὸ διάδημα, καὶ ἡ καθέδρα, καὶ ἡ παρόνη, καὶ τὰ ὑποδήματα, καὶ ἡ τῆς θύρας λαμπηδών. Ταῦτα οὖν ἅπαντα συναγαγὼν ἀκριθῶς, ἀπὸ τούτων μεταβάς πάλιν ἐπὶ τὰ ἄνω τὸν λογισμὸν, καὶ τὴν ἡμέραν ἐννόησον τὴν φοβεράν, καθ' ἣν ὁ Χριστὸς παραγίνεται. Οὐ γὰρ ζεύγος ἡμιόνων βῆει τότε, οὐδὲ ὀχήματα χρυσοᾶ, οὐδὲ δράκοντας καὶ ἀσπίδας, ἀλλ' ὁ πολλῆς γέμει φρίκης, καὶ τοσαύτην ἐμποιεῖ τὴν ἔκστασιν, ὡς καὶ αὐτὰς ἐκπλαγῆναι τὰς οὐρανοὺς δυνάμεις· Αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, φησὶ, σαλευθήσονται. [296] Τότε ἀνοίγεται μὲν ἅπας ὁ οὐρανός, κάτεισι δὲ ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Υἱός, οὐκ εἰκοσι, οὐδὲ ἑκατὸν δορυφορούντων αὐτῶν, ἀλλὰ χιλιάδων καὶ μυριάδων ἀγγέλων τε καὶ ἀρχαγγέλων, καὶ πάντα ἔσται φόβος καὶ τρόμος μεστὰ, τῆς τῆς ἀναβήθην μετῆς, καὶ τῶν πῶποτε γενομένων ἀνθρώπων, ἐξ οὗ γέγονεν ὁ Ἄδαμ μέχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἀπὸ γῆς ἀνισταμένον, καὶ ἀρπάζομένων, αὐτῷ μετὰ τοσαύτης φαινομένου δόξης, ὥστε τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην ἅπαν κρύψαι τὸ φῶς, ὑπὸ τῆς αὐτῆς ἐκείνης ὑπερλαμπόμενον. Ἄλλ', οἴμοι τῆς πολλῆς ἀναισθησίας, ὅτι, τοιούτων προσδοκωμένων ἀγαθῶν, ἔτι πρὸς τὰ παρόντα κεχῆναμεν, καὶ οὐκ ἐννοοῦμεν τοῦ διαδόλου τὴν κακουργίαν, ὅς διὰ τῶν μικρῶν τὰ μεγάλα ἡμᾶς ἀπαιρεῖται, καὶ δίδωσι πηλὸν, ἵνα ἀρπάξῃ οὐρανὸν, καὶ δείξῃ οὐρανὸν, ἵνα ἐκβάλῃ τῆς ἀληθείας, καὶ ἐν οὐρανοῖς φαντάξῃ (τοῦτο γὰρ ὁ παρὼν πλοῦτος), ἔν', ἡμέρας γενομένης, δείξῃ πάντων πενσετέρους. Ἄπερ μαθόντες, ἀγαπητοί, φύγωμεν τὸν ἐκεῖνον δόλον, φύγωμεν τὴν μετ' ἐκεῖνου κατάκρισιν, ἵνα μὴ καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁ κριτὴς εἴπῃ· Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ, οἱ καταπραμένοι, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον τὸ ἠτοιμασμένον τῷ διαδόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ.

Ζ'. Ἄλλὰ φιλάνθρωπός ἐστιν ὁ Θεός· οὐκ ἔσται τοῦτο, φησὶν. Οὐκοῦν εἰκὴ γέγραπται; Οὐχί, φησὶν, ἀλλὰ πρὸς ἀπειλὴν μόνον, ἵνα σωφρονῶμεν. Ἄν οὖν μὴ σωφρονῶμεν, ἀλλὰ μένωμεν κακοί, οὐκ ἐπάξει τὴν κόλασιν; εἰπέ μοι. Οὐκοῦν οὐδὲ τοῖς ἀγαθοῖς ἀποδώσει τὰς ἀμοιβάς; Ναί, φησὶ· τοῦτο γὰρ πρόβλεπον αὐτῷ καὶ ὑπὲρ τὴν ἀξίαν εὐεργετεῖν. Ὅστε ἐκεῖνα ἀληθῆ καὶ πάντως ἔσται, τὰ δὲ τῶν κολάσεων οὐ πάντως; Ὡ τῆς πολλῆς τοῦ διαδόλου κακοτεχνίας, ὧ τῆς ἀπανθρώπου ταύτης φιλάνθρωπίας. Ἐκεῖνον γὰρ ἐστιν οὗτος ὁ λογισμὸς χάριν ἀνώνητον χαριζόμενος καὶ βραθύμους ποιῶν. Ἐπειδὴ γὰρ οἶδεν, ὅτι τῆς κολάσεως ὁ φόβος, καθάπερ τις χαλινός, τὴν ἡμετέραν ἀγχι ψυχὴν, καὶ τῶν κακῶν ἀναστέλλει, πάντα ποιεῖ καὶ πραγματεύεται, ὥστε πρόβριζον ἀνασπάσαι τοῦτον, ἵνα λοιπὸν ἀδεῶς κατὰ κλημῶν φερώμεθα. Πῶς οὖν αὐτοῦ περιγενώμεθα; Ὅσα ἂν εἴπωμεν ἀπὸ τῶν Γραφῶν, ἐροῦσιν οἱ ἀντιλέγοντες, ὅτι ἀπειλῆς ἔνεκον γέγραπται. Ἄλλὰ περὶ μὲν τῶν μελλόντων ἔχοιεν ἂν τοῦτο λέγειν, εἰ καὶ λίαν ἀσεβῶς· περὶ δὲ τῶν ἐκθεσθηκότων οὐκ ἔτι, καὶ τέλος ἐσχηκότων. Ἐρώμεθα τοῖσιν αὐτοῖς· Ἠκούσατε περὶ τοῦ κατακλισμοῦ καὶ τῆς πανωλεθρίας ἐκείνης; μὴ κάκεινο ἀπειλῆς ἔνεκον εἴρητο; οὐχὶ γέγονε, καὶ εἰς ἔργον ἐξέβη; οὐχὶ καὶ τὰ

ὄρη μαρτυρεῖ τῆς Ἀρμενίας, ἐνθα ἡ κιβωτὸς ἰδρύθη; οὐχὶ καὶ τὰ λείψανα αὐτῆς ἕως νῦν ἐκεῖ σώζεται πρὸς ἡμετέραν ὑπόμνησιν; Τοιαῦτα καὶ τότε πολλοὶ ἔλεγον, καὶ ἐν ἑκατὸν ἔτεσι τῆς κιβωτοῦ τεκταινομένης, καὶ τῶν ξύλων κατασκευαζομένων, καὶ τοῦ δικαίου βοῶντος, οὐδεὶς ὁ πιστεύων ἦν· ἀλλ' ἐπειδὴ οὐκ ἐπίστευσαν τῇ διὰ τῶν βημάτων ἀπειλῇ, τὴν διὰ τῶν πραγμάτων ὑπέστησαν τιμωρίαν ἀθρόον. Ἐῖτα ὁ τοιαύτην κόλασιν [297] ἐπαγαγὼν ἐκεῖνοις, οὐ πολλῷ μᾶλλον ἐπάξει ἡμῖν; οὐ γὰρ ἐλάττονα τῶν τότε κακῶν τὰ νῦν γινόμενα. Τότε μὲν γὰρ ἐπιμύξιας ἐπόλουν ἀθέτους· Εἰσήλθον γὰρ, φησὶν, οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων· νῦν δὲ οὐκ ἔστιν εἶδος ἀμαρτίας ἀπρακτον, ἢ καταλιμπάνεται.

Ἄλλ', εἰ δοκεῖ, καὶ ἐφ' ἕτερα κολάσεως εἶδη τὸν λόγον ἀγάγωμεν, ἵνα ἐκ τῶν γενομένων καὶ τὰ μέλλοντα πιστευσῇ. Ἐπεδήμησέ τις ὑμῶν τῇ Παλαιστίνῃ ποτέ; Ἔγωγε οἶμαι. Οὐκοῦν ὑμεῖς μαρτυρήσατε τῇ ἀληθείᾳ τῶν λεγομένων. Ἀσκάλωνος γὰρ καὶ Γάζης ἀνώτερον εἰς αὐτὸ τοῦ Ἰορδάνου ποταμοῦ τὸ τέλος ἦν τις χώρα πολλὴ τε καὶ εὐφορος, καὶ τῷ παραδείσῳ τοῦ Θεοῦ ἀμιλλωμένη· Εἶδε γὰρ, φησὶ, Ἄωτ πᾶσαν τὴν περιχώρον τοῦ Ἰορδάνου, καὶ ἦν ποτιζομένη ὡς ὁ παράδεισος τοῦ Θεοῦ. Ἄλλὰ νῦν αὕτη παῶν τῶν ἐρήμων ἐστὶν ἐρημοτέρα. Ἔστηκε μὲν γὰρ δένδρα, καὶ καρπὸν ἔχει, ὁ δὲ καρπὸς τῆς τοῦ Θεοῦ ὀργῆς ἐστὶν ὑπόμνημα. Ἔστηκασιν γὰρ βόαι λαμπρὰ μὲν ἔχουσαι τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ χρηστάς παρέχουσαι τοῖς ἀγνοοῦσιν ἐπιτίδας, εἰς δὲ χεῖρας ληφθεῖσαι καὶ διακλασθεῖσαι, καρπὸν μὲν οὐθέν, κόνιν δὲ καὶ τέφραν ἐπιδείκνυνται πολλὴν ἔνδοσ ἀποκειμένην. Τοιαύτη ἐστὶ καὶ ἡ γῆ, τοιοῦτοι καὶ οἱ λίθοι, τοιοῦτος καὶ ὁ ἀήρ αὐτός. Πάντα ἐμπέπηρσται, πάντα τετέφρωται, τῆς προλαβοῦσης ὀργῆς ὑπομνήματα ὄντα, τῆς μελλούσης κολάσεως προμνημάτα. Μὴ καὶ ταῦτα ἀπειλαὶ βημάτων; μὴ καὶ ταῦτα φόφοι βημάτων; Εἰ τις ἀπιστεῖ τῇ γέννησιν, τὰ Σόδομα λογισέσθω, τὰ Γόμορρα ἔννοσέτω, τὴν τιμωρίαν τὴν ἤδη γεγενημένην καὶ μέχρι νῦν μένουσαν. Ὅπερ καὶ ἡ θεία Γραφή διηγουμένη περὶ τῆς σοφίας φησὶν· Αὕτη δίκαιον, ἐξαπολυμένων ἀσεβῶν, ἐρρύσατο φυγόντα καταβάσιον πῦρ Πενταπόλεως. Αὕτη καὶ νῦν ἔτι εἰς Μαρτύριον τῆς πονηρίας καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος, καὶ ἀτελεῖσιν ὤραις καρποφοροῦσα τὰ φυτὰ. Ἀναγκάσιον δὲ καὶ τὴν αἰτίαν εἰπεῖν, δι' ἣν ταῦτα πεπόνθασιν. Ἐν ἦν τὸ πταίσμα αὐτῶν, χαλεπὸν μὲν καὶ ἐπάρατον· πλήρη ἔν. Παισὶν ἔπεμψοντο, καὶ διὰ τοῦτο πυρίνῳ κατεκαύθησαν ὑετῷ· νῦν δὲ μυρία καὶ ἴσα καὶ χαλεπώτερα γίνεται, καὶ τοιοῦτος ἐμπρησμὸς οὐ γίνεται. Τίνος ἔνεκον; Ὅτι πῦρ ἕτερον ἠτοιμάσται, μηδέποτε σθενύμενον. Πῶς γὰρ ὁ ὑπὲρ ἑνὸς ἀμαρτήματος τοσαύτην ὀργὴν ἐπαγαγὼν, καὶ μήτε τοῦ Ἀβραάμ τὴν ἱκετηρίαν δεξάμενος, μήτε τὸν ἔνοικον δυσωπηθεὶς Ἄωτ, τοσοῦ-

<sup>a</sup> Colb.. τῶν ξύλων ὑφαινομένων.

<sup>b</sup> Sic recte Colb. In Savii. ἐπάρατον· ἐν παισίν.

των κακῶν γινομένων φείσεται ἡμῶν; Οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστιν.

ἦ. Ἄλλὰ μὴ μέχρι τούτων στώμεν· φέρε, ἐτέρους εἰς μέσον ἀγάγωμεν κολασθέντας, ἵνα διὰ πλειόνων ἀποδείξωμεν πιστωθῆ τὰ λεγόμενα. Τὸν Φαραῶ πάντες ἀκούετε τὸν βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων· οὐκοῦν οἴδατε καὶ τὴν δίκην, ἣν ἔδωκεν, ὅπως σὺν ἄρμασι καὶ ἵπποις, μετὰ τοῦ στρατοπέδου παντὸς εἰς τὸ ἐρυθραῖον κατεποντίσθη πέλαγος. Ἴνα δὲ καὶ τὰς Ἰουδαίων μάθητε κολάσεις, ἀκούε Παύλου λέγοντος· *Μηδὲ πορνεύωμεν καθὼς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν, καὶ ἔπεσον [298] ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσι τρεῖς χιλιάδες· μηδὲ γογγύζωμεν, καθὼς τινες αὐτῶν ἐγόγγυσαν, καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ· μηδὲ πειράζωμεν τὸν Κύριον, καθὼς τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄψεων ἀπώλοντο.* Εἰ δὲ κάκῃνοι τοιαῦτα πεπόνθησιν ὑπὲρ ὧν ἡμαρτον, τί οὐ πεισόμεθα ἡμεῖς; Ἄλλὰ νῦν οὐδὲν πασχόμεθα δεινῶν, καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα δεδοικέναι χρῆ. Οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ μὴ δοῦναι δίκην, ἀλλ' ἐπὶ τῷ χεῖρονα δοῦναι τηρούμεθα, εἰ μὴ μεταβαλοῦμεθα. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ οὐκ ᾔδεισαν τὴν γέενναν, καὶ ταῖς ἐνταῦθα παρεδίδοντο τιμωρίας· ἡμεῖς δὲ ὅσα ἂν ἀμάρτωμεν, κἂν μηδὲν ἀναρῶν ἐν τῷ παρόντι βίῃ πάθωμεν, ἐν τῷ μέλλοντι πάντα πεισόμεθα. Πῶς γὰρ ἂν ἔχοι λόγον, ἐκείνους μὲν νηπιωδέστερους ὄντας τοιαῦτα πεπονθέναι, ἡμᾶς δὲ τελειότερων ἀπολαύσαντας μαθημάτων, καὶ πολὺ χεῖρονα πταίοντας ἐκείνων, διαφυγεῖν τὰς τιμωρίας; Βούλεσθε καὶ τὰς λοιπὰς αὐτῶν ἀκούσαι συμφορὰς, ὅσας ἔπαθον ἐν Παλαιστίνῃ ὑπὸ Βαβυλωνίων καὶ Ἀσσυρίων καὶ Μιχαθῶν; ὅσους ὑπέμειναν λιμοῦς, λοιμοῦς, πολέμους, αἰχμαλωσίας ἐπὶ Τίτου καὶ Οὐεσπασιανοῦ; Τὴν Ἰωσήπου βίβλον ἀνάγνωτε, ἣν ἔγραψε περὶ τῆς τῶν Ἱεροσολύμων ἀλώσεως, καὶ μαθήσεσθε τὴν πικρὰν ἐκείνην τραγωδίαν. Μετὰ γὰρ τῶν ἄλλων δεινῶν, εἰς τοσαύτην λιμοῦ περιέπεσον ὑπερβολὴν, ὡς καὶ τὰς ζώνας αὐτῶν, καὶ τὰ ὑποδήματα, καὶ τὰ τούτων ἐσθίειν βδελυρότερα. Πάντα γὰρ ὑπ' ἰδόντας ἦγεν ἡ ἀνάγκη, καθὼς πούφησιν ὁ προλεχθεὶς συγγραφεύς. Καὶ οὐδὲ μέχρι τούτων ἔστησαν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἰδίων ἀπεγύσαντο τέκνων. Πῶς οὖν, ἐκείνων τοιαύτας δεδωκότων δίκας, ἡμεῖς οἱ τὰ χεῖρονα τούτων πρᾶττοντες διαφευξόμεθα; Εἰ γὰρ

\* Savil. quædam omisit, quæ restituantur ex Colbert.

ἐκεῖνοι ἐκολάσθησαν τότε, διὰ τί ἡμεῖς οὐ κολαζόμεθα νῦν; Οὐχὶ καὶ τυφλῷ δῆλον, ὅτι διὰ τὸ ἀποκείσθαι ἡμῶν ἐν τῷ μέλλοντι τὴν κόλασιν, καθὼς ἔφη πολλὰκις; Χρῆ δὲ λογίζεσθαι πρὸς τούτους καὶ τὰ νῦν ἐν τῷ βίῳ γινόμενα, καὶ οὐκ ἀπιστήσομεν τῇ γέεννῃ. Εἰ γὰρ δικαίως ἔστιν ὁ Θεὸς καὶ ἀπορωπόλητος, ὡς περ οὖν καὶ ἔστι, τίνος ἔνεκεν οἱ μὲν διδάσιν ἐνταῦθα φόνων δίκας, οἱ δὲ οὐ διδάσιν; οἱ μὲν τῶν μοιχῶν τιμωροῦνται, οἱ δὲ τελευταῖον ἀτιμώρητοι; πόσοι τυμωρόχοι διέφυγον; πόσοι λησταί; πόσοι πλεονέκται; πόσοι ἄρπαγες; Ἄν οὖν γέεννα μὴ ἦ, ποῦ τιμωρίαν ὑφέξουσιν; Ἄρα πείθομεν τοὺς ἀντιλέγοντας, ὅτι οὐκ ἔστι μῦθος ὁ περὶ αὐτῆς λόγος; Οὕτω γὰρ ἔστιν ἀληθές, ὅτι οὐχ ἡμεῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιητὰ καὶ φιλόσοφοι καὶ λογοποιοὶ περὶ τῆς μελλούσης ἀναποδόσεως ἐφιλοσόφησαν, καὶ ἐν ᾧδου κολάζεσθαι τοὺς πονηροὺς εἰρήχασιν. Εἰ γὰρ καὶ μετὰ ἀληθείας, ὡς ἔχει ταῦτα, εἶπεν οὐκ ἠδυνήθησαν, ἅτε ἀπὸ λογισμῶν κινήθοντες καὶ παρακουσμάτων τῶν παρ' ἡμῶν, ἀλλ' ὁμοῦ εἰκόνα τινὰ κρίσεως ἔλαβον. Κωκυτοὺς γὰρ φασὶ τινὰς καὶ Πυριφλεγέθοντας ποταμούς, καὶ Στυγὸς ὕδωρ, καὶ Τάρταρον τοσοῦτον ἀπχόντα τῆς γῆς, ὅσον αὕτη τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πολλοὺς ἑτέρους κολάσεως τρόπους· καὶ [299] πάλιν Ἠλύσιον πεδίον, καὶ μακάρον νήσους, καὶ λειμῶνας εὐανθεῖς, καὶ εὐώδιαν πολλήν, καὶ αὐραν λεπτὴν, καὶ χοροὺς ἐκαὶ διατρίβοντας, καὶ λευκὴν περιβεβλημένους στολήν, καὶ ᾄδοντας ὕμνους τινὰς, καὶ ὄλωσ καὶ ἀγαθοὺς καὶ πονηροὺς ἀποκειμένην ἀντίδοσιν μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἔξοδον. Μὴ τοίνυν ἀπιστώμεν τῇ γέεννῃ, ἵνα μὴ ἐμπέσωμεν εἰς αὐτὴν· ὁ γὰρ ἀπιστῶν, ῥαθυμότερος γίνεται· ὁ δὲ ῥαθυμῶν, εἰς αὐτὴν ἀπελεύσεται πάντως· ἀλλὰ καὶ πιστεύωμεν ἀνευδοκίᾳς, καὶ διαλεγόμεθα περὶ αὐτῆς συνεχῶς, καὶ οὐ ταχέως ἀμαρτησόμεθα. Τῶν γὰρ τοιούτων λόγων ἡ μνήμη, καθάπερ τι φάρμακον πικρὸν, πᾶσαν κακίαν ἀποσμηθεὶς δυνήσεται, διαπαντὸς ἡμῶν ἐνιζόνουσα τῇ ψυχῇ. Χρησόμεθα τοίνυν αὐτῷ, ἵνα καθαρθέντες καλῶς, ἀξιωθῶμεν ἰδεῖν τὸν Θεόν, ὡς ἀνθρώποις ἰδεῖν δυνατόν, καὶ τῶν μελλόντων ἀπολαύσωμεν ἀγαθῶν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

## MONITUM

Antiochiense an Constantinopoli hanc homiliam habuerit Chrysostomus, nulla possumus conjectura assequi. Eam porro dixit ad recens baptizatos et illuminatos; quales sunt etiam duæ catecheses, quas Tomo secundo dedimus. Sperabam autem me illam Græce posse nancisci totam, quando in catalogo quodam Manuscriptorum, ab amplissimo doctissimoque viro Joanni Pottero mihi transmissio, ejus titulum et initium Græce vidi. Rogatus autem a me totam opellam Græce descriptam mitteret, opera ille usus viri



peccato tantam iram intulit, neque Abrahami supplicationem suscepit, neque inhabitantem Lotum relictus est, tot admissis facinoribus, nobis parceret? Non ita erit, non ita certe.

8. *Peccatores aliquando in hac vita dant pœnas. Qui in hac vita pro admissis peccatis nihil patiuntur, in futuram puniendi reservantur.* — Verum ne hic gradum sistamus, sod age, alios in medium adducamus supplicio affectos, ut pluribus demonstrationibus ea quæ diximus confirmentur. De Pharaone omnes audistis *Ægyptiorum* rege: nostis certe quas ille dedit pœnas, quomodo cum curribus et equis, omnique pariter exercitu in Rubrum mare demersus sit. Ut autem *Judæorum* quoque supplicia discatis, audi Paulum dicentem: « Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt, et perierunt una die viginti tria millia: neque murmuremus, ut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore: neque tentemus Dominum, ut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt » (1. *Cor.* 10. 8. 10. 9). Quod si et illi talia pro peccatis passi sunt, quid non patiemur nos? At nunc nihil grave patimur, ideoque maxime timere oportet. Non enim ut non pœnas demus servamur; sed ut graviores demus, nisi convertamur. Illi enim non noverant gehennam, et suppliciis hic traditi sunt: nos autem quandocumque peccamus, si nihil in præsentī vita grave patiamur, in futuro omnia perpetiemur. Nonne cum ratione pugnaret, si illis, qui rudiores et imperitiores erant, talia passis, nos qui perfectioribus fruimur disciplinis, et longe graviora, quam illi, perpetramus, supplicium effugeremus? Vultis reliquas etiam illorum audire calamitates, quas passi sunt in *Palæstina* a *Babyloniis*, *Assyriis* et *Macedonibus*? quoties famem, pestem, bella passi sunt, et captivitates sub *Tito* et *Vespasiano*? *Josephi* librum legite, quem de *Jerosolymorum* excidio scripsit, et acerbam illam tragediam discetis. Cum aliis quippe calamitatibus in tantam famem inciderunt, ut balteos etiam suos, et calceos ederent, iisque etiam horribilliora: omnia quippe dentibus subigebat necessitas, ut prædictus scriptor ait. Ac neque in his steterunt, quin etiam proprios filios degustarunt. Quomodo ergo, cum illi tales dederint

pœnas, nos, qui graviora his perpetramus, effugimus? Nam si tunc illi plexi sunt, cur nos jam non plectimur? Annon vel cæco manifestum est ideo sic agi, ut sæpe dixi, quod nobis supplicium in futuram reservetur? Ad hæc vero consideranda sunt ea quæ nunc in hoc mundo geruntur, et gehennæ fidem non negabimus. Nam si justus est Deus, nec personas accipit, ut certe verum est, cur hic alii cædium dant pœnas, alii non dant? cur ex mœchis alii puniuntur, alii non plexi moriuntur? quot sepulcrorum effossores pœnam vitarunt! quot fures! quot avari! quot raptores! Si ergo gehenna non esset, ubinam illi pœnam dabunt! Num contradicentibus persuademus, quæ de illa narrantur non esse fabulam? Ita enim vera sunt, ut non nos tantum, sed etiam poetæ, philosophi et fabularum scriptores de futura pro merito sorte philosophati sint, et improbos in inferno cruciari dixerint. Nam etiamsi hæc vere ut sunt enarrare non potuerunt, utpote qui ex ratiocinio tantum exque nostra doctrina male accepta ad id permoti fuerint, attamen illi imaginem quamdam judicii adepti fuerant. *Cocytos* enim memorant, *Pyriphlegethontas* fluvios, et *Stygis* aquam, et *Tartarum* tantum a terra distantem, quantum ipsa a cælo, multos quoque alios ultionis modos: rursumque *Elysium* campum, et fortunatorum insulas, prata florida, fragrantiam multam, auram tenuem et choros illic versantes, albo indutos amictu, quasdam modulantes cantilenas, in summa bonis et malis post exitum ex hac vita paratam sortem promeritam. Ne itaque gehennæ fidem negemus, ne in illam incidamus: nam qui non credit, segnior efficitur; qui segnus est, in illam procul dubio ibit: imo credamus sine dubitatione, deque illa frequenter colloquamur, et non facile peccabimus. Hujusmodi namque sermonum commemoratio, quasi acerbum quoddam remedium, nequitiam omnem abstergere poterit, si nostris perpetuo animis insideat. Hoc itaque remedio utamur, ut probe expurgati, digni simus qui Deum videamus, ut ab hominibus videri potest, et futuris fruamur bonis, gratia et benignitate Domini nostri *Jesu Christi*. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## AD HOMILIAM IN JOSEPH ET DE CONTINENTIA.

docti et accurati *Joseph Boevvlesii*, protobibliothecarii *Bodleiani*, quæ paucissima in Manuscripto supererant exscribi mihi que transmitti curavit. Cætera enim avulsis foliis perierunt, ut monuit ipse laudatus vir *Boevvlesius*.

Interpretatio Latina, etsi vetus, sat bene concinnata est.

## EJUSDEM DE CONTINENTIA.

Ἄσπερ μὲν ἐμοὶ δοκεῖ χρησιμώτατος εἶναι καὶ πρέπων τοῖς τοῦ Χριστοῦ δούλοις ὁ περὶ σωφροσύνης λόγος ἡ μάλα τὰ δὲ νῦν ἐν καιρῷ τοῦτου ποιησάμεθα πρὸς ὑμᾶς, ὅτε τὸν Χριστὸν ἐνδυσάμενοι τῆς Ἐκκλησίας οἱ παῖδες, σωφροσύνην μάλα κέρησθαι πρὸς τῶν ἄλλων ὀφείλουσιν ἀγαθῶν. Ἐπεὶ καὶ ὅστις εἶδεν ἀθλητὰς, Ὀλυμπίους νομισθέντας πρέπειν, ἀλειψάμενους ἐπὶ τὸ στάδιον καταβαίνοντας, εἶτα περὶ παλαισμάτων καὶ καρτερίας καὶ νίκης διελχθῆ πρὸς αὐτοῦς, ἐν καιρῷ τοῦτο πεποιχέναι δικαίως ἂν παρὰ πάντων νομίζοιτο. Καὶ δὴ καὶ ἡμεῖς ἑωρακότες τοῦ τοῦ [300] Σωτῆρος ἀθλητὰς, δύναμιν λαβόντας παρὰ τοῦ Πνεύματος διὰ τῶν Θεῶν μυστηρίων, εἰκότως ἂν ὑπὲρ σωφροσύνης διαλεχθέντες, ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τὸν πνευματικὸν παραπέμφωμεν. Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀνθρώποις . . . nihil indignum Domino vel loquamur, vel factum. Nam si rex aliquis purpura amictus, coronaque caput ornatus, et victus naturæ affectionibus, indignum quiddam regia majestate fecerit, mox ut in regiam stolam aspexerit, emendat se, operamque dat ne posthac a fædis vincatur cupiditatibus. Et tu quoque indutus Christum, vitata turpi animæ concupiscentia, ad divinam statim stolam respice, meliorque statim eris, neque maligni artibus offenderis. Igitur pulchrum quidem continentiam commendare laudibus, pulchrius autem possidere. Et sane non parum ad continentiam incitantur, qui multum de ea loquuntur et audiunt. Atque eam ob rem virtutes sanctorum celebrari sacris Scripturis voluit Deus, ut omnes homines in illorum trahantur imitationem, vestigiaque illorum diligenter sequendo persuasi continentiam parent. Etenim si in gymniciis certaminibus plerique, visis athletis coronatis, accensi, etiam ipsi se exuerunt, et multos sudores laboresque perulerunt, ut ramis vel oleæ vel lauri coronarentur: quanta ergo nos convenit alacritate pro continentia sudores ferre, quando alios a Deo coronatos videmus, ut caelestibus redimiamur coronis, propter bona salutariaque facinora? Quomodo non grave et multa

Mihi quidem semper utilissimus videtur, et Christi servis dignus sermo de continentia: maxime autem tempore hoc, quando Christum induit pueri Ecclesiæ præ aliis bonis continentiam possidere maxime debent. Nemo injuste vel intempestive de fortitudine et certamine factum dixerit sermonem, cum athletæ juxta Olympicas leges exercentur. Itaque et nos nunc athletas Christi quos videmus accepisse virtutem a Spiritu propter divina sacramenta, ad agonem spiritualem missuri, merito de continentia disserimus. In mundanis enim certaminibus post victoriam coronæ; in Christi autem stadii ante victoriam coronæ. Quare autem coronatos in agonem mittit nos Christus? Ut metum incutiat adversariis, sensusque nostros erigat: ut ad honorem a Deo nobis datum spectantes, vel loquamur, vel factum.

ira dignum, si athletas alleciet folium lauri vel olivæ, et gloria transitoria hujus vitæ: nos autem nihil moveant Christi munera, ut omnem voluptatē amoveamus, et timorem Dei præferamus concupiscentiis? Porro non in solis hominibus videmus similitudinem imitationem, sed et in brutis. Nam et columbæ sæpe, visa una avolante, statim sequuntur omnes: et pullus generosus, in equorum armento exsilens, secum rapit omne armentum. Et inter vos, ut in armento Christi, bonus est pullus Joseph continentissimus, caelestibus exultationibus ad sui imitationem nos conservos vocans. Saltemus igitur cum bono adolescente spiritualem choream, laudantes ipsius continentiam, non verbis solum, sed et operum imitatione. Ille igitur, ille erat diligens et perpetuus continentia custos, cum posset reginæ ipsi imperare et in deliciis atque luxu divitem et voluptarium agere. Verumtamen quamvis talium et tantorum dominus futurus, cum cogitasset quod divitiæ quidem et potentia ac gloria cum præsentī vita transeant, et temporalium lucrum dumtaxat habeant, solius autem virtutis nullus sit finis, ideo voluptatibus timorem Christi, ut frenum quoddam, iniecit. Divitias autem et delicias, ac promissiones dominæ derisit, miseriam in carcere dulciorem censens præclaris domiciliis, tametsi his qui excellenter formosi sunt, difficile est imperare voluptati. Hic autem tantum specimen exhibuit continentia, ut pulchritudine animæ pulchritudinem corporis occultaret, stellæ cuidam pulchræ formositate corporis, angelis autem venustate animæ conferendus. Nos autem decet admirari, non solum adolescentis continentiam, sed et pericula, quæ pro illa sustinuit, qui morte gravius ac terribilius judicavit servire voluptatibus. Admirabitur autem, qui virtutem ipsius diligenter cognoverit, et tempora expenderit in quibus animam puram servavit. Nam priusquam in terra et Dominus et Opifex universi apparuit, libertatem custodivit mentis. In domo impiorum educabatur, multos habebat ad deteriora adhortantes, carebat continentia magistro. Omnes voluptati serviebant, ventri indulgebant, nihil pium, nihil sanctum faciebant: attamen in tantorum taliumque impiorum corona, videns dominam intemperantem jacere, caelestium thesaurorum proditor non est factus, sed Spiritus templum indeprædabile custodivit, malens mori, quam servire voluptatibus. Non audierat Paulum dicentem, corpora nostra membra Christi esse (1. Cor. 6. 15.): et priusquam audiret vocem divinam, non minor apparuit iis qui caelestibus promissionibus honorati sunt, docens nos in Ecclesiis quam oporteat nos certare, et incorruptam servare animam. Nam si ego, dicere potest Joseph, qui ante natum Christum fui, nec audivi excelsum apostolorum Paulum clamantem, corpora nostra membra esse Christi, putavi Dei servos decere ut imperent voluptati, nec inventus sum continentia decoctor, quamvis multa pericula parata viderem: quantum vos convenit cum

timore et tremore vivere in continentia, ut ne appareatis indigni honore, et ne membra Christi fiant membra scorti! Hoc verbum potest omnem animam continentia munit, hoc verbum ardentem concupiscentiam facile restinguit. Neque imber in ignem cadens ita facile flammam deprimit, ut malas concupiscentias marcescere facit sermo ille in animam admissus. Eosdem sermones nobis loqui et magnus Job potest, qui non solum diligens continentiae fuit exercitator, sed et legem oculis suis posuit, ne in virginis viderent faciem, ne forte mentem illius irradians raperet pulchritudo (*Job 31. 4*): quamvis quis non admiraretur et obstupesceret, videns virum hunc cum diabolo quidem viriliter certare, et omnes maligni machinas vincere, virginis autem faciem fugere, et a formosae puellae aspectu oculos subducere? Diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens: virgine autem visa non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim recessit. Censebat nimirum in praelio contra daemones virili et audaci animo opus: in continentiae autem preparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed recessu. Quisquis igitur pronittit virginitatem, accipiat consilia continentissimi omnium hominum, qui et ipse ante Christum incarnatum tam diligens continentiae fuit custos. Neque enim negligenter audiendum, quod ante Christum incarnatum apparuerint iusti tantum continentiae specimen exhibentes. Non enim erat quod tanta vi ad virtutem illam urgeret, neque virginibus crimen erat neglecta continentiae possessio. Quomodo autem hoc? Quia hujus causae gratia Deus excelsus, universorum Opifex, nostram accepit formam, ut angelorum sanctionem ex caelo deduceret. Quando igitur homines post tantum honorem voluptatibus se mancipant, dici nequit temeritatis magnitudo, qua membra Christi membra meretricis facientes, Domini misericordiam afficiunt,

et quantum in eis est, vanam reddunt. Audiunt daemones, et timent, quia Deus non connivet ut jungantur sibi, nos autem sibi adjungat. Et audent fidelium quidam abscindere se a Christo, at jungere meretricibus? Non tantum est malum e caelo in lutum cadere, quantum malum fuerit membrum Christi factum a divino honore excidere, et membrum fieri scorti. Quando igitur concupiscentia mala inflammat animam, statim recordare Christi, cogita ad stare tibi Paulum adhortantem, ac dicentem: *Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi? Gerens membra Christi, faciesne membra scorti* (*1. Cor. 6. 15*)? Si illorum verborum fueris recordatus, statim fugientem videbis voluptatem. Nam si ancillas domina casta et pudica turpitudini deditas statim solo aspectu pudicas facit: quid mirum, si titillantem voluptatem Christi memoria statim sopit? Semper crucem habe ante oculos tuos radiantem, et purus a peccatis per id temporis abibis. Nam sicut columna nubis, figura nostrae crucis, Hebraeorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Aegyptiis pateretur (*Exod. 13. 21*); ita crux ante oculos visa omnem statim abigit malam voluptatem. Haec enim salus est animae, sedarumque concupiscentiarum salubre antidotum. Etenim infirmitates corporis medicorum artes sanant, animam autem aegrotam curant statim eloquia Christi. Eapropter et eos qui peccarunt, et adhuc carnis serviunt voluptatibus, oramus et precamur, ut excitentur ac respiscant, ne omnino ab affectionibus vincantur, neve impetu ferantur, neve in amaram servitutem sponte se subjiciant, sed se in acie opponant, et timore Christi mentem corroborent, ac ejiciant ex arce gravem dominam: ut abjecta omni macula, et peccantium turba, cum sancta et incorrupta anima possimus accedere ad divina et reverenda sacramenta magni Dei et Salvatoris Jesu Christi: cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

### MONITUM IN SEQUENTIA DUO OPUSCULA.

Haec opuscula duo in Latina interpretatione, quae sola superest, inventionem tamen et eloquentiam Chrysostomi praese ferunt, omninoque digna sancto doctore sunt. Aliquid tamen suspicionis succurrit, ea non hoc ordine et ritu, quo hic comparent, ab ipso Joanne nostro edita fuisse, sed a quopiam alio, qui ex variis ejus locis haec ita consarcinaverit. Ut res est, haec digna plane sunt quae Chrysostomi nomine publicentur. Praemittimus autem Admonitionem fratrum nostrorum Benedictinorum, qui Editionem Operum divi Augustini curaverunt, et sexto Tomo p. 259 et seqq. haec opuscula ediderunt, atque hoc Monitum praemisissent:

« Exstant sermones isti duo in vetere Corbeiensi Codice ante mille, ut videtur, annos descripto, primus quidem hocce titulo praenotatus: *Incipit sermo sancti Joannis de Consolatione mortis*. Secundus autem primo quam proxime conjunctus absque titulo, nihilque aliud in fine habens nisi, *Explicit de Resurrectione*. Caeterum alter iste sermo tertia parte, qua in ante excusis carebat, auctior nunc primum prodit ex laudato Corbeiensi exemplari: eaque pars recapitulationem eorum quae in primo sermone dicta fuerunt, continet, et aliis non incertis argumentis ad hoc opusculum pertinere cognoscitur. Joannem porro non alium quam Chrysostomum in fronte sermonis primi designatum opinamur. Confer Homiliam ipsius 41 in 1 Cor. 15, et Homiliam 4 in 2 Cor., et Homiliam 64 in Joan., Homiliam denique 7 ad populum Antiochenum, etc. »

### DE CONSOLATIONE MORTIS.

#### SERMO PRIMUS.

1. Praebete silentium, fratres, ne vos transeat sermo utilis et in tempore necessarius. Nam tunc vel maxime opus est medicina, quando gravis nascitur aegritudo: et tunc sollicitè collyrium adhibendum est,

cum fuerit oculus dolore turbatus. Quicumque ergo non habet hunc dolorem, non obstrepat, sed potius audiat, quia non impedit sanum scire medicinam quae prosit. Qui vero per hunc casum turbatum habet

oculum mentis, et doloribus cruciatur, magis intentus sit ut aperiat oculum ad suscipiendum salutaris verbi collyrium, quo non solum consolationem, sed etiam remedium consequatur. Certum est autem, quia is qui dolet oculum, si eum medico infundenti collyrium aperire noluerit, collyrium quidem foris extra pupillam funditur, oculus vero remanet in dolore: sic et mens dolentis, si propter nimiam tristitiam verbo se cluserit, non recepta salubri admonitione, incipiet plus dolere, et forsitan pati illud quod in Scriptura continetur, *Quia tristitia mundi mortem operatur* (2. Cor. 7. 10). Beatus Paulus apostolus, fidelium doctor, medicus salutaris, duas esse dixit tristitias: unam bonam, et alteram malam; unam utilem, et alteram inutilem; unam quæ salvat, et alteram quæ perdit. Et ne dubium alicui videatur id quod dico, ipsa ejus verba recitabo. Ait enim, *Quæ secundum Deum est tristitia, penitentiam in salutem stabilem operatur* (Ibid.): hæc est illa bona tristitia. Sequitur deinde: *Nam sæculi hujus tristitia mortem operatur*: hæc est illa mala.

2. *Luctus an prosit, necne.* Videamus ergo, fratres, ista tristitia quæ nunc est in manibus, quæ nunc agitur in pectore, et auditur voce, utilis sit an inutilis, prodesse valeat an nocere. Jacet ecce corpus exanime, jacet in tabula homo sine homine, membra utique sine spiritu; clamatur, nec respondet; vocatur, et non audit; jacet facies pallida, forma mutata, per quam mors ipsa cernitur (a); cogitatur præterea ejus perpetuum silentium, cogitatur delectatio, aut quæ fuit, aut quæ futura erat utilitas; cogitantur necessitates, veniunt in mentem verba dulcissima, longa consuetudo requiritur. Hæc sunt sine dubio quæ movent lacrymas, incitant ululatum, et totum animum in profundam tristitiam demergunt. Contra hæc tam valida, tam fortia doloris arma illud primo (b) omnium opponendum est, quia omne, quod nascitur in hoc mundo, necesse est mori. Hæc est enim lex Dei et sententia immutabilis, quam post delictum princeps generis humani accepit, dicente Deo, *Terra es, et in terram ibis* (Gen. 3. 19). Quid ergo novi contigit, si homo ad hoc natus divinæ legi ac sententiæ satisfecit? quid novi accidit, si ex mortalibus natus naturæ propriæ, quia nec poterat excusare, respondit? Non est inusitatum quod antiquum est, non est inauditum quod quotidianum est, non est proprium quod commune est. Si avos et proavos novimus per hanc viam mortis profectos, si ipsos denique patriarchas et prophetas ab Adam protoplasto non sine occasu audivimus migrasse de sæculo, elevemus animum de profundo tristitiæ: quia quod debebat, hoc reddidit. Et utique debitum cum redditur, quam potest habere tristitiam? Hoc est vere debitum, quod nulla potest pecunia redimi: hoc est debitum, quod nec virtus excusat, nec sapientia, nec potestas, nec ipsi denique reges poterunt declinare. Plane hortarer ego ut

(a) Post, *cernitur*, quidam Editi addunt, et horretur.

(b) Editi quiam, post, *doloris arma*, ferunt, *spiritualibus debemus armari præsidiiis. illud ergo, etc.*

augeres tristitiam, si fuisset talis res, quæ cum posset tua substantia redimi, vel differri, negligentia aut parcitate provenisset. Cum vero Dei decretum firmum sit et immutabile, frustra dolemus, et de nobis quærimus quare sit mortuus, cum scriptum sit, *Domini Dei sunt exitus mortis* (Psal. 67. 21). Ista ergo communis vitæ conditio si recipiatur in animo, incipiet gravatus cordis oculus, quasi prima infusione relevari.

3. *Luctus nimius a ratione alienus etiamque periculosus.* — Sed dicis, scio communem esse hunc casum; scio quia is, qui mortuus est, debitum solvit; sed delectationem cogito, necessitates repeto, consuetudinem requiro. Si propter hæc tristitia afficeris, errore duceris, non ratione gubernaris. Scire enim debes, quia Dominus, qui hanc dederat delectationem, dare potest et aliam potiorem, et qui tibi hanc intulit necessitatem, sufficiens est per aliam occasionem supplere. Utilitatem<sup>1</sup> vero, sicut tuam vides, debes et ejus qui defunctus est cogitare: quia sic ei forsitan expediebat, sicut scriptum est: *Raptus est, ne malitia mutaret ejus intellectum. Placita enim erat Deo anima ejus, ideoque properavit de media iniquitate educere eum* (Sap. 4. 11. 14). De consuetudine autem quid dicam, quam dum tempus<sup>2</sup> sic facit oblivisci, ut numquam fuisse videatur? Quod ergo tempus præstat et dies, multo magis debet ratio et bona præstare cogitatio. Et vel illud maxime cogitandum est, quod divina per Apostolum sententia diffinit, *Quia tristitia mundi mortem operatur* (2. Cor. 7. 10). Quod si tam oblectatio, quam utilitas præsens, sive consuetudo, res mundi sunt et gaudia sæculi transitoria, propter hæc animum dejicere, et spiritum contristari, vide ne sit vere mortifera valetudo. Repetens autem iterum atque iterum dicam: *Quia tristitia mundi mortem operatur* (Ibid.). Quare autem mortem operatur? Quia solet nimia tristitia aut ad dubitationem, aut ad perniciosam perducere blasphemiam.

4. *Luctus iis qui ante Christum licitus. Cur Christus flevit Lazarum. Lugere mortuos jam non licet.* — Sed dicit aliquis: Prohibes lugere mortuos, cum et patriarchæ plorati sunt, et Moyses ille famulus Dei, et multi deinde prophætæ, præsertim cum Job quoque justissimus vestem suam supra filiorum considerit necem (Job. 1. 20)? Non ego prohibeo lugere mortuos, sed gentium illuminator Apostolus, qui sic ait: *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristentini, sicut qui spem non habent* (1. Thess. 4. 12). Non potest Evangelii claritas obscurari, si ii qui ante legem, aut sub legis umbra positi fuerant, suos mortuos flebant. Et merito flebant, quia nondum de cælis venerat Christus, qui fontem illum lacrymarum sua resurrectione siccavit. Merito flebant, quia adhuc

<sup>1</sup> Aliam lectionem habet Editio quædam Augustini, nempe, *potiorem, et necessitatem sufficere alia occasione replere. Utilitatem, etc.* sed præferenda videtur altera lectio quæ in margine affertur.

<sup>2</sup> Forte melius, *quam interdum tempus.*

mortis sententia permanebat. Merito lamentabantur, quia nondum resurrectio prædicabatur. Sperabant quidem sancti quique adventum Domini, sed mortuos interim flebant, quia nondum viderant quem sperabant. Denique Simeon unus de veteribus sanctis, qui prius fuerat de sua morte sollicitus, postquam Jesum Dominum adhuc puerum secundum carnem suscepit in manibus, de suo exitu gratulatur dicens, *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. 2. 29. 30). O beatus ille Simeon! Quia quod sperabat viderat, jam mortem suam pacem et requiem computabat. Sed dices: Ecce in Evangelio legitur, archisynagogi ploratam filiam (Luc. 8. 52), et sorores Lazari Lazarum flevisse (Joan. 11. 31). Sed illi adhuc secundum veterem legem sapiebant, quia necdum a mortuis Christum resurrexisse conspexerant. Flevit plane et ipse Dominus Lazarum jam sepultum, non utique ut flendi mortuos formam daret, sed ut et se per lacrymas suas verum corpus assumpsisse monstraret. Vel certe flevit amore humano<sup>1</sup> Judæos, quia nec tali signo monstrato in eum fuerant credituri. Neque enim mors Lazari causa esse poterat lacrymarum, quem ipse Jesus et dormivisse dixerat, et suscitaturum se promiserat, sicut et fecit.

5. Habuerunt ergo veteres suum morem, suamque fragilitatem, Christi adventum præcedentes<sup>2</sup>. Jam vero ex quo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ex quo primo Adæ datam sententiam Adam novissimus solvit, ex quo nostram mortem sua morte destruxit, et ab inferis die tertia Dominus resurrexit, jam non est terribilis mors fidelibus: non timetur occasus, quia Oriens venit ex alto. Clamat ipse Dominus qui mentiri nescit: *Ego sum, inquit, resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me, mortem non videbit in æternum* (Joan. 11. 25. 26). Manifesta est, fratres carissimi, vox divina, quia qui credit Christo, et ejus mandata custodit, si mortuus fuerit, vivet. Hanc vocem beatus Paulus apostolus accipiens, et totis fidei viribus retinens, instruebat: *Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non tristes sitis* (1. Thess. 4. 12). O mira Apostoli pronuntiatio! Uno sermone, antequam doctrinam proferat<sup>3</sup>, resurrectionem commendat. Dormientes namque appellat illos, qui mortui sunt, ut dum dormire eos dicit, resurrecturos sine dubitatione consignet. *Non, inquit, tristes sitis de dormientibus, sicut et cæteri*. Qui spem non habent, contristentur: nos autem qui spei filii sumus, collætemur. Quæ autem nobis spes sit, ipse commemorat dicens: *Si credimus, quia Christus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo* (1. Thess. 4. 13). Jesus enim nobis et hic viventibus salus est, et hinc recedentibus vita est. *Miki, inquit, A postolus, vivere Christus est, et mori lucrum* (Philipp. 1. 21), Lucrum plane, quia angustias et tribulationes,

quas habet longior vita, mors accelerans lucrificat. Jam vero ordinem et habitum spei nostræ describit Apostolus. «Hoc,» inquit, «vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu ejus non præveniemus eos qui dormierunt: quia ipse Dominus in jussu et voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus» (1. Thess. 4. 14–16). Hoc est quod dicit, quia cum venerit Dominus, inveniet multos in corpore Christianos, qui nondum experti sunt mortem: et tamen non ante rapientur ad cælum, quam mortui sancti de monumentis resurrexerint, tuba Dei et voce archangeli suscitati. Cum autem fuerint suscitati, juncti pariter cum viventibus rapientur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum ipso regnabunt. Nec sane possit dubitari quod possint corpora, quamvis sint gravia, in aera sublevari: cum jubente Domino Petrus ipsum corpus habens super undas ambulaverit maris (Matth. 14. 29), Elias quoque ad hujus spei confirmationem, per hunc aera curru flammeo sit raptus ad cælum (4. Reg. 2. 11).

6. *Quales futuri simus post resurrectionem.*—Sed quæris forte: Quales erunt qui a mortuis resurrexerint? Audi ipsum dicentem Dominum tuum: *Tunc, inquit, justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris sui* (Matth. 13. 43). Quid splendorem commemorem solis? Cum fideles transfigurari necesse est ad ipsius Christi Domini claritatem, ut testatur apostolus Paulus: «Nostra,» inquit, «conversatio in cælis est: unde et ipsum Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ ad conformationem corporis gloriæ suæ» (Philipp. 3. 20. 21): transfigurabitur sine dubio caro ista mortalis ad conformationem Christi claritatis, induet<sup>1</sup> mortale immortalitatem: quia *Quod seminatum fuerat in infirmitate, protinus surget in virtute* (1. Cor. 15. 43). Non timebit caro amplius corruptionem, non patietur famem, non sitim, non ægritudines, non casus adversos. Pax enim tuta, et firma securitas vitæ est. Alia utique cælestis est gloria, ubi et gaudium sine deflectione præstabitur.

7. *Mors magis optanda, quam lugenda, sed non sibi inferenda.*—Hæc in sensu et oculis gerens beatus Paulus dicebat, «Optabam dissolvi, et cum Christo esse multo magis melius» (Philipp. 1. 23). Et adhuc aperte docens, «Dum sumus,» inquit, «in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Habemus autem magis,» inquit, «bonam voluntatem peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum» (2. Cor. 5. 6–8). Quid agimus nos parvæ fidei homines, qui anxiamur et deficiamus, si aliquis de caris nostris migret ad Dominum? Quid

<sup>1</sup> Ms. Corbeiensis, *more humano*.

<sup>2</sup> Ms. Corbeiensis, *Christi adventu pendente*.

<sup>3</sup> Editi quidam, *uno sermone ut utramque doctrinam pro-*

<sup>1</sup> Mss., *induetur*.

<sup>2</sup> Sic Ms. Corbeiensis. Editi vero quidam, *multo enim melius*. Intra Ms. Corb., *præsentem esse et adventare Domino*.

agimus, quos peregrinatio in hoc mundo magis delectat, quam representari ad Christi conspectum? Vere, vere peregrinatio est omne quod vivimus: nam sicut peregrini in sæculo, sedes habemus incertas, laboramus, desidantes, vias ambulantes difficiles, periculis plenas: undique insidiæ, a spiritalibus, a corporalibus inimicis<sup>1</sup>, undique errorum calliditas sunt præparati. Et cum tantis periculis urgeamur, non solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tamquam perditos lugemus et plangimus. Quid nobis præstitit Deus per suum Unigenitum, si adhuc mortis timemus casum? Quid nos renatos ex aqua et Spiritu gloriamur, quos peregrinatio de hoc mundo contristat? Ipse Dominus clamat, *Si quis mihi ministrat, sequatur me: et ubi ego sum, ibi erit et minister meus* (Joan. 12. 26). Putas si rex terrestris ad suum palatium vel convivium aliquem vocet, non tum gratiarum actione properabit? Quanto magis ad cælestem currendum est regem, qui quos recepit, non solum convivas, sed etiam conregnatores<sup>2</sup> efficit, sicut scriptum est: *Si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus* (2. Tim. 2. 11. 12). Nec hoc ego dico, ut quis manus sibi inferat, aut se interficiat contra voluntatem Dei creatoris, aut animam ut de corporis sui expellat hospitio; sed hoc dico, ut lætus et gaudens, cum aut ipse vocatur et proximus, et ipse vadat, et euntibus gratuletur. Hæc enim est Christianæ fidei summa, vitam veram expectare post mortem, reditum sperare post exitum. Accepta igitur voce Apostoli, cum fiducia jam dicamus gratias Deo, qui nobis contra mortem victoriam dedit, per Christum Dominum nostrum, cui est gloria et potestas nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO II.

1. *Resurrectio unde apud infideles dubia.* — Superiori quidem libello perstrinximus breviter de consolatione mortalitatis<sup>3</sup>, de spe resurrectionis: nunc plenius et validius de eisdem dicere properamus. Si quidem hæc, quæ loquutus sum, fidelibus quidem certæ sunt, infidelibus autem ad dubiis videntur esse fabulosa, ad quos pauca strictius proferamus. Certe quicumque estis increduli, omnem dubitationem de substantia corporis sustinetis. Discreditur enim a quibusdam, carnem conversam in pulverem, iterum posse resurgere, iterum reviviscere. Cæterum de anima nullum posse hominum dubitare: si quidem de animæ immortalitate nec philosophi ipsi, cum sint pagani, dissentiunt. Nam quid est mors, nisi separatio corporis animæque? Recedente enim anima, quæ semper vivit, quæ mori nescit, quia de flatu Dei est<sup>4</sup>, solum corpus emoritur: quia aliud in nobis mortale, aliud immortale est. Sed recedens anima, quæ carnalibus oculis non videtur, ab angelis suscipitur, et

collocatur aut in sinu Abrahamæ, si fidelis est; aut in carceris inferni custodia, si peccatrix est: dum statutus veniat dies, quo suum recipiat corpus, et apud tribunal Christi judicis veri reddat suorum operum rationem. Ergo quia de carne tota cunctatio est<sup>5</sup>, hujus est infirmitas defendenda, et resurrectio consignanda.

2. *Mortui quomodo resurgent. Probatum Deum mortuos posse suscitare.* — Quod si quis requirat a me dubius et incredulus, *Quomodo mortui resurgent, quomodo autem corpore venient?* respondebo ei ore ac verbis Apostoli, *Inspiciens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: et quod seminas, nudum seminas granum tritici aut alterius alicujus seminis* (1. Cor. 15. 35-37), mortuum et aridum sine humore; et cum putrefactum fuerit, secundius surgit, fitque vestitum folliculis, aristas armatum. Qui ergo granum tritici suscitatur propter te, ipsum te non poterit suscitare propter se (a) qui solem quotidie quasi de sepulcro noctis suscitatur, et lanam quasi de interitu reparatur, et tempora recedentia revocat ad utilitatem scilicet nostram: ipsos nos, propter quos omnia reparatur, non requiret, et semel patietur exstingui<sup>6</sup>, quos suo flatu accendit, quos suo spiritu animavit? et in perpetuum jam non erit homo, qui illum pie et agnovit et coluit? Sed iterum dubitas, quod possis reparari post mortem, restitui post cinerem et ossa consumpta? O homo, dic mihi, quid fuisti ante quam in matris utero concipereris? Nihil utique. Deus ergo, qui te creavit ex nihilo, nonne facilius poterit reparare de aliquo? Mihi crede, facilius poterit relicere quod ante jam fuit, qui potuit<sup>7</sup> creare quod non fuit. Qui te ex gutta informis liquoris in tuæ matris utero in nervos, venas et ossa jussit excrescere, poterit, mihi crede, de utero terræ iterum generare. Sed times ne forte ossa tua arida vestiri pristina carne non possint? Noli, noli, secundum tuam impotentiam, Dei æstimare majestatem. Deus ille rerum omnium procreator, qui vestit arbores foliis, et prata floribus, poterit et tua ossa illico veris tempore<sup>8</sup> in resurrectione vestire. Dubitaverat aliquando de hoc ipsa propheta Ezechiel, et interrogatus a Domino, utrum viverent ossa arida, quæ videbantur sparsa per campum, respondit, *Tu scis, Domine* (Ezech. 37. 5). Sed postquam Deo jubente, et seipso prophetante, vidit ossa ad sua loca et juncturas currentia, postquam vidit ossa arida nervis ligari, venis intexi, carne contegi, cute vestiri, postea prophetavit in spiritu, et veniens spiritus uniuscujusque introivit in corpora illa jacentia, et resurrexerunt, et mox steterunt<sup>9</sup>: sic confirmatus de resurrectione propheta, scripsit visionem, ut ad posteros tantæ rei cognitio perveni-

<sup>1</sup> Editi veteres, *tota contradictio est*, quæ lectio non spernenda.

<sup>2</sup> Ibidem, *et cineres patietur exstingui*.

<sup>3</sup> Ms. secunda manu, *quam potuit*.

<sup>4</sup> Mss., *illo certo veri*.

<sup>5</sup> Hæc, *et mox steterunt*, desunt in Mss.

(a) Hæc, *ipsum te non poterit suscitare propter se*, in veteribus Editis habentur, et ad marginem rejecta sunt in postrema Editione. Sed puto ad seriem quadrare.

<sup>1</sup> Ms. Corb., *a spiritalibus inimicis*, tantum, et ibidem, *undique errorum casus sæculi præparati*.

<sup>2</sup> Ms., *conregnatores*.

<sup>3</sup> Editi veteres Augustini, *de consolatione mortuorum*. Corb. Codex, *de consolatione mortalitatis*.

<sup>4</sup> Editi veteres, *de flatu Dei est inspirata*, et paulo post, *quæ carnalibus oculis videri non potest*.

ret. Merito ergo clamat Isaias : *Exsurgent mortui, et resurgent qui sunt in monumentis, et lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim, qui abs te est, sanitas est illis (Isai. 26. 19).* Vere enim, sicut rore madefacta semina germinant et exsurgunt, sic rore Spiritus ossa fidelium germinabunt.<sup>1</sup>

3. *Aliud argumentum.* — Sed dubitas, quomodo de parvis ossibus totus homo restitui possit? Revera tu ex modica scintilla ignis ingentem suscitasti flammam; Deus non poterit ex modico cineris tui fermento totum corpusculi tui redintegrare conspersum? Nam etsi dicas: Nusquam conparent carnis ipsius reliquæ; forsitan enim aut igne consumptæ sunt, aut a bestiis devoratæ: hoc primum scito, quia quidquid consumitur, in terræ visceribus continetur, unde rursus poterit Deo præcipiente produci. Nam et tu, cum non appareat ignis, adhibes lapillum, et modicum ferri, et excutis de visceribus lapilli quantum opus est ignis. Quod ergo per tuam industriam et sapientiam, quam tibi Deus ipse concessit, facis, ut producas quod non apparet<sup>2</sup>, majestas illa divina facere sua virtute non poterit, ut quæ interim non videntur excutiat? Mihi crede, potest omnia Deus.

4. *Christus futuram resurrectionem testificatur. Item apostoli et martyres, et Machabæorum mater.* — Hoc tantum require, utrum promiserit se facere resurrectionem: et cum promissam tantorum didiceris testimonio, imo cum ipsius Christi Domini certissimam habeas cautionem, confirmatus fide, mortem desine jam timere. Qui enim timet adhuc, discredet: qui discredet, peccatum contrahit insanabile, quia sua incredulitate audet Deum aut impotentem aut certe asseverare mendacem. Sed non ita beati apostoli, non ita sancti martyres probant. Apostoli, propter hanc prædicationem resurrectionis, Christum resurrexisse prædicant, et in ipso mortuos suscitandos annuntiant, nec mortem nec tormenta recusaverunt nec cruces. Si ergo in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: resurrectio mortuorum, cui tot et tam idonei testes existunt, cui cum effusione sanguinis testimonium dicunt, quomodo potest in dubium revocari? Quid autem sancti martyres? habuerunt certam spem resurrectionis, annon? Si non habuissent, non utique per tantos cruciatus et pœnas mortem pro lucro maximo suscepissent: non cogitabant supplicia præsentia, sed præmia sequutura. Sciebant dictum, *Quæ videntur, ad tempus sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt (2. Cor. 4. 18).* Audite, fratres, virtutis exemplum. Mater septem filios hortabatur, et non lugebat, sed potius lætabatur: videbat filios suos unguibus radi, ferro concidi, sartagine assari; et non lacrymas fundebat, non ululatus tollebat, sed sollicitè ad tolerantiam filios hortabatur. Non enim erat illa crudelis utique, sed fidelis: amabat filios, non delicate, sed fortiter. Hortabatur

<sup>1</sup> In veteribus Editis, sic rore sancti Spiritus ossa fidelium visitata cum sue corpore in æternam gloriam germinabunt.

<sup>2</sup> Hæc, ut producas quod non apparet, et mox, ut quæ interim non videntur excutiat, desunt in Ms.

filios ad passionem, quam gaudens ipsa quoque suscepit. Erat enim de sua et suorum filiorum resurrectione securo. Quid loquar viros, quid feminas, quid pueros, quid puellas? quomodo sibi de ista morte luserunt, quomodo summa celeritate ad caelestem militiam transierunt? Poterant utique ad præsens vivere si voluissent, quia in ipsis erat positum, Christum negando viverent, aut confitendo morerentur: sed magis elegerunt vitam projicere temporaneam, et vitam assumere sempiternam, excludi de terra, et incolere cælum.

5. *Formido mortis excluditur.* — Inter hæc, fratres, quis dubitationis est locus? ubi potest adhuc mortis residere formido? Si martyr sumus filii, si eorum socii volumus inveniri, non contristemur morte, non lugeamus caros, qui nos præcedunt ad Dominum. Nam si plangere voluerimus, ipsi nobis insultabunt beati martyres, et dicent: O fideles! o regnum Dei cupientes! vos qui caros vestros delicate morientes in lectis utique et plumis, cum mœrore plangitis et lugetis, si eos a gentilibus propter nomen Domini cruciari et interfici videretis, quid facturi essetis? Aut non vobis præcessit exemplum? Abraham patriarcha filium unicum offerens sacrificium, gladio obedientiæ jugulavit (*Gen. 22. 10*): nec ei, quem tanto amore dilexit, pepercit<sup>1</sup>, ut Domino obediens probaretur. Sed si dicatis, illum propter Dei hoc fecisse præceptum: et vos habetis præceptum, ut non tristes sitis de dormientibus. Qui ergo minima non servant, majora quando servabunt? An nescitis, quia animus qui in talibus frangitur, ad fortiora reprobis invenitur? Quis timens rivum, mare aliquando ingreditur? Sic qui plangit impatienter amissum, quando poterit ad martyrii pervenire certamen? Nam qui in his constans et magnanimus existit, jam sibi gradum ad potiora substernit.

6. *Egregium Davidis exemplum. Vestes nigrae in luctibus.* — Sufficiant hæc, fratres, ad mortis contemptum, et ad spei futuræ confirmationem. Superest ut unum de veteribus exemplum proferam, quod omnem consolationem faciat, et quod etiam patientibus cordis auribus volo omnes audire. David rex magnus filium dilectum, quem sicut animam propriam diligebat, infirmitate percussum impatientissime ferebat (*2. Reg. 12. 16. seqq.*): et cum humana jam auxilia nihil prodessent, seipsum convertit ad Dominum, deposita regali gloria, sedit in terra, jacuit in cilicio, non manducavit, non bibit, septem diebus continuo orans Deum, si forte sibi filius donaretur. Accesserunt seniores domus ejus, consolantes rogaverunt ut panem sumeret, veriti ne forte, dum filium vellet vivere, ipse ante deficeret. Non potuerunt extorquere, non cogere; amor enim impatiens solet pericula ipsa contemnere. Jacet rex in squalore cilicii ægrotante filio: nec verba faciunt consolationem, nec ipsa escarum necessitas vocat. Mens tristitia

<sup>1</sup> Ms., nec tanto amor pepercit.



pascitur<sup>1</sup>, pectus dolore reficitur, oculi lacrymas pro potibus fluunt. Inter hæc factum est quod decreverat Deus: moritur puer. Uxor in luctu, tota domus in planctu, servuli pavidi, quid fieret exastuantes: nemo enim audebat domino filium mortuum nuntiare, timentes utique, ne ille qui sic impatienter adhuc vivum lugebat, si audisset mortuum, vitæ faceret finem. Dum strepuit famuli inter se, dum tristes alter ad alterum dicere aut suadet aut vetat, intellexit David, prævenit nuntios, an vitam filius exhalasset interrogat. Negare non possunt, factum fletibus indicant. Fit concursus insolitus<sup>2</sup>, expectatio grandis et metus, ne quid sibi periculi pius pater inferat. Surgit continuo rex David de cilicio, surgit hilaris, quasi filium suum audisset incolumem: vadit ad balneas, lavat corpusculum, vadit ad templum, adorat Deum, epulatur cum amicis, compressis suspiriis, gemitu omni deposito, vultu jam læto. Mirantur domestici, stupent amici novam et subitam conversionem<sup>3</sup>: audent denique interrogare, quid sibi vellet hoc, ut cum vivente filio sic doluerit, mortuo non doleret? Respondit vir ille magnanimitate præcipuus: Necessè fuit cum adhuc viveret filius, et humiliari, et jejuna, et lugere in conspectu Domini; erat enim spes impetrandi comæatus vitæ: at vero postquam voluntas Domini facta est, stultum est et impium, animum lamentatione inutili macerari: sic dicens: *Ego ibo ad illum, ille non revertetur ad me* (2. Reg. 12. 28). Ecce exemplum magnanimitatis atque virtutis. Quod si ille David, adhuc sub lege positus, sub illa, non dico licentia, sed necessitate lamentationis, sic animum a luctu irrationabili separavit<sup>4</sup>, sic tristitiam suam suorumque compescuit: nos qui jam sub gratia sumus, sub certa spe resurrectionis, quibus omnis tristitia interdicitur, qua fronte mortuos nostros gentili more plangimus, ululatus insanos atollimus, veluti alio genere bacchantes, conscissis tunicis pectora nudamus, verba inania et nœnias circa<sup>5</sup> corpus et tumulum defuncti cantamus? Postremo etiam qua ratione vestes nigras tingimus, nisi ut nos vere infideles et miseros non tantum fletibus, sed etiam vestibus approbemus? Aliena sunt ista, fratres, extranea sunt, non licent: et si licerent, non decerent. Sed aliquantos de fratribus et sororibus, licet fides propria et præceptum Domini fortes faciat, parentum tamen et vicinorum opinio debilitat et frangit: ne lapides et crudeles judicentur, si pepercerint vestimento<sup>6</sup>, si non insanis luctibus fuerint debacchati. Et hoc quam vanum est, quam ineptum, opinionibus hominum errantium cogitare, et non timere, ne quid minus faciat de fide quam suscepit! Quare non magis discit tolerantiam ille qui talis est? quare non a me

discit fidem ille qui dubius est? Quando etiam si tantus sit dolor ejusmodi pectoris, tacite debeat luctum sensu digerere<sup>1</sup>, et non levitate sui animi publicare.

7. *Ethnici audita filii morte dictum. Plangendi ethnici, Judæi, et catechumeni morientes.* — Unum adhuc volo proponere exemplum ad corrigendos eos qui plangi mortuos arbitrantur. Exemplum autem de paganorum historia est. Fuit quidam princeps paganus (a), qui habebat filium unicum, satisque dilectum. Hic cum in Capitolio idolis suis gentili errore sacrificaret, nuntiatum ei quod filius ille unicus defuisset (b). Non reliquit sacra, quæ gerebat in manibus, non lacrymavit, nec omnino suspiravit: sed quid respondit, audite: Sepeliatur, inquit; memini enim me filium genuisse mortalem. Vide responsum, vide hominis pagani virtutem, ut nec expectari se jusserit, vel ut præsentem se sepulturæ filius tradere-tur. Quid agimus, fratres, si diabolus hunc in diem iudicii coram Christo contra nos producat et dicat, Hic meus cultor, quem ego præstigiis decipiebam meis, ut serviret cæcis et surdis simulacris, cui ego nec resurrectionem a mortuis, nec paradysum, nec cælorum regna promiseram, hic filii nobilis sapiens unici mortem nec doluit nec ingemuit, nec tali nuntio mea sacra deseruit: tui autem Christiani, tui fideles, pro quibus ideo crucifixus et mortuus es, ut mortem ipsi non timerent, sed essent de resurrectione securi, non solum lugent mortuos et voce et habitu, sed etiam ad ecclesiam procedere confunduntur, aliquanti etiam ipsi clerici tui et pastores ministerium suum intermittunt, vacantes luctui, quasi insultantes tuæ voluntati? Quare quos voluisti, de sæculi caligine ad te vocasti. Quid ad hæc respondere poterimus, fratres? Nonne confusio nos apprehendet, cum in hac parte inferiores gentibus invenimur? Et utique lugere debet paganus, qui nesciens Deum, mox ut moritur, recto curso pergat ad pœnam. Plangi debet Judæus, qui Christo non credens, animam suam perditioni deputavit. Dolendum est plane de catechumenis nostris, si aut sua incredulitate, aut negligentia proximorum, sine baptismo salutari recesserint. Cæterum qui sanctificatus gratia, signatus fide, conversatione probatus, vel innocentia securus, de hoc mundo recedit, beatificandus est, non lugendus; desiderandus, non plangendus; sed desiderandus cum moderatione, cum sciamus nos ipsos accedentibus temporibus sequuturos.

8. *Tristitia salutaris quænam.* — Terge igitur lacrymas, intermitte suspiria, compesce gemitus, o fidelis, et pro hac tristitia salutarem illam indue tristitiam, utique quam beatus Apostolus secundum Deum esse memoravit, quæ salutem stabilem solet operari (2 Cor. 7. 10); utique pœnitentiam facinorum commissorum. Scrutare pectus tuam, propriam interrogans

<sup>1</sup> Filii, necessitas avocavit, tristitiam patitur, et mox, oculi lacrymis perpetuis fluunt. Infra vero, Domino filium mortuum nominare.

<sup>2</sup> Ms., Filii concursus solius. Infra, ne quid sibi filii ipsius pater.

<sup>3</sup> Alii, conversationem, minus recte, ni fallor.

<sup>4</sup> Filii, superavit.

<sup>5</sup> Ms., et vana circa.

<sup>6</sup> Hæc, si pepercerint vestimento, desunt in Ms.

<sup>1</sup> Habent, dirigere, Editi vetera, qui mox verbo, publicare, sermonem claudunt.

(a) Plutarchus in Laconicis Apophthegmatibus p. 235, Titus Livius l. 2.

(b) Forte, defunctus esset [vel defecisset].

conscientiam, et si invenias aliquid pœnitendum (invenies autem cum sis homo), trabe suspiria in confessione, funde lacrymas in oratione, esto sollicitus de morte illa vera, de pœna animæ, esto sollicitus de peccato, sicut David dicit: *Quoniam iniquitatem meam pronuntio, et sollicitus ero pro peccato meo (Psal. 50. 5)*: et non de corporis hujus solutione terreberis, quod suo tempore in melius, Deo jubente, reparabitur. Vide quemadmodum utrumque sententia divina complexa est, dicens, *Venit hora, cum mortui, qui sunt in monumentis, resurgent (Joan. 5. 28)*. Ecce securitas, ecce contemptus mortis. Sed quid sequitur? *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii (Ibid. v. 29)*. Ecce diversitas resurgentium. Omnem quidem necesse est carnem resurgere dumtaxat humanam: sed bonus resurget ad vitam, malus resurget ad pœnam, sicut scriptum est: *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum (Psal. 1. 5)*. Ut ergo non in judicium resurgamus, intermissa mortis tristitia illam pœnitentiam et tristitiam sumamus, et curam honorum operum ac vitæ melioris habeamus, et ad hoc sit nobis cogitatio hujus funeris et cadaveris, ut nos mortales esse noverimus, et per hanc cogitationem salutem nostram, dum tempus est, dum licet, minime negligamus: scilicet aut fructificantes in melius, aut emendantes, si ignorantes erravimus: ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, et non invenire possimus, quæramus eleemosynas erogare et satisfacere pro delictis, nec quod volumus concedatur.

9. *Recapitulatio sermonis utriusque.* — Ostensa igitur, fratres, mortis communis (a), ostensa lacrymarum interdictione, monstrata veterum adhuc fragilitate et non Christianitatis virtute, monstrato Domini sacramento et apostolorum de resurrectione documento, commemoratis apostolorum actibus, et martyrum passionibus, ostenso præterea David exemplo, et gentilis hominis insuper facto, ad ultimum exposita et noxia et utili tristitiâ, illa quæ nocet, ista quæ per pœnitentiam salvat: his omnibus sic ostensis, quid nos facere jam aliud oportet, fratres, quam gratias agentes Deo Patri dicere, *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra (Matth. 6. 10)*; tu dedisti vitam, tu constituisti mortem; tu inducis in sæculum, tu educis de sæculo, et cum eduxeris, servas; nihil enim deperit tuorum, qui nec capillum capitis eorum perire dixisti: « Auferes » enim « spiritum eorum, et deficient, et in terram suam revertentur » (*Luc. 21. 18*); sed « Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ » (*Psal. 103. 29. 30*). Hæc verba, fratres, digna fidelibus, hæc medicina salutaris: hæc spongia consolationis deterens oculus, hoc infusus collyrio rationis, non modo cæcitatem ex desperatione non sentiet, sed nec lippitudines aliquas tristitiæ sustinebit, quin potius oculis cordis lucida cuncta respiciens, dicet secundum patientissimum illum Job, « Dominus dedit, et Dominus abstulit; sicut Domino visum est, ita factum est: sit nomen Domini benedictum » (*Job 1. 21*) in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Addendum post, *mortis communis, vel, sorte, vel, conditione.*

## DIATRIBA IN SYNOPSIS SEQUEMTEM.

Exstat hæc Synopsis in duobus Codicibus manuscriptis, quorum alter est Bibliothecæ Coislinianæ, olim Seguerianæ, num. 388, alter Bibliothecæ Lugduni Batavorum, olim Isaaci Vossii. Prior est omnino recens, et circa typographiæ exordia, sed a perito nec indocto scriba exaratus ad fidem antiquioris; alterum etiam, etsi non licuerit oculis ipsis explorare, recentem quoque puto, fuitque ab imperitiorum amanuense descriptus. Hi porro Codices, ne ambo quidem totam Synopsin complectuntur, qualis ab auctore adornata fuerat; sed in alio alia deficient; in utroque autem tota Novi Testamenti Synopsis desideratur. Coislinianus initio exhibet præfationem ab ipso scriptore concinnatam, et optimæ notæ, quam *Protheoriam* inscribit. Hæc autem Protheoria tota abest a Codice Lugdunensi: vicissimque Lugdunensis multa habet, quæ in Coisliniano prorsus desunt; nimirum Synopsin in Leviticum, Epilogum in Synopses librorum Regum; Synopses in Paralipomena, in Esdras, in libros Esther, Tobie, Judith, Job, in librum Sapientie, in Proverbia.

Ex hisce duobus Mss. prodit Synopsis isthæc, in qua nonnulla etiam ex Veteri Testamento desideran-

tur; nimirum Synopsis Psalmorum, et quinque Prophetarum minorum. In utroque porro Codice Synopsis Joanni Chrysostomo tribuitur: in titulis enim Coisliniani et Lugdunensis Codicis Chrysostomi esse dicitur, ut mox videbis. Jam vero quæritur, utrum vere Chrysostomi sit, necne. Isaacus certe Vossius, cujus erat Codex ille Bibliothecæ Lugdunensis Bataviæ; non putabat esse Chrysostomi, testificante Guiljelmo Cave in Historia sua literaria Genevæ anno 1705 edita, cujus hæc sunt verba, p. 215: « Exstat Græco Ms. in Bibliotheca Vossiana sub Chrysostomi nomine Synopsis Veteris Testamenti; sed non esse genuinum Chrysostomi factum ipse mihi olim confessus est cl. Vossius. » At opinor Vossium hæc perfunctorie legisse, et ex styli fortasse ratione calculum tulisse: quam styli formam non potuit in tam compendiosa narratione deprehendere. Ad hæc vero Codex ille Vossianus Protheoriam illam in fronte Synopses positam non habet: quæ sane Protheoria sat proluxa et a sagaci viro scripta, quasdam suppeditat notas quæ Chrysostomo Synopsin vindicare videntur. In ipsa etiam Synopsi non pauca occurrunt, quæ pro Chrysostomo pugnant. Non ea porro mente hæc ar-

gumenta proferimus, ut sine ulla prorsus dubitatione Synopsis esse Chrysostomi statuamus: non enim perinde affecti sumus, atque nonnulli scriptores, qui ea quæ ex tenebris eruunt, iis quos tractant auctoribus ita asserere conantur, ut nullam rationem habere videantur eorum quæ possunt contra objici. Etiam si enim hæc quæ proferimus magni esse momenti perspicuum nobis sit: antequam ultimum ea de re iudicium statuamus, argumenta nostra erudito lectori offerre visum est, ut tam illius, quam nostro iudicio quid censendum sit tutius affirmemus.

Primum igitur argumentum mutuatur ex hisce postremis Protheoriæ verbis, ubi scriptor enumerans Novi Testamenti libros, postremas ponit tres Epistolas catholicas, et tres ex catholicis Epistolis. Catholice autem sunt Epistolæ septem, quarum tres tantum tempore Chrysostomi in Ecclesia Antiochena, cujus ille presbyter erat, recipiebantur. Nam licet Epistola secunda Petri, secunda et tertia Joannis, atque Epistola B. Judæ apostoli inter sacrosanctas et canonicas Scripturas a multis jam sæculis per totam omnino Ecclesiam recipiantur, prioribus tamen Ecclesiæ sæculis istæ quatuor Epistolæ non in omnibus Ecclesiis ut canonicæ admittebantur: quædam enim erant, etsi pauca, quæ illas non admittebant, ut videas apud Sixtum Senensem libro primo in fine sectionis secundæ. Sed a maxima Orientalis Ecclesiæ parte, et a toto pene Occidente inter canonicos libros censebantur; inter libros videlicet divinos, canonicè scriptos, traditos et creditos, inquit magnus ille Ecclesiæ præco Athanasius, qui catholicas Epistolas septem in illorum numero locat. At Ecclesia Antiochena quatuor illas supra memoratas Epistolas Joannis Chrysostomi tempore non admittebat, imo pristini tenax propositi, ne tempore quidem Justiniani Imperatoris illas adhuc adoptaverat; id quod Syrorum proprium erat, ut modo videbimus.

Quod autem Ecclesia Antiochena secundam et tertiam Joannis non reciperet, id liquido comprobatur ex Homilia mox edenda, quam prior publicavit Joannis Chrysostomi nomine Cotelierius, quamque probamus in Monito infra non Chrysostomi esse, sed cujusdam presbyteri Antiocheni illius ævi coram Flaviano episcopo concionantis. In hac igitur Homilia, num. 6, de Joannis evangelistæ Epistola secunda et tertia hæc dicuntur: « Idem ille præco, qui hæc prædicavit, in Epistola sua scribit: prima autem Epistola inter ea quæ in Ecclesia recipiuntur, non inter apocrypha recensetur: nam secundam et tertiam patres extra canonem ponunt; primam vero Epistolam Joannis esse omnes consentiunt. » Hinc vides secundam et tertiam Joannis Epistolam inter canonicas Antiochiæ non habitas fuisse. Secundam item Petri, et Epistolam Judæ apostoli, perinde atque secundam et tertiam Joannis, a Syris, atque adeo ab Antiochenis non admittis fuisse diserte docet Cosmas Ægyptius, qui tempore Justiniani Imperatoris scribebat. Hunc scriptorem edidimus anno 1706. Sic autem habet p. 292, multa de catholicis Epistolis et de earum auctoritate ante lo-

quutus: « Apud Syros autem non nisi tres prædictæ reperiuntur; videlicet Jacobi, Petri et Joannis: aliam quippe penes illos ne quidem habentur. Perfectum itaque Christianum dubiis inniti non oportet, cum eæ Scripturæ, quæ in canone repositæ, et apud omnes in confesso sunt, omnia satis declarent. » Hinc manifeste vides etiam tempore Justiniani Imperatoris ex catholicis illis Epistolis non nisi tres apud Syros, atque adeo in Ecclesia Antiochena, receptas fuisse.

Hinc igitur palam est hunc Scriptorem, quem jam in publicum emittimus, quique tres tantum Epistolas catholicas sive canonicas admittit, Antiochenum esse; jamque hinc aliquam titulo conciliari fidem, in quo dicitur esse Joannis Chrysostomi. Et vere sanctus hic doctor, qui Scripturæ sacræ libros omnes in Homiliis suis adhibet, quatuor illarum Epistolarum loca nusquam affert; aut saltem hujusmodi loca in ejus scriptis nondum deprehendi: etiam si vero deprehenderentur, non tamen inde sequeretur eam Scripturæ partem canonicam haberi: nam illis temporibus non pauca erant in quibusdam Ecclesiis, quæ legebantur quidem, sed canonice esse non reputabantur. Monendum autem existimo, locum haberi Homilia sexta Joannis Chrysostomi in Genesim, p. 40 Editionis nostræ, ubi sic legitur: *Iti vero qui aliquando se in diaboli retia injiciunt, canibus comparantur a Scriptura divina*: Homo enim, inquit, qui convertitur a peccato suo, et iterum in idipsum redit, similis est cani ad vomitum redeunti. Ibi vero nos in margine locum indicavimus 2 Petri 2, 22: at etsi ibi de cane ad vomitum reverso agatur, certum est hunc locum ad secundam Petri Epistolam non referendum esse, sed ad Proverbiorum librum, cap. 26, v. 11, atque adeo marginalem notam sic restituendam esse, Prov. 26. 11 (a). Hic animadvertas velim, Chrysostomum concionantem hic et sexcenties alibi Scripturæ loca, prout memoriæ sese offerebant, allegavisse, longèque diverso a Scripturæ textu modo. Locus ergo Scripturæ, quem hic respicit Chrysostomus, est versiculus ille Proverbiorum, quem ille pro more et ad suum scopum concinnavit, ut ad captum plebis esset accommodatior; sic autem habet in LXX interpretibus: *Sicut canis cum reversus est ad vomitum suum, et odiosus est effectus, sic stultus malitia sua reversus ad peccatum suum*. Cum hoc loco prorsus consonat ille supra; ad Epistolæ vero secundæ Petri locum non perinde quadrat; sic porro ille habet: *Contigit enim eis illud veri proverbii: canis reversus ad suum vomitum; et, sus lota in volutabro luti*. Certum itaque exploratumque est locum Chrysostomi non hunc secundæ Petri versiculum respicere, sed illum Proverbiorum. Quamquam, ut dixi, etsi secunda Petri Epistola aliquando usus esset Chrysostomus, non inde tamen sequeretur illam vel ab se vel ab Ecclesia An-

(a) In hac nostra Editione, Tom. IV, col. 53. ubi scilicet occurrit locus de quo hic agitur, verba, *Homo... similis est cani*, etc., non ad secundam Petri Epistolam, sed ad Proverb. cap. 26, v. 11, pp. Maurinorum errorem declinat, revocavimus. M.

Coehena, ut canonicam admissam fuisse. Hinc porro liquidum est auctorem Synopseos esse vel Antiochenum vel saltem Syrum, atque, ut fert titulus, Chrysostomum; quod et aliis probabitur argumentis.

Aliud argumentum inde sumitur, quod inter canonicos Scripturæ libros, quos solos in fine Protheoriæ suæ auctor noster recenset, Apocalypsis non compareat. Ne vero putetur eam lapsu graphice prætermisam fuisse, vetat scholiastæ cujusdam nota marginalis, quæ sic habet, *Nota ipsum non memorare Apocalypsin*. Apocalypsis enim priscis Ecclesiæ sæculis non in omnibus Ecclesiis recipiebatur, ut aiunt Eusebius, Hieronymus de Scriptor. Eccles.; Nicephorus vero patriarcha in Catalogo suo, quem edidimus in Bibliotheca Coisliniana, p. 205, illam inter apocrypha recenset, ut et alius qui infra in nota memorabitur: verum patres omnes præcipui, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, totusque Occidens, ut legitimum Joannis apostoli opus, et ut canonicam Scripturam habuere: demumque per totam Ecclesiam tum Græcam tum Latinam in canone sacrorum divinorumque librorum recepta est.

Attamen in hac Synopsi Apocalypsis non memoratur, et monente scholiasta, id non librarii vitio tribuendum est. Unde arguitur a scriptore ipso, atque ut hinc consequi videtur, ab Ecclesia, cujus ipse erat, nondum receptam fuisse cum hæc scriberentur. Certe Joannes Chrysostomus, qui auctor operis fertur in titulo, numquam Apocalypsi usus est in Homiliis aliisque libris suis, etsi, ad mores informandos, in quo genere maxime versatur sanctus doctor, in Apocalypsi multa idonea opportunaque reperiantur, præcipueque in tribus prioribus capitibus. Quantamcumque diligentiam adhibuerim, ut explorarem num quidpiam in tanta operum serie ad Apocalypsin spectans deprehenderetur, nihil hactenus reperi. Et tamen multa erant in libris, verbi gratia, de Sacerdotio, quæ ad rem maxime conferre posse videbantur. Inde autem aliud exurgit, sive argumentum, sive conjectura, qua hanc Synopsin Chrysostomo asserere posse videmur. Hæc sunt argumenta quæ mutuamur ex Protheoria Synopseos.

In ipsa porro Synopsi alia multa sunt, quæ Chrysostomus ejus esse auctorem probent. Exempli causa, paulo post initium Geneseos, ubi Cham verenda patris sui revelasse narratur, ideoque et Cham et filius ejus Chanaan maledicuntur: hæc ibi leguntur: « Postea vero Semo quidem et Japheto benedixit; maledixit autem Chanaanum, quia pater ejus Cham revelaverat nuditatem patris. Maledictio autem illa eventum habuit in Gabaonitis; imo potius specie quidem maledictio erat, sed revera prophetia. » Et hæc est sententia Chrysostomo propria, quam apud cæteros ecclesiasticos Scriptores non memini me legere, nempe maledictionem Chanaani in Gabaonitis impletam fuisse. Ipsissima, inquam, S. doctoris sententia, iisdem et plurimum verbis expressa. Sic enim habet in Isaiam, cap. 2, v. 1, hujusce Tomi VI col. 28: « Id quod etiam in Chanaan factum est. Neque enim videmus

illum servivisse fratribus suis, neque etiam maledictionem excidisse, sed in Gabaonitis ex Chanaan ortis finem accepisse. Nam id quod dicebatur prophætia erat, maledictionis forma prolata. » Et hoc ipsum alio modo dicit infra in Synopsi Josuæ: « Cum non possent Israelitæ propter data juramenta Gabaonitas oppugnare, servos ipsos constituerunt, lignarios et aquæ bajulos. Hic exitum habet prædictio Noe, quam dixit: *Chanaan puer servus*: ex illo namque hi ortierant. » Hæc sane non parvi momenti eruditi lectori videbuntur ad opus Chrysostomo adjudicandum.

Aliud argumentum, nec sane levius, eruitur ex eadem Geneseos Synopsi: *Assumit Thara pater Abraham filios suos Abraham et Nachor et nepotem suum Lot, et venit in Charran*. Hæc certe lectio vitiosa fuit, et Nachor contra fidem textus Hebraici, editionis LXX et vulgatæ, in hunc textum irrepsit. Hanc porro lectionem nusquam alias reperi, nisi apud Chrysostomum, quem certum est ita legisse in exemplari suo: nam Homil. 31 in Genesim, col. 282 Tom. 4 nostræ editionis, sic legimus: *Et accepit Tharra Abram et Nachor filios suos, et Lot filium Arran filii sui*. Hæc vero lectio sic habetur in omnibus omnino cum Editis tum manuscriptis, et in eadem Homilia infra, col. 285, seq., eadem lectio bis repetitur: ita ut nihil dubii subesse possit, quin hic locus sic expressus fuerit in exemplari quo Chrysostomus utebatur: quo usus est etiam auctor Synopseos, sive ipse Chrysostomus, ut ex hoc et ex præcedentibus argumentis probari videtur.

Non minorem præcedentibus probationem eruimus ex Synopsi Deuteronomii, ubi dicitur: *Hic jacet illud*, Maledictus omnis qui pendet in ligno. *Quia ergo maledictio prolata erat in eos qui non observarent legem*, Maledictus omnis qui non manet in omnibus scriptis in hoc libro: *de lege loquitur Moyses, nec poterat Christus in hanc incurrere maledictionem: implevit namque legem, maledictionem maledictione commutavit, suspensus in ligno*. Hoc ipsum pluribus enuntiatum habes Commentario in Epistolam ad Galatas, capite 3, ubi rem explicat ille, et, quæ hic breviter extulit, multis explanat verbis. Iis vero referendis brevitas causa supersedeo. Sed studiosum lectorem hortor, ut locum ipsum adeat, et meo periculo ibi Chrysostomum ea pluribus narrantem, et eundem Chrysostomum in hac Synopsi epitomen eorum exhibentem comperiet.

Auctor hic noster Chrysostomus passim cum Judæis, quorum magnus Antiochiæ numerus erat, concertat. Illud ipsum in hac Synopsi frequenter observatur, nihil obstante brevitate, quam vel ex ipso suo nomine Synopsis exigit. Aliquando etiam loca indicat, quæ possint contra Judæos usurpari, ut in Synopsi Jeremiæ sic: « Et si malum fecerint, non faciam ego bona quæ loquutus sum ut facerem illis. Hoc autem caput contra Judæos utile erit, cum dicent, Dominum ipsis bona promississe. Cum enim non crediderint Domino nostro Jesu Christo, ipsi sibi ipsis causa fuere præsentium malorum. »

Chrysostomi scopus est multis in locis, et Judæis et Christianis probare, præcepta hujusmodi legalia

non fuisse tanta religione servanda. Quin etiam sanctos viros in Veteri Testamento illa facile transgressos esse, quoniam ea, quæ ad ritum cultumque exterioriorem pertinebant, non esse tanti momenti, et facile posse prætermitti putabat. Sic in Isalam supra, col. 10 (a Græcis referendis brevitatis causa supersedeo) legimus: *Holocausta arietum et adipem agnorum et sanguinem taurorum et hircorum nolo.* In hæc verba Chrysostomus ita loquitur: « Nam quia accusati frequenter, quod cæteris virtutibus vacui essent, pro maxima defensione sacrificia obtendebant, ut quæ frequenter persolvebant, merito uterque propheta, imo potius cæteri omnes ab hac defensione illos ex-turbant. Unde planum est ea non esse per se præci-pue constituta, sed ut ad rectum vite institutum cæ-terasque virtutes illos deducerent. » Expositione au-tem in psalmum 43, Tom. V, col. 167 *sqq.*, totus est ea in re probanda, dicitque præceptum de sabbato so-lutum fuisse, cum populus per septem dies armatus sub Josue fuit; nam septem continui dies necessario sab-batum includunt. Hæc sæpissime decantat Chrysosto-mus. In Synopsi autem libri Josue infra sic dilucide loquitur: « Tunc Jesus cultris lapideis circumcidit Ju-dæos: quia quadraginta annis versatus fuerat Israel in deserto: ideoque multi eorum bellatorum, qui ob-ierant, incircumcisi erant. Pro illis substituit Deus filios eorum, quos Jesus circumcidit: quod ipsi incir-cumcisi mansissent in via. Tunc fecit Pascha: et a die qua comederunt azyma ex frumento terræ illius, defecit manna. Jubetur Jesus solvere calceamentum suum, et circumire Jericho cum tubis et arca septem diebus: quo peracto per se muri ceciderunt. Manifestum itaque est jam tunc cœptum esse solvi sabbatum: undecumque initium quis ducat, necesse est sabbatum incidere in septem illos dies. » Statuit ergo Chrysostomus præ-cepta illa ad exteriorem cultum pertinentia, non fuisse vel a sanctis viris tanta religione servata, ut cir-cumcisio et sabbatum. In his utique non alium quam Chrysostomum agnoscere possum; quid vero si cum tot aliis argumentis hoc etiam adjungas? Alibi quo-que in hac Synopsi loca reperias, ubi scriptor se cum Judæis sæpe manum conserere subindicat.

Præter hæc argumenta, quæ sane validissima esse nemo a præjudicata opinione liber non fateatur, alia forte minora, sed quæ ob frequentiam, et repetitam loquendi probandique similitudinem pro Chrysosto-mo pugnent, hic congerere animus est. Initio Syno-phis Geneseos dicit, filios Dei in Genesi dici eos, qui a Setho orti erant, et hunc locum Psalmi affert, *Ego dixi, dii estis.* Idipsum vero pluribus dicit Homilia 22 in Genesim, allato eodem Psalmi loco. Ex Hebero Hebraicam linguam nomen accepisse dicit hic eodem fere modo, quo in Genesim, Tom. IV, col. 279. Quod ad decimas spectat quas obtulit Abraham Melchisedeco, eadem brevius hic dicit quæ in Commentario in Ge-nesim, col. 327, 328, eodem allato B. Pauli loco. De filiabus Lot idem hic paucioribus dicit, quod pluribus narrat in Genesim, col. 410-412. Item de sacrificio Abraham compendiose narrat ea, quæ fuse explicat in

Genesim, col. 431. Allegoriam de Natalibus Phares et Zaræ eodem modo hic explicat atque Commentario in Genesim, col. 534, 535. Id quod circa finem Synopsis Geneseos dicit Sicimam a Symeone et Levi captam fuisse, idipsum narrat pluribus Homil. 59 in Gen., col. 516, 517. Hæc porro lectio capitis 49, 10, quæ in Synopsi sic habet, *donec veniat is cui reposi-tum est*, semper sic effertur a Chrysostomo; alii vero scriptores variant: nam quidam hoc ipso modo legunt; alii vero, *donec veniant quæ illi reposita sunt.* In Exodo, quod dicitur in Synopsi, manus Moysis extensas, quæ victoriam Israelitis pepererunt, figuram crucis fuisse, hoc ipsum refert Chrysostomus, Homil. in illud: *Pa-ter, si possibile est*, Tom. III, col. 36.

Dicit fortasse quispiam: Si hæc Synopsis genui-num sit Chrysostomi opus, cur a nemine, quod quidem sciamus, memorata est? cur tantum de illo opere apud omnes Ecclesiasticos scriptores silen-tium? Verum non est quod stupeas de tanto silentio, quando ne decimam quidem partem operum Chry-sostomi, quæ nunc exstant, a Photio cæterisque scri-ptoribus memoratam comperimus; de his autem ope-ribus loquor, quæ germana esse apud eruditos omnes in confesso est. Neque est quod miremur hoc opus adeo neglectum fuisse, ut ejus pars maxima excide-rit, ex Veteri nempe Testamento quædam et illa omnia quæ ad Novum pertinebant. Hujusmodi quippe generis scripta Græci admodum negligebant, homiliae vero tum veras, tum spurias, libentissime scribebant. Nam utrumque Testamentum sic a Chrysostomo in compendium redactum fuisse docet Protheoria illa, quam solus habet Codex Coislinianus. Si Novi Testa-menti Synopsis superesset, multa haud dubie depre-hendereinus, quæ Joanni Chrysostomo totam Syno-psin assererent. Nam quantam putas diligentiam ad-hibuisse illum in tractandis, atque in compendium redigendis B. Pauli Epistolis? Quam Scripturæ par-tem et frequentius adhibuit, et quasi præcipuam ubi-que celebravit; si tamen quid præcipuum dici possit in iis, quæ primum auctorem Spiritum sanctum ha-bent. Illas certe Epistolas adeo in mente, in memoria versabat, ut eas ubique et quavis minima data occa-sione adhiberet in homiliis in aliisque operibus cu-jusvis generis. Inde est, ut in Synopsi Pentateuchi sæpe Paulum videas in medium adduci, in iis nimirum Pentateuchi locis, quæ Paulus in Epistolis suis adhi-buerat. Quodque singularissimum est, in Protheoria sua, ubi libros Novi Testamenti, quos in Synopsin redegerat, recenset, a quatuordecim Epistolis Pauli exordium ducit, ipsasque præmittit ipsis quatuor Evangeliiis et Apostolorum actibus. Unde fortasse no-vum quispiam argumentum eruat ad Synopsin Chry-sostomo asserendam, qui non semel Paulum se vehe-menter amare profitetur, et plus Pauli libris et actis utitur, quam cæteris Scripturæ sacræ libris (a).

Stylum autem quod spectat, profluentem illam ver-borum et similitudinum copiam, qua uti solet Chry-


(a) Vid. Tomi Lujus Præf § III.

sostomus, in Synopsi et compendio exquirere, illud esset nodum in scirpo querere. Verum dictio Chrysostomi esse deprehenditur, ita pura, clara nitidaque est. Etsi vero res compendio referat, aliquando tamen interpretem agit, res explicat, et alia Scripturæ maximeque Pauli loca affert ad explanationem apta. Nec nimis jejuna Synopsis est, sed in Pentateucho maxime justa pene longitudine historiam texit, ut exemplaris loco hac in parte haberi possit. Verisimile autem est ipsum ad usum suum totam Scripturam sic in Synopsin atque compendium redegisse. Si porro Novi Testamenti Synopsis aliquando ex tenebris emergerit, inde nova, ut dixi, prodibunt argumenta, quæ verus totius Synopseos auctor deprehendatur. Ex iis autem quæ supersunt, et ex Manuscriptis eruta sunt, Chrysostomum esse, argumentis in medium allatis, probavi: non ita tamen ut rem perfectam absolutamque existimem. Eruditorum quippe iudicium exspecto: nam res majorem est momenti quam ut possit unius scriptoris iudicio dirimi, et absque controversia esse pronuntiari.

Restat ut de Synopsi Scripturæ illa agamus, quæ inter Athanasii Opera circumfertur, quamque, licet

diligentis scriptoris opus sit, Athanasii non esse probavimus Tom. 2. Illa vero in libris omnibus historicis, in Pentateucho, in libris Regum, et in Prophetis, toto cælo differt ab hac nostra Synopsi, nec est huic comparanda, ut quisvis statim perspiciat. In libris vero Salomonis, in Sapientia, in Siracide, Esther, Tobia, Judith, eadem ipsa est: augurorque illum Synopseos librorum hujusmodi ex nostra Synopsi mutuatum esse. Nam illius Synopseos scriptorem, nostræ Synopseos auctore ætate longe inferiorem esse non dubito, nec dubitabit puto quisquam. Cæterum libri Levitici Synopsis, quæ in Coisliniano Codice desideratur, quamque ex Batavico Lugdonensi desumpsimus, cum Synopsi illa Athanasio adscripta, quod ad magnam saltem sui partem, consentit, quod qua ratione contigerit, non satis percipio.

Putaverim autem Chrysostomum hoc operis Antiochiæ adornavisse fortasse antequam concionandi operam susciperet, ut hoc satis amplo compendio ad verbi Dei prædicationem uteretur, et ad manum haberet unde concionum argumenta mutuaretur.



ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ  
**ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ**

ΣΥΝΟΨΙΣ

*Τῆς Παλαιᾶς τε καὶ Καινῆς, ὡς ἐν τάξει ὑπομνηστικοῦ.*

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

Καινή λέγεται ἀπὸ τοῦ χρόνου καὶ ἀπὸ τῆς φύσεως τῶν ἐν αὐτῇ γενομένων, ὅτι πάντα ἀνεκαινίσθη, καὶ πρῶτον ἀνθρώπος, δι' οὗ τὰ πάντα. Ἴνα δὲ μή τις λέγῃ· Ὁ οὐρανὸς ὁ αὐτὸς, ἡ γῆ, καὶ τὸ κυριώτατον ἀπάντων ἀνθρώπος· καὶ (l. καινὸς) νόμος ἐδόθη, καινὰ ἐντολαί, καινὴ ἡ χάρις διὰ τοῦ λουτροῦ, καινὸς ἀνθρώπος, καινὰ ἐπαγγελίαι. Οὐκέτι γὰρ γῆ καὶ τὰ ἀπὸ τῆς γῆς· ἀλλ' οὐρανὸς, καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς. Καινὰ τὰ μυστήρια. Οὐκέτι γὰρ ἐκεῖνα τὰ σωματικά, πρῶτα καὶ αἷμα, καὶ κνίσσα, καὶ κόπρος, ἀλλ' ἡ λογικὴ καὶ ἐνάρετος λατρεία, τὰ παραγγέλματα καινὰ, εὐλὸν εἰς οὐρανοὺς ἀνάγον καὶ ὑψηλοὺς ἐργαζόμενον. Σκοπὸς δὲ ἐκατέρωθεν τῶν Διαθηκῶν εἰς, τῶν ἀνθρώπων ἡ διόρθωσις. Καὶ τί δεῖ θαυμάζειν περὶ τῆς Γραφῆς, ὅπου γε καὶ τῆς κτίσεως αὐτῆς ἡ χρεῖα διὰ τοῦτον; Καὶ γὰρ οὐρανὸν μέγαν δι' αὐτὸν ἐποίησε, καὶ γῆν εὐθείαν, καὶ θάλασσαν ὑπὲρ τὴν χρεῖαν, ἵνα ἀπὸ τοῦ μεγέθους τῶν γενομένων θαυμάσαντες τὸν Δημιουργὸν, εἰς θεογνωσίαν ἔλθοιεν. Καὶ ταῦτα οὖν διὰ τοῦτον γέγονεν. Ἐπεὶ οὖν σκοπὸς εἰς τῆς Παλαιᾶς καὶ τῆς Καινῆς, ἀναγκαῖον εἶναι ἐνόμισεν ὁ Μωϋσῆς καὶ ἱστορίας ἀναγράψαι παλαιᾶς· οὐ κατὰ τὴν ἔξωθεν ἀκολουθίαν· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἱστορίας γράφουσιν ἀπλῶς, ὥστε πραγμάτων διηγήσεις ποιῆσθαι, καὶ πολέμους καὶ μάχας εἰς μέσον ἀγαγεῖν, καὶ καρπώσασθαι δόξαν ἀπὸ τῶν γραμμάτων. Ὁ δὲ νομοθέτης οὐχ οὕτως· ἀλλὰ πάντοτε ἱστορίας ἀναγράφει ἀνθρώπων μεγάλων κατωρθωκότων, ὥστε τοὺς μετὰ ταῦτα τῶν ἐκεῖνοις βεβιωμένων τὴν διήγησιν γενέσθαι διδασκαλίας ἀγαθῆς ὑπόθεσιν. Διὰ δὲ τοῦτο οὐ

μόνον τοὺς κατωρθωκότας εἰς μέσον ἀγει, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἡμαρτηκότας, ἵνα τοὺς μὲν ζηλώσωμεν, τοὺς δὲ ἐκφύγωμεν, καὶ ἐκατέρωθεν ὀρθωθῇ τὰ τῆς ἀρετῆς καὶ τὰ τῆς ἐπιμελείας. Μὴ τοίνυν νομιζέτω τις ξένον εἶναι νομοθέτου τὸ παλαιᾶς ἱστορίας διηγείσθαι καὶ νόμους [315] ἀναγράφειν. Ὅπερ γὰρ ἰσχύει νόμος, τοῦτο καὶ ἡ διήγησις τοῦ βίου τῶν ἁγίων. Ἔστι τοίνυν τῆς Παλαιᾶς τὸ μὲν ἱστορικόν, ὡς ἡ Ὀκτάτευχος· ἡ μὲν Γένεσις τὰ περὶ τῆς δημιουργίας διηγουμένη, καὶ τὰ περὶ τοῦ βίου τῶν εὐηρεστηκότων Θεῶ· ἡ δὲ Ἔξοδος τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν Ἰουδαίων τὴν ἐξ Αἰγύπτου, τὴν παράδοξον ἐκείνην, καὶ τὴν τῆς ἐρήμου διατριβὴν, καὶ τὴν τοῦ νόμου δόξιν· τὸ δὲ Λευτικὸν τὰ περὶ θυσιῶν καὶ ἱερουργίας· ἡ γὰρ τοῦ Λευὶ φυλῆ αὐτὴ ἦν ἡ τὴν ἱερωσύνην κεκληρωμένη, καὶ ἀπὸ τοῦ ὀνόματος τῆς φυλῆς τὴν προσηγορίαν ἔλαχε τὸ βιβλίον. Μετ' ἐκεῖνο οἱ Ἀριθμοί· μετὰ γὰρ τὸ ἐξελεθῆναι ἐξ Αἰγύπτου, ἐκέλευσεν ὁ Θεὸς ἀριθμηθῆναι τὸν δῆμον τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἵσαν· ἐξακόσια χιλιάδες, ἀφ' ἑνὸς ἀνθρώπου τοῦ Ἀβραάμ γενόμεναι. Ἐἶτα μετ' ἐκεῖνο τὸ Δευτερονόμιον· τὸν γὰρ νόμον ἐκ δευτέρου ἠρμήνευσεν αὐτοῖς ὁ Μωϋσῆς. Ἐἶτα μετ' ἐκεῖνο Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ· οὗτος γὰρ μετὰ τὸν Μωϋσεᾶ γενόμενος αὐτῶν δημαγωγὸς, εἰς τε τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας εἰσῆγαγε, καὶ τὴν γῆν διένειμα κατὰ κλήρους ταῖς δώδεκα φυλαῖς. Μετ' ἐκεῖνον οἱ Κριταί· τοῦ γὰρ Ἰησοῦ τελευτήσαντος, εἰς ἀριστοκρατίαν μετέπεσε τὰ πράγματα τῶν Ἰουδαίων, καὶ αἱ φυλαὶ ἐκράτουν. Ἐἶτα Ροῦθ, βιβλίον βραχὺ, ἱστορίαν ἔχον γυναικὸς ἀλλοφύλου, γαμηθείσης Ἰουδαίῳ τινί. Μετ'



SANCTI PATRIS NOSTRI  
JOANNIS CHRYSOSTOMI

SYNOPSIS

*Veteris et novi testamenti, quasi commonitorii more (a).*

CONSPECTUS OPERIS.

*Quare prius Testamentum appelletur, Vetus. Scopus utriusque Testamenti unus. Divisio Veteris Testamenti in historiam, consilia et prophetiam.*—Novum Testamentum dicitur et a tempore et a natura rerum quas complectitur, quoniam omnia renovata sunt, primoque homo, propter quem omnia sunt condita. Ne quis autem dicat: At qui cælum idem est, terra eadem, et homo quoque, res omnium dignissima; nova lex data est, nova præcepta, nova gratia per lavacrum: novus homo, novæ promissiones. Non enim ultra agitur de terra et de terrenis; sed de cælo et de cælestibus. Nova mysteria. Non ultra locum habent illa corporea, ovis, sanguis, nidor, fimus; sed rationalis ille virtuteque ornatus cultus: nova præcepta. Lignum nos ad cælum ducit, sublimesque efficit. Scopus autem in utroque Testamento unus est, hominum nempe emendatio. Ecquid mirum de Scriptura, quando natura tota ad ejus usum est condita? Etenim magnum propter illum cælum condidit, terram latam, mare majus, quam necessitas postulare videbatur, ut a magnitudine opificiorum Opificem mirantes, ad Dei

cognitionem venirent. Hæc itaque propter illum facta sunt. Quoniam igitur Veteris et Novi Testamenti scopus unus est, necessarium etiam putavit Moyses historias veteres describere: non secundum externorum morem, qui historias scribunt ea mente tantum, ut rerum narrationes texant, et bella pugnasque in medium agant, atque ex scriptis gloriam sibi parent. At legislator non sic: sed semper historias scribit illustrium virorum qui res præclaras gesserunt; ut vitæ illorum narratio posteris sit optimæ doctrinæ argumentum. Ideoque non modo eos qui se probe gesserunt in medium adducit, sed etiam peccatores: ut illos æmulemur, hos autem fugiamus, et utrinque virtutem diligentiamque majorem adipiscamur. Ne quis ergo existimet extra legislatoris officium esse historias veteres narrare, et leges perscribere. Etenim quam vim habet lex, eandem obtinet sanctorum vitæ narratio. Est itaque in veteri lege aliud historicum, ut Octateuchus (a); nempe Genesis, quæ creationem enarrat, necnon vitam eorum qui Deo accepti fuere; Exodus, quæ Judæos exhibet ex Ægypto mira-

(a) Bene dicitur, *commonitorii*, vel forte, *brevis commentarii more*. Nam hic passim Chrysostomus breves explanationes adjecit, rerumque in Veteri Testamento enarratarum cum Novo consonantiam indicat.

(a) Octateuchus, octo priores Scripturæ libros complectitur. Genesis, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judges, et Ruth.

hilter eductos et liberatos, atque in deserto diu morantes, legemque latam; Leviticus, in quo de sacrificiis et sacerdotio: nam tribus Levi sacerdotium sortita est: et ex tribus nomine nuncupatus liber est. Deinde Numeri; post egressum enim ex Ægypto jussit Deus numerari populum Judaicum, erantque sexcenties mille, ab uno homine Abrahamo orti. Postea Deuteronomium: legem enim secundo interpretatus est illis Moyses. Deinde Jesus filius Nave: hic enim post Moysem illorum dux constitutus, in terram promissionis introduxit illos, terramque per sortes duodecim tribubus divisit. Post hunc Judices: nam Jesu mortuo, republica Judæorum in aristocratiam versa est, et tribus imperium moderabantur. Deinde Ruth, liber exiguus, historiam complectens mulieris alienigenæ, quæ Judæo cuidam nupsit. Post hunc Regnorum libri quatuor: in quibus gesta Saulis, Davidis, Salomonis, Eliæ, Elisæi, et reliqua usque ad captivitatem Babylonicam. Post Regnorum libros Esdras. Postquam enim in Babylonem ob peccata sua abducti fuerant, ibique septuaginta annis in servitute manserant, demum Deus placatus, id providit ut Cyrus tunc rex Persarum, Cyrus, inquam, cujus puerilem institutionem descripsit Xenophon, captivos dimitteret. Dimissi vero redierunt ducibus Esdra, Neomia et Zorobabele. Hunc reditum describit Esdras, et quomodo reversi templum denuo construxerint, urbemque reedificaverint. Centum deinde annis elapsis, rursus illos bellum, Macedonicum nempe, invasit. Deinde Antiochi Epiphaniæ gesta sequuntur, quando tribus annis et dimidio obsessi, maleque affecti, a calamitatibus rursus erepti sunt. Post hæc modico elapso tempore (a), Christus advenit, et Vetus Testamentum desinit.

*Judæorum genus unde.* — Ut autem discatur Judaicæ gentis origo, quædam hic enarranda sunt. Post Adam fuit Seth, deinde Enoch, postea alii usque ad multas generationes; demum Noe, cujus tempore, cum homines essent malitia corrupti, diluvium accidit. Cessante diluvio, egressus ex arca solus cum tribus filiis, terram omnem prole sua replevit, multis successione quadam prognatis. Cum ergo plurimi essent, deliberarunt ædificare turrim, quæ ad cælum usque pertingeret. Eorum consilium improbat Deus, linguas ipsorum confudit, unamque in multas divisit. Quare cum non sese mutuo audirent, simul habitare non potuerunt: quæ causa fuit ut per totum orbem dispergerentur. Dicitur autem in illa confusione linguarum, Heberum Judæorum progenitorem noluisse tentati operis esse participem, solumque mansisse qui linguam servaret (b), hoc optimi consilii præmium adeptum. Ex nepotibus ejus fuit Abraham: ideoque Judæorum lingua, Hebraica vocatur ab Hebero. Abraham filius fuit Isaac, hujus Jacob. Hic genuit duodecim patriarchas, Ruben, Symeon, Levi, Judam, Isachar, Zabulon, Nephthalim, Gad, Dan, Aser, Joseph, Ben-

(a) A profanatione templi per Antiochum Epiphaneum facta ad ortum Christi anni sunt circiter centum sexaginta.

(b) Homiliis in Genesim Tom. IV, col. 979, ait Chrysostomus Heberum solum primum mundi servasse idioma, quod hic etiam dicit. Sed eadere controvertitur. Vide notam illud.

jamin. Undecim horum patriarcharum nomen accipere tribus ab illis ortæ. Unusquisque enim tribum proeminavit, et proles ab eis denominabatur. Verum; Josephi non una tribus, sed duæ fuerunt. Noluit enim Josephi pater unam tribum ab eo denominari. Quid ergo factum est? Quia unus erat ille, ut duplex fieret patriarcha, Ephraim et Manasse duos ejus filios, duabus tribubus nomina sua dare jussit. Unde contigit ut tredecim tribus essent; nempe undecim aliorum, et duæ Josephi per ejus filios. Tribus Levi hinc extrahitur, ordinique sacerdotali deputatur: neque enim necessarium erat aliud quidpiam ipsi tradere; sicque manet duodecim tribuum numerus non imminutus. Duodecim ergo tribus alia omnia gerebant: Levi autem tribui uni sacerdotalia munia concredita erant. Ex hac tribu Moyses erat. Hi ergo duodecim patriarchæ in Ægyptum profecti, impleta Dei promissione Abrahamo facta, qua dicebatur, *Faciam semen tuum sicut stellas cæli*, sexcentorum millium fuere progenitores. Hinc Judæorum genus constitutum est, quod nomen accepit a tribu Juda omnium præcipua et regia, unde reges exorti sunt. Veteris igitur Testamenti aliud quidem historicum est, hoc nempe quod jam recensuimus. Quæ ad consilia moralia pertinent, sunt Proverbia, Sapientia Sirach, Ecclesiastes, Cantica canticorum. Propheticum vero sunt sexdecim Prophetæ, Ruth (a), et David. Hæc vero species divise, etiam permixtis aliæ in aliis reperiuntur. Exempli causa, in historiis prophetiam inveniri est: et prophetas historica multa recensere audimus, atque in horum utroque consilia et monita deprehendimus, nempe in prophetia et in historia. Hæc omnia, ut dixi, ad unum respiciunt, nempe ad audientium emendationem, ita ut ex prius gestorum narratione, ex consilio admonitioneque, et ex prophetia ad id quod decorum est nos concinnemus. Prophetiæ vero illud maxime opus erat, ut futura prænuntiaret, seu bona seu mala essent; ut alios attraherent, alios metu a nequitia coacerent. Est et aliud prophetiæ genus, nempe ea quæ ad Christum pertinent vaticinari: ubi accurate tractatur, non de adventu modo, sed et de iis quæ post adventum facturus erat, de partu, de natalibus, de cruce, de miraculis, de discipulorum electione, de Novo Testamento, de cessatione Judaicorum rituum, de destructione gentilitiorum, de nobilitate Ecclesiæ, deque aliis omnibus subsequentibus rebus. Hæc omnia clarissime ante multum tempus prædixerant prophetæ, alia figuris, alia verbis.

*Prophetiæ duæ species, per opera et per verba. Prophetiæ est non modo futura, sed etiam præterita aperire.* — Etenim duo sunt prophetiæ genera, et operibus et verbis futura prænuntiari: verbis quidem, ut cum crucem significare volentes, dicunt: *Sicut ovis ad cædem ductus est, et sicut agnus coram se tondebat sine voce* (Isai. 53. 7). Hoc itaque verbis ipsis vaticinari

(a) Ruth inter propheticos libros fortasse ponit, quia unus mulieris privatæ historia non videbatur inter libros sacros accenseri posse, nisi ex ea muliere nasciturus fuisset Christus, id quod tot ante sæculis non nisi prophetiæ sciri poterat; vel forte Ruth hic mendose hæresit.

ἐκείνη αἱ Βασιλείαι αἱ τίσσαρες, ὑν αἷς τὰ εἰς τὸν Χασούλ, τὰ εἰς τὸν Δαυὶδ, τὰ εἰς Σολομώντα καὶ τὸν Ἥλιαν καὶ τὸν Ἐλισσαίον, καὶ τὰ μέχρι τῆς αἰχμαλωσίας τῆς εἰς Βαβυλῶνα. Μετὰ δὲ τὰς βασιλείας Ἑσδρας. Ἐπειδὴ γὰρ ἀπηνέχθησαν εἰς Βαβυλῶνα ἀμαρτάντες, καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη διετέλεσαν αὐτόθι δουλεύοντες, ὁ Θεὸς ὑστερον ὠλεως αὐτοῖς γενόμενος, παρεσκευάσεν τὸν Κύρον τὸν τότε Περσῶν βασιλεύοντα, Κύρον, οὗ τὰς παιδείας ἀνέγραψε Ξενοφῶν, ἀφείναι τοὺς αἰχμαλώτους. Καὶ ἀφέντος, ἐπανήλθον ἠγουμένου τοῦ Ἑσδρα, τοῦ Νεεμίου, τοῦ Ζοροβάβελ. Καὶ τὴν ἐπάνοδον ταύτην γράφει ὁ Ἑσδρας ὡς ἐπανελθόντες ἐκ δευτέρου τὸν ναὸν ὑποδόμησαν, καὶ τὴν πόλιν ἀνέστησαν. Καὶ ἑκατὸν διαγενομένων ἐτῶν, πάλιν πόλεμος αὐτοὺς κατέλαβεν ὁ Μακεδονικός. Εἶτα τὰ ἐπὶ Ἀντίοχου συνέβη τοῦ Ἐπιφανοῦς, ὅτε καὶ τρία ἔτη πολιορκηθέντες καὶ ἡμῖς, κακῶς παθόντες, πάλιν ἀπηλλάγησαν τῶν ἐπιγενομένων κακῶν. Καὶ μετ' ἐκεῖνο ὀλίγου διαγενομένου χρόνου, ἔρχεται ὁ Χριστὸς, καὶ τέλος λαμβάνει ἡ Παλαιά.

Ὅσοι δὲ μαθεῖν πόθεν συνέστη τὸ Ἰουδαίων γένος, ἀναγκαῖον ὀλίγα εἰπεῖν. Μετὰ τὸν Ἀδὰμ γέγονεν ὁ Σὴθ, εἶτα Ἐνῶχ, εἶτα ἕτεροι μέχρι πλείωνων γενεῶν· καὶ τότε ὁ Νῶε, ἐφ' οὗ, τῶν ἀνθρώπων διαφθαρέντων ὑπὸ κακίας, γίνεται ὁ κατακλυσμός. Εἶτα τοῦ κατακλυσμοῦ πρυθέντος, ἐξελθὼν ἀπὸ τῆς κιβωτοῦ μόνος μετὰ παιδῶν τριῶν, ἐνέπλησε τὴν γῆν ἐκ τῆς αὐτοῦ γενεᾶς, κατὰ διαδοχὴν πολλῶν θυτῶν τῶν τιχομένων. Ὡς οὖν ἐγένοντο πολλοί, ἐβουλεύσαντο πύργον οἰκοδομῆσαι, φθάνοντα ἕως τοῦ οὐρανοῦ. Καταγῶς δὲ αὐτῶν τὴν γνώμην ὁ Θεὸς, συνέχευεν αὐτῶν τὰς γλῶσσας, καὶ τὴν μίαν εἰς πολλὰς διέτεμεν. [316] Ὅθεν ἀνάγκη γέγονεν αὐτοῖς οὐκ ἀκούσασιν ἀλλήλων, μηδὲ συνοικῆσαι ἀλλήλους· καὶ αὕτη γέγονε πρόφασις τοῦ πανταχοῦ διασπαρῆναι αὐτοὺς τῆς οἰκουμένης. Λέγεται δὲ ἐν ταύτῃ τῇ συγχύσει τῶν γλωσσῶν ὁ Ἑβερὸς τῶν Ἰουδαίων πρόγονος μὴ βουληθῆναι κοινωνῆσαι τῆς ἐπιχειρήσεως αὐτοῦ, καὶ μόνος μενεῖναι διατηρῶν τὴν οἰκίαν γλῶσσαν, τῆς καλλίστης γνώμης τοῦτο τιμηθείς. Τοῦτου ἔργονος ἐγένετο, Ἀβραάμ· διὸ καὶ Ἰουδαίων γλῶσσαι Ἑβραϊκὴ κέκληται, ἀπὸ τοῦ Ἑβερ. Τοῦτου τοίνυν ἐγένετο ἔργονος [Ἀβραάμ], τοῦ Ἀβραάμ α, Ἰσαάκ, οὗ Ἰακώβ. Οὗτος ἐγέννησε τοὺς δώδεκα πατριάρχας, τὸν Ῥουβείμ, τὸν Συμεὼν, τὸν Λευὶ, τὸν Ἰούδαν, τὸν Ἰσαχάρ, τὸν Ζαβουλὼν, τὸν Νεφθαλεὶμ, τὸν Γάδ, τὸν Δάν, τὸν Ἀσὴρ, τὸν Ἰωσήφ, τὸν Βενιαμίν. Τούτων τῶν ἑνδεκα πατριαρχῶν ἐπώνυμοι γεγόνασιν αἱ μετὰ ταῦτα φυλαί. Ἐκαστος γὰρ φυλὴν ἀπεγέννησε, καὶ οἱ τεχθέντες, ἀπ' ἐκεῖνων ἐκαλοῦντο. Ἀντὶ μέντοι τοῦ Ἰωσήφ μία φυλὴ οὐκέτι γίνεται, ἀλλὰ δύο. Οὐ γὰρ ἠβουλήθη ὁ πατὴρ ὁ τοῦ Ἰωσήφ μίᾳ φυλῇ ἐπώνυμον αὐτὸν γενέσθαι. Τί οὖν γίνεται; Ἐπειδὴ εἰς ἦν ὁ αὐτὸς, ἵνα διπλοῦς γένηται πατριάρχης, τὸν Ἑφραῖμ καὶ τὸν Μανασσῆ τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ τοὺς δύο,

\* Hic mendum esse videtur. Legendum ni fallor, ἐγένετο ἔργονος Ἀβραάμ, τοῦ Ἀβραάμ, Ἰσαάκ. Quapropter Ἀβραάμ πρῶτον inter uncinos posuimus, ne videretur ex eis desumptum.

τούτους ἐποίησε δύο φυλῶν γενέσθαι ἐπώνυμους<sup>β</sup>, καὶ αἱ δύο φυλαὶ τῷ Ἰωσήφ ἐλογίζοντο. Ὅσοι συνέβη ἐκ τούτου ἑνδεκα (ἢ τρισκαίδεκα) εἶναι τὰς φυλάς, ἑνδεκα τὰς τῶν ἄλλων, δύο τὰς τοῦ Ἰωσήφ τὰς διὰ τῶν παιδῶν. Ὑπεξαιρεῖται ἡ τοῦ Λευὶ, καὶ ἀφορίζεται τῇ τάξει τῆς ἱερωσύνης· οὐδὲ γὰρ ἦν ἀναγκασίον ἄλλο τι μεταχειρίσασθαι· καὶ μένει τῶν δώδεκα ὁ ἀριθμὸς μὴ ἀκρωτηριασθείς. Αἱ μὲν οὖν δώδεκα τὰ ἄλλα πάντα ἔπραττον· ἡ δὲ τοῦ Λευὶ τὰ ἱερατικά ἦν ἐπιτεταγμένη μόνη. Ἐκ ταύτης ἦν ὁ Μωϋσῆς. Οὗτοι τοίνυν οἱ δώδεκα πατριάρχαι ἀπελθόντες εἰς Αἴγυπτον, τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπαγγελίας τῆς πρὸς τὸν Ἀβραάμ πληρουμένης τῆς λεγούσης, *Ποιήσω τὸ σπέρμα σου ὡς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ*, ἑξακοσίων χιλιάδων ἐγένοντο πρόγονοι. Ἐντεῦθεν τὸ τῶν Ἰουδαίων συνέστη γένος ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς ὀνομασθὲν τῆς βασιλικωτάτης, ὅθεν οἱ βασιλεῖς ἂν ἐγένοντο. Τῆς οὖν Παλαιᾶς ἐστὶ τὸ μὲν ἱστορικόν, τοῦτο δὲ ὁ προειρήκαμεν· τὸ δὲ συμβουλευτικόν, ὡς αἱ τε Παροιμίαι, καὶ ἡ τοῦ Σειράχ Σοφία, καὶ ὁ Ἐκκλησιαστής, καὶ τὰ Ἔσματα τῶν ἁσμάτων· τὸ δὲ προφητικόν, ὡς οἱ δεκαεξέ λέγω Προφήται, καὶ Ῥούθ, καὶ Δαυὶδ. Εὐροὶ δ' ἂν τις τὰ εἶδη ταῦτα διηρημένα ἀδρομερῆ ἐν ἀλλήλοις ὄντα. Οἶόν τι λέγω, ἐν ταῖς ἱστορίαις εὐροὶ τις ἂν προφητείας· καὶ τῶν προφητῶν ἀκούσειεν ἂν πολλὰ ἱστορικά διαλεγόμενων. Καὶ τὸ τῆς συμβουλῆς δὲ εἶδος καὶ τὸ τῆς παραινεσεως, ἐν ἑκατέρῳ τούτων, ἐν τε τῇ προφητείᾳ, ἐν τε τῇ ἱστορίᾳ. Πάντα δὲ ταῦτα, ὡς περ ἐφθην εἰπὼν, εἰς ἕν βλέπει, τὴν τῶν ἀκούοντων διόρθωσιν, ὡστε καὶ ἀπὸ τῆς τῶν προτέρων διηγήσεως, καὶ ἀπὸ [317] τῆς συμβουλῆς καὶ τῆς παραινεσεως, καὶ ἀπὸ τῆς προφητείας ρυθμίζεσθαι πρὸς τὸ δέον. Προφητείας δὲ τοῦτο ἔργον μάλλον ἦν, τὸ τὰ μέλλοντα προαναφωνεῖν, εἴτε χρηστά, εἴτε λυπηρά, ἵνα τοὺς μὲν ἀποσπάσωσιν, τοὺς δὲ τῷ φόβῳ τῆς κακίας ἀπειρῶσιν. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον προφητείας εἶδος, τὸ τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ προαναφωνῆσαι· ἔνθα μετ' ἀκριβείας οὐ περὶ τῆς παρουσίας μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὧν ἐμελλε παραγενόμενος πράττει, καὶ περὶ τοῦ τόκου, καὶ περὶ τῆς γεννήσεως, καὶ περὶ τοῦ σταυροῦ, καὶ περὶ τῶν θαυμάτων, καὶ περὶ τῆς τῶν μαθητῶν ἐκλογῆς, περὶ τῆς Καινῆς Διαθήκης, περὶ τῆς καύσεως τῶν Ἰουδαϊκῶν, καὶ περὶ τοῦ ἀφανισμοῦ τῶν Ἑλληνικῶν, καὶ περὶ τῆς εὐγενείας τῆς κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων τῶν καθεστῆς ὄντων πραγμάτων. Ταῦτα πάντα μετὰ σαφηνείας ἀπάσης πρὸ πολλοῦ τοῦ χρόνου προαναφώνησαν οἱ προφῆται, τὰ μὲν διὰ τύπων, τὰ δὲ διὰ ῥημάτων.

Καὶ γὰρ δύο προφητείας εἶδη, καὶ διὰ ἔργων καὶ διὰ λόγων προαναφωνεῖν τὰ μέλλοντα· διὰ λόγων μὲν, ὡς ὅταν τὸν σταυρὸν βουλόμενοι εἰπῶσι, λέγωσιν· *Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγῆν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἀφωρός*. Τοῦτο μὲν οὖν

<sup>β</sup> Homil. 7 adversus Judæos. tom. I, p. 668 : Μανασσῆς καὶ Ἑφραῖμ δύο φυλαὶ γεγόνασιν ἐπώνυμοι. Ubi Savil. et aliquot mss. δύο φυλῶν habent et fortasse mellius : nam cum hac Synopsi consonat hæc postrema lectio.

<sup>γ</sup> De hisce duobus prophetiæ generibus idipsum fere dicit Jo. Chrysostomus t. II, Homilia 6 de Penitentia, p. 328, D.

διὰ λόγων εἶλον προφητεῦσαι· δι' ἔργων δέ, ὅταν Ἀβραάμ φαίνεται τὸν υἱὸν ἀναφέροντα, καὶ τὸν κριὸν κατασφάττων. Διὰ γὰρ τῶν πραγμάτων προανατυποῖ τοῦ σταυροῦ τὴν εἰκόνα, καὶ τὴν ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης ἐσομένην σφαγὴν. Καὶ πολλοὺς ἄν τις εὖροι τοιούτους τύπους ἐν τῇ Παλαιᾷ, καὶ προφητείας διὰ πραγμάτων. Οὐ μόνον δὲ τὰ μέλλοντα προφητείας ἐστὶν εἰπεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰ παρελθόντα, ὅπερ μᾶλλον ἐστὶ παρὰ Μωϋσῆ. Ὅταν γὰρ περὶ οὐρανοῦ καὶ γῆς διαλέγηται, παρελθόντα μὲν λέγει πράγματα καὶ κεκρυμμένα τῷ χρόνῳ, προφητεία δὲ αὐτὰ φθέγγεται. Ὅσπερ γὰρ τὰ μηδέπω γενόμενα, καὶ ἀφανῆ ἐτι τυγχάνοντα, προφητείας ἐστὶν εἰπεῖν, οὕτω τὰ γενόμενα μὲν, κεκρυμμένα δὲ τῷ χρόνῳ, ταῦτα ἀνακαλύψαι καὶ εἰς μέσον ἀγαγεῖν τῆς ἰσῆς χάριτός ἐστιν. Ἔστι δὲ καὶ τὰ παρόντα προφητείας εἰπεῖν, ὅταν τι γίνηται μὲν, κρύπτηται δὲ, ὅλον ἐπὶ τοῦ Ἀνανίου καὶ τῆς Σαμφείρης. Ἐκεῖ γὰρ οὔτε παρελθόν, οὔτε μέλλον ἦν, ἀλλὰ παρὸν μὲν, ἀδηλον δέ. Ὁ τοῖνον Πέτρος προφητεία αὐτὰ ἐκκαλύψας, εἰς μέσον ἄγει. Καὶ τὰ μὲν τῆς Παλαιᾶς, ὡς ἄν τις ἀδρομερῶς εἰποι, ταῦτα. Ἐπὶ δὲ τῆς Καινῆς τὰ ἐν τῇ Παλαιᾷ αἰνιγματωδῶς εἰρημένα, ταῦτα δεῖκνυται, τὰς προφητείας λέγω τὰς διὰ τῶν ἔργων μαρτυρούμενας, τὴν τῶν οὐρανῶν ἀπτομένην πολιτείαν, τὰ ἀπόρρητα τῶν μελλόντων ἀγαθὰ, ἡ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὐς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη. Παραλαβοῦσα γὰρ τὸν ἀνθρώπον διὰ τῆς Παλαιᾶς ἢ Καινῆς, συμμέτρως πως καὶ τῆς κακίας ἡρέμα ἀπαλλαγέντα, πρὸς τὴν τῶν ἀγγέλων ἀνάγει πολιτείαν. Ὅστε τῆς μὲν Παλαιᾶς ἔργον ἦν ποιῆσαι ἀνθρώπον, τῆς δὲ Καινῆς τὸν ἀνθρώπον ἐργάσασθαι ἀγγελον. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ κακία καὶ τὸ ἀνθρώπου εἶναι ἐποίησεν ἀπολέσαι, εἰς ἀλόγων δυσγένειαν καταγαγοῦσα, [318] καὶ θηριώδεις ἐργασασμένη· ὁ μὲν νόμος ἐκείνης μὲν ἀπήλλαττε τῆς κακίας· ἡ δὲ χάρις καὶ ταύτην τὴν ἀγγελικὴν προστίθεισιν ἀρετῆν. Ἔστι δὲ καὶ τῆς Καινῆς βιβλία, αἱ Ἐπιστολαὶ αἱ δεκατέσσαρες Παύλου, τὰ Εὐαγγέλια τὰ τέσσαρα, δύο μὲν τῶν μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ, Ἰωάννου καὶ Ματθαίου, δύο δὲ Λουκᾶ καὶ Μάρκου· ὧν ὁ μὲν τοῦ Πέτρου, ὁ δὲ τοῦ Παύλου γεγόνασι μαθηταί. Οἱ μὲν γὰρ αὐτόπται ἦσαν γεγεννημένοι, καὶ συγγενόμενοι τῷ Χριστῷ· οἱ δὲ παρ' ἐκείνων τὰ ἐκείνων διαδεξάμενοι, εἰς ἑτέρους ἐξήνεγκαν· καὶ τὸ τῶν Πράξεων δὲ βιβλίον, καὶ αὐτὸ Λουκᾶ, ἱστορήσαντος τὰ γενόμενα, καὶ τῶν καθολικῶν Ἐπιστολαὶ τρεῖς.

Σύνοψις τῆς Γενέσεως <sup>a</sup>.

Τὰ κατὰ τὴν κοσμοποιίαν, καὶ τὴν τοῦ ἀνθρώπου πλάσιν. Ἐντολὴν λαμβάνει ὁ Ἀδάμ, καὶ πλάττεται ἡ γυνὴ ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ, ἡ ἀπατηθεῖσα ὑπὸ τοῦ

δρακῶν, ἀπατᾷ τὸν ἄνδρα, καὶ γενομένη μετ' αὐτοῦ ἐπικατάρατος, ἐκβάλλεται τοῦ παραδείσου· καὶ ὁ ὄφις δέχεται κατάραν ἐπὶ τοῦ στήθους περιπατεῖν. Ἀναιρεῖ τὸν ἀδελφὸν ὁ Κάιν διὰ τὸ ὑπερευδοκιμηθῆναι <sup>b</sup>, καὶ δίδωσι δίκην· καὶ μετὰ ταῦτα παιδοποιεῖ. Τίκτει δὲ καὶ Ἐβα τὸν Σὴθ. Κατάλογος τῶν ἀπὸ τοῦ Ἀδάμ, καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ Σὴθ, ἕως τοῦ Νῶε, καὶ κατηγορία τῶν ἀνδρῶν διὰ τὰς οὐ προσηκούσας ἐπιγάμιας καὶ τὰς λοιπὰς ἀνομίας· Υἱοὺς δὲ Θεοῦ ἐνταῦθα καλεῖ τοὺς ἀπὸ τοῦ Σὴθ καταγόνας τὸ γένος· καὶ γὰρ εἰρηται· Ἐγὼ εἶπον, Θεοὶ ἐστε, καὶ υἱοὶ Ὑψίστου πάντες. Θυγατέρας δὲ ἀνθρώπων τὰς ἀπὸ τοῦ Κάιν. Προλέγει ὁ Θεὸς τῷ Νῶε τὴν μέλλουσαν τῶν ἀνθρώπων ἀπώλειαν διὰ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ παραινεῖ ποιῆσαι τὴν κιβωτὸν, τριακοσίων πήχεων τὸ μῆκος, πενήτηντα πήχεων τὸ πλάτος, τριάκοντα πήχεων τὸ ὕψος. Ὡς δὲ εἰσῆλθεν εἰς τὴν κιβωτὸν, ἐφέρετο ὁ κατακλυσμὸς τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ τεσσαράκοντα νύκτας. Ἐνεβίδου δὲ τὸ ὕδωρ μετὰ ἑκατὸν πενήτηντα ἡμέρας. Ὄφθησαν δὲ αἱ κορυφαὶ τῶν ὀρέων πρώτη τοῦ δεκάτου μηνός <sup>c</sup>. Καὶ μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀπέστειλε τὸν κόρακα, καὶ οὐχ ὑπέστρεψε· καὶ μετὰ ἑπτὰ ἡμέρας ἀπέστειλε τὴν περιστέρην, καὶ ὑπέστρεψε θαλλὸν ἐλαίας κομιζούσα. Κελεύεται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὁ Νῶε ἐξελεῖν ἐκ τῆς κιβωτοῦ· καὶ ἐξελεῖν ἔθυσεν τῷ Θεῷ, καὶ εὐλογήθη μετὰ τῶν υἱῶν αὐτοῦ. Καὶ ἔλαβεν ἐπαγγελίαν παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὥστε μηκέτι γενέσθαι τοιαύτην ἀπώλειαν ἀνθρώπων διὰ τοῦ κατακλυσμοῦ. Καὶ μετὰ ταῦτα εὐλογεῖ [319] μὲν τὸν Σὴμ καὶ τὸν Ἰάφεθ, καταρᾶται δὲ τὸν Χαναάν, ἐπειδὴ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Χάμ ἐξείπε τὴν γύμνωσιν τοῦ πατρὸς. Ἐκβαίνει δὲ ἡ κατάρα ἐπὶ τῶν Γαβαιοτῶν· μᾶλλον δὲ πρόσχημα μὲν κατάρας ἦν, τὸ δὲ ἀληθὲς προφητεία. Οἱ ἀπὸ τοῦ Νῶε ἕως τοῦ Φαλὲκ, ὃς ἀπὸ τοῦ μερισθῆναι ἐπ' αὐτοῦ τὴν γῆν τὴν προσηγορίαν ἔλαβε ταύτην. Τότε γὰρ τὸν πύργον ψυχοδόμησαν, ὅθεν καὶ ὁ τόπος Βαβυλῶν προσηγορεύθη, ὃ ἐστὶ Σύγγυσις, ἐπειδὴ ἐκεῖ συνεχύθησαν αὐτῶν αἱ γλῶσσαι. Τὸν δὲ πατέρα τοῦ Φαλὲκ τὸν Ἔβερ λόγος ἔχει μὴ ὀμονοῆσαι τοῖς λοιποῖς εἰς τὴν τοῦ πύργου οἰκοδομήν, καὶ διὰ τοῦτο αὐτῷ τὴν λαλίαν μὴ ἀμειψθῆναι, ἀλλὰ μείναι αὐτὸν ἀκέραιον ἔχοντα τὴν διάλεκτον, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν ἐπωνυμίαν αὐτὴν λαβεῖν. Ἔβερ γὰρ ἐκείνου καλουμένου <sup>d</sup>, Ἐβραῖς αὐτῆ κέκληται, ὃ καὶ σημεῖόν ἐστι μέγιστον τοῦ πασῶν τῶν λαλῶν πρεσβυτέρων εἶναι τὴν Ἐβραϊδα· πρὶν γὰρ συγχυθῆναι τὰς γλώσσας, ταύτη πάντες ἐχέχρητο. Ἔστι δὲ ὁ Ἔβερ οὗτος πρόγονος Ἀβραάμ. Γενεαλογοῦνται δὲ ἀπὸ τοῦ Σὴθ ἕως τοῦ Ἀβραάμ. Λαμβάνει ὁ πατὴρ τοῦ Ἀβραάμ ὁ Θαρά τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ, τὸν τε Ἀβραάμ, καὶ τὸν Ναχώρ, καὶ τὸν ἔγγονον

<sup>b</sup> Vossianus codex παρευδοκιμασθῆνα. Utraque lectio admitti potest.

<sup>c</sup> In Coisl. male τοῦ δευτέρου μηνός.

<sup>d</sup> De Hebero hoc etiam supra dixit in Προβουρίῳ.

<sup>a</sup> Titulus in Lugdunensi cod. Σύνοψις ἐν ἐπιτόμῳ τῆς Παλαιᾶς Διαθήκης τοῦ Χρυσοστόμου. Γένεσις. Βιβλίον α'.

voluerunt; operibus vero, cum Abraham exhibetur filium offerens, et arietem jugulans. Hic enim rebus ipsis crucis imaginem præsignificat, atque cædem pro orbe futuram. Multas certe invenire est in Veteri Testamento hujusmodi figuras, prophetiasque per res exhibitas. Prophetiæ vero munus est, non modo futura dicere, sed etiam præterita, quod maxime apud Moysen deprehenditur. Quando enim de cælo et de terra loquitur, res quidem dicit præteritas et tempore obscuratas, sed prophetia hæc enuntiat. Quemadmodum enim prophetiæ est, res nondum gestas, quæque adhuc occultæ sunt annuntiare, sic et res gestas quidem, sed ob tempus occultas revelare, et in medium adducere, parem gratiam postulat. Ad prophetiam quoque pertinet res præsentis annuntiare, quando quidpiam efficitur, sed occultum est; ut accidit circa Ananiam et Sapphiram. Illic enim neque præteritum, neque futurum, sed res præsens, occulta tamen. Petrus ergo hæc per prophetiam revelans, in medium adducit. Sane quæ ad Vetus Testamentum pertinent, ut quis conferentim dicat, ejusmodi sunt. In Novo autem ea, quæ in Veteri ænigmata dicta sunt, exhibentur: de prophetiis loquor, quibus testimonium perhibent ipsa opera, nempe vitæ institutum ad cælum usque pertingens, arcana futurorum bona, *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt* (1. Cor. 2. 9). Novum quippe Testamentum hominem per Vetus acceptum, moderate et sensim a nequitia ad angelorum institutum adducit. Itaque Veteris quidem Testamenti opus erat hominem facere; Novi autem, hominem efficere angelum. Quandoquidem enim nequitia id effecit ut illud perderent quo homines erant, ipsosque in brutorum ignobilitatem dejecit, ac ferinos reddidit; lex quidem illos a tali malitia liberabat; gratia vero ipsis hanc angelicam virtutem addit. Sunt autem Novi Testamenti libri, Epistolæ quatuordecim Pauli (a), quatuor Evangelia, duo discipulorum Christi, Joannis et Matthæi, duo autem Lucæ et Marci: quorum alius Petri, alius Pauli discipulus fuit. Illi enim ipsis oculis Christum viderant, ac cum illo versati fuerant; hi vero ea quæ ex ipsis acceperant, aliis tradiderunt; itemque liber Actuum, qui etiam Lucæ est, narrantis ea quæ gesta sunt; et ex catholicis tres Epistolæ (b).

(a) Mirum hic videatur Epistolas quatuordecim Pauli ante Evangelia poni. Quantum amaret Paulum Chrysostomus, quam præ aliis omnibus Scripturæ sacræ libris ejus Epistolæ semper ore mentisque versaret, ignorat nemo qui scripta ejus vel primoribus labris attigerit. Ordinem ergo librorum Novi Testamenti hic non ordine recensuit, sed ut se primum menti offererent descripsit; sic Joannem ante omnes Evangelistas, et Lucam ante Marcum posuit. Catholicas Epistolas hic tres recenseri vides secundum Syrorum morem necnon Ecclesiæ Antiochenæ, ubi Jacobi una, Petri prima, Joannis item prima solum admittebantur. Qua de re pluribus supra in Diatriba verba fecimus.

(b) Nota, inquit scholiastes, ipsum non memorare Apocalypsim. Equidem hæc Scholiastis adnotatio aliquid negotii facere potest, quia Apocalypsim, amplum licet librum, a Joanne Chrysostomo usurpatam nondum reperi, nec de fuere, qui de ejus auctoritate in Ecclesia saltem Græca dubitaverint, Nicophorusque patriarcha Constantinopolitanus in Canone suo recensuit. Quin et in secundo Tomo Gregorii Kazianzeni in Catalogo librorum Scripturæ, qui ejus esse non putatur, hæc leguntur p. 194: Τὴν δ' Ἀποκάλυψιν

SYNOPSIS GENESIS<sup>1</sup>.

Mundi creatio; hominisque formatio. Mandatum accipit Adam, et formatur mulier ex costa ejus, quæ a serpente decepta, virum decipit, atque una cum illo maledicta ejicitur ex paradiso. Serpens quoque maledictum accipit, ut super pectus gradiatur. Caim occidit fratrem, quia laudabilius se gesserat, datque ille pœnas: posteaque liberos suscipit. Eva Sethum parit. Catalogus eorum qui ab Adamo et a Setho orti sunt usque ad Noe: hominumque criminatio ob indecora connubia, ac cæteras iniquitates. Filios Dei hic vocat eos qui a Setho genus ducebant (*Gen. 6. 2*); dicitur enim: *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (a) (*Psal. 81. 6*). Filias vero hominum vocat eas quæ a Caino ortæ erant. Prædicat Deus Noæ futuram hominum perniciem per diluvium, et jubet arcam construere, trecentorum cubitorum longitudine, quinquaginta cubitorum latitudine, et triginta cubitorum altitudine. Ut autem ingressus est in arcam, advenit diluvium quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Obtinuit aqua centum quinquaginta diebus. Apparuerunt autem cacumina montium primo die decimi mensis. Et post quadraginta dies emisit corvum, qui non reversus est: et post septem dies emisit columbam, quæ reversa est ramum olivæ gestans. Jubetur a Deo Noe egredi ex arca: et egressus Deo sacrificavit, et benedictus est cum filiis suis. Accepitque promissionem a Deo, non ultra futuram hujusmodi perniciem hominum per diluvium. Postea vero Senio quidem et Japhetho benedicit, maledicit autem Chanaanum, quia pater ejus Cham revelaverat nuditatem patris. Maledictio autem illa eventum habuit in Gabaonitis (b); imo potius specie quidem maledictio erat, sed revera prophetia. Hinc sequuntur qui ex Noe orti sunt usque ad Phalec, qui hoc nomen sortitus est, quia ejus tempore divisa fuit terra. Tunc enim turrim ædificavit, unde locus Babylon est appellatus, quod *Confusionem* significat, quia illic confusæ sunt linguæ eorum. Pater autem Phaleci Heber dicitur non consensisse cum cæteris circa ædificationem turris; ideoque ipsi loquelam non mutatam fuisse, sed mansisse illum

<sup>1</sup> Titulus in Lugdunensi Cod. sic habetur: *Brevis veteris Testamenti synopsis, auctore Chrysostomo. Genesis. Liber primus.*

(a) Hæc pluribus explicantur Tom. IV, Hom. 22 in Genesis, ubi probatur eos, qui a Setho orti erant, filios Dei vocari, et hic ipse locus Psalmi 81 afferitur: *Ego dixi, Dii estis.* Filias autem hominum filias esse Caini dicit paulo postea.

(b) Commentario in Isalam ad cap. 2, versu 4, hæc ipsa sic exprimit Chrysostomus: Οὐ μὴν οὐδὲ τὴν ἀρὰν διακρούσασαν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν Γαβαονιτῶν λαβοῦσαν τὸ τέλος τῶν ἐκ τοῦ Χάνσαν γεγονότων. Καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἀρᾶς προφητεία τὸ λεγόμενον ἦν. Quæ ipsissima hic quoque habentur: unde probari videatur hoc opus Chrysostomi esse. Hoc ipsum vero de Gabaonitis ait etiam Iulianus in synopsis libri Jesu, sive Josue.

τὴν Ἰωάννου πάλιν τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δὲ γὰρ νόθον λέγουσι. Verum hic scriptor non accurate loquitur. Nam Patrum Græcorum principes, Athanasius, in Canone suo p. 962, Basilius, Gregorius Naz., insuperque Hippolytus atque Methodius auctor Synopses inter Athanasii Opera, ad hæc autem tota Latina Ecclesiæ Apocalypsim inter authentica opera admiserunt. Quamobrem jure illa inter canonicas Scripturas locum habet. Vide Oecumenii opusculum in Biblioth. Coisliniana p. 278.

cum integra sua dialecto, quæ ab illo denominationem sortita sit. Nam cum ille Heber vocaretur, hæc Hebraica appellata est (a) : quod signum est maximum Hebraicam esse omnium linguarum antiquissimam. Antequam enim confunderentur linguæ, hæc omnes utebantur. Est autem hic Heber inter majores Abrahamæ. Assumit Thara pater Abrahamæ, filios suos Abraham et Nachor (b), et nepotem suum Lot, et venit in Charran, in animo habens inde proficisci in terram Chanaanæorum. Illoque mortuo in Charran, jubetur a Deo Abraham transmigrare ex Charran, et venit in Sychem in terra Chanaan. Et dixit ei Deus, semini ejus se daturum terram illam. Et ædificavit Abraham altare Deo, et fixit tabernaculum suum versus mare. Cum famas autem esset, descendens in Ægyptum præcepit uxori suæ, ut diceret se sororem ejus esse. Cum porro sustulisset eam Pharaos, et Dei ultionem expertus esset, reddidit illam Abrahamæ. Litigantibus invicem pastoribus Abrahamæ et Loti, ipsi habitatione separati sunt. Lot accepit Sodomitarum terram : Abraham vero ad quercum Mambre habitavit, promissionesque rursus a Deo accepit, ejus semen multitudine propagandum esse, et illam terram possessurum. Chodollagomor, quia ab ipso defecerant quinque reges Sodomiticæ terræ, qui ipsi prius servierant, assumptis secum tribus aliis regibus, bellum ipsis intulit, eosque in fugam versus captivos abduxit ; in quibus erat etiam Lot. His auditis Abraham, cum vernaculis suis trecentis octodecim, illos insequutus, eripuit fratris filium cum equitatu et mulieribus ; et Melchisedeco se benedicienti et afferenti panem et vinum, decimas dedit. Ideo ait Paulus (c) in epistola ad Hebræos : *Et Levi qui decimas accepit, decimatus est (Hebr. 7. 9)*. Regi Sodomorum roganti ut equitatum acciperet non annuit : *Ne dicas, inquit, Ego ditavi Abraham. (Gen. 14. 23)*. Tunc Deo ipsi dicente, *Mercus tua magna erit (Gen. 15. 1)*, filiorum orbitatem deplorat : rursusque audit, eum qui ex illo egressurus erat, ejus hereditatem accepturum esse, et semen ejus futurum sicut stellas cæli. Hic jacet illud : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (Gen. 15. 6)*. Sectiones (d) facit, et discit peregrinum futurum esse semen suum, et postea liberandum fore postquam depressum fuerit per quadringentos annos. Sara autem quia sterilis erat, dat Agarem Abrahamo, ut liberos susciperet ex illa. Cum autem hæc uterum gestaret, contra heram suam sese extulit : traditque illam Saræ Abraham, ut contumeliam ulcisceretur. Illa vero ab hera sua male accepta, a domo aufugit, ab angeloque jubetur ad domi-

nam suam redire ; promissionemque accipit semen ipsius multiplicandum esse : pueroque antequam nasceretur nomen imponit angelus, Ismael ipsum appellans. Peperit Agar Ismaelem, et Abraham cum nonaginta novem annorum esset, nomen mutavit. Non enim ultra Abram, sed Abraham vocatus est. Præcipit illi Deus ut circumcidatur cum tota domo : nomenque Saræ mutatur, vocaturque illa Sara. Accipit Abraham promissionem circa Isaacum. Apparet Abrahamo Filius Dei (a) cum duobus angelis, et ait illi : *Revertar ad te tempore isto ad horas : et habebit filium Sarra uxor tua (Gen. 18. 10)*. Abraham obsecrat Deum pro Sodomis. Duo angeli veniunt ad Lot. Instantes Sodomitæ perquirunt eos, et percutiuntur cæcitate. Abducto autem Loto angeli egrediuntur domo : et ipse quidem cum filiabus salvus confugit in Segor : uxor autem ejus facta est columna salis, quia retro respexit. Ut vero Sodomitarum regio incensa est, et Lot in montem se contulit, conceperunt ex illo duæ filix ejus, et major peperit Moab, junior vero Ammon : coitum vero cum patre per ebrietatis fraudem consequutæ sunt, putabant enim genus humanum defecisse. Peregrinatus est in Geraris Abraham, et Abimelech rex Gerarorum Saram accepit : Deo autem minas in ipsum intentante, sese purgabat ille dicens, putasse mulierem illam sororem ejus esse : sic enim ipsa dixerat. Reddidit vero illam Abraham cum donis. Tunc postquam reddita fuerat, peperit Isaacum. Ejicit autem domo ancillam cum filio ejus Ismaele. Abimelech porro pepigit cum Abrahamo fœdus, ut nihil injuriæ inter eos intercederet : et accipit ille septem agnas ab Abrahamo, in testimonium putei juramenti, ut palam esset illum Abraham esse. Jubetur Abraham filium offerre in holocaustum, et offert, immolaturque aries pro eo. Hæc porro figura erant œconomix quam pro nobis dispensaturus esset Christus. Moritur Sara, et empto loco Abraham ab Ephrone Chettæo, illic uxorem sepelit, mittitque servum, ut uxorem ducat Isaac ex Mesopotamia, præcipiens ne filium suum illo ducat, si noluerit mulier venire. Ut autem venit servus in urbem Nachoris, et signum petiit, quo virginem agnitus erat : signum autem illud erat, si præberet illa sibi et camelis suis aquam ad bibendum : exit Rebecca filia Bathuelis filii Nachoris : Nachor vero frater erat Abrahamæ. Cum dedisset autem ipsa illi et camelis suis potum, et dixisset ejuus esse filia, introducit virum et hospitio accipit. Ubi dixit ille cujus rei causa venisset, et petiisset ut sibi traderetur puella, id virginis arbitrio parentes reliquerunt. Illam annuentem assumens servus abscessit : fuitque illa uxor Isaaci. Sara defuncta, ducit Abraham uxorem Chetturam, et filios, quos ex illa susceperat, separavit ab Isaaco, muneribus affectos : opum vero suarum heredem fecit Isaacum, et mortuus est. Hic recensentur nomina filiorum Ismaelis, qui habitavit ab Evilat usque ad Sur. Cum Rebecca ste-

(a) Hoc ipsum de Hebero, etsi brevius, dicit Homil. 30 in Genes., Tom. IV, col. 379.

(b) In Hebræo, in Vulgata, et in Editione LXX dicitur Thare secum assumpsisse Abram et Lotum, non autem Nachorem. Sed hæc lectio in exemplari Chrysostomi haud dubie habebatur, ut videas Homil. 31 in Genes., Tom. IV, col. 282, vel *Δαὲς ὁμοῦ τῶν Ἰσραὴλ, καὶ τῶν Νεφελῶν, Ἐὶ ἀπέπερ τῆρα Ἀβραμ ἐτ Ναχὼρ*, etc., quod ipsum bis infra repetitur. Hinc porro Chrysostomo asseri videtur hæc Synopsis. Multas autem fuisse in exemplaribus LXX varietates Hieronymus et alii passim affirmant. Codex quoque Lugdunensis Nachorem etiam habet.

(c) Vide Homil. 35 in Gen., Tom. IV, col. 328.

(d) Sectiones animalium. Vide Gen. 15, 10.

(a) Filius Dei qui ab Abraham exceptus est, Dominus vocatur Homil. 42 in Genes., Tom. IV, col. 387. De filiabus Lot infra paucis dicit ea, quæ pluribus enarrata sunt Homil. in Genes. 44, col. 410-412.

rii. De iis qui in Christum credituri sunt, de generatione Christi secundum carnem : de mansuetudine credentium in eum. Perniciem Babylonis et alienigenarum vaticinatur. Pernicies Moabitarum. De Christo prophetia. Pernicies Damasci, et Israelis calamitas atque salus. Pernicies Ægypti. Per allegoriam prædicit ærumnas gentibus quæ Domino non crediderint, et de impietate eorum profliganda. Jubetur Isaias nudus ambulare. Bellum Medorum et Babyloniorum contra Idumæam et Arabiam. Postrema obsidio Jerosolymæ a Nabuchodonosore. Prædictio Somnæ penuario de pernicie ejus. Penuarii autem, id est, custodes pecuniarum in templo, ex sacerdotum numero erant. Pernicies Tyri, et salus postea, deque Ecclesiis allegorice. Pernicies Babylonis a Medis, et pro illa gratiarum actio Deo per prophetam. Prophetia de credentibus in Christum, de diaboli pernicie per Christum parata : de Christi secundum carnem adventu : de fide in Christum. Accusatur Israel, quod spem suam a Deo avellens, illam in Ægyptios transtulerit : ipsique mala prænuntiantur, ac postea res secundæ. Eodem loco prophetia habetur de Christi Ecclesia, de conversione gentium ad Christum, et de vastitate Jerosolymorum. De Ecclesiæ historia, quæ primo conspectu Idumæam et Jerusalem respicit, sed per anagogen sive reductionem, desolationem Judæorum et prosperitatem Ecclesiæ Christi. Historia de Senacherim. Prophetia de Joanne Præcursore, et de iis qui in Christum credituri erant. Dei potentia demonstratio, et accusatio Israelis, ut idola colentis, commemoratio beneficiorum populo collatorum. De ecclesiastica constitutione, deque idolorum infirmitate. De Christo prophetia, deque iis qui in ipsum credituri erant. Israeli exprobrat peccatorum causa. Ait ob eorum inobsequentiam calamitates ipsis illatas fuisse. De fide in Christum. Quod populum non sacrificare permiserit, et quod cultum illum per sacrificia non exigit. Item prophetia de iis qui in Christum credituri erant. Demonstratio imbecillitatis idolorum, et Dei potentia probatio. Pernicies Babylonis, et de duritia cordis Judæorum demonstratio, ac de bonis rebus prophetia. De Christo prophetia et consolatio Jerosolymæ. De apostolis et de Christo prophetia. De Christi secundum carnem ortu, de passione, resurrectione, et de multitudine credentium in ipsum. De Christo simul et de Israele secundum historiam, secundum anagogen vero de credentibus in Christum. Accusatio Judæorum idololatriæ causa, jejuniique eorum reprobatio, aliisque jejunii melioris declaratio. Deinde accusatio dolosorum operum, et consiliorum eorumdem, ac prophetia de credentibus in Christum. Prophetia de Christo, et de curationibus animarum et corporum ab ipso peractis, deque apostolis et de reliquis in ipsum credentibus. De passione. Et confessio prophetæ, quasi ex persona populi ; confutatio a Domino ipsorum incredulitatis, assumptioque credentium in illum, et accusatio idololatriæ Judæorum. De credentibus ex Judæis in Dominum nostrum Jesum Christum. Accusatio eorum qui futuræ vitæ non crediderunt.

SYNOPSIS EORUM, QUÆ IN JEREMIA PROPHETA DICUNTUR.

Prædictio malorum quæ per Nabuchodonosorem Israelis eventura sunt. Redargutio idololatriæ Israelis, et commemoratio beneficiorum Dei erga illos, et malorum, quæ passi sunt quod Ægyptiis fidem habuerint. Idolorum infirmitatis demonstratio, et reprehensio Israelitarum ob humanas victimas. Israelis accusatio, et ex comparatione cum illo Judæ scelerum exsuperantia prædictioque honorum Israeli, si conversus fuerit ad Deum : item confessio prophetæ, quasi ex persona populi. Ascensus Babyloniorum, et prophetæ lamentatio de futura vastatione, ipsiusque vastitatis descriptio. Accusatio populi, quod nullum habuerit ita justum, ut iram Dei placaret, et nequitia illorum demonstratio. Quod Jerusalem non debeat per Nabuchodonosorem a fundamentis subverti. Ascensus Babyloniorum, et accusatio inobsequentia Israelis, quod non sustinuerint audire prophetam. Accusatio pseudoprophetarum qui populum decipiebant : Jeremia namque dicente, bellum fore, ipsi dicebant fore pacem. Reprobatio sacrificiorum, et ascensus Babylonii, animique rebellis Judæorum confutatio. Hortatur Judam ut ad meliorem se frugem revocet ; id nisi faciant, paria passuros illos comminatur iis quæ Israel passus est : cohibetque Deus Jeremiam ne precetur pro illis. Reprobatio sacrificiorum, et accusatio inconsiderantia eorum, et humanarum victimarum, quas demonibus offerebant. Prædictio fore ut locus idoli ipsorum sepulcrum fiat, et ut aliqui occisorum sepulture non tradantur. Iterum de ascensu hostium, et lamentatio Jeremiæ de nequitia eorum. Accusatio Judæorum, ut corde incircumcisorum, et admonitio ne idololatriæ dent operam, ac quasi ex persona populi lamentatio de futuris malis, et accusatio a Deo facta. Hortatio ad Israelem ut Deo obediant, et accusatio patrum eorum, et quæ mala ipsis obventura sint. Cohibetur rursus Jeremias, ne precetur pro illis. Lamentatur propheta, quod insidiis appetatur a Judæis in Anathoth, prædicit ideo futurum ipsis esse interitum. Perizoma abscondere jubetur Jeremias, ac prædicit ipsos satianos malisque inebriandos esse. De pluvia defectu : cohibeturque propheta ne precetur pro ipsis : recusat Deus illorum holocausta, et jejunia, minaturque mala pseudoprophetis, quia dicebant non obventuras populo calamitates. Supplicat Deo : ille vero ait se non exauditurum esse, etiamsi Moyses et Samuel intercederent pro ipsis : sed daturum se illos in gladium et mortem, famem, captivitatem, et malorum descriptionem. Precatur Jeremias ut ultio sumatur de exprobrantibus sibi ; Deus autem ait illi : *Si eduxeris pretiosum a vili, quasi os meum eris (Jer. 15. 19)*. Jubetur Jeremias uxorem non ducere, neque lamentari, neque eorum quæ circa mortuos siebant participem esse cum Israelitis. De apostolis, de Christo prophetia : verba eorum, qui in ipsum credituri non erant, propheta prænuntiat, et contra illos precatur. Præcipitque Judæis, ut sabbatum servent. In domum figuli mittitur

propheta. *Finem*, inquit Deus, loquar de regno, ut illud auferam; et si conversi fuerint, non auferam. *Et finem loquar*, inquit, in gentem aut regnum, ut reedificetur. Et si malum fecerint, non faciam ego bona quæ loquutus sum ut facerem illis (Cap. 18. 7-10). Hoc autem caput contra Judæos utile erit, cum dicent, Dominum ipsis bona promississe; cum enim non crediderint Domino nostro Jesu Christo, ipsi sibi ipsis in causa fuere præsentium malorum. Insidias sibi a Judæis parandas propheta prædicit, et contra illos precatur, quoniam mala pro bonis retribuerunt. Jubetur Jeremias, accepta laguncula figlina, mala populi testificatus, lagunculam contere ante oculos eorum, et dicere: Sic conteretur Jerusalem. Et conjectus a Paschore in nervum, prophetat Paschori mala quæ ipsum exceptura erant. Deinde ægre fert eos qui ipsum traducunt, precaturque adversus illos, malediciteque dici suæ. Mittit Sedecias rex, ut discat a Jeremia num abscessurus a se sit Nabuchodonosor. Ille vero respondet, Deum bellaturum esse contra Judæos et contra regem Sedeciam. Si autem voluerit populus libens transire ad Nabuchodonosorem, ipsum salutem consequuturum, regemque non periturum esse, si a sua discedens nequitia, Dei præceptis attendere voluerit. Contra Joachim et Jechoniam et contra pastores prophetia ad Dominum, ac pseudoprophetarum accusatio. Bona Judæ prophetat: relicto autem populo in Jerusalem cum Sedecia per exemplum sicuum ascensum Nabuchodonosoris vaticinatur, omniumque gentium perniciem per hoc poculum significat. Jerosolymæ excidium prædicit. Comprehenditurque Jeremias occidentus a sacerdotibus, hocque periculum evadit. Jubetur propheta se vinculis circumdare, et legatis alienigenarum edicere, ut annuntient regibus suis subijci eos oportere Nabuchodonosori; minarique Deum mortem iis qui se ipsi non subijciant. Eandem exhortationem adhibet erga Sedeciam, et populum, et sacerdotes. Ananias vero pseudopropheta obsistebat Jeremiæ prophetæ dicens, vasa sacra reditura esse, necnon Jechoniam, qui erat filius Joachim fratris Sedeciæ. Et contrivit eatenas prophetæ. Mittitur ergo Jeremias ut mortem ipsi prædicat, in eo ipso anno futuram, quod etiam evenit. Vaticinatur mala pseudoprophetae Babylone versantibus, populoque longum captivitatis tempus, sed tamen reditum esse futurum. De his indignatur Sameas, qui increpat sacerdotem, quod non impedierit quominus Jeremias talia vaticinaretur. Ideo minatur Deus se illum esse perditurum. Deinde sermo consolatorius Israeli. Tempus declarat quo futurum est ut revertantur ex Babylone. Illud vero erat tempus Phasec, seu pascha, ut in Esdra reperire est, ipsos nempe in festo Azymorum reversos esse. Itaque manifeste Judæi mendacii convincuntur. Nam bona hic de ipsis descripta adhuc expectant, quæ jam venerunt. De infantibus ab Herode occisis. De Novo Testamento prophetia. Etiamque descriptam hoc loco urbis reedificationem adhuc expectant Judæi. At illa finem accepit, facta scilicet quando ex Babylone redierunt. Jubetur Jeremias emere agrum

patrui sui, et cum emisset, ait: Urbs tradita est, et jubes emere agrum. Deus autem ait illi, præsentia quidem mala propter peccata populi evenire: tempusque fore, cum rursus urbs inhabitabitur. Prædicit Sedeciæ, ipsum captum iri, et incusat eos quod æros quos libertate donaverant, rursus servire cogent: minaturque magnam fore calamitatem. Ideo præcipit filiis Jonadab, ut domum construant. Illi autem recusant. Jubetur Jeremias ea scribere omnia, quæ vaticinatus erat super Israel, ut vel sic formidarent, rursus audientes ea, quæ ipsos invasura erant mala: ille vero præcipit Barucho, ut hoc faciat, illeque fecit. Et cum scripisset, Judæis legit. Ut id audire principes, annuntiaverunt regi Joachim. Ille autem acceptum librum combussit. Jubeturque Jeremias alium scribere librum similem. Regique prophetat calamitates ob tale facinus. Vaticinatur excidium Jerusalem: et comprehenditur, injiciturque in carcerem Jeremias, indeque evocatus a Sedecia, dicit ei, capiendum ipsum fore, rogatque ne remittatur in carcerem. Arreptumque illum principes injiciunt in lacum cœni. Et eduxit eum inde Abdamelec. Ac rursus accersitus a rege, salutem ipsi prænuntiat, si velit sponte ad hostes exire; sin nolit, perniciem urbi toti, et ipsi ingentia mala. Cum autem non persuasisset illi ut exiret, ascendit barbarus, et capta est urbs cum Sedecia. Jeremiam vero benigne exceperunt principes Nabuchodonosoris. Abdameleco salutem prædicit. Cum autem princeps coquorum penes ipsos reliquisset, ut quo vellet irent, venit ad Godoliam, quem constituerat principem eorum qui relicti fuerant in Judæa. Convenerunt ad Godoliam qui per agros dispersi erant Judæi. Ismael occidit Godoliam et quosdam alios, et accipiens populum Godoliæ, abiit in regionem Ammonitarum. Ut autem vidit eum Joannan, unus de principibus, bene affectus erga Godoliam, aufugit Ismael cum octo viris tantum, populumque accepit Joannan. Qui precatus est Jeremiam, ut pro ipsis Deum rogaret; cum consuleret ipsis Jeremias ne in Ægyptum ingrederentur; mortem enim minari Deum si eo commigrarent: id eis non persuasit. Cum autem venissent in Taphnas, cohortatus est eos ne idola colerent. Contradicientibus illis prænuntiavit perniciem magnam, et regi Ægyptiorum perniciem Ægypti prædicit, necnon alienigenarum, item Moabitarum, Ammanitarum, Idumæorum, Damasci, et Elam, etiamque Babylonis, reditumque inde Judæorum prænuntiat. Quomodo excisa sit Jerusalem narrat, necnon quomodo ex dejecto statu in honorem proventus fuerit Joachim, qui sponte se eum matre sua dederat Nabuchodonosori.

SYNOPSIS EORUM QUÆ AB EZECHIELE PROPHETA DICTA SUNT.

Videt propheta visionem Cherubinoꝝ, jubeturque a Deo Israelitis loqui. Deportatur a Spiritu in captivitatem: excitaturque a Deo, ut cum fiducia et impigre tum iniquis tum justis viam ad vitam ductentem annuntiet, et Dei mandata declaret. Jubetur

Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἰτίοι ἐγένοντο τῶν παρόντων κακῶν. Τὴν κατ' αὐτοῦ γινόμενην ἐπιβουλὴν ὑπὸ Ἰουδαίων ὁ προφήτης προλέγει, καὶ κατεῦχεται αὐτῶν, ὅτι πονηρὰ ἀντὶ ἀγαθῶν ἀποδεύονται. Κελεύεται ὁ Ἱερεμίας βικῶν ὀστράκινον λαβῶν, καὶ διαμαρτυράμενος τὰ κακὰ τοῦ λαοῦ, συντριῖναι τὸν βικὸν κατ' ὀφθαλμούς αὐτῶν, καὶ εἰπεῖν· Οὕτω συντριβήσεται Ἱερουσαλήμ. Καὶ ἐμβληθεὶς ὑπὸ τοῦ Πασχώρ εἰς τὸν καταράκτην, προφητεύει τῷ Πασχώρ τὰ ἐκδεξόμενα αὐτῷ κακὰ<sup>a</sup>. Εἶτα ἀσχάλλει ἐπὶ τοῖς διασύρουσιν αὐτὸν, καὶ κατεῦχεται αὐτῶν, καὶ καταρᾶται τῇ ἡμέρᾳ τῇ αὐτοῦ. Πέμπτος Σεδεκίας ὁ βασιλεὺς μαθεῖν παρὰ Ἱερεμίου, εἰ ἀπειλεύσεται ἀπ' αὐτοῦ Ναβουχοδονόσορ. Ὁ δὲ φησιν, ὅτι ὁ Θεὸς πολεμήσει τοὺς Ἰουδαίους, καὶ τὸν βασιλέα Σεδεκίαν. Εἰ δὲ βούλοιο το ἰαδ; ἐκὼν προσχωρήσῃαι τῷ Ναβουχοδονόσορ, σωθήσονται αὐτὸν, καὶ τὸν βασιλέα δὲ οὐκ ἀπολείσθαι, εἰ τῆς οικείας ἀποστάς κακίας, τοῖς τοῦ Θεοῦ προστάγμασι προσέχειν ἐθέλοι. Κατὰ τοῦ Ἰωακείμ καὶ τοῦ Ἰεχονιά, καὶ κατὰ τῶν ποιμένων εἰς τὸν Κύριον προφρητία, καὶ τῶν ψευδοπροφητῶν κατηγορία. Χρηστὰ τῷ Ἰούδα προφητεύει. Τῷ δὲ ὑπολειφθέντι λαῷ ἐν Ἱερουσαλήμ μετὰ Σεδεκίου δὲ τοῦ ὑποδείγματος τῶν συκῶν προφητεύει τοῦ Ναβουχοδονόσορ τὴν ἄνοδον, καὶ πάντων τῶν ἐθνῶν τὴν ἀπώλειαν διὰ τοῦ ποτηρίου τούτου δηλῶν. Προαγορεύει [385] ἀπώλειαν τῆς Ἱερουσαλήμ. Καὶ συλλαμβάνεται ἐπὶ θανάτῳ Ἱερεμίας ὑπὸ τῶν ἱερέων, καὶ ἐκφεύγει τὸν κίνδυνον. Κελεύεται ὁ προφήτης περιθεῖναι ἑαυτῷ δεσμούς, καὶ τοῖς πρέσβεσι τῶν ἄλλοφύλων εἰπεῖν, ὥστε ἀπαγγεῖλαι τοῖς βασιλεῦσιν αὐτοῖς ὑποταγῆναι τῷ Ναβουχοδονόσορ· ἀπειλεῖν γὰρ τὸν Θεὸν θάνατον τοῖς μὴ ὑποτασσόμενοις αὐτῷ. Παραίνει δὲ ταύτην τὴν παραινέσιν καὶ τῷ Σεδεκίᾳ, καὶ τῷ λαῷ, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν. Ὁ δὲ ψευδοπροφήτης Ἀνανίας ἀνθίστατο Ἱερεμίᾳ τῷ προφήτῃ, λέγων, τὰ σκευῆ τὰ ἱερά ἐπανήξῃ, καὶ τὸν Ἰεχονιά, ὃς ἦν υἱὸς Ἰωακείμ ἀδελφοῦ Σεδεκίου. Καὶ συνέτριψε καὶ τοὺς κλοιοὺς τοῦ προφήτου. Πέμπεται τοίνυν ὁ Ἱερεμίας θάνατον αὐτῷ προλέγων ἐν αὐτῷ ἐκεῖνῳ τῷ ἐνιαυτῷ, ὡς καὶ συνέβη. Τὰ κακὰ τοῖς ἐν Βαβυλῶνι ψευδοπροφήταις προλέγει, καὶ τῷ λαῷ μακρὸν τὸν τῆς αἰχμαλωσίας χρόνον, ἀλλ' ὅμως ἔσεσθαι ἐπάνοδον. Ἐπὶ τούτοις ἠγανάκτει Σαμείας, καὶ ἐπιτιμᾷ τῷ ἱερεῖ, ὅτι οὐκ ἐκώλυσε τὸν Ἱερεμίαν τοιαῦτα προφητεύσαι. Διὰ τοῦτο ἀπειλεῖ ὁ Θεὸς ἀπολέσειν αὐτόν. Εἶτα λόγος πικρακλιτικὸς τῷ Ἰσραήλ. Δηλοῖ τὸν καιρὸν, καθ' ὃν ἐμελλον ἐπανερχεσθαι ἐκ Βαβυλῶνος. Οὗτος δὲ ἦν ὁ τοῦ φασέκ, καθὼς καὶ ἐν τῷ Ἔσδρα ἔστιν εὐρεῖν, ὅτι τῇ ἑορτῇ τῶν ἀζύμων ἐπανήθλον. Ὡστε φανερώς ἐλέγχονται ψευδόμενοι Ἰουδαῖοι. Τὰ γὰρ ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ γεγραμμένα περὶ αὐτῶν ἀγαθὰ ἔτι προσδοκῶσιν, ἄπερ ἦλθον. Περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων ὑπὸ Ἡρώδου. Περὶ τῆς Νέας Διαθήκης προφητεία. Καὶ τὴν ἐν τῷ τόπῳ δὲ τούτῳ οἰκοδομὴν γεγραμμένην τῆς πόλεως ἔτι προσδοκῶσιν Ἰουδαῖοι. Καὶ αὕτη δὲ τέλος ἔσχεν, ὅτε ἀνήθλον ἐκ Βαβυλῶνος γενομένη. Κελεύεται ὁ Ἱερεμίας ἀγοράσαι τὸν ἀγρὸν τοῦ πατραδέλφου αὐτοῦ, καὶ ἀγοράσας λέγει, ὅτι ἡ πόλις παρεδόθη, καὶ

κελεύειν<sup>c</sup> ἀγοράσαι ἀγρὸν. Ὁ δὲ Θεὸς φησὶ πρὸς αὐτόν· Τὰ μὲν παρόντα κακὰ διὰ τὰς ἀμαρτίας τοῦ λαοῦ· ἔσται καιρὸς, ὅτε πάλιν κατοικηθήσεται ἡ πόλις. Προλέγει τῷ Σεδεκίᾳ, ὅτι ἀλώσεται, καὶ ἐγκαλεῖ τοὺς δούλους, οὓς ἠλευθέρωσαν, πάλιν καταδουλωσάμενοις, καὶ ἀπειλεῖ μεγάλην ἔσεσθαι συμφορὰν. Διὰ τοῦτο κελεύει τοὺς υἱοὺς Ἰωναδὰβ ποιεῖν οἶκον. Οἱ δὲ παραιτοῦνται. Κελεύεται ὁ Ἱερεμίας γράψαι, ὅσα προεφῆτευσεν ἐπὶ Ἰσραήλ, ἵνα οὕτω γοῦν φοβηθῶσιν, ἀκούσαντες πάλιν τὰ μέλλοντα αὐτοὺς διαδέχεσθαι κακὰ. Ὁ δὲ προστάσσει τῷ Βαρούχ, τοῦ ποιήσαι, καὶ ἐποίησε. Καὶ γράψας ἀνέγνω τοῖς Ἰουδαίοις. Ὡς δὲ ἤκουσαν οἱ ἄρχοντες, ἀνήγγειλαν τῷ βασιλεῖ Ἰωακείμ. Ὁ δὲ λαβῶν τὸ βιβλίον καταέκαυσε. Καὶ κελεύεται Ἱερεμίας ἕτερον γράψαι βιβλίον τοιοῦτον. Καὶ προφητεύει τῷ βασιλεῖ συμφορὰς διὰ τὸ τόλμημα τοῦτο. Προφητεύει τὴν ἄλυσιν Ἱερουσαλήμ· καὶ συλλαμβάνεται καὶ ἐμβάλλεται εἰς δεσμωτήριον ὁ Ἱερεμίας, καὶ μεταπεμφθεὶς ἐκεῖθεν ὑπὸ Σεδεκίου, λέγει αὐτῷ, ὅτι ἀλώσεται, καὶ ἀξιοῖ ὥστε μὴ παραπεμφθῆναι εἰς τὸ δεσμωτήριον. Καὶ λαβόντες αὐτὸν οἱ ἄρχοντες ἐνέβαλον εἰς τὸν λάκκον τοῦ βορβόρου. Καὶ [386] ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐκεῖθεν ὁ Ἀβδαμελέκ. Καὶ μεταπεμφθεὶς πάλιν ὑπὸ τοῦ βασιλέως, προαγορεύει αὐτῷ σωτηρίαν, εἰ βουληθεῖν ἐκὼν ἐξελεῖν πρὸς τοὺς πολεμίους· εἰ δὲ μὴ βουληθεῖν; ὀλεθρον πάση τῇ πόλει, καὶ αὐτῷ μέγала κακὰ ἔσεσθαι. Ὡς δὲ οὐκ ἔπεισεν ἐξελεῖν, ἀνήλθεν ὁ βάρβαρος, καὶ ἔαλε τὴν πόλιν μετὰ Σεδεκίου. Καὶ τῷ Ἱερεμίᾳ εὐ ἐχρήσαντο οἱ ἄρχοντες τοῦ Ναβουχοδονόσορ. Τῷ Ἀβδαμελέκ προαγορεύει σωτηρίαν. Αὐτοὺς δὲ λαβόντας ἀρῆσιν παρὰ τοῦ ἀρχιμαγείρου, ὥστε ἀπελθεῖν ὅπου βούλοιντο, ἐρχεται πρὸς Γοδολίαν, ὃν κατέστησεν ἄρχοντα τοῖς ὑπολειφθεῖσιν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. Συνήχθησαν πρὸς Γοδολίαν οἱ διεσπαρμένοι ἐν τοῖς ἀγροῖς Ἰουδαῖοι. Ἰσμαὴλ ἀναιρεῖ τὸν Γοδολίαν, καὶ ἐτέρους τινὰς, καὶ λαβῶν τὸν λαὸν τοῦ Γοδολίου, ἐπορεύθη εἰς τὴν Ἀμμωνίτιν χῶραν ὁ Ἰσμαὴλ. Ὡς δὲ εἶδεν αὐτὸν ὁ Ἰωάνναν, εἰς τις τῶν ἀρχόντων, εὐνοϊκῶς διαχειόμενος πρὸς Γοδολίαν, ἔφυγε μετὰ τῶν ὀκτώ μόνων ἀνδρῶν ὁ Ἰσμαὴλ, καὶ τὸν λαὸν ἔλαβεν ὁ Ἰωάνναν. Ὡστε δεηθῆναι τοῦ Θεοῦ περὶ αὐτῶν δεθηθεὶς, καὶ συμβουλεύσας αὐτοῖς μὴ εἰσελθεῖν εἰς Αἴγυπτον (θάνατον γὰρ ἀπειλεῖν τὸν Θεόν, εἰ μετοικήσαιεν<sup>d</sup> ἐκεῖ), οὐκ ἔπεισεν. Ἐπεὶ δὲ ἦλθον ἕως Τάφνας, παραινέει αὐτοῖς μὴ εἰδωλολατρεῖν. Ὡς δὲ ἀντέλεγον, προαγορεύει αὐτοῖς ὀλεθρον μέγαν, καὶ τῷ βασιλεῖ τῶν Αἰγυπτίων τὴν ἀπώλειαν Αἰγύπτου προλέγει, καὶ τῶν ἄλλοφύλων, τὴν ἀπώλειαν Μωαβιτῶν λέγει, καὶ Ἀμμωνιτῶν καὶ Ἰδουμαίων, τὴν ἀπώλειαν Δαμασκοῦ καὶ Ἐλάμ προλέγει, καὶ τὴν ἀπώλειαν Βαβυλῶνος, καὶ τὴν ἄνοδον τῶν Ἰουδαίων τὴν ἐκεῖθεν. Πῶς ἔαλε Ἱερουσαλήμ προλέγει, καὶ ἀπὸ ἀτιμίας εἰς τιμὴν ἦλθε Ἰωακείμ, ὁ ἐκὼν προσχωρήσας τῷ Ναβουχοδονόσορ μετὰ τῆς μητρὸς αὐτοῦ.

*Σύνοψις τῶν τῷ προφήτῃ Ἱεζεκιήλ εἰρημῶν.*

Ὁρᾷ τὴν ὀπτασίαν τῶν Χερουβιμ ὁ προφήτης, καὶ κελεύεται λαλήσαι τοῖς Ἰσραηλιταῖς παρὰ τοῦ Θεοῦ.

<sup>a</sup> Melius legeretur τὰ ἐκδεξόμενα αὐτὸν κακὰ.

<sup>b</sup> Ms. Coisl. male κατὰ τοῖς ἐν Βαβυλῶνι, εἰς.

<sup>c</sup> Forte κελεύεις, quanquam κελεύειν ferri potest et legitur in Coisl.

<sup>d</sup> Coisl. μετοικήσαιεν.

Φέρεται ὑπὸ τοῦ Πνεύματος εἰς τὴν αἰχμαλωσίαν, καὶ παρορμαῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸ μετὰ παρῶ-  
 σίας καὶ ἀόκως τοῖς τε ἀνόμοις καὶ τοῖς δικαίοις τὴν  
 εἰς τὴν ζωὴν φέρουσαν διαγγέλλειν, καὶ τὰς τοῦ Θεοῦ  
 προμηνῦναι ἐντολάς. Κελεύεται ἐγκλιεῖσαι ἑαυτὸν, καὶ  
 τῆς Ἱερουσαλήμ πολιορκίαν προμηνῦσαι διὰ τοῦ ὑπο-  
 δείγματος τῆς πλίνθου καὶ τοῦ τηγάνου. Κελεύεται  
 δὲ καὶ ἐπὶ ἐν πλευρῶν κοιμηθῆναι ἡμερῶν ἀριθμὸν,  
 φανερῶν τὴν ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ ἐσομένην τῷ λαῷ  
 θλίψιν. Προλέγει διὰ τῶν ἄρτων, οὓς ἐπὶ βολδίτων  
 ποιεῖ, καὶ διὰ τοῦ μερισμοῦ τῶν τριῶν τὸν θάνατον  
 αὐτῶν καὶ τὴν διασκορπᾶν καὶ τὴν ἐρήμωσιν τῆς πό-  
 λεως καὶ τῶν εἰδῶλων προστιθησιν. Ὁρᾷ τὰς ἀνομίας  
 τοῦ λαοῦ καὶ τὴν εἰδωλολατρείαν. Μετὰ ταῦτα τοὺς  
 ἔως ὀλέθρου τῆς πόλεως ἐλθόντας. Ὁρᾷ δὲ πάλιν τὰ  
 Χερουβὶμ, καὶ προλέγει τῇ πόλει κακὰ. Περὶ τῶν εἰς  
 Χριστὸν πιστευόντων. Προμηνῦει τὴν αἰχμαλωσίαν  
 αὐτοῖς τοῦ λαοῦ τὴν ἐπὶ Σεδεκίου, καὶ τὴν αὐτοῦ Σε-  
 δεκίου τύφλωσιν τὴν ὑπὸ τοῦ Ναβουχοδονόσορ γενομέ-  
 νην. Προλέγει, μὴ εἰς μακρὸν χρόνον ἐκδήσεσθαι τὰ  
 κακὰ, ἀλλ' ἐγγὺς εἶναι. Ἀπειλεῖ τοῖς ψευδοπροφήταις,  
 [587] καὶ ἀπαράτητα αὐτῶν φησι τὰ κακὰ εἶναι,  
 ἅπερ ὑποστήσονται· ὡς μηδὲ Ἰώβ, ἢ Δανιήλ, ἢ Ἰωὴ  
 τοῦς υἱοὺς αὐτῶν δύνασθαι ρύσασθαι· καὶ τὴν εἰς τέ-  
 λος ἐρήμωσιν αὐτῶν διὰ τῆς κληματίδος τῆς ἀμπέλου  
 δηλοῖ. Διηγείται τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ λαοῦ τὴν ἐξ  
 ἀρχῆς, πρὶν ἢ προσλαβέσθαι αὐτὸν τὸν Θεὸν, καὶ  
 τὴν εὐπρέπειαν τὴν μετὰ τὸ προσλαβέσθαι· καὶ τὴν  
 εἰδωλολατρείαν αὐτοῦ, καὶ τὴν διὰ ταύτην αὐτοῖς  
 διαδεξαμένην ἄλωσιν, καὶ μεγάλας δεικνυσιν αὐτῆς  
 τὰς ἀνομίας ἀπὸ συγκρίσεως Σοδόμων καὶ Σαμαρείας,  
 οὕσας καὶ καθ' ἑαυτὰς μεγάλας. Δύναται δὲ τὰ χρη-  
 στὰ, ἃ προλέγει, τὸ, *Ἀναστήσω τὴν διαθήκη μου*  
*μετὰ σοῦ*, περὶ τῶν εἰς Χριστὸν πιστευόντων λέγε-  
 σθαι. Τὴν ἄνοδον τοῦ Ναβουχοδονόσορ προλέγει. Πρὸς  
 τοὺς λέγοντας· *Οἱ πατέρες ἐξαγον τὸν ὄμψακα,*  
*καὶ οἱ ὀδόντες τῶν τέκνων ὠμοδιάσαν.* Περὶ τῆς  
 μητρὸς τῶν περὶ Σεδεκίαν τὸν βασιλεῖα. Διαμαρτύ-  
 ρεται τοὺς πρεσβυτέρους τὰς ἀνομίας τῶν πατέρων  
 αὐτῶν. Τὸ δὲ, *Δίδει ἐπὶ τοῦ δρους μου τοῦ ἄγρου*, ἐπ'  
 δρους ὑψηλοῦ Ἰσραὴλ λέγει· Ἀδωνὰ, Κύριε. ἐκεῖ  
 δουλεύουσίν μοι πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ εἰς τέλος, εἰς  
 τοὺς πιστεύοντας τῷ Χριστῷ δύνασθαι· λαμβάνε-  
 σθαι. Ἐπὶ Θεμᾶν, καὶ ἐπὶ Ἰσραὴλ, καὶ ἐπὶ υἱοὺς  
 Ἀμμών. Καὶ τὰς ἀνομίας καὶ τὰς ἀμαρτίας λέγει  
 τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ τῶν ἱερέων, καὶ τῶν ἀρχόντων καὶ  
 ψευδοπροφητῶν. Καὶ ἐξήτουν, φησὶν, ἄνδρα ἀνα-  
 στροφέμενον ἐρώδης, καὶ ἐστῶτε ἐν δικοπῇ στρα-  
 γμοῦ πρὸ προσώπου μου ἐν καρῶ τῆς γῆς, τοῦ  
 μὴ εἰς τέλος ἐξαλεῖψαι αὐτόν· καὶ οὐχ εὔρον.  
 Περὶ τῆς εἰδωλολατρείας τοῦ λαοῦ Ἰσραὴλ τῆς ἐν  
 Αἰγύπτῳ, καὶ τῆς μετὰ ταῦτα, καὶ τῶν συμφορῶν.  
 Καὶ ἐτι οὕτε πένθος ποιῆσαι σύγχωρηθήσονται ἐπὶ  
 τοῖς σμβαίνουσι χαλεποῖς. Κατὰ Ἀμμανιτῶν καὶ  
 Ἰδομαίων, καὶ ἄλλοφύλων, καὶ τῆς Σῶρ, ἢν Τύρον  
 λέγουσιν εἶναι. Προλέγει συμφορὰς μεγάλας, κατὰ  
 τοῦ ἀρχοντος Τύρου καὶ Σιδῶνος, καὶ Αἰγύπτου, καὶ  
 τοῦ Αἰγυπτίων βασιλέως. Ἀπειλεῖ τῷ σκοπῷ τοῦ  
 λαοῦ, εἰ μὴ προσέποι τῷ λαῷ, οὐ τέθειται σκοπὸς πρὸς  
 εἰς παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐπιφερομένας συμφορὰς. Καὶ

\* Forte δύναται

λέγει, ὡς μήτε ἄνομον ἀπόλλυσθαι διὰ τὰς προτέρας  
 ἀνομίας, ἐὰν ἐπιστρέψῃ τοῦ ποιῆσαι τὰ ἀρετὰ τῷ  
 Θεῷ· μήτε δικαίον σώζεσθαι, διὰ τὰς προτέρας ἀ-  
 καιοσύνας, ἐὰν μεταβληθεὶς γένηται ἄνομος καὶ ἀ-  
 κος. Ἥθλῃ τις πρὸς τὸν προφήτην ἀπαγγέλλων, ὅτι  
 ἐάλω Ἱερουσαλήμ· λέγει δὲ καὶ περὶ τούτου ἐγκάλων,  
 ὅτι μὴ προσέχωσι τοῖς προφητευομένοις. Προφητεῖ  
 δὲ καὶ κατὰ τῶν ποιμένων τοῦ Ἰσραὴλ· καὶ ἐπι-  
 γέλλεται δώσειν αὐτοῖς ἕνα ποιμένα· ὅπερ ἐπὶ τοῦ  
 Ζοροβάβελ γέγονεν, ὅπερ καὶ αὐτὸ ἀναστραφέντων  
 Ἰουδαῖοι ἐύπω γεγενῆσθαι φασί· γέγονε δὲ, ὡς ἔφη,  
 ἐπὶ Ζοροβάβελ. Προφητεῖ κατὰ Ἰδομαίων καὶ τοῖς  
 Ἰσραηλιταῖς χρηστὰ, ἅπερ φησὶν ὁ Θεὸς ποιῆσειν  
 Ἰουδαίοις, οὐκ ἐπιθεῖ ἀξιοὶ εἶναι, ἀλλ' ἵνα μὴ τὸ ὄνομα  
 αὐτοῦ βεβληθῇ. Ἄγεται ὁ προφήτης εἰς τὸ [388]  
 πεδῖον, καὶ προφητεῖ ἐπὶ τὰ ὀστά τὰ ξηρά. Προφ-  
 τεῖ δὲ καὶ περὶ τοῦ Ζοροβάβελ, ὅτι εἰς ἀρχὸν ἔσται  
 Ἰουδαίων· δύναται δὲ εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν  
 Χριστὸν λαμβάνεσθαι. Προφητεῖ καὶ περὶ Γῶγ καὶ  
 Μαγῶγ ἐπελθόντων τοῖς Ἰουδαίοις μετὰ τὴν ἐπίκασον  
 τὴν ἐκ Βαβυλώνας, καὶ ἠττηθέντων. Τινὲς δὲ ἀλλη-  
 γορικῶς λαμβάνουσιν εἰς τὰς Ἐκκλησίας, καὶ εἰς τὴν  
 διάβολον, καὶ τοὺς κατὰ καιρὸν διωγμοὺς ἐπενεχέν-  
 τας ὑπὸ ἀεσθῶν βασιλέων. Προφητεῖ δὲ τοῦ καὶ  
 τὴν οικοδομὴν, καὶ τὴν ἀποκατάστασιν τῆς νομιστῆς  
 λατρείας· ἅπερ καὶ αὐτὰ προσδοκῶσι μὲν ἐτι Ἰου-  
 δαῖοι· ἐξέβη δὲ ἐπὶ Ἔσδρα καὶ Ζοροβάβελ. Τὴν αὖ  
 οικοδομὴν τῆς πόλεως, ἢν προλέγει, καὶ τὸ ὕδωρ τὸ  
 κατὰ μικρὸν ἐκπορευόμενον καὶ αὐξανόμενον, δύνα-  
 ται ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας ἐπὶ τὸν Χριστὸν λαμβά-  
 νεσθαι, νεκροὺς ὄντας πρὶν ἢ πιστεῦσαι, μετὰ δὲ αὐ-  
 πιστεῦσαι ζωοποιουμένους.

#### Σύνοψις τῶν τῷ προφήτῃ Δανιὴλ εἰρημένων.

Ἐκλέγονται οἱ περὶ τὸν Δανιήλ, καὶ παραδίδονται  
 τῷ ἀρχιτεχνούχῳ, καὶ σιτοῦνται σπέρματα· καὶ παρα-  
 στάντες τῷ βασιλεῖ, πάντων ἀνεδείχθησαν σοφώτεροι·  
 Ὁρᾷ τὸ ἐνύπνιον Ναβουχοδονόσορ, καὶ τοὺς μάγους  
 ἀπορήσαντας γνωρίσαι καὶ ἐπιλύσαι αὐτὸ κελεύει  
 σφαγῆναι. Κινδυνεύσαντας δὲ καὶ τοὺς περὶ Δανιήλ  
 ἔσωσεν ὁ Θεός, ἀποκαλύψας αὐτῷ τῷ Δανιήλ τὴν ἐπι-  
 σιν τοῦ ἐνυπνίου. Ὁ Δανιήλ εἰσαχθεὶς λέγει τὸ ἐνύ-  
 πνιον τῷ βασιλεῖ καὶ τὴν σύγκρισιν αὐτοῦ. Ὁ δὲ λί-  
 θος ὁ τμηθεὶς ἄνευ χειρῶν ὁ Χριστός ἐστι· τὸ δὲ ἄνευ  
 χειρῶν, τὸ χωρὶς συνουσίας ἐκ τῆς Παρθένου αὐτὸν  
 τεχθῆναι. Στήσας τὴν εἰκόνα Ναβουχοδονόσορ, κελεύει  
 προσκυνεῖν πάντας, καὶ τοὺς τρεῖς παῖδας εἰς τὴν  
 κάμινον ἐμβάλλει μὴ προσκυνήσαντας. Ὡς δὲ οἱ περὶ  
 τὴν κάμινον ἀνηρέθησαν, καὶ ὕμνον οἱ παῖδες τὸν  
 Θεὸν, καλέσας αὐτοὺς, καὶ ἰδῶν σώους, τὸν τε Θεὸν  
 ἐξεπλάγη, καὶ αὐτοὺς ἀρχῇ τῇ τῶν Ἰουδαίων ἐτί-  
 μησε, καὶ δόγμα ἔθηκε, τὸν βλασφημοῦντα εἰς τὸν  
 Θεὸν ἀπόλλυσθαι. Ὁρᾷ ἐνύπνιον Ναβουχοδονόσορ· καὶ  
 τῶν σοφῶν Βαβυλώνας πάλιν διατηρησάντων, ἐπιλύει  
 αὐτὸ ὁ Δανιήλ, συμβουλεύει τε τῷ βασιλεῖ, τὰς ἀνο-  
 μίας αὐτοῦ ἐν ἐλεημοσύναις λυτρώσασθαι. Καὶ οὐ  
 μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἐξέβη τὸ ἐνύπνιον· καὶ ἤνωσ  
 τὸν Θεὸν ὁ Ναβουχοδονόσορ. Τῶν σκευῶν τῶν ἱερα-  
 τικῶν ἐξενεχθέντων κατὰ πρόστασιν τοῦ βασιλέως  
 υἱοῦ Ναβουχοδονόσορ, καὶ τῶν ἐστρωμένων εἰς αὐτὰ  
 πινόντων, ἐξῆλθεν ἀστράγαλος χειρὸς, καὶ ἔγραψεν  
 ἐν τῷ τοίχῳ γραφῆν, ἢν καὶ αὐτὴν τῶν σοφῶν Βαβυ-

includere, et Jerosolymæ obsidionem prænuntiare per exemplum lateris et sartaginis. Jubetur item in unum latus dormire certo dierum numero, declarans calamitatem populo futuram in captivitate. Prædicat per panes, quos ex stercore boum facit, et per divisionem capillorum mortem eorum ac dispersionem; urbis item atque idolorum devastationem adjicit. Videt iniquitates populi, et idololatriam. Deinde eos qui usque ad exitum urbis devenierunt. Videt rursum Cherubinos, et mala urbi prænuntiat. De iis qui in Christum credituri erant. Prædicat rursum captivitatem populi, quæ sub Sedecia accidit, et Sedeciam excæcatum iri a Nabuchodonosore. Prædicat mala non post diuturnum tempus eventura, sed prope esse. Minatur pseudopropheta, ipsisque indeprecabilia esse quæ passuri sunt mala denuntiat; ita ut nec Job nec Daniel nec Noe ipsorum filios possint eruere: et extremam illorum vastitatem per lignum vitis declarat. Enarrat populi turpitudinem ab initio, antequam Deum amplexus esset, et decorem postquam amplexus est: idololatriamque ejus, et excidium quod propter eam invasit ipsos; magnas ostendit ejus iniquitates ex comparatione Sodomorum et Samariæ, quæ etiam per seipsas erant ingentes. Possunt autem bona, quæ prædicat, nempe, *Suscitabo testamentum meum tecum* (Ezech. 16. 62), de credentibus in Christum intelligi. Ascensum Nabuchodonosoris prænuntiat. Adversus eos qui dicebant: *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (Ezech. 18. 2). De matre Sedecia regis. Testificatur senioribus iniquitates patrum suorum. Illud autem, *Quia super montem sanctum meum, de monte excelso Israel dicit: Adonai, Domine, illic servient mihi omnis domus Israel in finem* (Ezech. 20. 40. in Græc.), de credentibus in Christum potest accipi. De Theman, de Israel, et de filiis Ammon. Iniquitates et peccata Israelis recenset, sacerdotum, principum et pseudoprophetarum. *Et quærebam, inquit, virum recte versantem et stantem in fractura maceriae (a) ante faciem meam in tempore terræ, ut ne in finem delearem eum: et non inveni* (Ezech. 22. 30). De idololatria populi Israel in Ægypto et postea, ac de calamitatibus. Atque insuper neque luctum agere permittentur super contingentibus malis. Contra Ammanitas et Idumæos, et alienigenas, et Sor, quam dicunt esse Tyrum. Prædicat calamitates magnas contra principem Tyri et Sidonis, et Ægyptum, Ægyptiorumque regem. Minatur speculatori populi, nisi prædixerit populo, cuius constitutus est speculator ad calamitates a Deo illatas. Ac dicit, neque iniquum perire ob priores iniquitates, si conversus fuerit ad faciendum ea quæ Deo sunt placita; neque ju-

stum salutem consequi ob priorem justitiam, si mutatus, iniquus injustusque evaserit. Venit quispiam ad prophetam, nuntians captam fuisse Jerusalem: dicit autem hac de re incusans, quod non attendant iis quæ a prophetis prædicantur. Vaticinatur porro contra pastores Israelis: promittitque dandum esse pastorem unum; id quod sub Zorobabele factum est, id quod etiam Judæi impudenter dicunt nondum evenisse; evenit tamen, ut dixi, sub Zorobabele. Vaticinatur contra Idumæos, et Israelitis bona prædicat, quæ Deus ideo se Judæis collaturum dicit, non quod illi digni sint, sed ne nomen ejus profanetur. Ducitur propheta in campum, et prophetat super ossa arida. Prophetat item de Zorobabele, quod futurus sit unus Judæorum princeps: potest autem de Domino nostro Jesu Christo accipi. Vaticinatur etiam de Gog et Magog, qui Judæos invasuri erant post reditum ex Babylone, quique victi fuerunt. Quidam autem id allegorice accipiunt de Ecclesiis, et de diabolo, deque persecutionibus quæ vario tempore illatæ sunt ab impiis Imperatoribus. Vaticinatur item templi constructionem, et restitutionem legalis cultus: quæ etiam expectant Judæi; sed ea evenerunt tempore Esdræ et Zorobabelis. Constructio autem templi, quam prædicat, et aqua quæ paulatim egrediebatur et augebatur, potest accipi de iis qui ad Christum conversi sunt, qui mortui erant antequam crederent, viventes autem facti sunt postquam crediderunt.

SYNOPSIS EORUM QUÆ A DANIELE PROPHETA DICTA  
SUNT.

Eliguntur Daniel et socii, et traduntur archieuncho, atque leguminibus vescuntur: et adstantes regi omnium sapientissimi deprehensi sunt. Videt somnium Nabuchodonosor, et magos, qui non poterant somnium indicare et interpretari, jubet occidi. Periclitantes quoque Daniele et socios servavit Deus, cum Danieli somnii notitiam per revelationem dedit. Introductus Daniel somnium regi dixit ejusque interpretationem. Lapis autem sine manibus excisus Christus est; sine manibus vero, quia sine concubitu ex virgine natus est. Erectam a se statuum Nabuchodonosor jubet omnes adorare, et tres pueros qui adorare nolebant in fornacem injicit. Ut autem illi qui circa fornacem erant interfecti sunt, et pueri Deum canticis celebrarent, ubi ipsos evocavit rex et incolentes vidit, de Dei potentia stupore percussus, ipsos principatu Judæorum honoravit, decretumque dedit, ut quisquis in Deum blasphemaret, morte plecteretur. Videt somnium Nabuchodonosor: et cum sapientes Babylonis rursum lærerent, ipsum solvit Daniel, regique auctor est, ut iniquitates suas eleemosynis redimat. Nec diu postea somnii exitus evenit; laudavitque Nabuchodonosor Deum. Sacris templi vasis jussu Baltasaris regis filii Nabuchodonosoris eductis, cum in illis potarent convivæ, exiit articulus manus, qui exaravit in muro scripturam, quam etiam cum non possent sapientes Babylonis explicare, Daniel legit et interpretatus est; indutusque est purpura, circumposteruntque ei tor-

(a) Illud, פְּרָצָה, in fractura maceriae (ἐν διακοπή φραγμοῦ), non est in exemplaribus hodiernis, sed ex Origenis Hexaplis adjunctum fuerat, ut nos in Hexaplis addidimus. Totus locus in Editionibus hodiernis LXX sic habetur: Καὶ ἐζητούν ἐξ αὐτῶν ἀνδρα ἀναστρεφόμενον ὁρθῶς, καὶ ἐστῶτα πρὸ προσώπου μου ὁλοσχερῶς ἐν τῷ καιρῷ τῆς ὀργῆς. Melius exemplar Chrysostomi, ἐν τ. κ. τῆς γῆς. In Hebræo autem legitur, פְּרָצָה הָאֲרֶצַּה, pro terra. Septuaginta vero legerunt ΠΥΛΗ, in tempore.

quem aureum, prædicaveruntque eum esse tertium principem in regno. Cum regnaret Darius Medus, Daniele principe constituto, cogitur a tribunis et satrapis decretum promulgare, ut quicumque intra triginta dies aliquid vel ab homine quopiam vel a deo peteret, præterquam a rege, in lacum leonum injiceretur. Quo facto, cum observassent Danielem precari Deum, ipsum calumniantur, coguntque regem ad injiciendum illum in lacum. Cum injecisset autem, ubi postea accessit et saluum reperit, illum eduxit e lacu: illos autem qui ipsum in lacum injici curaverant cum uxoribus perdidit, leonibus objectos. Decretumque promulgavit, ut omnes Deum timerent. Videt ferarum visionem, per lænam, regnum Assyriorum, per ursum, Medorum et Persarum, per pardum, Macedonum, per quartam feram, Romanorum. Vaticinatur etiam de Christo, et de Antiocho impio. Illic enim est cornu parvum, quod excussit tria priora. Vaticinatur quomodo Alexander Macedo regnum Persarum solvit; arietem dicens regem Persarum, hircum Alexandrum Macedonem. Ultima visio hic de regina austri dicitur in libro Machabæorum reperi. Belum decutit et draconem occidit; in lacum projicitur et servatur, et qui in causa erant, quod conjectus fuisset, injiciuntur et devorantur a leonibus.

## OSEE.

Jubetur accipere uxorem meretricem, et nascentes infantes vocare *Jezeael*, *Non misericordiam consequutam*, et *Non populus meus* (*Osee 1. 4. 6. 9*). Et accusat populum de fornicatione, prædicatque illi perniciem, et opes quasdam post perniciem. Illud autem, *Disponam testamentum cum bestiis agri, et desponsabo in fide* (*Osee 2. 18*), potest accipi de credentibus in Christum. Jubetur accipere uxorem fornicariam, Judæorum desolationem declarans, ipsosque accusat de multis magnisque peccatis, tam populum, quam sacerdotes. Criminator quoque eorum ebrietatem, fornicationem, et iracundiam. Incusat quod spem a Deo transferentes, in Assyrios contulerint, et Ægyptiis confisi sint. Vaticinaturque eis ultionem. Dicit Ephraimum cum per auxilia sibi præstita fortis evasisset, rebus secundis citra decorum usum esse. Ostendit Deus suam circa Israelitas sollicitudinem, illorumque erga se ingratum animum: et calamitates ipsi prædicat.

## JOEL.

Corruptionem fructuum terræ narrat, et hortatur ut Deum sibi propitium reddant. Vaticinatur ascensum Assyrii: postea vero bona quædam prænuntiat. Quod apostolis accidit circa varias linguas prædicat. Vaticinatur etiam gentium perniciem, quæ post reditum ex Babylone sub Zorobabele contigit. Hic porro locus allegoriam continet.

## AMOS.

Prædicat iniquitates Damasci, Gazæ, Tyri, Idumæorum, Ammanitarum, Moabitarum, Judæ et Israe-

lis, et pœnas quæ illos excepturæ sunt. Numeratur beneficia a Deo in Judæos collata, illorumque negligentia et contemptus, atque ærumnæ quæ illos exspectant. Prædicat circa mulieres Samariæ, illas ebrietatis et rapinæ accusans. Vaticinatur famem et dissolutionem eo quod non converterentur, et quod multis affecti plagis non meliores evaderent. Incusat Israeliam, quod eos qui se redarguebant moleste ferrent: et hortatur ut convertantur ad Deum. Incredulis comminatur futura mala. De illis porro ait: *Væ qui desiderant diem Domini* (*Amos 5. 18*). Aliqui vero id retulerunt ad futurum judicium: ut quidam incredulorum nunc dicunt: Non erit judicium; quod si futurum est, veniat. Reprobatio festorum illorum, sacrificiorum et psalteriorum. Stellam dei Raphan<sup>1</sup> Saturnum dicit: quoniam gentiles dei sui Saturni stellam esse dicunt in cælo, quam etiam Saturnum vocant. Dicit autem, *Num victimas et sacrificia obtulistis mihi annis quadraginta* (*Amos 5. 25*)? Neque enim populus obtulit, sed soli principes, cum stetit tabernaculum. Hic de toto populo loquitur. Accusat etiam illos de immoderato cibo, et calamitates ipsi prædicat. Per locustas, et testamentum, et adamantem, eorum necem vaticinatur: cumque hæc Amesie regi significasset, hic prophetam vi repulit et abegit. Ille vero ipsi et populo mala prædicat. Et videt vas acupis; per hoc autem ipsos capiendos esse indicat. Iniquitates et violentias eorum enumerat, et mala ipsos invasura. Illud autem: *Occidet sol meridie* (*Amos 8. 9*), de tempore passionis Christi vaticinatur. Prædicat etiam de credentibus in Christum.

## ABDIAS.

Ultionem de Idumæis sumendam prædicat, quam subiere, quia cum reliquis hostibus invaserunt Israelitas. De Ecclesia.

## JONAS.

Jonas propheta narrat fugam in Tharsis, tempestatem, deglutitum se a cæto, et ejectum, pœnitentiam Ninivitarum, servatam cucurbitam, crescentem et pereuntem complectitur.

## MICHÆAS.

Futuram desolationem Samariæ et Jerosolymæ prædicat, causamque adjicit. Subjungit etiam eorum reditum ex Babylone, crimina et accusationes principum populi et sacerdotum, atque pseudopphetarum. De Ecclesia credente in Dominum nostrum, et de Novo Testamento: nam prior lex præteritura erat: et de pace. Mala rursus Judæis prædicantur. De Christi secundum carnem generatione, et de iis qui in ipsum credituri sunt. *Et erit residuum Jacob* (*Mich. 5. 7*): quod ait Paulus apostolus, *Quod relictum erit salvabitur* (*Rom. 9. 27*). Judicium Domino adversus populum suum, et beneficiorum ejus enumeratio, re-

<sup>1</sup> In Edit. Rom., *Raphan*, legitur. In Hebraico רָפָן exprimitur. Hieronymus vero CHION. Abenezra quoque dicit esse Saturnum, ut Chrysostomus. In Act. Apostolorum legitur, 7, 43, *Stylus dei vestri Remphan*.



λῶνος ἀπορῶντων ἐπιγνώναι, ὁ Δανιὴλ ἐπέγνω, καὶ ἐπέλυσε, καὶ ἐνεδύθη πορφύραν, καὶ περιέθηκον αὐτῷ μανιάκην χρυσοῦν, καὶ ἐκτίρυξαν αὐτὸν τρίτον ἄρχοντα εἶναι ἐν τῇ βασιλείᾳ. Βασιλευσας Δαρείος ὁ Μῆδος, καὶ καταστήσας ἄρχοντα τὸν Δανιὴλ, ἀναγκάζεται ὑπὸ τῶν τακτικῶν καὶ σατραπῶν δόγμα κυρῶσαι, ὥστε τὸν αἰτοῦντα παρὰ ἀνθρώπου ἢ θεοῦ αἴτημα, πλὴν παρὰ τοῦ βασιλέως, εἰσὼ τριάκοντα ἡμερῶν, ἐμβληθῆναι εἰς τὸν [389] λάκκον τῶν λεόντων. Καὶ τούτου γενομένου, παρατηρήσαντες τὸν Δανιὴλ εὐχόμενον τῷ Θεῷ, διαβάλλουσι, καὶ καταναγκάζουσι τὸν βασιλέα ἐμβαλεῖν αὐτὸν εἰς τὸν λάκκον. Ἐμβαλῶν δὲ, καὶ προσελθὼν, καὶ σῶον εὐρῶν, τὴν μὲν ἀνήγαγε τοῦ λάκκου, τοὺς δὲ βάλλοντας αὐτὴν μετὰ τῶν γυναικῶν ἀπώλεσε τοῖς λέουσι παραδοῦς. Καὶ δόγμα ἔθηκε, πάντας φοβεῖσθαι τὸν Θεόν. Ὁρᾷ τὴν ὄρασιν τῶν θηρίων, διὰ μὲν τῆς λαϊνῆς τῆν Ἀσσυρίων βασιλείαν, διὰ δὲ τῆς ἄρκτου, τῶν Μήδων καὶ Περσῶν, διὰ δὲ τῆς παρθάλευς, τῶν Μακεδόνων, διὰ δὲ τοῦ τετάρτου θηρίου, τῶν Ῥωμαίων. Προφητεύει δὲ καὶ περὶ τοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ Ἀντιόχου τοῦ ἀσεβοῦς. Οὗτος γάρ ἐστι τὸ κέρας τὸ μικρόν, τὸ ἐκτινάξαν τρία τῶν ἑμπροσθεν. Προφητεύει πῶς Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν κατέλυσε τὴν βασιλείαν Περσῶν· τὸν μὲν κρῖν τὸν βασιλέα Περσῶν λέγων, τὸν δὲ τράγον Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα. Ἡ δὲ ἐσχάτη ὄρασις ἐνταῦθα, περὶ τῆς βασιλείας νότου φησὶν ἐν τῷ βιβλίῳ τῶν Μακκαβαίων εὐρίσκεισθαι. Τὸν Βῆλ κατασπᾷ, καὶ τὸν δράκοντα ἀναιρεῖ· εἰς τὸν λάκκον ἐμβάλλεται καὶ διασώζεται, καὶ οἱ αἵτιοι τοῦ ἐμβληθῆναι αὐτὸν ἐμβάλλονται καὶ ἀναλίσκονται ὑπὸ τῶν λεόντων.

#### Ὁσηέ.

Κελεύεται λαθεῖν γυναῖκα πόρνην, καὶ τὰ τιχτόμενα παῖδια ὀνομάσαι *Ἰσραὴλ*, *Ὀὐκ ἠλεσημένην*, καὶ *Ὀὐ λαός μου*. Καὶ ἐγκαλεῖ τῷ λαῷ πορνείαν· καὶ προλέγει αὐτῷ ἀπώλειαν, καὶ χρήματά τινα μετὰ τὴν ἀπώλειαν. Τὸ δὲ, *Διαθήσομαι διαθήκην μετὰ τῶν θηρίων τοῦ ἀγροῦ, καὶ μνηστεύσομαι ἐν πίστει*, δύναται λαμβάνεσθαι εἰς τοὺς πιστεύοντας τῷ Χριστῷ. Προτάσσεται λαθεῖν γυναῖκα μοιχαλίδα, μηνύων τὴν ἐρήμωσιν τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἐγκαλεῖ αὐτοῖς πολλὰ καὶ μεγάλα ἁμαρτήματα, τῷ τε λαῷ καὶ τοῖς ἱερεῦσι. Διαβάλλει τε αὐτοὺς καὶ εἰς μέθην, καὶ εἰς μοιχείαν, καὶ εἰς θυμόν. Ἐγκαλεῖ ὅτι τὴν ἐλπίδα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ μεταγαγόντες, ἐπὶ Ἀσσυρίους ἤλπιζον, καὶ Αἰγυπτίους ἐθάβρουν. Καὶ προλέγει αὐτοῖς τιμωρίας. Λέγει ὅτι διὰ τὸ βροθεῖσθαι γενόμενος ἰσχυρὸς ὁ Ἐφραῖμ, οὐκ εἰς δέον ἐχρήσατο τῇ εὐπραγίᾳ. Δείκνυσιν ὁ Θεὸς τὴν τε ἑαυτοῦ περὶ τοὺς Ἰσραηλίτας κηδεμονίαν, καὶ τὴν ἐκείνων περὶ αὐτὸν ἀγνωμοσύνην· καὶ προλέγει αὐτοῖς συμφοράς.

#### Ἰωήλ.

Διαφθορὰν λέγει τῶν τῆς γῆς καρπῶν, καὶ παραινέει ἐξιλεῶσθαι τὸν Θεόν. Τὴν ἄνοδον τοῦ Ἀσσυρίου προλέγει· προφητεύει δὲ καὶ μετὰ ταῦτα χρηστά τινα. Τὸ συμβᾶν ἐπὶ τῶν ἀποστόλων τὸ τῶν γλωσσῶν προλέγει. Προφητεύει δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν ἀπώλειαν τὴν γενομένην μετὰ τὴν ἐπάνοδον τὴν ἐκ Βαβυλῶνος ἐπὶ Ζοροβάβελ. Ἐχει δὲ καὶ ἀλληγορίαν τὸ χωρίον τοῦτο.

\* In mss. male Ἄμως.

#### Ἄμως.

[390] Τὰς ἀνομίας Δαμασκοῦ, Γάζης, Τύρου, Ἰουμαίων, Ἀμμανιτῶν, Μωαβιτῶν, Ἰούδα καὶ Ἰσραὴλ προλέγει, καὶ τὰς διαδεξιμένας αὐτοὺς τιμωρίας. Τὰς εὐεργεσίας τὰς εἰς τοὺς Ἰουδαίους γενομένας ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀπαριθμεῖται, καὶ τὴν αὐτῶν ὀλιγωρίαν καὶ καταφρόνησιν, καὶ τὰ περιμεινόμενα αὐτοὺς χαλεπά. Πρὸς τὰς γυναῖκας τῆς Σαμαρείας εἰς μέθην, εἰς ἀρπαγὴν διαβάλλων προλέγει. Προλέγει λιμὸν καὶ διάλυσιν διὰ τὸ ἀνεπίστροφον, καὶ ὅτι πολλὰ πληγέντες, οὐκ ἐγένοντο βελτίους. Ἐγκαλεῖ τῷ Ἰσραὴλ, ὅτι πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας αὐτοὺς ἐδυσχεραίνων, καὶ παραινέει ἐπιστρέφαι πρὸς τὸν Θεόν. Ἀπειλεῖ δὲ καὶ τοῖς ἀπιστοῦσι, ὅτι ἤξει τὰ κακά. Περὶ αὐτῶν γάρ φησιν· *Ὅσαι οἱ ἐπιθυμοῦντες τὴν ἡμέραν Κυρίου*. Τινὲς δὲ αὐτὸ ἐξέλαβον εἰς τὴν μέλλουσαν κρίσιν· ὡς καὶ ἂν τῶν ἀπίστων λεγόντων, ὅτι οὐκ ἔσται κρίσις· εἰ δὲ ἔστιν, ἐλθέτω. Παραίτησις τῶν ἑορτιῶν αὐτῶν, καὶ τῶν θυσιῶν καὶ ψαλτηρίων. Ἄστρον θεοῦ Ῥαφᾶν τὸν Κρόνον λέγει· ἐπειδὴ οἱ Ἕλληνες τῷ θεῷ αὐτῶν Κρόνον καὶ Ἄστρον εἶναι φασιν ἐν οὐρανῷ, καὶ αὐτὸ Κρόνον καλοῦσι. Λέγει δὲ, *Μὴ σφίγρια καὶ θυσίας προσηγάκατέ μοι ἐτη τεσσαράκοντα*; Οὐδὲ γάρ προσήνεγκεν ὁ δῆμος, ἀλλὰ μόνοι οἱ ἄρχοντες, ὅτε ἔστη ἡ σκηνή. Ἐνταῦθα τὰ περὶ παντὸς τοῦ λαοῦ λέγει. Διαβάλλει δὲ αὐτοὺς καὶ εἰς ἄμετρον τροφήν, καὶ προλέγει αὐτοῖς συμφοράς. Διὰ τῶν ἀκρίδων, καὶ τῆς διαθήκης, καὶ τοῦ ἀδάμαντος, τὴν σφίγγην αὐτῶν προφητεύει, καὶ δηλώσας Ἀμεσία τῷ βασιλεῖ ταῦτα, βιάζεται τὸν προφήτην καὶ ἀπλάυνει. Ὁ δὲ καὶ αὐτῷ προλέγει κακά καὶ τῷ λαῷ. Καὶ ὁρᾷ ἄγος Ἰεζουτοῦ, καὶ διὰ τούτου τὴν σύλληψιν αὐτῶν. Τὰς ἀδικίας αὐτῶν καὶ τὰς βίας ἀπαριθμεῖται, καὶ τὰ μέλλοντα διαδέξεσθαι αὐτοὺς κακά. Τὸ δὲ, *Δύσεται ἡλιος μεσημβρίας*, εἰς τὸν καιρὸν τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ προλέγει. Περὶ τῶν εἰς Χριστὸν πιστευόντων προλέγει.

#### Ἄβδιου ε.

Τὴν τιμωρίαν τῶν Ἰουμαίων προλέγει, ἣν ὑπέστησαν διὰ τὸ συνεπιθέσθαι τοῖς Ἰσραηλίταις μετὰ καὶ τῶν λοιπῶν πολεμίων. Περὶ Ἐκκλησίας.

#### Ἰωνᾶς.

Ἰωνᾶς ὁ προφήτης τὴν εἰς Θαρσεῖς φυγὴν, τὸν κλύδωνα, τὴν ὑπὸ τοῦ κήτους κατάποσιν, καὶ τὴν ἐκβολὴν, τὴν μετάνοιαν τῶν Νινευιτῶν, τὴν σωτηρίαν τῆς κολοκύνθης, τὴν ἀνάδοσιν, καὶ τὴν ἀπώλειαν περιέχει.

#### Μιχαίας δ.

Τὴν ἐσομένην ἐρήμωσιν Σαμαρείας καὶ Ἱερουσαλήμ προλέγει, καὶ τὴν αἰτίαν προστίθησι. [391] Συνάπτει δὲ καὶ τὴν ἄνοδον αὐτῶν τὴν ἐκ Βαβυλῶνος, ἐγκλήματα, κατηγορίας τῶν ἀρχόντων τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἱερέων, καὶ ψευδοπροφητῶν. Περὶ τῆς Ἐκκλησίας τῆς πιστευούσης εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν, καὶ περὶ τῆς Νέας Διαθήκης. Ὁ γὰρ πρότερος νόμος ἐκεῖνα ἐξῆλθε· καὶ περὶ τῆς εἰρήνης. Καὶ κακὰ πάλιν τοῖς Ἰουδαίοις προλέγεται. Περὶ τῆς κατὰ σάρκα τοῦ Χριστοῦ γεννήσεως, καὶ περὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστευόντων. Καὶ ἔσται τὸ ὑπόλειμμα τοῦ Ἰακώβ· ὃ λέγει Παῦλος ὁ

<sup>a</sup> In mss. perperam Μιχαίας.

<sup>b</sup> His prorsus similia habes supra Comment. in Isaiam cap. 5. v. 29.

<sup>c</sup> In mss. hic Ἰωήλ pro Ἀβδιου ponitur male.

<sup>d</sup> Hic in mss. perperam Ἀβδιου ponitur pro Michæa.

<sup>e</sup> Illud, ἐκεῖνα ἐξῆλθε, corruptum omnino est, nec video quomodo possit locus restaurari.

ἀπόστολος, τὸ ἐγκατάλειμμα σωθήσεται. Κρίσις τῷ Κυρίῳ πρὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, καὶ τῶν εὐεργεσιῶν αὐτοῦ ἀπαρίθμησις, καὶ παραίτησις θυσιῶν. Ἀποδύρεται ὁ προφήτης ὡς τῶν δικαίων καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐκλειπόντων. Καὶ πρὸς τῷ τέλει μετὰ τὸ ἐγκαλέσαι καὶ ἀπειλήσαι συμφορὰς μεγάλας, χρηστὰ προμηνύει τῷ Ἰσραήλ.

Ναοῦμ.

Περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως διαλέγεται· περὶ τῶν ἀποστόλων προλέγει. Προστίθῃσι δὲ καὶ τὴν ἀνοὴν Βαβυλωνίων κατὰ Νινευιτῶν κατακράτος αἰχμαλωσίαν. Λέγει δὲ καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς καὶ τὸν πλοῦτον, ὃν εἶχε πρὶν αἰχμαλωτευθῆναι.

Ἔως ὧδε εἶχε τὸ ἀντίγραφον.

## MONITUM

inter spūria Athanasii opera Homiliam dedimus, p. 410, cujus initium est Græcè, Μυστήριον ξένον βλέπω, hoc est, *Mysterium novum video*, cum titulo, Εἰς τὴν γέννησιν τοῦ Χριστοῦ, hoc est, *In generationem Christi*. Initium porro illud idipsum est quod hujus, quæ Chrysostomi nomine circumfertur, homiliæ: nec initium modo, sed etiam alia non pauca hinc et inde ex hac homilia decerpit is, qui illam Athanasii nomine consarcinavit. Hæc autem de qua nunc agimus homilia ævo certissime Chrysostomi emissa fuit: nam Cyrillus libro ad Reginas, qui inter Ephesinæ Synodi Acta cusus etiam reperitur, ex hac homilia quædam Chrysostomi nomine profert testimonia, quorum primum his verbis effertur: « Joannis episcopi Constantinopolitani de divina generatione. » Loquitur autem de sancta Virgine. « Loco solis, inquit, justitiæ solem incircumscripse complexa fuit. Ac ne quæras quomodo; ubi enim vult Deus, ibi naturæ ordo vincitur. Voluit enim, potuit, descendit, salvavit; omnia Dei nutum sequuntur. Hodie qui est gignitur, et qui est, fit id quod non erat; nam cum Deus esset, fit homo; ab ea tamen, quam habebat, deitate non excidit. Neque enim cum deitatis jactura factus est homo, neque per profectum ex homine factus est Deus: sed Deus existens propter impassibilitatem, caro factus est,

Εἰς τὸ γενέθλιον τοῦ Σωτήρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Λόγος<sup>α</sup>.

Μυστήριον ξένον καὶ παράδοξον βλέπω· ποιμένες μου περιχοῦσι τὰ ὦτα, οὐκ ἔρημον (sic) συρίζοντες μέλος, ἀλλ' οὐράνιον ᾄδοντες ὕμνον. Ἄγγελοι ᾄδουσιν, ἀρχάγγελοι μέλπουσιν, ὕμνεῖ τὰ Χερουβιμ, δοξολογεῖ τὰ Σεραφίμ, πάντες ἐορτάζουσι Θεὸν ἐπὶ γῆς ἐρώντες, καὶ ἀνθρωπων ἐν οὐρανοῖς· τὸν ἄνω κάτω δι' οἰκονομίαν, καὶ τὸν κάτω ἄνω διὰ φιλανθρωπίαν<sup>β</sup>. Σήμερον Βηθλεὲμ τὸν οὐρανὸν ἐμιμήσατο· ἀντὶ μὲν ἀστέρων ἀγγέλους ὕμνουσιντας δεξαμένη, ἀντὶ δὲ ἡλίου τὸν τῆς δικαιοσύνης ἀπεριγράπτως χωρήσασα. Καὶ μὴ ζῆτει πῶς· ὅπου γὰρ βούλεται Θεός, νικᾶται φύσεως τάξις. Ἡβουλήθη γὰρ, ἡδυνήθη, κατῆλθεν, ἔσωσε· σύνδρομα τὰ πάντα τῷ Θεῷ. Σήμερον ὁ ὦν

τίχεται, καὶ ὁ ὦν γίνεται ὅπερ οὐκ ἦν· ὦν γὰρ Θεός, γίνεται ἀνθρωπος, οὐκ ἐκστὰς τοῦ εἶναι Θεός. Οὐδὲ γὰρ κατ' ἕκστασιν θεότητος γέγονεν ἀνθρώπος, οὐδὲ πάλιν κατὰ προκοπὴν ἐξ ἀνθρώπου γέγονε Θεός· ἀλλὰ Λόγος ὦν, διὰ τὸ ἀπαθὲς σὰρξ ἐγένετο, ἀμεταβλήτου μενουσῆς τῆς φύσεως. Ἄλλ' ὅτε μὲν ἐτέθη, Ἰουδαῖοι ἠρνούντο τὸν ξένον τόκον, καὶ Φαρισαῖοι παρηρμήνευον τὰς θείας Βίβλους, καὶ γραμματεῖς ὑπεναντία τοῦ νόμου ἐλάλουν. Ἡρώδης τὸν τεχένης ἐζήτηι, οὐχ ἵνα αὐτὸν τιμήσῃ, ἀλλ' ἵνα αὐτὸν ἀπολέσῃ. Σήμερον γὰρ<sup>γ</sup> πάντα ὑπεναντία εἶδον. Οὐκ ἐκράβη γὰρ, κατὰ τὸν ψαλμῶδον, [393] ἀπὸ τῶν τέκτων αὐτῶν εἰς γενεὰν ἐτέραν. Βασιλεῖς μὲν γὰρ ἦλθον, τὸν ἐπουράνιον βασιλεῖα θαυμάζοντες, ὅτι πῶς ἐπὶ γῆς ἦλθεν οὐκ ἀγγέλους ἔχων, οὐκ ἀρχαγγέλους, οὐ

<sup>α</sup> Cod. Reg. 1832, sic titulum habet, Λόγος εἰς τὸ γενέθλιον τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτήρος.

<sup>β</sup> Hæc sic invertuntur in Reg. τὸν ἄνω κάτω διὰ φιλανθρωπίαν, καὶ τὸν κάτω ἄνω δι' οἰκονομίαν.

<sup>γ</sup> Savill. δέ.

probatioque sacrificiorum. Luget propheta quasi iustis et bonis viris deficientibus. Et in fine post accusationem et comminationem magnarum calamitatum, bona prænuuntiat Israeli.

**NAMUM.**

De potentia Dei disserit : de apostolis prædicat.

Adjicit autem invasionem Babyloniorum contra Niniuitas, horum captivitatem. Enarrat ejus potentiam et divitias, quas habuit antequam caperetur.

*Hactenus exemplar habebat (a).*

(a) Hæc est librarii Codicis Coisliniani nota qua significatur opus imperfectum esse, et exemplar suum illo desiderare.

**AD HOMILIAM IN NATALEM CHRISTI DIEM.**

immutata manente natura. His porro subjungit alia quædam, quæ num. 2 leguntur : *Qui in solio sublimi præcelsoque considet, is in præsepio ponitur : impalpabilis, simplex, incorporeus, humanis manibus contrectatur : qui peccatorum vincula dirumpit, fasciis constringitur.*

His conspectis testimoniis atque locis, quis non credat rem esse confectam, homiliamque Chrysostomo incunctanter fuisse adjudicatam? Verum secus res cessit. Nam Savilius eam inter *dubia* locavit. Fronto Ducæus inter spuria edidit. Tillemontius vero putat laudatam a Cyrillo Chrysostomi nomine homiliam, Chrysostomi esse oportere : sed arbitratur hanc, quam nunc habemus, homiliam esse centonem, ubi is qui illam variis ex locis consarcinavit, ut facilius fucum faceret, duo illa loca a Cyrillo allata inseruerit. Quodque observatu dignum est, ait Cyrillus in loco superius allato, *justitiæ solem incircumscripse complexa fuit*, dici de sancta Virgine, hic autem de Bethlehem dicuntur; quod sane centonem esse suadeat, modo Athanasio, modo Chrysostomo tributum.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

**IN SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI NATIVITATEM ORATIO (a).**

(b) *Mysterium novum et admirabile video : pastorum vocibus aures meæ circumsonant, qui non leni cantu sibilant, sed cælestem hymnum concinunt. Angeli canunt, archangeli modulantur, Cherubim hymnum dicunt, Seraphim glorificant, omnes festum celebrant, dum in terris Deum, et hominem in cælis cernunt : eum qui sursum est, propter dispensationem deorsum versari; eum qui deorsum erat, propter benignitatem sursum nunc versari<sup>1</sup>. Hodie Bethlehem cælum imitata est : quæ stellarum quidem loco angelos canentes excepit, solis autem loco justitiæ solem incircumscripse complexa fuit. Neque hic quæsieris, quomodo hoc factum*

*sit : ubi enim Deus vult, ibi naturæ ordo cedit. Voluit enim, potuit, descendit, salvavit; omnia Dei nutum sequuntur. Hodie qui est, gignitur, et rursus qui est, fit id quod non erat : nam cum Deus esset, fit homo; ab ea tamen, quam habeat, deitate non excidit. Neque enim cum deitatis jactura factus est homo, neque rursus per succedentia incrementa ex homine factus est Deus; sed Verbum existens, natura propria ob sui impatibilitatem manente immutata, factum est caro. Quando autem natus est, Judæi quidem inusitatum partum negabant, Pharisei vero perperam sacros libros interpretabantur, et scribæ quæ legi erant contraria loquebantur; Herodes eum qui natus erat, quærebat, non ut eum honore afficeret, sed ut eum interficeret. Hodie namque contraria cuncta cernebant. Non enim occultata sunt, ut cum Psalmorum auctore loquar, a filiis eorum in generationem alteram (Psal. 77. 4). Siquidem reges venerunt, et cælestem Regem*

<sup>1</sup> Hæc sic invertuntur in Reg., *eum qui sursum est, propter benignitatem deorsum versari; eum qui deorsum erat, propter dispensationem sursum nunc versari.*

(a) Collata cum Codice Reg. 1832, qui sic titulum habet, *Sermo in nativitatem Domini et Dei et Salvatoris.*

(b) Citatur hic locus in Concilio Ephesino.

suspexerunt, quod in terram venerit, non angelos secum habens, non archangelos, non thronos, non dominationes, non virtutes, non potestates, sed nova et minime trita incedens via ex illibato processit utero: nec tamen angelos suæ gubernationis exsortes dereliquit, neque propter incarnationem suam a sua excidit deitate: sed reges quidem venerunt; ut cælestem Regem gloriæ adorarent, milites autem, ut Principem exercitus colerent: mulieres, eum qui ex muliere natus est, ut mulieris dolores in lætitiâ commutet: virgines, filium Virginis, admirantes qui fiat ut lactis conditor, qui efficit ut uberum fontes spontanea fluentia diffundant, a Virgine matre pueruli alimentum accipiat: infantes, eum qui factus est infans, ut ex ore infantium et lactentium laudem perciperet (*Math. 21. 16; Psal. 8. 3*): pueri, puerum, qui martyres ob Herodis insaniam effecit: viri, cum qui homo factus est, ut servorum malis mederetur: pastores, bonum pastorem, qui animam pro ovibus suis ponit: sacerdotes, eum qui factus est Pontifex secundum ordinem Melchisedec (*Hebr. 7. 17; Psal. 109. 4*): servi, eum qui servi formam accepit, ut nostram servitutem honore libertatis ornaret (*Philipp. 2. 7*); piscatores, eum qui ex piscatoribus hominum efficit venatores: publicani, eum qui ex publicanis selectum evangelistam designat (*Math. 9. 9*); meretrices, eum qui lacrymis meretriciis pedes suos exponit; atque ut complectar brevi, peccatores omnes advenerunt, ut agnum Dei cernerent, qui tollit peccata mundi, (a) [magi ut eum satellitio suo cingant, pastores, ut eum benedicant, publicani, ut Evangelium prædicent, meretrices, ut unguenta deferant, Samaritana, ut fontem vitæ sitiât, Chananæa, ut indubitatam fidem exhibeat]. Quam igitur omnes exultent, et mihi quoque placet exultare, choreas agere volo, festumque celebrare: porro choreas ago, non citharam pulsans, non thyrsum quatiens, non tibias inflans, non faces accendens, sed musicorum instrumentorum loco Christi cunarum fascias gestans. Hæ namque mihi sunt spes, hæ mihi vita, hæ mihi salus, hæ mihi tibiæ, hæ mihi cithara: propterea et ipsas gestans advenio, ut earum virtute facultatem sermonis adeptus cum angelis dicam, *Gloria in altissimis Deo; cum pastoribus, Et in terra pax, in hominibus beneplacitum* (*Luc. 2. 14*). Hodie qui ex Patre ineffabiliter genitus est, ex Virgine propter me inexplicabili modo nascitur. Sed tum quidem secundum naturam ante secula genitus est ex Patre, prout novit ille, qui genuit: hodie vero rursus ex Virgine præter naturam natus est, prout Spiritus sancti novit gratia. Et superna ejus generatio vera est, et inferior ejus generatio minime falsa: et vere Deus ex Deo genitus est, et vere homo idem ex Virgine natus est. Sursum solus ex solo Unigenitus, deorsum solus ex sola Virgine idem Unigenitus. Sicut enim in superna generatione matrem intelligere impium est: sic in inferiori generatione patrem existimare blasphemum est. Pater absque defluxu genuit, et Virgo sine corruptione peperit: nam neque defluxum sustinuit Pa-

(a) Quæ uicinis clauduntur, desunt in Reg.

ter; quippe qui, prout conveniebat Deo, genuit: neque Virgo corruptionem sustinuit pariendo; quippe quæ spiritualiter peperit. Unde neque superna ejus nativitas explicari potest, neque progressus ejus in novissimis temporibus curiose pervestigari se sinit. Nam Virginem quidem hodie peperisse scio, et Deum sine tempore genuisse credo: modum autem generationis silentio didici venerari, non oratione curiose illam inquirendam accipi. Siquidem in Deo non rerum natura est attendenda, sed ejus, qui operatur, virtuti fides habenda. Lex enim est naturæ, cum mulier matrimonio juncta parit: cum vero virum non experta virgo postquam peperit, virgo rursus apparet, tum res naturam excedit. Quod igitur secundum naturam fit, inquiretur: quod vero naturam superat, silentio colatur: non tamquam fugiendum, sed tamquam inenarrabile, dignumque quod silentio veneremur. Sed date mihi, quæso, hanc veniam, ut in exordio finem faciam dicendi. Cum enim rerum sublimiorum investigationem attingere reformidem, quo pacto, aut quam in partem orationis clavum slectam nescio. Quid enim dicam, aut quid loquar? Matrem video, quæ peperit; filium partu editum cerno: modum autem generationis non conspicio: vincitur enim natura, vincitur crûinis limes, quando vult Deus. Non enim secundum naturam res accidit, sed supra naturam miraculum evenit: quievit enim natura, sed Domini voluntas operata est. O ineffabilem gratiam! Unigenitus, qui est ante sæcula, qui tangi non potest, qui simplex est et incorporeus, corpus meum subiit corruptioni obnoxium et aspectabile<sup>1</sup>. Quam ob causam? Ut conspectus doceat, docens autem, ad ea quæ non cadunt sub oculos, manu ducat. Nam quoniam oculis auribus fideliores esse existimant homines, de eo vero dubitant, quod non vident, propterea dignatus est et per corpus oculis conspectum sui præbere, ut dubitationem tolleret. Et nascitur ex Virgine, quæ rem ignorabat: nam neque cooperata est ad rem gerendam, neque contulit quippiam ad id quod fiebat: sed nudum fuit arcana virtutis ejus instrumentum; tantum id noverat quod ex Gabriele sciscitata didicerat: *Quomodo mihi fiet istud, quia virum non cognosco* (*Luc. 1. 34*)? Tum inquit ille: *Vis hoc scire? Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Ibid. v. 35*). Et quomodo cum ipsa erat, et paulo post ex ipsa? Quemadmodum artifex, inventa materia utilissima, vas pulcherrimum fabricatur: ita Christus, invento virginis sancto corpore et anima, templum sibi construxit animatum, et hominem qua ratione voluit, efformavit ex virgine, eumque indatus hodie processit, neque naturæ deformitatem erabuit. Neque enim probrosum illi fuit, ut suum opus ipse gestaret: ipsum quoque opificium maxima gloria cumulabatur, quod opificis sui fieret indumentum. Nam quemadmodum in prima formatione fieri non poterat, ut homo constitueretur, antequam lutum in ejus manus veniret: ita fieri nequit ut vas corruptibile transmutetur, nisi fiat Opificis indumentum.

<sup>1</sup> Reg., *corruptibile et mortale*.

θρόνους, οὐ κυριότητας, οὐ δυνάμεις, οὐκ ἐξουσίας, ἀλλὰ ξένην καὶ ἀτριβῆ βαδίσας ὁδὸν, ἐξ ἀγεωργήτου προήλθε γαστήρ, οὕτε τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ ἐρήμους τῆς ἐπιστάσεως αὐτοῦ καταλιπών, οὕτε τῇ πρὸς ἡμᾶς ἐνανθρωπήσας τῆς οἰκίας θεότητος ἐκστάς· ἀλλὰ βασιλεῖς μὲν τὸν ἐπουράνιον βασιλέα τῆς δόξης ἤλθον προσοκνήσοντες, στρατιῶται δὲ τὸν ἄρχιστράτηγον τῆς δυνάμεως θεραπεύσοντες· αἱ γυναῖκες τὸν ἐκ γυναικῶς τεχθέντα, ἵνα τὰς λύπας τῆς γυναικῶς εἰς χαρὰν μεταβάλλῃ· αἱ παρθένοι τὸ τῆς παρθένου παιδίον, ὅτι πῶς ὁ γάλακτος καὶ μαζῶν δημιουργὸς τὰς πηγὰς μαζῶν αὐτόματα βεῖθρα φέρεσθαι ποίων, παρὰ μητρὸς παρθένου παιδίου ἄ τροφήν ἔλαθε· τὰ νήπια τὸν νηπίον γενόμενον, ἵνα ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων καταρτίσῃ αἶνον· οἱ παῖδες τὸν παῖδα μάρτυρας διὰ τὴν Ἡρώδου μανίαν εἰργασάμενον· οἱ ἄνδρες τὸν ἐνανθρωπήσαντα καὶ τὰ τῶν δούλων θεραπεύσαντα κακὰ· οἱ ποιμένες τὸν ποιμένα τὸν καλὸν, τὸν τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων προθέμενον· οἱ ἱερεῖς τὸν κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδεκ ἄρχιερέα γενόμενον· οἱ δοῦλοι τὸν μορφήν δούλου λαβόντα, ἵνα ἡμῶν τὴν δουλείαν ἐλευθερίᾳ τιμήσῃ· οἱ ἀλιεῖς τὸν ἀπὸ ἀλιῶν θηραυτὰς ἀνθρώπων ἐργαζόμενον· οἱ τελευτῶν τὸν ἀπὸ τελευτῶν εὐαγγελιστὴν ἀναδειξαντα· αἱ πόρνοι τὸν τοῖς πορνικοῖς δάκρυσι τοὺς πόδας προῖεμενον· καὶ ἵνα συντόμως εἴπω, πάντες οἱ ἁμαρτωλοὶ ἤλθον ἰδεῖν τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν ἀφροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, μάγοι δορυφοροῦντες <sup>b</sup>, ποιμένες εὐλογοῦντες. τελευτῶν εὐαγγελιστὴν πηγήν διψῶσα ζωῆς, Χαναναία πίστιν ἀνευδοίαστον ἔχουσα. Πάντων οὖν σκιρτώντων, σκιρτήσας θέλω καγῶ, χορεῦσαι βουλομαι, πανηγυρίσαι θέλω <sup>c</sup>. χορεῦω δὲ, οὐ κιθάραν πλάττων, οὐ θυροδὸν κιθῶν, οὐκ αὐλοῦς ἔχων, οὐ δαδᾶς ἄπταν, ἀλλ' ἀντὶ μουσικῶν ὀργάνων τὰ τοῦ Χριστοῦ ὁπάρτα φέρων. Αὐτὰ γάρ μοι ἐλπίς, αὐτὰ μοι ζωῆ, αὐτὰ μοι σωτηρία, αὐτὰ μοι αὐλὸς, αὐτὰ μοι κιθάρα. Διὸ καὶ αὐτὰ ἔρχομαι φέρων, ἵνα τῇ αὐτῶν δυνάμει ἰσχύον λόγων λαβὼν μετ' ἀγγέλων εἴπω· *Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ· μετὰ δὲ ποιμένων, Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.* Σήμερον ὁ γεννηθεὶς ἀβρόχως ἐκ Πατρὸς, ἐκ παρθένου τίκτεται, ἀφράστως δι' ἐμέ. Ἀλλὰ τότε μὲν κατὰ φύσιν ἐκ τοῦ Πατρὸς πρὸ αἰώνων ἐγεννήθη, ὡς ὁ γεννήσας οἶδε· σήμερον δὲ πάλιν παρὰ φύσιν ἐτέχθη, ὡς ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπίσταται χάρις. [394] Καὶ ἡ ἄνω αὐτοῦ γέννησις ἀληθής, καὶ ἡ κάτω γέννησις ἀψευδής, καὶ ἀληθῶς Θεὸς ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθη, καὶ ἀληθῶς ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς ἐκ παρθένου ἐτέχθη. Ἄνω μόνος ἐκ μόνου Μονογενῆς, κάτω μόνος ἐκ παρθένου μόνος Μονογενῆς ὁ αὐτός. Ὡσπερ γὰρ ἐπὶ τῆς ἄνω γεννήσεως ἀσεβῆς ἐνόησαι μητέρα· οὕτω βλάσφημὸν ἐστὶν ὑπολαβεῖν καὶ ἐπὶ τῆς κάτω γεννήσεως πατέρα. Ὁ Πατήρ ἀβρέυστως ἐγέννησε, καὶ ἡ παρθένος ἀφθόρως ἔτεκεν· οὕτε γὰρ ὁ Θεὸς βεῦσιν ὑπέμεινε γεννήσας· θεοπεπῶς γὰρ ἐγέννησεν· οὕτε ἡ παρθένος φθορὰν ὑπέμεινε τεκοῦσα· πνευματικῶς γὰρ ἔτεκεν. Ὅθεν οὕτε ἡ ἄνω αὐτοῦ γέννησις ἐξήγησιν ἔχει, οὕτε ἡ ἐν

ὑστέροις καιροῖς πρόοδος πολυπραγμονεῖσθαι ἀνάγκη· ὅτι μὲν <sup>d</sup> γὰρ ἔτεκεν ἡ παρθένος, σήμερον οἶδα, καὶ ὅτι ἐγέννησεν ὁ Θεὸς ἀχρόνως, πιστεύω· τὸν δὲ τρόπον τῆς γεννήσεως σιωπῆ τιμᾶν μεμάθηκα, καὶ οὐ διὰ λόγων πολυπραγμονεῖν παρέλαβον. Ἐπὶ γὰρ Θεοῦ οὐ δεῖ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων προσέχειν, ἀλλὰ τῇ δυνάμει τοῦ ἐνεργούντος πιστεύειν. Φύσεως γὰρ ἐστὶ νόμος, ὅταν γυνὴ προσομιλήσασα γάμοις τέκῃ <sup>e</sup>. ὅταν δὲ παρθένος ἀπειρόγαμος τεκοῦσα πάλιν παρθένος φανείη, ὑπὲρ φύσιν τὸ πρᾶγμα. Τὸ οὖν κατὰ φύσιν ζητεῖσθαι, τὸ δὲ ὑπὲρ φύσιν σιγῇ τιμάσθαι, οὐχ ὡς φευκτὸν, ἀλλ' ὡς ἀπόβρῃτον, καὶ σιωπῇ τιμάσθαι ἄξιον. Ἀλλ' ἀπνεύματέ μοι συγγνώμη, παρακαλῶ, ἐν προομιῶσι καταπαῦσαι τὸν λόγον βουλομένη. Δειλὸς γὰρ ὢν πρὸς τὴν τῶν κρείττωνων ἔρευναν, πῶς ἢ ποῦ τρέψω τῶν λόγων τὰ πηδάλια οὐχ ἔχω. Τί γὰρ εἴπω, ἢ τί λαλήσω; Τὴν τεκοῦσαν ὁρῶ, τὸν τεχθέντα βλέπω, τὸν δὲ τρόπον τῆς γεννήσεως οὐ συνορῶ· νικάται γὰρ φύσις, νικάται καὶ τάξεως ὄρος, ὅπου Θεὸς βούλεται. Οὐ γὰρ κατὰ φύσιν γέγονε τὸ πρᾶγμα· ἀλλ' ὑπὲρ φύσιν τὸ θαῦμα· ἤργησε γὰρ ἡ φύσις, καὶ ἐνήργησε τοῦ Δεσπότητος τὸ βούλημα. Ὡ χάριτος ἀφράστου! Ὁ πρὸ αἰώνων Μονογενῆς, ὁ ἀναφῆς, καὶ ἀπλόος, καὶ ἀσώματος, ὑπειστῆλθέ μου τὸ φθαρτὸν καὶ ὀρατὸν σῶμα <sup>f</sup>. Διὰ τί; Ἴνα βλεπόμενος διδάξῃ, διδάξας δὲ πρὸς τὸ μὴ βλεπόμενον χειραγωγῆσῃ. Ἐπειδὴ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τὸν ὀφθαλμὸν τῆς ἀκοῆς πιστότερον ποιοῦσιν, ὃ δὲ μὴ βλέπουσιν ἀμφιβέβηλτον, διὰ τοῦτο ἠνεῖχτο καὶ ὀφθαλμοῖς τὴν ἑαυτοῦ θέαν διὰ τὸ σῶματος παρατελεῖν, ἵνα λύσῃ τὴν ἀμφισβήτησιν. Καὶ τίκτεται ἐκ παρθένου ἀγνοουσης τὸ πρᾶγμα· οὕτε γὰρ συνήργησε πρὸς τὸ γινόμενον, οὕτε συνεβάλλετο πρὸς τὸ πραττόμενον, ἀλλ' ἦν ψιλὸν ὄργανον τῆς ἀποβρόχτου αὐτοῦ δυνάμεως, μόνον εἰδυία, ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐρομένη ἔμαθεν, ὅτι *Πῶς ἔστα μοι τοῦτο, ἐπεὶ ἄνθρωπος οὐ γυνώσκω;* Καὶ φησι· *Τοῦτο βούλει μαθεῖν;* [395] *Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις Ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι.* Καὶ πῶς ἦν μετ' αὐτῆς, καὶ μικρὸν ὑστέρον ἐξ αὐτῆς; Ὡσπερ τεχνίτης ἐδῶν ὕλην χρησιμωτάτην, κάλλιστον ἀπεργάζεται σκεῦος· οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς εὐρὴν τῆς παρθένου ἁγίου καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, ἐμψυχον ἑαυτῷ κατεκόσμησε <sup>g</sup> ναδὸν, ὃν ἐβουλήθη τρόπον πλάσας τὸν ἄνθρωπον ἐν τῇ παρθένῳ, καὶ ἐνδυσάμενος αὐτὸν, σήμερον προήλθεν, οὐκ αἰδεσθεὶς τὸ δυσειδῆς <sup>h</sup> τῆς φύσεως. Οὐδὲ γὰρ ὕβριν ἔφερον αὐτῷ, φορέσας τὸ ἴδιον ἔργον· καὶ τὸ πλάσμα δὲ μεγίστην ἐκαρπούτο δόξαν, ἔνδυμα τοῦ τεχνίτου γινόμενον. Ὡσπερ γὰρ παρὰ τὴν πρώτην πλάσιν ἀδύνατον ἦν συνεστάναι τὸν ἄνθρωπον, πρὶν ἢ τὸν πηλὸν εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἔλθειν· οὕτω καὶ τὴν φθορὰν σκεῦος ἀδύνατον μεταποιηθῆναι <sup>i</sup>, εἰ μὴ γέγονεν ἔνδυμα τοῦ ποιήσαντος.

<sup>d</sup> Reg. πρόοδος παθητῆ γέγονεν· ὅτι μὲν. Μοχ σήμερον abest a Reg.

<sup>e</sup> Reg. γὰρ ἐστὶ πυρὸς, ὅταν γυνὴ ἀβρηνικοῖς ὀμιλήσασα θεσμοῖς τέκῃ.

<sup>f</sup> Reg. φθαρτὸν καὶ θνητὸν σῶμα.

<sup>g</sup> Reg. κατεκόσμησε.

<sup>h</sup> Reg. τὸ δυσειδές.

<sup>i</sup> Reg. παρὰ τὴν ἀρχὴν ἀδύνατον συστῆναι τὸν ἄνθρωπον πρὶν ἢ τὸν Θεὸν τὸν πηλὸν εἰς τὰς χεῖρας τὰς ἑαυτοῦ λαθεῖν. Οὕτω καὶ τὸ διασπαρὲν ἀδύνατον ἦν μεταποιηθῆναι.

<sup>a</sup> Reg. παιδίον.

<sup>b</sup> Hec, μάγοι δορυφοροῦντες, etc., usque ad πάντων οὖν, desunt in Reg.

<sup>c</sup> Ita Reg., melius quam editi, qui omittunt πανηγυρίσαι θέλω.

Ἄλλα τί εἶπω, ἢ τί λαλήσω; Ἐκπλήττει γάρ με τὸ θαῦμα. Ὁ Παλαιὸς ἡμερῶν παῖδιον γέγονεν, ὁ ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπιτρυφένου καθήμενος ἐν φάτνῃ τίθεται, ὁ ἀναφῆς, καὶ ἀπλοῦς, καὶ ἀσύνθετος, καὶ σώματος χερσὶν ἀνθρωπίναις ἐλάσσεται, ὁ τὰ τῆς ἀμαρτίας διασπῶν ἡ δεισιμασία σπαργάνοις ἐμπλέκεται, ἐπειδὴ τοῦτο θέλει. Θέλει γάρ τὴν ἀτιμίαν ποιῆσαι τιμῆν, τὴν ἀδοξίαν ἐνδοῦσα· δόξαν, τὸν τῆς ὑβρεως ὄρον, ἀρετῆς δειξίαι τρόπον. Ὅθεν ὑπέρχεται τὸ ἐμὸν σῶμα, ἵνα ἐγὼ χωρήσω τὸν αὐτοῦ Λόγον· καὶ λαβὼν τὴν ἐμὴν σάρκα, διδώσι μοι τὸ ἑαυτοῦ Πνεῦμα, ἵνα διδοῦς καὶ λαμβάνων θησαυρόν μοι ζωῆς ἐμπορεύσεται. Λαμβάνει μοι τὴν σάρκα, ἵνα με ἀγάσῃ· διδώσι μοι τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ, ἵνα με διασώσῃ. Ἄλλα τί εἶπω, καὶ τί λαλήσω; Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἔξει. Οὐκ ἐτι λέγεται ὡς γενησόμενον, ἀλλὰ θαυμάζεται ὡς πεπραγμένον. Παρὰ Ἰουδαίους ἐπέπρακτο, παρ' οἷς καὶ ἐλέγετο, ὑφ' ἡμῶν δὲ πιστεύεται, παρ' οἷς οὐδὲ ὠνομάζετο. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἔξει. Τὸ μὲν γράμμα τῆς συναγωγῆς, τὸ δὲ κτῆμα τῆς Ἐκκλησίας. Ἐκεῖνη τὸ δέπνυχον εὔρεν, αὕτη τὸν μαργαρίτην ἐφεῦρεν· ἐκεῖνη τὸ ἔριον ἔθαψεν, αὕτη τὴν ἀλουργίδα ἐνεδύσατο. Ἡ Ἰουδαία γάρ αὐτὸν ἔτεκε, καὶ ἡ οἰκουμένη αὐτὸν ὑπεδέξατο. Ἡ συναγωγὴ αὐτὸν ἔθρεψε, καὶ ἐτιθηγήσατο, καὶ ἡ Ἐκκλησία κατέσχε καὶ ἔκαρπώσατο. Παρ' ἐκεῖνη τὸ κλῆμα τῆς ἀμπέλου, καὶ παρ' ἐμὸς ὁ βότρυς τῆς ἀληθείας. Ἐκεῖνη τὸν βότρυον ἐτρόγησε, καὶ τὰ ἔθνη τὸ μυστικὸν πίνει πόμα. Ἐκεῖνη τὸν κόκκον τοῦ σίτου ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἔσπειρε, καὶ τὰ ἔθνη τῇ δρεπάνῃ τῆς πίστεως τὸν ἀσταχυν ἐθέρισε. Τὰ ἔθνη τὸ ῥόδιον εὐσεβῶς ἀπέκτειρε, καὶ Ἰουδαίους ἡ ἀκαθὰ τῆς ἀπιστίας ἀπέμεινε· ὁ νεοτὸς ἀπέπτῃ, καὶ παρκαθήνται οἱ ἀφρονες τῆς καλιᾶς· τὴν φυλλάδα τοῦ γράμματος οἱ Ἰουδαῖοι ἐρμηνεύουσι, καὶ τὸν καρπὸν τοῦ Πνεύματος τὰ ἔθνη δρέπονται. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήγεται. Εἶπέ μοι, ὦ Ἰουδαίε, εἶπέ μοι λοιπὸν, τίνα ἔτεκε; Θάρρησόν μοι, κἂν ὡς τῷ Ἡρώδῃ. Ἄλλ' οὐ [396] θαρρήεις<sup>α</sup>. Οἶδα διὰ τί· διὰ τὴν ἐπιβουλήν. Ἐκεῖνη γάρ εἶπας, ἵνα αὐτὴν ἀνέλῃ· ἐμὸς δὲ οὐ λέγεις, ἵνα μὴ αὐτὸν προσκυνήσω. Τίνα δὲ ἔτεκε; Τίνα; Τὸν Δεσπότην τῆς φύσεως. Κἂν γὰρ σὺ σωπᾶς, ἡ φύσις βοᾷ· ἔτεκε γάρ, ὡς ὁ τεχνεὺς τεχθῆναι ἐθέλησεν. Οὐ γὰρ ὑπὸ τῆς φύσεως ἐπετρέπετο, ἀλλ' ὡς Δεσπότης τῆς φύσεως· ξένον τῆς γεννήσεως εἰσήγαγε τρόπον, ἵνα δείξῃ, ὅτι καὶ ἄνθρωπος γενόμενος οὐχ ὡς ἄνθρωπος τίκεται, ἀλλ' ὡς Θεὸς γεννᾶται. Ἐκ παρθένου οὖν σήμερον προήλθε νικησάσης φύσιν, ὑπερβάσης γάμον<sup>β</sup>. Ἐπρεπε γάρ τῷ τῆς ἀγιότητος πρυτάνει ἐκ καθαρῶν καὶ ἁγίων προελθεῖν τόκων. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πάρις ἐκ παρθένου γῆς τὸν Ἀδὰμ πλάσας, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀδὰμ ἄνευ γυναικὸς γυναικᾶ μορφώσας. Ὅσπερ γὰρ ὁ Ἀδὰμ ἄνευ γυναικὸς γυναικᾶ ἤνεγκεν, οὕτω καὶ σήμερον ἡ παρθένος ἄνευ ἀνδρὸς ἀνδρᾶ ἔτεκεν. Ἄνθρωπος γὰρ ἐστὶ, φησί, καὶ τίς γινώσεται αὐτόν; Ἐπειδὴ γὰρ ἐχρεώσεται τὸ γυναικεῖον γένος τοῖς ἀνθρώποις τὴν χάριν, ὡς τοῦ Ἀδὰμ ἄνευ γυναικὸς γυναικᾶ βλαστήσαντος, διὰ

<sup>α</sup> Reg. διαρρήξας. Infra idem τῆς ὑβρεως λόγον.

<sup>β</sup> Reg. καὶ παρὰ Ἰουδαίους... ἔμεινε.

<sup>γ</sup> Reg. καὶ τὸν ἀκέρημα τοῦ Πνεύματος τὰ ἔθνη βαστάζουσι.

<sup>δ</sup> Reg. ἀλλ' οὐ θαρρήεις ἐκεῖνη. Infra μὴ ante αὐτόν in edit. Mor. deest; sed est in Reg. [et in Sav.], et sic legend.

<sup>ε</sup> Reg. νικησας φύσιν, ὑπερβάς γάμον, non male. Paulo post idem προελθεῖν πασάδων.

τοῦτο σήμερον ἔτεκεν ἡ παρθένος ἄνευ ἀνδρὸς, ὑπὲρ τῆς Εὐας ἐκτινήσουσα τοὺς ἀνδράσι τὸ χρέος. Ἴνα γὰρ μὴ μέγα φρονήσῃ ὁ Ἀδὰμ, ἄνευ γυναικὸς γυναικᾶ βλαστήσας<sup>α</sup>, διὰ τοῦτο καὶ ἡ παρθένος ἄνευ ἀνδρὸς ἀνδρᾶ ἔτεκεν, ἵνα τῷ κοινῷ τῷ θαύματος τὸ ὁμοτιμον δείξῃ τῆς φύσεως. Ὅσπερ γὰρ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ τὴν πλευρὰν ἀφείλε, καὶ τὸν Ἀδὰμ οὐκ ἐμείνωσεν οὐδέν· οὕτω καὶ ἐν τῇ παρθένῳ καὶ τὸν ἐμψυχον ἔπλασε ναὸν<sup>β</sup>, καὶ τὴν παρθεναίαν οὐκ ἔλυσε. Σῶος ἔμεινε ὁ Ἀδὰμ καὶ μετὰ τὴν ἀφαίρεσιν τῆς πλευρᾶς· ἀφθորος ἔμεινε καὶ ἡ παρθένος μετὰ τὴν πρόδον τοῦ βρέφους. Διὰ τοῦτο δὲ οὐκ ἀλλαγθὲν ἑαυτῷ ναὸν κατεσκευάσατο, οὐδὲ ἄλλο σῶμα πλάσας ἐνεδύσατο, ἵνα μὴ δόξῃ τὸ τοῦ Ἀδὰμ ἐνδοξίαν φύραμα. Ἐπειδὴ γὰρ ἀπατηθεὶς ὁ ἄνθρωπος ὄργανον γέγονε τοῦ διαδόλου, διὰ τοῦτο αὐτὸν τὸν ὑποκαμισθέντα ἐμψυχον ἀνελάμβανε ναὸν, ἵνα διὰ τὴν πρὸς τὸν πεποικηκότα συνάφειαν ἢ ἐκ τῆς τοῦ διαδόλου αὐτὸν ἀποστήσῃ συνθηλαίας. Ὅμως καὶ ἄνθρωπος γινόμενος οὐχ ὡς ἄνθρωπος τίκεται, ἀλλ' ὡς Θεὸς γεννᾶται. Εἰ γὰρ ἐκ κοινῶν γάμων προήλθεν, ὥσπερ ἐγὼ, ψευδὸς τοῖς πολλοῖς ἐνομιζέτο· νῦν δὲ διὰ τοῦτο ἐκ παρθένου τίκεται, τικτόμενος δὲ καὶ τὴν μήτραν ἀναλλοιώτων τηρεῖ, καὶ τὴν παρθεναίαν ἀζήμιον διαφυλάττει, ἵνα ὁ ξένος τῆς κυήσεως τρόπος πίστεως μα μεγάλης πρόξενος γέννηται. Ὅθεν κἂν Ἕλληνας, κἂν Ἰουδαίους ἐρωτᾷ, ὅτι ὁ Χριστὸς Θεὸς ὢν κατὰ φύσιν, ἄνθρωπος γέγονε παρὰ φύσιν, ἐρῶ, Ναί, μάρτυρα τοῦ λόγου τὴν ἀσπίλον τῆς παρθεναίας σφραγίδα καλῶν· οὕτω γάρ ἐστι Θεὸς νικῶν τὴν τῆς φύσεως τάξιν· οὕτω γαστρός ἐστι κεραμεύς, καὶ παρθεναίς εὐρετής, ὅτι καὶ ἀμολυντον ἔσχε ἰ τῆς γεννήσεως [597] τὸν τρόπον, καὶ ἑαυτῷ ἀφράστως ὑποδόμησας ναὸν, ὃν ἡβουλήθη τρόπον. Εἶπέ μοι οὖν, ὦ Ἰουδαίε, ἔτεκεν ἡ παρθένος, ἢ οὐ; Εἰ μὲν γὰρ ἔτεκεν, ὁμολόγησον τὸν ξένον τόκον· εἰ δὲ οὐκ ἔτεκε, διὰ τί τὸν Ἡρώδην ἠπάτησας; Σὺ γὰρ αὐτῷ πυθανομένης τοῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, εἶπας, ὅτι ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. Μὴ οὖν ἐγὼ ἤδειν τὴν κώμην, ἢ τὸν τόκον; μὴ ἐγὼ τοῦ γεννωμένου τὴν ἀξίαν ἐγίνωσκον; οὐχ ὁ Ἡσαίας ὡς Θεοῦ αὐτοῦ ἐμνημόνευσε; Τέξεται γὰρ, φησὶν, υἱὸν, καὶ καλεῖσονται τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. Οὐχ ὑμεῖς ἀγνώμονες ἐχθροὶ τὴν ἀλήθειαν εἰσηγήσαθε; οὐχ ὑμεῖς οἱ γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι οἱ ἀκριβεῖς τοῦ νόμου φύλακες πάντα τὰ κατ' αὐτὸν ἡμᾶς ἐδιδάξατε; μὴ τὴν τῶν Ἑβραίων γλώσσαν εἴθεμεν; οὐχ ὑμεῖς τὰς Γραφὰς ἠρμηνεύσατε; Μετὰ τὸ τεκεῖν τὴν παρθένον, καὶ πρὸ τοῦ τεκεῖν, ἵνα μὴ δόξῃ πρὸς χάριν τοῦ Θεοῦ ἐρμηνεύεσθαι τὸ λεγόμενον, οὐχ ὑμεῖς ἐρωτώμενοι παρ' Ἡρώδου, μάρτυρα παρηγάγετε Μιχαῖλαν τὸν προφήτην, ἵνα ὑμῶν τὸν λόγον κυρώσεται; Καὶ σὺ γάρ, φησὶ, Βηθλεὲμ οἶκος τοῦ Ἐβραῖοῦ οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσι Ἰουδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγοῦμένος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραὴλ. Καλῶς εἶπεν ὁ προφήτης, Ἐκ σοῦ. Ἐξ ὑμῶν γὰρ ἐβῆθε, καὶ εἰς τὴν οἰκουμένην ἦλθεν. Ὁ γὰρ ὢν, προέρχεται· ὁ δὲ μὴ ὢν, κτίζεται, ἢ γίνεται. Αὐτὸς δὲ καὶ ἦν, καὶ προῆν, καὶ αἶε ἦν· ἀλλ' ἦν μὲν αἶε ὡς Θεὸς, δέικον

<sup>α</sup> Reg. γυναικᾶ πλάσας. Mox idem θαύματος, δείξῃ τὸ καινὸν τῆς φύσεως.

<sup>β</sup> Ἐπλασεν ἄνθρωπον Reg.

<sup>γ</sup> Reg. διὰ τοῦτο αὐτὸ τὸ δοκοῦν ὄργανον, ἐμψυχον ἀνελάβε ναὸν, ἵνα διὰ τῆς συναφείας.

<sup>δ</sup> Reg. παρθεναίς ἐρμηνεύτης, ὅτι καὶ ἀνύμνητον ἔσχε, etc. Hic perpetuo sunt varietates; præcipuas solum notabimus.

2. (a) Sed quid dicam, aut quid loquar? Miraculum enim in admirationem me traducit. Antiquus dicrum factus est infans, et qui in solio sublimi præcelsoque considet, in præsepio ponitur; et qui impalpabilis et simplex, et incompositus, atque incorporeus est, humanis manibus contractatur: qui peccatorum vincula dirumpit, fasciis, quia vult, stringitur. Statuit enim ignominiam vertere in honorem, infamiam induere gloria, et contumeliæ fines modum virtutis ostendere. Idcirco meum corpus subit, ut ejus Verbi ego capax fiam; et meam carnem suscipiens, Spiritum mihi suum largiens, ut largiens et accipiens vitæ mihi thesaurum comparet. Carnem meam suscipit, ut me sanctificet: Spiritum mihi suum largitur, ut salvum me faciat. Sed quid dicam; aut quid loquar? *Ecce virgo concipiet (Isai. 7. 14)*. Non jam dicitur, ut futurum, sed suspicitur ut jam factum. Atque apud Judæos quidem factum est, apud quos dicebatur: a nobis autem creditur, apud quos ne nominabatur quidem. *Ecce virgo concipiet*. Litera quidem *synagogæ* est, possessio vero Ecclesiæ. Illa tabellas invenit, hæc margaritam inveniet: illa lanam tinxit, hæc veste purpurea est induta. Siquidem Judæa ipsum peperit, at orbis terrarum ipsum excepit. Synagoga ipsum aluit et educavit: Ecclesiam ipsum tenuit, eoque potita est. Apud illam palmet vitis, et apud me racemus veritatis. Illa racemum vindemiavit, et gentes mysticam potionem bibunt. Illa granum frumenti in Judæa seminavit; et gentes fidei falce segetem messuerunt. Gentes rosam pie decerperunt, et apud Judæos spina incredulitatis remansit: pullus avolavit, et assident nido stulti: folia literæ interpretantur Judæi, et fructum Spiritus gentes decerpant. *Ecce virgo in utero concipiet*. Dic mihi, Judæe, dic mihi porro, quem peperit? Fide mihi, saltem ut Herodi. Sed non fidis. Scio quam ob causam: propter insidias. Illi enim dixisti, ut eum interficeret: mihi vero non dicis, ut ne eum adorem. Quemnam vero peperit? Quemnam? Naturæ Dominum. Licet enim tu sileas, clamat natura: peperit enim, ut voluit partu edi, qui partu est editus. Non enim id a natura permittebatur, sed ut naturæ Dominus inusitatum nativitatis modum invexit, ut ostendat se hominem factum, non ut hominem partu edi, sed ut Deum nasci. Ex Virgine igitur hodie prodiit, quæ naturam vicit, et nuptias superavit<sup>1</sup>. Etenim sanctitatis Dispensatori conveniebat, ut puro et sancto partu in lucem ederetur. Ipse namque est, qui e terra virgine quondam formavit Adamum, ex Adamo vero sine muliere mulierem efformavit. Sicut enim Virgo sine viro hominem hodie peperit. Homo enim est, inquit, et quis cognoscet eum? Nam quoniam hominibus genus muliebre beneficium debebat, utpote quod Adam sine muliere mulierem produxerat: propterea virgo sine viro hodie peperit, ac pro Eva

debitum viri persolvit. Ut enim non superbiret Adamus, quod sine muliere mulierem protulisset, idcirco et mulier sine viro peperit virum, ut miraculi communi ratione naturæ æqualitatem ostenderet. Nam quemadmodum ab Adamo costam abstulit, et Adamum nihil imminuit: sic et in Virgine animatum templum effinxit, et virginitatem minime solvit. Salvus et incolumis remansit etiam post costæ privationem Adamus: incorrupta etiam virgo permansit, postquam infans ex ea prodiit. Idcirco autem non aliunde sibi templum extruxit, neque aliud corpus formatum induit, ne massam Adami contumelia afficere videretur. Nam quoniam deceptus homo, diaboli instrumentum factus erat, propterea ipsum qui supplantatus fuerat<sup>1</sup> tamquam animatum templum assumit, ut propter hanc cum suo Conditore conjunctionem ipsum a diaboli consuetudine ac familiaritate divelleret. Verumtamen dum sit homo, non ut homo partu editur, sed ut Deus nascitur. Si enim ex communi conjugio prodiisset ut ego, figmentum a vulgo existimatus esset: jam vero idcirco ex Virgine nascitur, nascens autem, et uterum illibatam conservat, et intemeratam virginitatem custodit, ut inusitatus pariendi modus magnæ mihi fidei conciliator existat. Unde sive me gentilis sive Judæus interroget, num Christus cum secundum naturam Deus esset, homo præter naturam sit factus, d'cam, Sic est: et testem inviolatum virginitatis sigillum citabo: ita namque Deus est, qui naturæ ordinem vincat: ita ventris est fictor, et virginitatis inventor, qui et immaculatum habuerit nativitatis modum, et ineffabiliter templum sibi, quo voluerit modo, construxerit. Dic mihi ergo, Judæe, peperitne virgo, annon? Si enim peperit, inusitatum partum confitere: quod si non peperit, cur Herodem sefellisti? Tu enim ipsi sciscitanti, ubi Christus nasceretur, dixisti, in Bethleem Judææ. Num igitur ego pagum noveram aut locum (*Matth. 2. 5*)? num ego dignitatem ejus qui natus erat perspectam habebam? nonne Isaias ipsius tamquam Dei mentionem fecit? *Pariet enim, inquit, filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel (Isai. 7. 14)*. Nonne vos improbi inimici veritatem introduxistis? nonne vos scribæ et Pharisæi diligentes legis observatores omnes res ejus nos docuistis (*Matth. 4. 23*)? numquid Hebraicam linguam nos callemus? nonne vos Scripturas interpretati estis? Postquam virgo peperit, et antequam pareret, ne videretur locus ille in gratiam Domini exponi, nonne vos interrogati ab Herode testem Michæam prophetam protulistis, ut sermonem vestrum confirmaret? *Et tu enim, inquit, Bethleem domus Ephrata, nequaquam minimi es in principibus Judææ: ex te enim exiit dux, qui reget populum meum Israel (Mich. 5. 2; Matth. 2. 6)*. Recte dixit propheta, *Ex te*. Ex vobis exiit, et in orbem terrarum venit. Qui enim est, progreditur; qui vero non est, creatur, aut fit. At ipse et erat, et ante erat, et semper erat: sed erat quidem semper ut Deus, mundum gubernans: hodie vero

<sup>1</sup> Reg., ... *prodiit, naturam vincens, nuptias superans.*

(a) Quæ sequuntur de Incarnatione Christi concinnata citantur a S. Cyrillo Alexandrino, in libro ad Reginas.

<sup>1</sup> In Reg. legitur, *propter idipsum quod instrumentum esse videatur.*



prodiit: ut homo populum regit, ut Deus autem orbem terrarum salvum fecit. O benignos hostes! o modestos ac mites accusatores, qui natum in Bethleem Deum esse imprudentes indicarunt: qui latentem in præsepio Dominum notum fecerunt, qui jacentem in spelunca inviti indicarunt, et beneficio nolentes sua sponte nos affecerunt, revelarunt, cum occultare conarentur! Vides imperitos magistros? Quæ docent ipsi nesciunt: fame confecti nutriunt, sitientes potum præbent, egestate pressi ditant. Venite igitur, festum agamus, venite, solemnitatem celebremus. Inusitatus enim est festivitatis modus, quandoquidem et incredibilis est sermo nativitatis. Hodie namque vetus solutum est vinculum, diabolus confusus est, demones aufugerunt, destructa mors est, paradisi reseratus, maledictio deleta est, peccatum e medio sublatum est, ablegatus est error, veritas reddiit, et pietatis sermo undequaque disseminatus est, et cucurrit: conversatio cælitum in terris plantata est: angeli cum hominibus communicant, homines cum angelis intrepide colloquuntur. Quid ita? Quoniam Deus in terram venit, et homo in cælum, omnia passim commixta sunt. Venit enim in terra, cum totus in cælo sit: cumque totus in cælo sit, totus est in terra. Cum esset Deus, factus est homo, non negans se Deum esse: cum esset Verbum impatibile, factus est caro: ut habitaret in nobis caro factus est. Deus enim factus non est, sed erat. Propterea caro factus est, ut quem cælum non capiebat, hodie præsepium susciperet. Propterea ponitur in præsepio, ut is a quo nutriuntur omnia pueruli alimentum a virgine matre accipiat. Propterea futurorum sæculorum Pater tamquam ab ubere pendens infans virginæ minime refugit ulnas, ut magis accessu facilis fiat. Si quidem et hodie magi advenerunt, et tyrannum abnegandi initium fecerunt, et cælum gloriatur, dum per stellam Dominum suum indicat, et super nubem levem corporis sui sedens Dominus currit in Ægyptum: et fugere quidem Herodis videtur insidias, re autem vera quod ab Isaia dictum fuerat adimplet: « Erit enim, » inquit, « in die illa Israel tertius in Assyriis, et in Ægyptiis benedictus erit populus meus in terra, quam benedixit Dominus Sabaoth, dicens: Benedictus erit populus meus qui in Ægypto et qui in Assyriis et qui in Israel » ( *Isai. 19. 24. 25* ). Quid ais, Judæe? qui primus eras, tertius factus es? Ægyptii et Assyrii tibi antelati sunt, et primogenitus Israel numero posterior est? Ita est: merito Assyrii primi erunt: quandoquidem et ipsi primi per magos eum adoraverunt: Ægyptii vero post Assyrios, quandoquidem ipsum Herodis insidias fugientem exceperunt; postremo vero loco numeratur Israel, quandoquidem post ascensum ejus ex Jordane tum demum per apostolos eum agnoverunt. Ingressus est autem Ægyptum, concutiens Ægypti manufacta, non quoquo modo, sed postquam Ægypti vestibula conclusit interitu primogenitorum ( *Isai. 19. 1* ). Propterea tamquam primogenitus hodie ingressus est ut antiquæ mæstitiæ luctum solveret. Primogenitum vero dici

Christum testatur hodie Lucas evangelista cum dicit: *Et peperit filium suum primogenitum, et pannis involvit eum, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio (Luc. 2. 7)*. Ingressus est igitur Ægyptum ut antiquæ mæstitiæ luctum solveret: et plagarum loco gaudium invexit, et loco noctis atque tenebrarum lumen salutis largitus est. Contaminata tunc fuit aqua fluminis immaturæ ætatis infantium cæde. Ingressus est igitur in Ægyptum is qui aquam rubram reddiderat, et fluminis fluentis vim giguendi salutem indidit, eorumque impuritatem ac sordes Spiritus virtute purgavit<sup>1</sup>. Afflicti fuerunt Ægyptii, et furore correpti Deum abnegarunt. Ingressus est igitur in Ægyptum, religiosas animas cognitione Dei complens, effecit ut flumen secundiores spicis martyres aleret. Sed propter angustias temporis hoc loco statui finem facere dicendi, quod reliquum est negotii vobis in diem sequentem reservaturus: hic autem orationi finem imponam, ubi hoc explevero, quo pacto nimirum, cum impatibile Verbum esset, caro factum sit immutata manente natura. Quid dicam, aut quid loquar? Fabrum et præsepe video et infantem, et cunarum fascias, et virginis partum rebus necessariis destitutum, omnia egestate pressa, omnia plena paupertatis. Vidisti divitias in multa paupertate? quo modo cum dives esset, egenus est nostra causa factus? quo modo neque lectum, neque stragulum habuit, sed in nudo præsepi erat projectus? O paupertatem, divitiarum fontem! o divitias immensas, paupertatis speciem præ se ferentes! In præsepi jacet, et orbem terrarum conculit; fasciis cunarum involvitur, et peccati vincula dirumpit; nondum in vocem articulatam erupit, et magos edocuit, et ad conversionem commovit. Quid dicam, aut quid loquar? Ecce infans fasciis involvitur, et in præsepi jacet: adest autem et Maria quæ virgo et mater est: aderat autem et Joseph, qui pater appellatur. Hic vir dicitur, illa uxor vocatur: legitima sunt nomina copulatione destituta. Verborum tenus hæc mihi intellige, non rerum tenus. Hic solum desponsavit, et Spiritus sanctus obumbravit ei: unde dubitans Joseph, quid appellaret infantem nesciebat. Ex adulterio natum dicere ipsum non audebat, probrosum in virginem jacere sermonem non poterat, filium ipsum dicere suum refugiebat: probe namque sciebat sibi ignotum esse, quo pacto, vel unde infans natus esset: quam ob causam illi de re dubitanti, de cælo oraculum angeli voce delatum est: *Noli timere, Joseph: quod enim ex ea genitum est, de Spiritu sancto est (Matth. 1. 20)*. Spiritus enim sanctus virgini obumbravit. Quare vero ex virgine nascitur, et virginitatem illibatam servat? Quia quondam virginem Evam decepit diabolus, idcirco ad Mariam, quæ virgo erat, felicem nuntium Gabriel detulit. Sed decepta quidem Eva peperit verbum, quod mortem intulit: at felicem nuntium accipiens Maria Verbum in carne genuit, quod vitam nobis æternam conciliat. Verbum Evæ lignum indicavit, per quod lignum e

<sup>1</sup> Reg., *unxit*, pro, *purgavit*.

τὸν κόσμον· σήμερον δὲ προήλθεν, ὡς ἄνθρωπος μὲν τὸν λαὸν ποιμαίνων, ὡς Θεὸς δὲ τὴν οἰκουμένην διασώζων. Ὁ πολεμίων χρηστῶν ὡς κατηγόρων φιλοανθρώπων! οἱ τὸν ἐν Βηθλεὲμ τεχθέντα λανθάνοντες ἂ Θεὸν ἔδειξαν, οἱ τὸν ἐν φάτῃ κρυπτόμενον Δεσπότην ἐγνώρισαν, οἱ τὸν ἐν σπηλαίῳ καθήμενον ἐμήνυσαν ἄνοητες, καὶ εὐηργέτησαν μὴ θέλοντες, ἀπεκάλυψαν· καλύψαι βουλόμενοι. Εἶδες ἀμαθεῖς διδασκάλους; Ἄ διδάσκουσιν, οὐ γινώσκουσι, πεινῶντες τρέφουσι, διεψώντες ποτίζουσι, πενόμενοι πλουτίζουσι. Δεῦτε οὖν, ἑορτάσωμεν, δεῦτε πανηγυρίσωμεν. Ξένος γὰρ ὁ τῆς ἑορτῆς τρόπος, ἐπειδὴ καὶ παράδοξος ὁ τῆς γεννήσεως λόγος. Σήμερον γὰρ ὁ χρόνιος ἐλύθη δεσμός, ὁ διάδοχος ἡσχύνθη, οἱ δαιμονες ἔδραπέτευσαν, ὁ θάνατος ἔλύθη, παράδοξος ἠνεψύχθη, ἡ κατάρα ἠφανίσθη, ἡ ἀμαρτία ἐκποδῶν γέγονεν, ἡ πλάνη ἀπηλάθη, ἡ ἀλήθεια ἐπανήλθε, καὶ τῆς εὐσεβείας ὁ λόγος πανταχοῦ διεσπάρη καὶ ἔδραμεν· ἡ τῶν ἄνω πολιτεία ἐν τῇ γῆ ἐφυτεύθη, ἄγγελοι μετὰ ἀνθρώπων κοινωνοῦσι, καὶ ἄνθρωποι μετὰ ἀγγέλων ἀδελῶς διαλέγονται. Διὰ τί; Ἐπειδὴ Θεὸς ἐπὶ γῆς ἦλθε, [398] καὶ ἄνθρωπος ἐν οὐρανῷ· πάντα ἀναμῆξ γέγονε. Ἦλθε γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς, ὅλος ὢν ἐν οὐρανοῖς· ὅλος δὲ ὢν ἐν οὐρανῷ, ὅλος ἐστὶν ἐπὶ τῆς γῆς. Θεὸς ὢν, γέγονεν ἄνθρωπος, οὐκ ἀρνησάμενος τὸ εἶναι Θεός· λόγος ὢν ἀπαθής, σὰρξ ἐγένετο, διὰ τὸ ἐνοικῆσαι ἡμῖν σὰρξ ἐγένετο. Θεὸς γὰρ οὐκ ἐγένετο, ἀλλὰ ἦν. Διὰ τοῦτο σὰρξ ἐγένετο, ἵνα ὃν οὐκ ἐχώρει οὐρανός, δέξηται φάτῃ. Διὰ τοῦτο ἐν φάτῃ ἐτέθη, ἵνα ὁ τρέφων τὰ σύμπαντα παιδίον τροφήν παρά μητρὸς παρθένου λάθῃ. Διὰ τοῦτο ὁ τῶν μελλόντων αἰώνων Πατὴρ ὡς υπομάζιον βρέφος παρθενικῶν ἀνέχεται ἀγκάλων, ἵνα καὶ μάγοις εὐπρόσιτος γένηται. Σήμερον γὰρ καὶ μάγοι προσήλθον, ἀρχὴν λαβόντες ἀρνεῖσθαι τὸν τύραννον, καὶ ὁ οὐρανός κενύεται ἀστέρι τὸν ἴδιον Δεσπότην μηνύων, καὶ ὁ Κύριος ἐπὶ νεφέλῃς κούφης τοῦ σώματος καθεζόμενος ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον τρέχει, τῷ μὲν δοκεῖν φεύγων τὴν Ἡρώδου ἐπιβουλήν, τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἀποπληρῶν τὸ παρὰ τοῦ Ἡσαίου εἰρημένον· Ἔσται γὰρ, φησὶν, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ Ἰσραὴλ τρίτος ἐν τοῖς Ἀσσυριοῖς, καὶ ἐν τοῖς Αἰγυπτίοις εὐλόγητός ἐσται ὁ λαός μου ἐν τῇ γῆ, ἣν εὐλόγησε Κύριος Σαβαώθ λέγων· Εὐλόγητός ἐσται ὁ λαός μου ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ἐν τοῖς Ἀσσυριοῖς καὶ ἐν Ἰσραὴλ. Τί λέγεις, ὦ Ἰουδαίε; ὁ πρῶτος τρίτος γέγονας; Αἰγύπτιοι καὶ Ἀσσύριοι προετάχθησαν, καὶ ὁ πρωτότοκος Ἰσραὴλ ὑπαριθμεῖται; Ναί· εἰκότως Ἀσσύριοι πρῶτοι ἔσονται, ἐπειδὴ καὶ αὐτοὶ αὐτὰν πρῶτοι διὰ τῶν μάγων προσέκυνσαν· Αἰγύπτιοι δὲ μετὰ τοὺς Ἀσσυρίους, ἐπειδὴ καὶ αὐτοὶ φεύγοντα αὐτὸν τὴν Ἡρώδου ἐπιβουλήν ἐδέξαντο· τελευταῖος δὲ Ἰσραὴλ ὑπαριθμεῖται, ἐπειδὴ μετὰ τὴν ἄνοδον τὴν ἐκ τοῦ Ἰορδάνου διὰ τῶν ἀποστόλων αὐτὸν ἔγνωσαν<sup>α</sup>. Εἰσήλθε δὲ εἰς Αἴγυπτον, σεῖων τὰ χειροποίητα τῆς Αἰγύπτου οὐχ ἄπλωος, ἀλλ' ἐπειδὴ ἀπέκλεισε τὴς Αἰγύπτου τὰ πρόθυρα τῇ τῶν πρωτοτόκων ἀπωλείᾳ· Διὰ τοῦτο σήμερον εἰσήλθεν ὡς πρωτότοκος, ἵνα τῆς

παλαιᾶς στυγνότητος διαλύσῃ τὸ πένθος. Καὶ δεῖ πρωτότοκος λέγεται ὁ Χριστός, μαρτυρεῖ σήμερον ὁ Λουκάς ὁ εὐαγγελιστής, λέγων· Καὶ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτόν, καὶ ἀνέκλινεν ἐν τῇ φάτῃ, διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι. Εἰσήλθεν οὖν εἰς τὴν Αἴγυπτον, ἵνα τῆς παλαιᾶς στυγνότητος διαλύσῃ τὸ πένθος, ἀντὶ μαστίγων χαρὰν ἐπιβαλὼν, ἀντὶ νυκτῶς καὶ σκότους σωτηρίας φέγγος χαρισάμενος. Βέβηλον ἦν τότε τοῦ ποταμοῦ τὸ ὕδωρ τῇ τῶν ἄωρων νηπίων σφαγῇ. Εἰσήλθεν οὖν εἰς τὴν Αἴγυπτον ὁ πάλαι τὸ ὕδωρ φοινίκας, καὶ ἐποίησε τὰ βεῖθρα τοῦ ποταμοῦ σωτηρίας γεννητικά, τὸ ἐναγῆς αὐτῶν καὶ βέβηλον δυνάμει καθαρίας· τοῦ Πνεύματος. Ἐκακώθησαν οἱ Αἰγύπτιοι, καὶ μανέντες ἠρνοῦντο τὸν Θεόν. Εἰσήλθεν οὖν εἰς τὴν Αἴγυπτον, καὶ γνώσεως Θεοῦ ψυχὰς θεοφιλεῖς ἐπλήρωσε· τῷ ποταμῷ δὲ παρέσχε μάρτυρας τρέφειν σταγύων εὐφορωτέρους. Ἀλλὰ διὰ τὸ στενὸν τοῦ καιροῦ ἐνταῦθα βουλομαι καταπαῦσαι τὸν λόγον· ὧδε ἴδὲ καταπαύσω, τὸν λόγον πληρώσω, ὅτι πῶς. Λόγος ὢν [399] ἀπαθής, σὰρξ ἐγένετο, ἀμεταβλήτου μενούσης τῆς φύσεως. Τί δὲ εἶπω, ἢ τί λαλήσω; Τέκνονα καὶ φάτῃν ὀρώ, καὶ βρέφος, καὶ σπάργανα, λόγον παρθένου τῶν χρεῶν ἔρημον, ὅλα πτωχεῖα ἐχόμενα, ὅλα πενίας γέμοντα. Εἶδες πλοῦτον ἐν πενίᾳ πολλῇ; πῶς πλούσιος ὢν δι' ἡμᾶς ἐπιτύχουσε; πῶς οὕτε κλίην, οὕτε στρωμνὴν εἶχεν, ἀλλ' ἐπὶ ξηρᾶς ἐρρίπτο φάτνης; Ὡς πενία πλοῦτον πηγῇ ὡς πλοῦτε ἀμετρε, πενίας πρόσχημα φέρων! Ἐν φάτῃ κεῖται, καὶ τὴν οἰκουμένην σαλεύει· ἐν σπαργάνοις ἐμπλέκεται, καὶ τὰ τῆς ἀμαρτίας διαβρῆσαι δεσμά· οὕτω ἐναθρον ἐβρῆξε φωνῆν, καὶ τοὺς μάγους ἐδίδαξε, καὶ ἐκίνησε πρὸς ἐπιστροφὴν. Τί εἶπω, ἢ τί λαλήσω; Ἰδοὺ βρέφος σπαργάνοις ἐμπλέκεται, καὶ ἐν φάτῃ κεῖται· πάρεστι δὲ καὶ Μαρία παρθένος οὔσα καὶ μήτηρ· παρῆν δὲ καὶ Ἰωσήφ ὀνομαζόμενος πατήρ. Οὗτος ἀνὴρ λέγεται. ἐκείνη γυνὴ προσαγορεύεται· ὀνόματα ἔνομα συζυγίας ἔρημα. Μέχρι ρημάτων νόησαί μοι, ἀλλ' οὐ μέχρι πραγμάτων. Μόνον οὗτος ἐμνηστεύσαστο, καὶ Πνεῦμα ἅγιον αὐτῇ ἐπεσκίασεν. Ὅθεν ἀπορῶν ὁ Ἰωσήφ οὐκ ἦβει τί καλέσει τὸ βρέφος. Ἐκ μοιχείας αὐτὸς εἰπεῖν οὐκ ἐτόλμα, κατὰ τῆς παρθένου βλάβησιν καταχέειν λόγον οὐκ ἠδύνατο, τέκνον αὐτὸ εἰπεῖν ἴδιον οὐκ ἠνείχετο· ἦβει γὰρ κατὰ τὸν ὅτι οὐκ ἔγνω· πῶς ἢ πάθῃ ἐτέθη τὸ βρέφος; ὅθεν ἀποροῦντι αὐτῷ πρὸς τὸ πρᾶγμα χρησιμὸς οὐρανόνθεν διὰ τῆς τοῦ ἀγγέλου φωνῆς ἐπεφερέτο, ὅτι Μὴ φοβοῦ, Ἰωσήφ· τὸ γὰρ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς ἐκ Πνεύματος ἔστιν ἅγιον. Πνεῦμα γὰρ ἅγιον ἐπεσκίασεν τῇ παρθένῳ. Διὰ τί δὲ ἐκ παρθένου τίχεται, καὶ τὴν παρθενίαν ἀσήμερον τηρεῖ; Ὅτι πάλαι παρθένον οὔσαν τὴν Εὐαν ἠπάτησεν ὁ διάβολος, διὰ τοῦτο παρθένον οὔσαν τὴν Μαριάμ ὁ Γαβριὴλ εὐηγγελίσαστο. Ἀλλ' ἀπατηθεῖσα μὲν ἡ Εὐα ῥῆμα ἔτεκε θανάτου αἰτίων· εὐαγγελισθεῖσα δὲ ἡ Μαρία λόγον ἐν σαρκὶ ἐγέννησε, ζωῆς αἰωνίου ἡμῖν πρόξενον. Τὸ ῥῆμα τῆς Εὐας ζῶλον ἔδειξε, δὲ οὐ τὸν Ἀδάμ ἐκ τῆς

<sup>a</sup> Sav. conj. λανθάνοντα.

<sup>b</sup> Reg. θάνατος, sine articulo, moxque similiter κατάρα.

<sup>c</sup> Reg. Ἀσσύριοι προτάσσονται.

<sup>d</sup> Ita Reg. διὰ τῶν ἀποστόλων αὐτὸν ἔγνωσαν. In edito Morel. hæc corrupta erant: Ἰορδάνου, οὐδὲ τότε ἐκ τῶν ἀποστόλων ἐγνώρισαν (Savil. 1. ο. τ. διὰ τ. ἀ. αὐτὸν ἐπέγνωσαν) nec quadrabant ad interpretationem Frontonis. Infra non pauca desunt in ms.

<sup>e</sup> Reg. χριστός.

<sup>f</sup> Reg. ἐνταῦθα καταπαύσω τὸν λόγον, τὸ λοιπὸν τῆς πραγματείας, τῇ ἐξῆς ὑμῖν ταμειωσάμενος. Ὡδε: quæ lectio non spernenda.

<sup>g</sup> Reg. μέχρι λόγων οἱ γάμοι· ἀλλ' οὐ μ. π. Deinde Savil. pro οὗτος e var. lect. in marg. ὁ ἄγγελος.

παραδείσου εξέωσεν ἂ ὁ Λόγος δὲ ὁ ἐκ τῆς Παρθένου τὸν σταυρὸν εἶδειξε, δι' οὗ τὸν ληστὴν εἰς πρόσωπον τοῦ Ἀδάμ εἰς τὸν παράδεισον εἰσῆγαγεν. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐπίστευον Ἕλληνας, οὐκ Ἰουδαῖοι, οὐχ αἰρετικῶν παῖδες, ὅτι ὁ Θεὸς ἀρβύετως καὶ ἀπαθῶς ἐγέννησε, διὰ τοῦτο σήμερον ἐκ παθητοῦ σώματος προελθὼν, ἀπαθὲς τὸ παθὴν διετήρησε σῶμα. Ἐνα δεῖξῃ, ὅτι ὡπερ ἐκ τῆς παρθένου τεχθεὶς τὴν παρ-  
θενίαν οὐκ ἔλυσεν, οὕτω καὶ ὁ Θεὸς ἀρβύετου καὶ

<sup>a</sup> Reg. παραδείσου ἐτέβαλεν. Vox εξέωσεν in usu SS. Patribus.

ἀναλλοιώτου μενούσης τῆς ἀγίας οὐσίας, ἐς Θεὸν Θεοπροεπῶς ἐγέννησεν. Ἐπειδὴ γὰρ καταλιπόντες αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι ἀνθρωπόμορφα ἔγλυφον ἔξανα, οἷς καὶ ἐλάτρευον ἐφ' ὕβρει τοῦ κτισταῦς, διὰ τοῦτο σήμερον [400] ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, Θεὸς ὢν, ἐν μορφῇ ἀνθρώπου ἔφθη, ἵνα καὶ τὸ ψεῦδος λύσῃ, καὶ λαθρανόντως εἰς αὐτὸν τὴν λατρείαν ἀπενέγκῃ. Τοῦτω οὖν τῷ ἐξ ἀπόρων πόρον ἐργασασμένῳ Χριστῷ δόξαν ἀναπέμφμεν σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

## MONITUM

Ad hanc homiliam hæc notat Savilius : « Hanc orationem damus ex Editione Romana, castigatam et aliquot pagellis ex Ms. Cæsareo auctam : quæ sane, absque Photio esset, inter ἀμφιβαλλόμενα, quamvis ex veteribus alicujus fuisse videatur, locari debuisset. Neque vero tanti est apud me auctoritas Photii, qui alia quædam non optimæ notæ recepit, ut inter γνήσια ἀναμφιδόλως ἀνυμερανδὰν censeam. Nam primo, stylus est a Chrysostomi caractere alienus. Secundo, tota scætet allegoriis, quas Noster fere, nisi veniam præfatus, non solet admiscere. Tertio, quod Ignatius nominatim citetur, quod huic Nostro insolens. Postremo, tota intentionis ratio et saltus potius quam transitus ab una re in aliam, nostrum χρυσόδημονα non sapiunt. Et certe in decem his homiliis » (loquitur Savilius de decem homiliis, quas cum hac Tomo 6 una serie posuit) « a viris doctis Romæ editis, vix duæ sunt, summum tres γνήσια. Paulo tamen illi felicitus, quam alii fecerunt, iique viri doctissimi, qui nobis ex decem vel duodecim vix unam dederunt γνήσιαν. Hoc idem tamen de unico legislatore argumentum in germanis ejus scriptis sæpe egregie γυμνασθὲν reperitur, hic certe vix, idque frigide attingitur. Scripta videtur hæc oratio, ut ex epilogo patet, difficillimis reipublicæ temporibus, et imminentibus exitio Orientalis Imperii barbaris nationibus, quod in tempora Chrysostomi vix quadrare videtur. » De hac porro homilia deque aliis, quæ Chrysostomi nomen præferunt, illiusque γνήσια non sunt, hæc habet Fronto Ducæus, quæ proœmii loco præmittuntur Notis ad sextum Tomum, qui Spuria omnia continet.

## IN SERMONES S. JOAN. CHRYSOSTOMI

de diversis utriusque Testamenti locis Notæ Frontonis Ducæi Soc. Jesu theologi.

« Quod ab aliis operum sanctorum Patrum editoribus facitatum est, ut dum eorum libros e Græco verterent, vel Latinos emendant, quos ut legitimos eorum fœtus agnoscebant, suum quoque judicium proferrent de iis quos ob styli dissimilitudinem, vel doctrinæ diversitatem, eorum dignitatem ac famam non sustinere censerent, quorum nomina præ se ferebant : id mihi S. Joannis Chrysostomi lucubrationes in lucem edenti concedendum nullus opinor justus rerum æstimator negabit. Nam et antea Justinii Martyris libros vidimus a Joachimo Periono et Sigismundo Gelenio, et Athanasii a Petro Nannio versos in duas classes distinctos : et Hieronymi atque Augustini opera a Mariano Victorio et Lovaniensibus theologis sic emendata, ut simul censuram suam adjungerent, qua lectorem de iis quæ genuina erant, quæque falso illis inscripta, seorsim monerent. Quinetiam de hoc ipso Chrysostomo non dubitavit idem præstare Photius in Bibliotheca sua, cum de ejus Homilia in decollationem S. Joannis Baptistæ ita scripsit pag. 832 : ἐπιγράφεται μὲν τοῦ Χρυσοστόμου· οὐκ ἐμοὶ δοκεῖ δέ. Τοῖς γὰρ ἐνθυμήμασι καὶ πλείρα τῆς γραφῆς πολλὰ τὸ ἐνδοεὺς τῶν ἄλλων αὐτοῦ λόγων διαφέρεται : Hæc oratio Chrysostomi nomine inscribitur; non tamen mihi ejus esse videtur. Argumentis enim modoque scribendi multum a reliquis ejus orationibus distinguitur. Idem et de tertia ejusdem argumenti fert judicium. Exstat præterea in Augustana Bibliotheca Græcus Catalogus operum Joannis Chrysostomi in Codice manuscripto exaratus, quem olim nobis communicavit v. c. Marcus Velsorus Duunvir, antequam in Anglia typis excuderetur, hoc præfixo titulo, οἱ ἀληθῶς τοῦ Χρυσοστόμου γνήσιοι λόγοι· οἱ δὲ τοῦτων ἐξωθεν ψευδεῖς. Quæ vere sunt Chrysostomi genuinæ orationes; quæ vero extrinsecas reperiantur, falsæ sunt. Sed non de integris tamen Commentariis, vel de tractatibus amplioribus sententiam tulit auctor hujus Catalogi, quales sunt in Matthæum, et Joannem, vel de Sacerdotio et contra Judæos libri, verum de Sermonibus sive Homiliis singularibus, quæ unum aut alterum Scripturæ locum exponunt. Horum exemplum sequutus vir doctissimus Sixtus Senensis libro 4 Bibliothecæ sacræ dnos catalogos texuit, quorum unus opera complexus est, quæ sine ulla controversia Chrysostomi esse creduntur; alter, eorum quæ perperam eidem putantur inscripta. Ut autem utrumque tueretur, in legitimis solere dixit auctorem tres in partes concionem suam dividere, in parascēven, exegeticen, et ethicen. In parascēve seu præparatoria parte nunc argumentum quod tractatoris est, commendans, nunc auditorum frequentiam et alacritatem collaudans, et repetens quæ prius dixerat, auditorum animos ad reliquam dictionem jucundis exordiis disponit. In secunda, quæ expositoria est, in explicatione Scripturæ versatur juxta historiam, sive literalem intelligentiam, quam pro fundamento substernit, eamque dilucidis paraphrasis illustrat, nec ad remotas quasdam allegorias detorquet, sed in vera literæ sententia persistit, exemplo Eusebii Emisēni et Diodori Tarsensis. In tertia parte, quæ moralis est, digreditur in locos communes de contemptu divitiarum, de vitii fugiendis, atque exspatiatur nonnumquam in selectis moralis institutionis paradoxis sibi uni propriis, ut, Neminem lædi nisi a seipso; Melius esse injuriam pati, quam inferre. Solet etiam similibus, dissimilibus, collationibus, et metaphoris abundare, admirabili artificio concinnatis. In altero vero catalogo sermones recensentur, qui licet eruditi sint ipsi, et digni qui legantur, ex multis tamen conjecturis apparet, eos non esse Chrysostomi, sed auctorum, quibus neque candor, neque illa perpetua facilitas inest, quam in Chrysostomo miramur, sed sermo grammaticus, et concisus, atque affectione duriusculus, comparisonibus destitutus et abundans similiter desinentibus sentiis, ac vocum argutiis aut etymologiis, a quibus abhorret Chrysostomus, ac sæpe relicto sensu historico, ad allegoricos et anagogicos auctor revolvitur. Assentitur huic Sixti censuræ illustriss. Cardinalis Bellarminus in Catalogo Scriptorum Ecclesiast., ejusque judicium probat de xiv in Marcum sermonibus, quorum auctor monachus fuit sub episcopi potestate constitutus, et ad monachos edidit

paradiso Adamum expulit : Verbum autem quod ex Virgine prodiit, crucem exhibuit, per quod latronem vice Adami in paradysum introduxit. Nam quoniam neque gentiles, neque Judæi, neque hæretici credebant Deum sine passione ac defluxu genuisse, propterea hodie ex patibili corpore progressus, impatibile conservavit corpus patibile, ut ostenderet, quemadmodum ex virgine natus virginitatem non solvit ; ita Deum quoque, non defluxa nec mutata manente sacra substantia, tamquam Deum, prout Deo conveniebat,

Deum genuisse. Postquam enim homines eo derelicto statuas sibi humana præditas forma sculpsent, quibus in Creatoris contumeliam cultum deferebant, propterea Dei Verbum, cum Deus esset, hodie in hominis forma apparuit, ut mendacium dissolveret, et occulte in seipsum cultum omnem transferret. Huic igitur, qui res impeditas ita reddidit expeditas, Christo Domino gloriam offeramus et una Patri et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

### AD HOMILIAM DE LEGISLATORE.

explanationes suas frequentibus allegoriis intermixtas et interdum violentis. Horum itaque doctorum virorum vestigiis insistentes nos quoque, cum in aliis quinque Tomis Lutetiæ vulgatis eos exhibuissemus libros atque sermones qui nobis legitimi fœtus auctoris nostri videbantur, paucis exceptis in Psalmos, quos in calcem Tomi rejecimus, qui conciones in Psalmos et Isaiam prophetam complectitur, in hunc demum sextum Tomum conjecimus eos, qui non integros Scripturæ libros, sed singularia quædam loca explicant, et stylo conscripti sunt ab aliis Chrysostomi operibus diverso, cum tota dramatica sit oratio, et ex prosopœis conflata, sæpe commatica et concisa, atque ad allegorias tractata; collationibus carens aliisque leporibus, qui Chrysostomo sunt familiares : auctorum tamen sunt vel Chrysostomo cœvorum, vel ex erudita illa antiquitate, quæ ab ejus ætate non multum abfuit.

Neque vero mirum quosdam ex illis in antiquis etiam Synodis sub nomine Chrysostomi citari, cum jam in usu essent in Ecclesiis, neque soleant Concilia dum testimonia proferunt, in auctores inquirere aut alias quæstiones excutere ab ea diversas quam præ manibus habent, sed quæ passim offeruntur usurpare, et quacumque ratione receptos scriptores hæreticorum commentis opponere, quemadmodum et apostoli, ac reliqui patres apocryphos libros, ut Hermæ Pastoris, et Evangelium Hebræorum ac Nazaræorum citantur : licet jam ab illorum temporibus mos ille inolevisset, ut patribus supposititios fœtus attribuerent, quemadmodum et ipsis apostolis περιόδους Pauli et Theclæ, et Acta Petri atque Apocalypsim adscriperunt.

Hæc prima classis eos sermones continet, qui falso Chrysostomo tribuuntur, a prima pagina usque ad 608 : altera vero illos exhibet qui licet ipsius sint, non tamen censendi sunt ab illo habiti, ut scripti occurrant, sed ἀπαιθίσματα potius et flores ex hortis ejus collecti sunt, in eorum usum qui ex moralibus digressionibus eos decerpebant, quales sunt illæ LIV conciones, vel potius centones ex diversis concionum laciniis concinnati, et Homiliis XXI ad populum Antiochenum subjuncti; quorum fontes indicavimus, et suis eos natalibus restitimus. Non enim parvi refert intelligere lectorem, nequaquam ita dispositos ab auctore fuisse sermones illos, ne forte falsam existimet Sixti Senensis doctrinam, illos in tres partes dividendis, et allegoricas explanationes ab illis sejungentis : aut idcirco licere putet statim ab ipso exordio vel affectus movere, vel cohortationem moralem adhibere, ut in illis sit centonibus, quos numquam Chrysostomus vir facundissimus ex variis ita fragmentis coagmentasset. Verumtamen hoc nostrum iudicium ita non proponimus, ut soli de illius operibus arbitri sedere velimus, sed optimi et eruditi lectoris censuræ illud subijcimus, ut videat num multo satius sit quæ vera sunt et genuina distinguere a supposititiis, et suo momento scripta quæque ponderare, quam spuria pro germanis venditare, atque in disputationibus cum adversariis Ecclesiæ, Patroclum sub armis Achillis latentem in aciem mittere, majori cum ignominia cædendum, quam si suis lectus armis prodisset.

Hactenus Fronto Ducæus de spuris Chrysostomi operibus, quæ in sexto Tomo posuit, in quibus agmen ducit hæc de legislatore homilia : Tomumque illum absolvunt ἀπαιθίσματα seu Florilegia, quæ in fine hujusce Tomi edentur. Ut spuriam arbitremur suadent illa omnia quæ Savilius supra notavit; styli diversitas tanta, ut sola possit nos ad calculum contra ferendum deducere; allegoriarum usus frequens, contra morem Chrysostomi; Ignatius Martyr allatus; quod nusquam apud Chrysostomum videre est. Et vero insolens est apud Chrysostomum SS. patres, qui præcesserunt, in medium nominatim allatos videre. Series intricata, contra Chrysostomi morem; qui quasi annis sine salebris semper manat. Hæc argumenta, confutata frustra conatur Pearsonus de Ignatio Edit. Cantabriensis Tom. 1, pag. 132 et seqq. Felicius, refellit illud aliud quod adijcit Savilius, nempe hanc orationem factam esse imminente exitio imperii Constantinopolitani, et difficillimis reipublicæ temporibus. Nam fateamur necesse est hæc esse obscuritatis plena, vixque hinc posse notam vel γνησιότητος, vel νοθεύτας erui. Sed alia quæ præmissis satis superque sunt ad homiliam Chrysostomo abjudicandam. Nam quod Photius eam pro genuina habuerit, id non magnum negotium facessit, quandoquidem ille non pauca alia spuria pro veris habuit. Alio item non spernendo argumento ejus γνησιότητος impugnatur, quod nimirum paulo ante finem dicatur, ἔχομεν τὴν δεξιότατον ἡμῶν τὴν θεοτόκον τὴν ἀγίαν ἀειπαρθένον Μαρίαν : *Habemus Dominam nostram Deiparam sanctam semper virginem Mariam*, quæ etiam repetuntur. Licet enim B. virgo Maria semper in Ecclesia cum honoris significatione commemorata fuerit, non solebant sancti PP., præsertimque Chrysostomus, hæc sic conglobatim afferre, quod nemo qui SS. PP. primorum quinque sæculorum legerit inficias ibit. Aliud adfertur argumentum ex sequentibus verbis desumptum : *Dicamus et nos Paulo, quemadmodum et prisci illi : Cum in Macedonia pertransieris, nobis auxiliare*. Hinc arguitur, inquit, eum qui hæc concionabatur, in Macedonia fuisse. Verum nescio an quidpiam inde erui possit; libenter enim credam hinc Macedoniam poni, quia in Scriptura habetur; sed mentem scriptoris esse, in quavis regione sic precandum esse. Certe non Macedoniam solum, sed totum Imperium tunc periclitatum esse hic scriptor innuit. Sub iudice lis esto.

*Hæreticus quomodo respondendum. Contra Anomæos agitur.*— Oportet igitur nos quoque, fratres, hac regula a Domino accepta, non omnia hæreticis interrogantibus dicere. Cum male interrogaverit hæreticus, altera justa interrogatione absurdam ejus quæstionem solve. Sæpe percontatur hæreticus: Nosti Deum, an non nosti? Si dixeris, Novi, statim reponit: Ergo nosti quod colis? Sane, inquit pius. Quis enim sustineat dicere, se id colere quod non novit? Instat ille: Nosti ergo Dei substantiam? Si te scire negaveris, statim objicit: Ergo non nosti id quod colis. Vide mihi dehorta verba; vide malignorum serpentium versutias. Vides: verum turbari non oportet. Illud enim, fratres, sciendum est, multos esse sciendi modos. Potest quis scire Deum esse, nec tamen scire quomodo sit. Quandoquidem etiam apud nos homines multæ sunt cognitionis viæ. Novi hunc hominem in ista urbe manere, nec tamen novi quam artem exerceat: novi alium talem exercentem artem, nec novi unde genus ducat. Partim nempe cognosco, partim ignoro. In summa, particularis cognitio non inducit perfectam scientiam, neque non omnia cognoscere, particularem tollit cognitionem. Quid ergo? Novi esse Deum, illumque bonum, immortalem, incorruptibilem, quem cogitatione capere non possumus, incomprehensibilem, incorporeum, immutabilem. Hæc omnia novi, et cognoscens adoro. Quomodo autem sit non novi, neque edoctus sum exquirere quomodo sit, sed quod sit. Apostolo enim majorem neminem invenio doctorem, qui possit majorem mihi pietatem suppeditare: qui clara voce usus ad hunc modum docet: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est* (Hebr. 11. 6): non quomodo est, sed *Quia est, et inquirentibus se remunerator est*. Itaque quod novi colo. Non didici Dei substantiam explorare. Credere didici, fratres; credere, non scrutari. Lege confessionem tuam, hæretice, in arcano et tremendo mysterio prolata. Quando ad baptismum accessisti, quid dixisti? an quærens, an curiose explorans, vel credens? Alia conditione venisti, et cum alio pacto (a) dignatus es illa gratia. Ac si hæc sentiens gratia donatus es, fidem et pacta violasti, et in tremendis quidem horrendisque mysteriis fidem obtulisti, extra mysteria vero constitutus, fidem circumscribis, et quæstionem moves.

3. *Anomæorum objectio. Opera Dei non capimus, quanto minus Deum.*— At vide quid dicat inimicus veritatis. Num frustra Deus ratiocinia nobis indidit? num frustra accepimus judicii facultatem? Oportet rationibus investigare fidem, nec sine examine religionem esse. Recte. Verum examinis normam esse oportet divina eloquia, regulasque pietatis a Deo nobis traditas. Tu vero regulas transgressus, non

(a) Emendandus per occasionem est Leidradus de Baptismo cap. 6, ut in eo sic legatur: *Has pactiones fideles in curiam profertur angelicam: nomina profitentium in libro excipiuntur viæ, non a quolibet homine, sed a superiori cælitus potestate. Veterum Analectorum Tom. 3. Coteler.*

inhæres divinis Scripturis, sed divina scrutaris, et vim infera veritati; et ubique affectas rationum magis sequi salebras, quam fidei servire, quasi aliorum peritiam habeas, aut aliorum, nempe quæ certantur, experientiam. Renuntia mihi ratiociniorum serie fultus, quomodo cælum stetit, in tanta altitudine, in tam immensa concavitate, et nullum in tanto ambitu fulcrum habens? Quomodo stetit, a quo gestatur, quæ fundamenta sunt quibus nititur? qua ratione per tantum tempus non solvitur pulchritudo, non perit concentus ejus? Ostende columnas quæ fulciant, ostende basim tantæ moli subjectam. Ecquid de cælo loquor, non de terra quam calco? Primum explica mihi terræ constitutionem. Quod enim super aquas fundata sit (Psal. 23. 2), hoc et ego accepi, et tu confiteris. At quomodo super aquas firmata sit, expone. Ne simpliciter sermonem excipias, sed quæstorum rationem redde: quomodo tot tantique montes, colles, valles super aquas ferantur. Dic quomodo mare separatum sit; dic quo pacto tot fluctibus agitato, et in immensam surgens altitudinem, cum arenam attingit solvatur, et legislatoris terminum reverteatur. Interpretare, frater, quomodo cum una sit terra, una mater, diversæ plantæ sint, unde radices amaræ, unde dulces, unde fructuum varietates. Una terra germinans est, unus imber alit: unde differentia? Explica unde prodierunt fontes, et ex quibus abyssis: qua ratione hæc possint comprehendi. Verum quando de his dubitaverimus, unam habemus veram et piam quæstionum solutionem. Atque beatus David cecinit his verbis: *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide* (Psal. 32. 4). Opera sine fide comprehendi nequeunt, et Deus sine fide inveniri poterit? Opera non sine fide, et Filius demonstratione? *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide*. Verum nos, relicta veritatis hostibus, ad sanam tutamque fidem redeamus, piæque religionis regulam ostendamus, ipsa veritate efulgentem. Inter veteres Moyses nemo fide dignior: in recentioribus nemo Paulo sapientior. Quære veterem statum, et neminem Moyse majorem reperies: nam *Novi te, et invenisti gratiam præ omnibus*<sup>1</sup> (Exod. 33. 12). In novo Testamento nemo Paulo perfectior: *Vas enim electionis est* (Act. 9. 15), Christumque habet in seipso loquentem. Ne prætergrediaris terminos Moysis et Pauli. Quid invenit Moyses, comprehensionem substantiæ, an gloriam Dei? Moyses, fratres, venit in concupiscentiam Dei, ut homo religiosus, et ignoravit se rei impossibilis desiderio teneri: attamen per ea, quæ petiit a Deo, quid desideraret ostendit. Quid enim ait? *Obsecro, Domine, si invenisti gratiam in conspectu tuo, manifeste videam te, ostende te mihi* (Exod. 33. 13). Frater erat is Philippi dicentis: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (Joan. 14. 8). Domine, tu dixisti, *Invenisti gratiam in conspectu meo: ostende mihi temetipsum, ut manifeste videam te*. Vidit quidem cum

<sup>1</sup> Cesarii Quæst. 176: *πρὸς ἑπαντας (f. παρὰ πάντας) ἀνθρώπους ἔγνω σε, καὶ εἶδες χάριν ἐνώπιόν σου.*

κακία, οὔτε πρὸς τὰ δεξιὰ τῆς ἀληθείας τολμήσασα ἰδεῖν, διὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος ἄρνησιν, οὔτε πρὸς τὰ ἀριστερὰ τοῦ ψεύδους, διὰ τὸν τοῦ λαοῦ φόβον.

Δεῖ τοίνυν καὶ ἡμᾶς, ἀδελφοί, τοῦτον τὸν κανόνα παρὰ τοῦ Κυρίου λαμβάνοντας, μὴ πάντα ταῖς ἐρωτήσεσι τῶν αἰρετικῶν δίδόναι. Ὅταν κακῶς ἐρωτησῆται αἰρετικῶς, ἀντερωτησῆται δικαίᾳ λύσον αὐτῷ τὴν ἄτοπον πῦσιν. Πυθάνεται πολλάκις αἰρετικῶς· Οἶδας τὸν Θεόν, ἢ οὐκ οἶδας; Ἐάν εἴπῃς, ὅτι Οἶδα, εὐθέως ἐπάγει· Οἶδας οὖν ὁ εὐσεβεῖς; Ναί, φησὶν ὁ εὐσεβής. Τίς γὰρ ὅπως ὑπομένει· λέγων, ὅτι Ὁ μὴ οἶδα σέβω; Πάλιν ἐπάγει· Οἶδας οὖν τοῦ Θεοῦ τὴν οὐσίαν; Ἐάν εἴπῃς, ὅτι Οὐκ οἶδα, εὐθέως ἀντιτιθῆσιν· Οὐκοῦν οὐκ οἶδας τί σέβεις. Ὅρα μοι [421] τὰ σχολιὰ ῥήματα· ὄρα μοι τῶν πονηρῶν ὄρων τὰς ποικιλίας. Ὅρᾳς; ἀλλ' οὐ δεῖ ταράττεσθαι. Ἐκεῖνο γάρ, ἀδελφοί, εἰδέναι χρῆ, ὅτι τοῦ εἰδέναι πολλοὶ τρόποι. Δύναται τις εἰδέναι ὅτι ἔστι Θεός, οὐ τὸ πῶς ἔστι. Ἐπεὶ καὶ ἐφ' ἡμῶν τῶν ἀνθρώπων πολλὰ τῆς γνώσεως ὁδοί. Οἶδα τόνδε τὸν ἀνθρώπον ἐν τῇδε τῇ πόλει διάγοντα, οὐ μὴν οἶδα καὶ ποίαν μετέρχεται ἐργασίαν· οἶδα ἕτερον τῆνδε μετιόντα τὴν ἐργασίαν, οὐ μὴν οἶδα καὶ πόθεν φέρεται τὸ γένος. Καὶ μέρει γὰρ γινώσκω, μέρει δὲ ἀγνοῶ. Καὶ πάντως, οὔτε ἡ μερικὴ γνώσις ὀλόκληρον εἰσάγει γνῶσιν, οὔτε τὸ μὴ κατὰ πάντα γινώσκειν, τὴν μερικὴν ἀναιρεῖ γνῶσιν. Τί οὖν; Οἶδα τὸν Θεόν ὅτι ἔστιν, ὅτι ἀγαθός ἔστιν, ὅτι ἀθάνατός ἔστιν, ὅτι ἀφθαρτός ἔστιν, ὅτι ἀπερινόητός ἔστιν, ὅτι ἀκατάληπτός ἔστιν, ἀσίματός ἔστιν, ἀναλλοιώτός ἔστι. Ταῦτα πάντα οἶδα, καὶ εἰδὼς προσκυνῶ. Τὸ δὲ πῶς ἔστιν οὐκ οἶδα, οὐδὲ ἐδιδάχθην πολυπραγμανεῖν τὸ πῶς ἔστιν, ἀλλ' ὅτι ἔστιν. Τοῦ γὰρ Ἀποστόλου οὐδένα εὐρίσκω μερίζονα διδάσκαλον, δυνάμενον μοι κρεῖττονα εὐσεβεῖαν ὑποτιθεσθαι· ὃς λαμπρᾶ χρησάμενος τῇ φωνῇ ὡδὲ πη διδάσκει λέγων· Πιστεύσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον Θεῷ, ὅτι ἔστιν· οὐ τὸ πῶς ἔστιν, ἀλλ' Ὅτι ἔστι, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεσθαι. Ὅστε ὁ οἶδα σέβω. Οὐκ ἔμαθον οὐσίαν Θεοῦ πολυπραγμανεῖν· πιστεύειν ἔμαθον, ἀδελφοί· πιστεύειν, οὐ πολυπραγμανεῖν. Ἀνάγνωθι σου τὴν ὁμολογίαν, αἰρετικῆ, τὴν ἐν τῷ κρυπτῷ καὶ φοβερῷ μυστηρίῳ συμφωνηθεῖσαν. Ὅτε προσῆλθες βαπτισθῆναι, τί εἶπας; ζητῶν, πολυπραγμανεῖαν ἐρευνῶν, ἢ πιστεύων; Ἄλλως ἦλθες, καὶ μετὰ ἄλλων συνθηκῶν κατηξιώθης τῆς χάριτος ἐκείνης. Εἰ γε κατηξίωσαι τοιαῦτα φρονῶν, καὶ παρεσπόμενος τὰς συνθηκὰς, καὶ ἐπὶ μὲν τῶν φοβερῶν καὶ φρικτῶν μυστηρίων τὴν πίστιν προσήγαγες, ἐξωξὲ τῶν μυστηρίων γενόμενος, περιγράφεις τὴν πίστιν, καὶ προσφέρεις ζήτησιν.

γ'. Ἄλλ' ὄρα τί φησὶν ὁ ἐχθρὸς τῆς ἀληθείας. Μὴ γὰρ ἀργῶς ἡμῖν ὁ Θεὸς δέδωκε λογισμούς; μὴ γὰρ ἀπλῶς εἰληφάμεν τοῦ νοῦ τὸ κριτήριον; Δεῖ καὶ λογισμοὺς ἐρευνᾶν τὴν πίστιν, καὶ μὴ ἀνεξέταστον εἶναι τὴν εὐσεβεῖαν. Καλῶς. Ἄλλὰ τῆς ἐξετάσεως ὄρον

εἶναι [δεῖ] τὰ θεῖα λόγια, καὶ τοὺς παρ' αὐτοῦ ἡμῖν δοθέντας τῆς εὐσεβείας κανόνας. Σὺ δὲ τοὺς κανόνας ὑπερβαίνων, οὐ στοιχεῖς ταῖς θεοπνεύστοις Γραφαῖς, ἀλλὰ πολυπραγμανεῖς τὰ θεῖα, καὶ βιάσεις τὴν ἀληθειαν, καὶ πανταχοῦ σπεύδεις καὶ λογισμῶν ἀνωμαλίᾳ μᾶλλον ἀκολουθῆσαι, ἢ πιστεῖς δουλεύσαι, ὡς περ τῶν ἄλλων κατειληφῶς τὴν πείραν, ἢ τῶν ἄλλων ἐν πείρᾳ γενόμενος τῶν ὀρωμένων. Ἀπάγγειλόν μοι, λογισμῶν ἀκολουθία χρησάμενος, πῶς ἐστῆκεν ὁ οὐρανός, εἰς τοσοῦτον ὕψος κοιλαινόμενος ἄπειρον, καὶ μὴδὲν ἐν τοσαύτῃ περιγραφῇ τὸ ὑπερῆδον ἔχων, πῶς ἐστῆκεν, τίνας βαστάζεται, τίνες αἱ κρηπίδες ἐφ' ὧν ἐστήρικται; πῶς ἐν τοσοῦτῳ χρόνῳ οὐ λύεται τὸ κάλλος, οὐκ ἀφανίζεται ἡ ἄρμονία; Δεῖξον τοὺς βαστάζοντας κίονας, [422] δεῖξον τὴν ὑποβάθραν τὴν τοσοῦτοις ὄγκοις ὑποκαίμενην. Τί δὲ ἐρῶ περὶ οὐρανοῦ, καὶ οὐ περὶ γῆς ἢν πατῶ; Πρῶτον ἐρμήνευσόν μοι τῆς γῆς τὴν κατάστασιν. Ὅτι μὲν γὰρ ἐπὶ ὑδάτων τεθεμελιώται, τοῦτο καγὼ παρέλαβον, καὶ αὐτὸς ὁμολογεῖς. Πῶς δὲ ἐπὶ τῶν ὑδάτων ἐστήρικται, ἐρμήνευσον. Μὴ ἀπλῶς ἀκολουθήσης τῷ λόγῳ, ἀλλὰ λογισμὸν ἀπόδος τῶν ζητούμενων· πῶς ὄρη τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα, καὶ βουνοὶ καὶ πεδιάδες ἐπὶ ὑδάτων φέρονται; Εἰπέ πῶς ἡ θάλασσα ἀφώρισται· εἰπέ πῶς ἡ τοσοῦτοις μαινομένη χύμασι καὶ εἰς ὕψος ἄπειρον κορυφουμένη, ἐπιβὰν πλησίον τῇ ψάμμῳ, λύεται, αἰδεῖται τὸν ὄρον τοῦ νομοθέτου. Ἐρμήνευσον, ἀδελφὲ, πῶς μίᾳ γῆς οὐσης, μίᾳς μητρὸς, διάφορα τὰ βλαστήματα, πόθεν αἱ πικραὶ βρίζαι, πόθεν αἱ γλυκεῖαι, πόθεν τῶν καρπῶν αἱ διαφοραὶ. Μία γῆ βλαστάνουσα, εἰς ὄμβρος ὁ τρέφων, πόθεν ἡ διαφορά; Ἐρμήνευσον πόθεν προΐεσαν αἱ πηγαὶ, καὶ ἐκ ποίων ἀβύσσων, πῶς ταῦτα δυνατόν καταλαβεῖν. Ἄλλ' ὅταν περὶ ταῦτα ἀπορήσωμεν, ἔχομεν μίαν ἀληθῆ καὶ εὐσεβῆ τῶν ἀπορουμένων τὴν λύσιν. Καὶ ὁ μακάριος Δαυὶδ ἐμελέψθησεν ὡδὲ πη λέγων· Ὅτι εὐθὺς ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, καὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πίστει. Τὰ ἔργα ἄνευ πίστεως οὐκ ἔστι καταλαβεῖν, καὶ Θεὸν ἄνευ πίστεως εὐρεῖν δυνατόν; Τὰ ἔργα ἄνευ πίστεως, καὶ ὁ Υἱὸς ἐν ἀποδείξει; Ὅτι εὐθὺς ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, καὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πίστει. Ἄλλὰ γὰρ τοὺς ἐχθροὺς τῆς ἀληθείας ἀφέντες ἡμεῖς, ἐπὶ τὴν ὑγιῆ καὶ ἀσφαλῆ τῆς πίστεως (sic) ἐπανέλθωμεν, καὶ δεῖξωμεν τὸν κανόνα τῆς εὐσεβείας, δι' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἐκλάμποντα. Οὐδεὶς Μωϋσῆως ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἀξιοπιστότερος, οὐδεὶς Παύλου ἐν τοῖς νέοις σοφώτερος. Ἐρεύνησον τὴν παλαιὰν κατάστασιν, καὶ Μωϋσῆως οὐδένα μερίζονα εὐρήσεις· Ἐργῶν γὰρ σε, καὶ εὐρες χάριν παρὰ πάντα. Οὐδεὶς Παύλου ἐν τῇ Νέᾳ τελειότερος· Σκεῦος γὰρ ἔστιν ἐκλογῆς, καὶ λαλοῦντα ἔχων ἐν αὐτῷ τὸν Χριστόν. Μὴ ὑπερβῆς τοὺς τοῦ Μωϋσῆως ὄρους καὶ τοῦ Παύλου. Τί εὐρε Μωϋσῆς, κατάληψιν οὐσίας, ἢ δόξαν Θεοῦ; Μωϋσῆς, ἀδελφοί, ἦλθεν εἰς ἐπιθυμίαν Θεοῦ, ὡς ἀνθρώπος φιλόθεος, καὶ ἠγνόησα μὲν, ὅτι ἀδύνατον ἐπεθύμει· ὁμοῦς δὲ δι' ὧν ἦτησεν τὸν Θεόν, εἰδείξεν. Τί γὰρ φησι; Δέομαι, Κύριε, εἰ εὐρηκα χάριν ἐνώπιόν σου, γνωστῶς ἴδω σε, ἐμφάνισόν μοι σαυτόν.

\* Forte πολυπραγμονῶν, ἐρευνῶν. COTELER.

Ἄβελφος ἦν οὗτος τοῦ Φιλίππου τοῦ λέγοντος· Δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν. Κύριε, σὺ εἶπας, ὅτι *Ἐδρες χάριτι ἐνώπιόν μου, ἐμφάνισόν μοι σεαυτὸν, ὅπως γνωστῶς ἴδω σε*. Εἶδε μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ ἐπὶ τῆς βάρου, εἶδεν αὐτὸν καὶ ἐκ τοῦ ὄρους Σινᾶ, εἶδεν αὐτὸν καὶ ἐκ διαφόρων ἐπιφανέντα τόπων, καὶ διαφόρως τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ ἐνδειξάμενον· ἀλλ' ὁ μακάριος ἐκεῖνος Μωϋσῆς αὐτὸν ἰδεῖν ἐπόθει τῆς φύσεως τὸν χαρακτήρα· ἄνθρωπος ὢν, ἀνθρώπινα περὶ τῆς ὑπερκοσμίου δυνάμεως ἐφαντάζετο. Ὁ δὲ Θεὸς τὸν μὲν [423] πόθον τοῦ πιστοῦ θεράποντος ἐδέξατο· πείθει τὴν ἀνθρωπίνην ὄρεξιν τῶν ἀδυνάτων ἐπιθυμοῦσαν. Τί γὰρ φησι πρὸς αὐτόν; Οὐδεὶς ὄψεται τὸ πρόσωπόν μου, καὶ ζήσεται. Οὐ χωρεῖ ποθοῦμενον ἢ τῶν ποθοῦντων δυνάμεις, οὐ φέρεται ἰσχυρῶς τὴν ἀθάνατον φύσιν. Τί οὖν, ὦ Δέσποτα, καταλιμπάνεις τὸν πόθον ἀπαραμύθητον, καὶ οὐδὲ σκιάν παρέχεις τῆς ἐπιθυμίας τῷ φανταζομένῳ τοσοῦτον πόθον; Ὅθεν φησί· *Τίθημι σε εἰς τὴν πέτραν, καὶ σκεπάζω τῇ χειρὶ μου· καὶ ἐν τῷ παρέρχεσθαι τὴν δόξαν μου ὄψη τὰ ὀπίσθια, τὰ δὲ ἐμπρόσθια οὐκ ὄψη*. Ἐν τῷ παρέρχεσθαι, οὐκ εἶπεν, Ἐμὲ, ἀλλὰ, *τὴν δόξαν μου*· οὐ γὰρ ἔστιν, ὑπερβάντα τὴν δόξαν, οὐσίαν εὑρεῖν. Μωϋσῆς οὐδὲν εὑρε πλεον δόξης, καὶ ταύτην οὐκ εἶδεν εἰς ὀλόκληρον, ἀλλὰ τὰ νῦτα· οὐκ ἐπειδὴ νῦτοις καὶ στήθεσι διαγέγραπται ἡ θεία φύσις· ἀπλῆ γὰρ ἔστι καὶ ἀσύνητος· ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ Θεὸς ἑαυτὸν οὕτω γνωρίζει, οὐ κατὰ τὴν αὐτῷ πρόπουσαν ἀξίαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δυνάμιν τῶν μελλόντων ἀπολαύειν τῆς ὄψεως. Μωϋσῆς δόξαν ἐφθασε, καὶ τὴν δόξαν οὐχ ὑπερέβη. Καὶ σὺ, αἰρετικὴ, τὴν δόξαν ὑπερέβας, οὐσίαν Θεοῦ πολυπραγμονεῖς; Ἐλθωμεν καὶ ἐπὶ τὸν μακάριον Παῦλον. Παῦλος ἐν τῇ Νέᾳ Καταστάσει, ἐγκύψας μερικαῖς τισιν οἰκονομίαις τοῦ Θεοῦ, καὶ ὡσπερ ἰλιγγιάσας τὰ βάθη τῆς ἐννοίας, τὴν μεγάλην ἐκείνην καὶ ἐκπλήξεως γέμουσαν ἀνεδόθη φωνὴν, ὡδὲ πη λέγων· *Ὁ βάθος πλοῦτου σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ! ὡς ἀνεξερευνήτα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ! Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; Καὶ τὸ τέλος τοῦ λόγου· Ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἢ δόξῃ εἰς τοὺς αἰῶνας*. Ὅραξ ὅτι εἰς τὴν δόξαν ἐλθὼν τοῦ Θεοῦ, τὸν ὄρον οὐχ ὑπερέβη; Καὶ τί περὶ ἀνθρώπων λέγω; Ἀνάθητι πρὸς τὰ ὑπερκόσμια τῇ ἐννοίᾳ· ἐρώτησον τοὺς οὐρανοὺς καὶ εἰπέ· Τί μοι περὶ Θεοῦ ἀναγγέλλειν δύνασθε; οὐρανοί, διηγήσασθέ μοι ποταπὸς ὁ Θεός· ἀπαγγεῖλατέ μοι τί ἔστιν οὐσίᾳ ὁ Θεός. Ἄλλ' οὐκ ἀποκρίνονται οἱ οὐρανοί, περὶ τῶν ἀδυνάτων ἐρωτώμενοι. Ἄλλὰ καὶ ταῦτα τολμηρῶς ἐπερωτήσης, ἀποκριθήσεται διὰ τοῦ θαυμασίου Ἱερεμίου τοῦ θείου ἐκεῖνο λόγιον· *Ἐφρίξεν οὐρανὸς ἐπὶ τοῦτο*. Φρίττει γὰρ

οὐρανὸς ἀληθῶς, ὅταν ἴδῃ τὴν θείαν πολυπραγμονομένην φύσιν. Ἀντικρούσει δὲ καὶ ὁ μακάριος Δαυὶδ, τὴν ἄμετρον πολυπραγμοσύνην κολάζων, καὶ ἔρει, Οὐκ ἤκουσας, ὅτι *Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται* φύσιν Θεοῦ, ἀλλὰ, *Δόξαν Θεοῦ*. Οὐκ αὐτὸς σοὶ διὰ τῆς ἀγίας κιθάρας ἀνεδόθησεν, ὅτι *Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ*, οὐ φύσιν Θεοῦ; Οὐκ οὐσίαν ἐρμηνεύουσιν, ἀλλὰ δόξαν Θεοῦ ἀναγγέλλουσιν. Ἄλλὰ μὴ νομίζης τὰς ὑπερκοσμίου δυνάμεις εἶδέναι τι πλεον. Ἐρώτησον ἀγγέλους, ἐρώτησον λέγω, οὐκ ἐπειδὴ ἐπιτέτραπται [424] σοὶ προσομιλεῖν ταῖς ἀνω δυνάμεσιν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκ τῆς Γραφῆς ἔχεις τὰ φάρμακα, καὶ τὰ ἐπιστομίζοντά σου τὴν θρασυτητα. Ἐρώτησον τοὺς ἀγγέλους· ἐρώτησον ὅταν ἴδῃς αὐτοὺς ἐπὶ γῆς χορεύοντας ἢ ἀνυμνοῦντας. Εἰπέ αὐτοῖς· Τί καινὸν διδάσκετε; τί ξένον ἀπαγγέλλετε; καὶ εὐθέως ὁ θεὸς χορὸς ἀποκριθήσεται σοὶ διὰ τῶν θείων Εὐαγγελίων· *Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνῃ, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία*. Ἦλθον ἐπὶ γῆς ἀγγελοι, καὶ τῆς δόξης τοῦ ὄρου οὐχ ὑπερέβησαν· καὶ αἰρετικοὶ τοῦτους ὑπερβαίνειν οὐκ ἔκωχσαν. Ἄλλὰ μὴ τι αἱ ἀνωτάτω δυνάμεις, αἱ ὑπὲρ τοὺς ἀγγέλους; λέγω δὲ αἱ τῶν ἀρχαγγέλων. Εἰσὶ δὲ ἐκεῖναι φύσεις διακεκριμέναι. Ἐρώτησον τὰ Χερουβιμ, τὸν βασιλικὸν θρόνον· *Ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβιμ, ἐμφάνηθι*. Ἐρώτησον τὰ Χερουβιμ ὡς θρόνον σαπφείρινον, καὶ ἐν τῷ θρόνῳ καθήμενον ὡς ὁμοίωμα Υἱοῦ ἀνθρώπου. Καὶ φωνὴ ἐγένετο τῶν Χερουβιμ, ὡς ὑδάτων πολλῶν βούσα· *Εὐλογημένη ἡ δόξα Κυρίου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς*.

δ. Ὅραξ καὶ τῶν Χερουβιμ τὴν εὐλάβειαν; Ἐφθασεν εἰς δόξαν, καὶ οὐχ ὑπερέβη τὸν ὄρον. *Εὐλογημένη ἡ δόξα Κυρίου*. Καὶ πῶς; *Ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς*· Ἰνα δειξῇ σοὶ, ὅτι καὶ ἐν τοῖς οὐρανόις τόποις αὐλίζονται, καὶ πολὺ ὑψηλοτέραν τῶν οὐρανίων δυνάμεων καὶ ἀοράτων ὑπέρχεται τὴν ἀξίαν. Οὐ φθέγονται ὡς πλησιάζοντες, ἀλλ' ὡς πόρρω ἀφεστηκότες τῆς θείας ἀξίας· *Εὐλογημένη ἡ δόξα Κυρίου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς*. Οὐχ ὅτι τόπον ἔχει· πάντα γὰρ περιγράφει τόπον· ἀλλὰ τόπον Θεοῦ καλεῖ τὴν περὶ αὐτὸν ἀξίαν. Εἶδες τῶν Χερουβιμ καὶ φωνὴν; *Εὐλογημένη ἡ δόξα Κυρίου*. Καὶ οὐδὲν πλεον ἀνήγγειλε. Δεῖ γὰρ σε κύκλω παρεστῶτα, εἶδέναι τὰ τοῦ Θεοῦ καταγγέλια. *Τὰ γὰρ Σεραφίμ εἰστήκει κύκλω αὐτοῦ*. Τί τοῖνον μαθεῖν ἔστι παρ' ὑμῶν; Μὴ κωλύετε. Ἄλλ' ἔρει κάκεινα, ὅτι καὶ ὑπερέχωμεν τὴν ἀξίαν, ἀλλ' ἐπιγινώσκωμεν ἡμῶν τῆς φύσεως τοὺς ὄρους, καὶ οὐχ ὑπερηδῶμεν τὰ μέτρα τῆς γνώσεως· οὐ πολυπραγμονοῦμεν ἡμῶν τὴν κτίσαντα, οὐ περιεργαζόμεθα τὸν τιμήσαντα. *Ὀίδαμεν τὴν ἀκατάληπτον φύσιν, ὅτι οὐχ ὑποβάλλεται ζητήσεσι*, οὐ δουλεύει λογισμῶν ἀκολουθίαις· ὑπερέχει πᾶσαν ὁμοῦ καὶ ἀγγελικὴν κατάστασιν καὶ ὑπερκόσμιον ἐννοίαν καὶ πᾶσαν ὑπερουράνιον δυνάμιν ἢ δόξα τοῦ προσκυνουμένου. Διὰ τοῦτο καὶ

\* Cod. ζήτησιν. Coltel. conaj. ζητήσων.

in rubo, vidit eum ex monte Sina, vidit eum diversis in locis apparentem, et variis modis praesentiam suam indicantem, at beatus ille Moyses ipsam videre cupiebat naturae formam. Nam homo cum esset, humana de superna illa virtute imaginabatur. Deus autem desiderium fidelis famuli approbavit, flexitque humanum affectum impossibilia cupientem. Quid enim ait illi? *Nemo videbit faciem meam et vivet* (Exod. 33. 20). Desideratum non capit virtus desiderantium: non fert mortalis oculus immortalis naturam. Quid ergo, Domine? relinquis sine solatio amorem, ac ne umbram quidem praebes desiderii, ei qui tantum amorem animo concepit? Quamobrem ait: *Pono in petra, et protego manu mea: et cum transibit gloria mea, videbis posteriora: anteriora vero non videbis* (Exod. 33. 22. 23). Non dixit, *Cum pertransibo, sed, Cum transibit gloria mea*. Non enim licet, praetergrediendo gloriam, essentiam reperire. Moyses nihil plus quam gloriam invenit, neque illam totam vidit, sed dorsum: non quod dorso et pectore delineata sit divina natura: simplex enim est et incomposita; sed quia Deus sic se cognoscendum praebet, non secundum sibi congruentem dignitatem, sed secundum facultatem eorum, qui ipsum visuri sunt. Moyses ad gloriam pertigit, et gloriam non supergressus est: at tu, haeretice, gloriam transgressus, substantiam Dei curiose scrutaris? Veniamus et ad beatum Paulum. Paulus in Novo Testamento, cum consideraret particulares quasdam Dei dispensationes, quasi vertigine captus in profundo cogitationis, stupore plenam vocem emisit his verbis: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei » (Rom. 11. 33-36)? Finisque sermonis: « Quoniam ex ipso per ipsum et in ipso sunt omnia; Ipsi gloria in saecula. » Viden' eum cum ad gloriam Dei venisset, terminum non excessisse? Ecquid de hominibus dico? Cogitatione ascende ad caelestia; interroga caelos et dic: Quid mihi de Deo narrare potestis? caeli, narrete mihi qualis sit Deus, renuntiate mihi quae sit essentia Dei. Verum non respondent caeli, de iis quae eorum facultatem superant interrogati. Sed si haec audacter quaesieris, respondebit per admirabilem Jeremiam, divinum illud proferens eloquium: *Inhorruit caelum super hoc* (Jer. 2. 12). Inhorrescit enim vera caelum, ubi viderit naturam divinam indagari. Ex opposito canet beatus David, temerariam curiositatem plectens, et dicet: Non audisti illud, *Caeli enarrant*, non naturam Dei, sed *gloriam Dei*. Nonne ipse tibi per sanctam citharam clamavit, *Caeli enarrant gloriam Dei* (Psal. 18. 1). Non naturam Dei, non substantiam declarant, sed gloriam Dei annuntiant. Caeterum ne putes caelestes virtutes quid ultra cognoscere. Interroga angelos, interroga, inquam, non quod tibi concessum sit cum supernis virtutibus congredi, sed quia ex Scriptura remedia habes, quaeque audaciam tuam reprimant. Interroga angelos: interroga eos cum videris in

terra choreas agentes, aut hymnos canentes. Dic illis, Quid novi docetis? quid insoliti annuntiat? statimque divinus chorus per sancta evangelia respondebit tibi: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum* (Luc. 2. 14). Venerunt in terram angeli, et gloriae terminos non praetergressi sunt; haeretici vero hos transgredi non dubitaverunt. Sed num forte supernae virtutes, quae super angelos sunt? Archangelos dico: sunt autem illae naturae distinctae. Interroga Cherubim, regium solium: *Qui sedes super Cherubim, manifestare* (Psal. 79. 2). Interroga Cherubim, thronum sapphirinum, et in throno sedentem, velut similitudinem Filii hominis (Ezech. 10. 1. et 1. 26. 24). Et vox facta est Cherubinatorum, quasi aquarum multarum, clamans: *Benedicta gloria Domini de loco suo* (Ibid. 3. 12).

4. Vides Cherubinatorum reverentiam? Pervenerunt ad gloriam, et intra terminum mauserunt: *Benedicta gloria Domini*. Quomodo? *De loco suo*: ut ostenderetur tibi, eam in caelestibus locis commorari, et longe altiozem esse dignitate ipsis caelestibus et invisibilibus virtutibus. Non loquuntur quasi prope stantes, sed ut longe a divina dignitate distantes: *Benedicta gloria Domini de loco suo*. Non quod locum habeat; omnem enim circumscribit locum; sed locum Dei vocat eam quae circa eum est dignitatem. Vidisti Cherubinatorum vocem? *Benedicta gloria Domini*. Et nihil amplius annuntiaverunt. Oportet enim te circum adstantem, nosse ea quae a Deo nuntiantur. Nam *Seraphim stabant in circuitu ejus* (Isai. 6. 2). Quid ergo a vobis discemus? Nolite prohibere. Verum illa quoque dicent: Quamvis dignitate praecellamus, novimus tamen naturae nostrae fines, nec cognitionis mensuram praetergredimur: non curiose scrutamur Creatorem nostrum, non exploramus eum qui nos honore affecit. Novimus incomprehensibilem naturam non subjici quaestionibus, nec obnoxiam esse ratiociniorum seriei; superat omnem angelicum statum omnemque vim caelestem gloria ejus qui adoratur. Ideo et nos non transcendimus terminos. Non praeterierunt Cherubim (a), sed cum omni reverentia caelestem

(a) Totus ordo orationis postulat *Seraphim*, quamvis in loco Isaias, et Cherubinos pro Seraphinis posuerit Philastrius Haeresi ult., ac Paulinus Natali 9, p. 605, ipseque Chrysostomus in illud, *Pater, si possibile est*, etc., et Cherubinos Seraphinis jungat Epiphanius Ancorati cap. 10, 28, cum severiano Orat. 2 de mundi creatione, et Philastrio Haeresi extrema et penultima, pariterque hymnus Cherubius appellari solet, qui Seraphicus est. Sicut vice versa in locum Cherubinatorum Exodi et Paralipom. Seraphini substituuntur Actione 5 synodi VII, seu in disputatione illic prolata Judaei et Christiani (ubi tamen Cod. Reg. 1028, f. 268, *Cherubim* habet, ut et alter interpretum) et ab Andrea Cretensi Oratione 3 in dormitionem Deiparae: necnon thronus seraphicus instar Cherubici in eodem Andrea legitur Orat. in ramos palmarum, atque in Theophane Cerameo Hom. 53, ac 60. *Αγγελος εστιν ομοιος ητοιμασθησαν ομοιος ητοιμασθησαν, hoc est, Dicit Deus Moysi: Fac Cherubim et Seraphim*. Epist. I Gregorii II ad Leonem Isaurum. Accedit huc, quod notavi ad Constit. Apost., Cherubim et Seraphim confundi apud Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi mystagogica 5, cui nunc addas velim tum cognominem Alexandrinum lib. 9 et 10 de adoratione in spiritu et veritate, ubi etiam nomini seraphim dat interpretationem nominis Cherubim, cum rectius interpretetur ad Isaias caput 6, et ad Joannis 12, 41, tum narrationes de inventione S. crucis, apud Gretserum c. 1697, 1706, 1707, 1714, tum Anastasium Sinaitam 12: in

Illum hymnum modulantur : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus (Isai. 6. 3)*. Non pudore te afficit Paulus et Moyses, qui gloriam non prætergressi sunt? Pudore te afficiet cælum, gloriam enarrans. Sed nec persuadet tibi cælum? Pudorem inferent angeli. At angelos despicias? Reverere Cherubinos. Verum illos etiam audacter prætergrederis? Te Seraphim eo reducant ut sapias. At nec cælestibus nec terrenis documentis morem geris? Extra sacrum chorum mane, sponte exsula a divinis atris. Non potes enim Deum curiose scrutari, et inter fideles numerari. Ecquid de Deo dico? Nescis formidandum esse Dei naturam audacter scrutari? Imo ne ipsa quidem opera Dei si volueris accuratius rimari, dignum te putabit Deus familiaritate sua, sed longe repellat, ut qui impossibilia aggrediaris. Moyses talis tantusque vir, tot miraculorum patrator, qui mediator Dei et hominum fuit, cui mare divisum est, qui manna de cælis deduxit : hic ubi unum ex Dei jussis ausus est humana ratione metiri, nec divinæ concessit potentiae, inexorabilem pœnam incurrit. Ut enim pervenit ad petram, dixit ad populum : *Popule dure et incredule, num de petra hac potero vobis dare aquam (Num. 20. 10)?* Et quid illi Deus : *Pro eo quod non glorificasti me coram synagoga, non ingredieris in terram, quam juravi (Ibid. v. 12)*. Hic mihi mentem diligenter adhibe. *Pro eo quod non glorificasti me*. Quid erat glorificare? Dicere, Omnia potest Deus. Peccatum enim est contra Deum rationibus gesta ejus examinare, nec divinæ virtuti permittere, quæ super omnia operatur quæ sua sunt. Defensionem instituit David pro Moyse lapso, non mente, sed lingua (*Psal. 105. 33*). Nam justorum delicta in lingua sunt, impiorum crimina in mente. Ac sicut impius mente quidem a Deo sejungitur, videturque tamen ratione laborum aliquantum ad eum accedere; nam *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me (Isai. 29. 13)*: sic et pius firmo corde præditus, sæpe lingua labitur. Ideo David Moysis defensionem suscipit, propheta prophetam purgat : *Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos (Psal. 105. 32)*; non propter se. Quid autem sibi vult illud, *Propter eos*? Non ex proprio animo incredulitatem exhibuit, sed conturbatus ex contradictione populi, non amplius mentem habuit puram, utpote conturba-

Hexaëmeron; tum denique Theodorum Prodrum, in eodem Gretsero c. 2309. Quod autem hoc in loco Chrysostomus Seraphinos ponat supra Cherubinos, oratione vero tercia de incomprehensibili contra faciat, quam rationem dāimus? scilicet in re arbitraria et incerta, variationi opinionis locum esse. Porro ex Oratione Nicetæ Paphlagonis in laudem Bartholomæi apostoli, Novissimi Auctari Combesiani p. 397, 398, ubi ordines angelici gradatim enumerantur, excidiisse videntur vitio antiquarij, virtutes; et Oratione in Thomam p. 370, *throni*; quemadmodum liquet per consilium enumerationem Nicetæ Orat. in Petrum et Paulum p. 354, et orat. in Judam Thaddæum p. 431. Consulere adhuc potes notas ad Apostolicorum Opera c. 512, insuperque S. Ireneum lih. 1, cap. 1, p. 21, et in Epiphano Hær. 51, n. 17, p. 184, C, D. Ac demum ad ista Philastrii cap. postremo, *Nam Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, et virtus ignea peragrans appellatur, me vide; audacter enim induco, et Seraphim virtus ignea flagrans appellatur. Cotel.*

tam. Hæc loquutus sum ab officina iniquitatis prolata. Ubi audisti genitum et ingenitum? ubi audisti novas illas, insanas fastuosas plenas dictiones? Circumscripta sunt illa, quæ Spiritus dunt, et inducta vicissim ea quæ sunt diaboli. Si hæc quæris, Paulum quare tibi vindicas doctorem? si hæc curiose exploras, Petrum te habere quid gloriaris? Fidem nega, et profer quæstionem. Sed a Scriptura, inquit, non recedo, absit. Inimicus et \*\*\* (a) discipulus et ratiocinatorum magister? Explica mihi qui ratiocinia sectaris, quomodo Christus januis clausis ingressus sit. Quid opus est alia tractare? Nam sæpe et dicentibus et audientibus detrimento sunt. Non dico tibi, invisibilem naturam expone : quomodo genuit Pater, quæ divinæ generationis modus; dispensationis (b) modum requiro.

5. Dic quomodo januis clausis ingressus sit Servator, quomodo ingressum fuerit corpus (*Jean. 20. 26*). Negat natura corporis \*\*\* evangelia. Si fidem sequar, veritas est certissima. Quomodo januis clausis ingressus est? Non erat enim incorporea natura, quæ corpora omnia penetrat; sed erat cum incorporea corpus; idque erat incorporeæ naturæ organum. Hoc quippe corpus humanum Servator habuit. Certe discipuli ad novum miraculum respicientes, existimarent spiritum esse, quia illud naturam corporis superabat. \*\*\* dubitantibus ait : *Palpate me, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc. 24. 39)*. Quomodo ingressus est? num aseres instar aeris soluti sunt? an forte corpus extenuatum est, sique permeavit ligni crassitudinem? At neque tu dicere potes, neque ego explanare valeo : nihil horum mihi Scriptura tradidit, rem non curiose perquiro : ea quæ prædicavit sequor, etiamsi nollem. Ingressum esse credo : quomodo autem non exploro. Ne putes \*\*\* clausis januis ingressus est. Non dixit, Rarefacta aut soluta janua ingressus est, sed *Januis clausis*. Quod factum est narravit; quis rei modus fuerit non declaravit. Exiit Petrus e carcere; sed apertæ sunt ei januæ, idque Scriptura significavit his verbis : *Porta ferrea ultro aperta est eis (Act. 12. 10)*. Non dixit, Ultro suscepit Petrum transcuntem : humanum quippe corpus erat, et ex humana massa. Corpus vero Christi humanum quidem erat, ob cognitionem quam nobiscum habet; divinum autem ob unionem Verbo, et ob admirabilem Virginis partum (c). Quomodo januis clausis ingressus est? quomodo cælis clausis ascendit? O temeritatem talia au-

(a) Hic et tribus in locis sequentibus, qui asteriscis notantur, testificatur Cotelæus desiderari quinque lineas ad singulos.

(b) Per dispensationem (Græc. *οὐνοπλάσις*) intelligas incarnationem Christi, seu potius totam seriem natalium, operum, et mortis Christi, quæ in redemptionem humani generis cedant.

(c) Juxta hunc locum corrigi velim Nesticam, quando notat ad Synodum Chalcedonensem : *Melior interpretatio sit eo quod Deus Verbum incarnatione et inhumanatus sit et conceptione univertis templum; ita ut scribatur, melior interpretatio sit, eo quod Deus Verbum incarnatus et inhumanatus sit, et ex conceptione univertis templum. Tom. 1 recentis præclaræque Collectionis Baluzianæ col. 1000. Cotel.*

ἡμεῖς· οὐχ ὑπερβαίνομεν τοὺς ὅρους. Οὐχ ὑπερέβη τὰ Χερουθίμ, ἀλλὰ μετὰ πίσης εὐλαθείας τὸν οὐράνιον ἐκείνον ὕμνον ἀναμέλπει· Ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος, Κύριος [425] *Sabaōth*, πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. Οὐ δυσωπεῖ σε Παῦλος καὶ Μωϋσῆς, δόξαν μὴ ὑπερβαίνοντες; Δυσωπήσει σε ὁ οὐρανός, δόξαν ἀπαγγέλλων. Ἄλλ' οὐ πείθει σε ὁ οὐρανός; Δυσωπήσουσιν ἄγγελοι. Ἄλλ' ἀγγέλων καταφρονεῖς; Φοβήθητι τὰ Χερουθίμ. Ἀλλὰ καὶ ταῦτα ὑπερβαίνεις τῇ τόλμῃ; Συφρονιζέτω σε τὰ Σεραφίμ. Ἄλλ' οὔτε ὑπερκοσμίοις, οὔτε ὑποδείγμασιν ἐπιγείοις πείθῃ; Ἐκτός γενοῦ τῶν ἱερῶν χορῶν, ἐξόρισον σεαυτὸν τῶν θείων αὐλῶν. Οὐ δύνῃ γὰρ Θεὸν πολυπραγμαίνειν, καὶ ἐν τοῖς πιστοῖς ἀριθμισθαι. Καὶ τί λέγω περὶ Θεοῦ; Οὐκ οἶδας, ὅτι φοβερὸν τὸ κατατολμᾶν καὶ ἐρευνᾶν Θεοῦ φύσιν; Οὐδὲ αὐτὰ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἂν θέλῃς πολυπραγμανοῦναι, ἄξιόν σε ὁ Θεὸς ἡγεῖται τῆς ἑαυτοῦ οικειότητος, ἀλλ' ἐκβάλλει μακρὰν, ὡς τῶν ἀδυνάτων κατατολμώντα. Μωϋσῆς ὁ τοιοῦτος καὶ τηλικούτος ἀνὴρ, ὁ τῶν τοσοῦτων θαυμάτων ἐργάτης, ὁ γενόμενος μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ὃ διηρέθη θάλασσα, ὃς τὸ μάννα ἐξ οὐρανῶν ἐπήγαγεν· οὗτος, ἐν τῇ τῶν ὑπὸ Θεοῦ κελευσθέντων τολμήσας ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ μετρήσαι, καὶ μὴ τῇ θείᾳ δυνάμει παραχωρηῖται, ἀπαραίτητον ἔσχεν τὴν δίχην. Ὡς γὰρ ἐφθασεν ἐπὶ τὴν πέτραν, λέγει πρὸς τὸν λαόν· Ὁ λαὸς σκληρὸς καὶ ἀπειθής, μὴ ἐκ τῆς πέτρας ταύτης θυρήσομαι ὑμῖν δοῦναι ὕδωρ; Καὶ τί πρὸς αὐτὸν ὁ Θεός; Ἀρθ' ὦν οὐκ ἐδόξασάς με ἐνώπιον τῆς συναγωγῆς, οὐκ εἰσελεύσῃ εἰς τὴν γῆν, ἦν ὡμοσα. Ἐνταῦθά μοι πρόσχε τὸν νοῦν ἀκριβῶς· Ἀρθ' ὦν οὐκ ἐδόξασάς με. Τί γὰρ ἦν τὸ δοξάσαι; Τὸ εἰπεῖν· Πάντα δύναται ὁ Θεός. Ἀμαρτία γὰρ ἐστὶν εἰς Θεὸν τὸ λογισμοῖς ἐξετάζειν τὰ παρ' αὐτοῦ γινόμενα, καὶ μὴ τῇ θείᾳ δυνάμει παραχωρεῖν, ὑπὲρ πάντα τὰ ἑαυτῆς ἐργαζομένη. Ἀπολογεῖται Δαυὶδ ὑπὲρ Μωϋσῆως σφαλέντος, οὐ διανοίᾳ, ἀλλὰ γλιώτῃ. Τῶν γὰρ δικαίων ἀμαρτήματα περὶ τὰ χεῖλη· τῶν δὲ ἀσεβῶν τὰ ἀδικήματα περὶ τὴν διάνοιαν. Καὶ ὡσπερ ὁ ἀσεβῆς ἀπασχοίνισται μὲν τῇ διανοίᾳ, δοκεῖ δὲ πως πλῆσιάζειν τῷ Θεῷ περὶ τὰ χεῖλη· Ὁ λαὸς γὰρ οὗτος τοῖς χεῖλεσσι με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτοῦ πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· οὕτως ὁ εὐσεβῆς ἐβρώμενην ἔχων τὴν καρδίαν, ὀλισθαίνει πολλάκις περὶ τὴν γλώσσαν. Διὰ τοῦτο ὁ Δαυὶδ ἀπολογεῖται ὑπὲρ Μωϋσῆως, προφήτης ὑπὲρ προφήτου· Καὶ παρώρισεν αὐτὸν ἐφ' ὕδατος ἀντιλογίας, καὶ ἐκακώθη Μωϋσῆς δι' αὐτούς· οὐ δι' ἑαυτόν. Τί δὲ ἐστὶ τὸ, δι' αὐτούς; Οὐ παρὰ τὴν ἰδίαν γνώμην τὴν ἀπιστίαν ἐδειξεν, ἀλλὰ θλωθεὶς ὑπὸ τῆς ἀντιλογίας τοῦ λαοῦ, οὐκέτι εὔρε τὸν λογισμὸν καθαρὸν, ὡς ἐν συγχύσει. Ταῦτα ἐλάλησα τὰ ἔργα τοῦ ἐργαστηρίου τῆς ἀδικίας προσφερόμενα. Ποῦ ἤκουσας ἀγέννητον καὶ γεννητόν; ποῦ ἤκουσας ἐκεί-

νας τῆς πολυμανοῦς καὶ πολυφαντάστους διαλέκτους; Περιεγράφη τὰ τοῦ Πνεύματος, καὶ ἀντείσθηθη [426] τὰ τοῦ διαβόλου. Εἰ ταῦτα ζητεῖς, Παῦλον διὰ τί ἐπιγράφεις διδάσκαλον; Εἰ ταῦτα πολυπραγμανεῖς, Πέτρον τί σεμνύνει ἔχειν; Ἀρνησαί τὴν πίστιν, καὶ προσένεγκε ζήτησιν. Ἄλλ' οὐκ ἀναχωρῶ, φησὶ, τῆς Γραφῆς, μὴ γένοιτο. Ἐχθρὸς καὶ ... μαθητῆς καὶ λογισμῶν εἰσηγητῆς; Ἐρμήνευσόν μοι λογισμῷ δουλεύσας, πῶς ὁ Σωτὴρ κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἰσῆλθε; Τίς χρεῖα περὶ τὰ ἄλλα ἀσχολεῖσθαι; πολλάκις γὰρ ζημίαν καὶ τοῖς λέγουσι καὶ τοῖς ἀκούουσι φέρει. Οὐ λέγω· Περὶ τῆς ἀοράτου φύσεως ἐρμήνευσον· πῶς ἐγέννησεν ὁ Πατήρ, τίς ὁ τῆς θείας γεννήσεως τρόπος· τὸ τῆς οἰκονομίας ἀπαιτῶ.

ε'. Εἰπέ, πῶς θυρῶν κεκλεισμένων εἰσῆλθεν ὁ Σωτήρ, πῶς εἰσῆλθε τὸ σῶμα. Ἡ τοῦ σώματος φύσις ἀρνεῖται ... τὰ εὐαγγέλια. Ἐὰν τῇ πίστει ἀκολουθήσω, ἀψευδῆς ἡ ἀλήθεια. Πῶς εἰσῆλθε κεκλεισμένων τῶν θυρῶν; Οὐ γὰρ ἦν ἡ ἀσώματος φύσις, ἡ πάντων τὰ σώματα τέμνουσα· ἀλλ' ἦν μετὰ τῆς ἀσωμάτου τὸ σῶμα· καὶ τοῦτο ἦν τῆς ἀσωμάτου φύσεως ὄργανον. Τοῦτο γὰρ εἶχε τὸ σῶμα τὸ ἀνθρώπινον ὁ Σωτήρ. Ἀμέλει γοῦν οἱ μὲν μαθηταὶ πρὸς τὸ ξένον τοῦ θαύματος ἀποβλέποντες, ἐνόμισαν [ὅτι] πνεῦμά ἐστιν· ἐπειδὴ τὴν τοῦ σώματος φύσιν ἐνίκα τὸ προκείμενον. Ὁ ... μαι, λέγει πρὸς ἀμφιβάλλοντας· *Ψηλαφήσατέ με, καὶ βλέπετε, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὅστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα*. Πῶς εἰσῆλθεν; Ἄρα αἱ σανίδες δίχην ἀέρος διελύθησαν; ἀλλ' ἄρα τὸ σῶμα ἐλεπτύνθη, καὶ οὕτως διῆλθε τὴν τοῦ ξύλου παχύτητα; Ἄλλ' οὕτε σὺ δύνῃ εἰπεῖν, οὔτε ἐγὼ ἐρμηνεύσαι ἰσχύω· οὐδὲν μοι τούτων παρεῖδωκεν ἡ Γραφή· οὐ πολυπραμονῶ· οἷς ἐκίρυσεν ἀκολουθῶ, κἂν μὴ θέλω. Ὅτι εἰσῆλθε πιστεύου, τὸ δὲ πῶς οὐ πολυπραμονῶ. Μὴ νομίσεις ... τῶν θυρῶν εἰσῆλθεν. Οὐκ εἶπεν, Ἀραιωθείσης ἢ διαλυθείσης τῆς θύρας εἰσῆλθεν, ἀλλὰ, *Κεκλεισμένων*. Τὸ γεγονός ἐκήρυξε· τίς ὁ τρόπος τοῦ γεγονότος οὐκ ἔδειξεν. Ἐξῆλθε Πέτρος ἀπὸ φυλακῆς· ἀλλ' ἠνοήθησαν αὐτῷ αἱ πύλαι, καὶ ἡ Γραφή ἐπεσημάνετο λέγουσα, ὅτι *Ἡ σιδηρᾶ πύλη αὐτομάτη ἠνοήθη αὐτοῖς*· οὐκ εἶπεν, *Αὐτομάτη ἐδέξατο Πέτρον διερχόμενον· ἀνθρώπινον γὰρ ἦν τὸ σῶμα, καὶ ἐξ ἀνθρώπινου φουράματος*. Τὸ δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀνθρώπινον μὲν, διὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς συγγένειαν· θεῖον δὲ διὰ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον ἕνωσιν, καὶ διὰ τὴν ξένην ὠδίνα τῆς παρθένου. Πῶς εἰσῆλθε κεκλεισμένων τῶν θυρῶν; πῶς ἀνῆλθε κεκλεισμένων τῶν οὐρανῶν; Ὡς τῆς ἀτοπίας τῶν ταῦτα

<sup>a</sup> Sic Ms. perperam. Legendum forte, τὰς πολυμανεῖς καὶ πολυφαντάστους διαλέκτους. COSTELEN.



τολμούντων = ἡ τῆς εὐσεβείας τῶν πάντα πιστεύοντων! Ἄλλὰ τί φησιν ὁ ἀντιλέγων; Οὐχ εὐρίσκομεν τὴν πίστιν ἀσφαλῆ πανταχοῦ· εὐραμεν καὶ διολισθαίνουσαν· οὐ δεῖ πιστεύειν ἀνεξετάτως, ἀλλὰ μετὰ ἀκριβοῦς ἐξετάσεως. Πολλὰ δὲ συντρέχουσιν αὐτοῖς τῶν ἔξω. Ἄδελφά γάρ τὰ φρονήματα καὶ τῶν αἰρετικῶν καὶ τῶν Ἑλλήνων· κάκεινα τῶν δαιμόνων εὐρέσεις, καὶ ταῦτα τῶν δαιμόνων διδασκαλία. [427] Λέγουσιν οὖν τινες τῶν ἀντιπιπτόντων τῇ πίστει, ὅτι τὸ ἀλόγιπτον αὐτῆς βλαβερὸν· κἂν μὴ ἐξητασμένος λογισμὸς συνημμένος ἢ τῇ πίστει, οὐδαμῶς κέρδος φέρει τῷ πιστεύοντι. Πόθεν γὰρ, φησὶν, ἐξετάσαι βούλη τῆς πίστεως τὴν φύσιν; θέλεις ἀνωθεν ἐξ αὐτῆς, φησὶ, τῆς δημιουργίας; Ζήτησον ὃν λέγετε πρωτόπλαστον. Εὐρίσκω ἀπὸ πίστεως πεσόντα. Βλέπε τοῦ πονηροῦ δαίμονος τὰ ῥήματα, τοῦ πάντα τολμώντος ῥαδίως ἐπιχειρεῖν, ὅσα τολμᾷ, ὅσα φθέγγεται, ὅσα προτείνει. Ὑμεῖς λέγετε, φησὶν, ὅτι ὁ θεὸς εἶπεν αὐτῷ· Ἦ ἂν ἡμέρα φάγησθε, ἔσσεσθε ὡς θεοὶ γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρὸν. Ἐπίστευσε τῷ θεῷ, πιστεύσας ἀπώλετο. Ἀρχὴ οὖν τῶν κακῶν πίστις. Ταῦτα πρὸς ἡμᾶς· ἐκεῖνοι οἱ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ, οἱ τῆς εὐσεβείας πολέμιοι. Ἄλλ' ἠγνόησαν οἱ ἀσεβεῖς τὸν ἀληθῆ τῆς πίστεως ὄρον, οὐκ οἶδασιν ὃ προτείνουσι. Μὴ γὰρ ἡμεῖς; λέγομεν, ὅτι πᾶς ὁ παντὶ πιστεύων, ἐκεῖνος πίστιν ἔχει, καὶ πιστὸς ἀναγορεύεται; οὐχ ὅτι ὁ πιστεύων τῷ τυχόντι, πιστὸς, ἀλλ' ὁ Θεῷ πιστεύων ἀληθινῶς. Μὴ γὰρ ἐδειξας, ὅτι Θεῷ πιστεύσας ἀπώλετο; Διαδόλω πιστεύσας ἔπεσε, Θεῷ ἀπιστήσας ὠλίσθησε. Τί διαστρέφεις τὰ ῥήματα; Ἄκουε Ἱερεμίου λέγοντος· Ἀκούσατέ μου, οἱ μισοῦντες κρίσιν, οἱ πάντα τὰ ὀρθὰ διαστρέφοντες. Καὶ μὴν ἐχρῆν εἰπεῖν Ἀρχὴ τῶν κακῶν ἀπιστία. Εἰ γὰρ ἐπίστευσε Θεῷ λέγοντι, Ἦ ἂν ἡμέρα φάγησθε, θανάτῳ ἀποθνεῖσθε, οὐκ ἂν ὠλίσθησεν, ἀλλ' εἶχεν ἂν τὴν πίστιν, πίστιν ἀσφαλῆ πρὸς σωτηρίαν. Ποτὲ μὴ διάβαλε τὸ ὄνομα τῆς πίστεως. Οὐ γὰρ ὁ παντὶ πιστεύων πιστὸς, ἀλλ' ὁ Θεῷ πιστεύων, οὗτος μόνος καὶ ἐστὶ καὶ λέγεται. Κατάλειπε ζητήσεις, καὶ ἀσπασαι πίστιν. Πίστις πάντα φωτίζει, πίστις πάντα ἀγιάζει, πίστις Πνεύματος ἁγίου καταξιοῖ. Στέφανος γὰρ πλήρης πίστεως καὶ δυνάμεως. Εἰ μὴ προέλαμπεν ἡ πίστις, δύναμις οὐκ ἠκολούθει τῷ ἁγίῳ. Ὅπου πίστις, ἐκεῖ καὶ δύναμις· ὅπου ἀπιστία, ἐκεῖ καὶ ἀσθένεια. Ἀρχὴ τῶν αγαθῶν πίστις· πηγὴ τῶν αγαθῶν πίστις. Αἰθώμεν τὸ ὄπλον τῆς σωτηρίας. Τί λέξεις δουλεύεις, καὶ τὴν ἀλήθειαν φεύγεις; διατί προσφέρεις ἂ μὴ τολμᾷ μῆτε τῶν ἀγγέλων φύσις ἐρευνηῆσαι; Τί λέγω ἢ τῶν ἀγγέλων φύσις; ἂ μῆτε δαίμονες τολμῶσιν. Οὐ θέλεις ἀκολουθῆσαι Πέτρῳ; οὐ θέλεις ἀκολουθῆσαι Παύλῳ; οὐ τοῖς ἀγγέλοις; οὐ τοῖς Χε-

ρουδίμ; οὐ τοῖς Σαραφίμ; Γενοῦ κἂν μαθητὴς τῶν δαιμόνων. Εἶδον οἱ δαίμονες τὸν Σωτήρα, καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Ἐὰν τί ἡμῖν καὶ σοί, Υἱὲ τοῦ Θεοῦ; Οἱ δαίμονες Υἱὸν ὁμολογοῦσι, καὶ σὺ, αἰρετικῆ, βλασφημείς; δαίμονες ἴσον ποιοῦσι, καὶ σὺ τὴν ἀνίστητα κατασκευάζεις; Καὶ τί ποιήσω, φησὶν ὁ αἰρετικὸς, τῷ Κυρίῳ λέγοντι· Ἴνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν; Μόνον εἶπε, μόνον ἐκήρυξε τὸν ἀληθινὸν Θεὸν τὸν Πατέρα. Στοιχῶ τῇ ἀληθείᾳ, τῇ παρὰ Θεοῦ κατηγγελημένη. Τῇ φωνῇ τοῦ μόνου [428] ἀκολουθεῖς, καὶ τῇ λέξει δουλεύεις; Τῆρι μοι τοῖς ὄρους ἐπὶ τῶν ἐξεταζομένων. Λέγει ὁ Θεὸς διὰ τοῦ προφήτου· Ἐγὼ εἰμι πρῶτος, καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα, καὶ ἕτερος πλὴν ἐμοῦ οὐκ ἐστὶ. Δίκαιος καὶ σωτήρ παρεῖ ἐμοῦ οὐκ ἐστὶ. Καὶ ἐπιστρέφῃτε πρὸς με, καὶ σωθήσεσθε ἀπὸ ἐσχάτων τῆς γῆς. Ἐγὼ εἰμι ὁ Θεός, καὶ οὐκ ἐστὶν ἄλλος. Κατ' ἐμαντοῦ ὀμνύω. Ἐγὼ πρῶτος, καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα. Καὶ ἐπήγαγε· Καὶ οὐκ ἐστὶν ἕτερος πλὴν ἐμοῦ. Βλέπετε πῶς δεικνύει μεμονωμένην φύσιν, μηδὲν ἔχουσαν κοινὴν πρὸς ἕτεραν ἀπεσχοινισμένην φύσιν; Λέγει δὲ ταῦτα ὁ Θεός· Ἐγὼ εἰμι, καὶ οὐκ ἐστὶν ἄλλος· ὁ διὰ τοῦ προφήτου λέγων· Ἐξέτεινα τὸν οὐρανὸν μόνος. Πρόσεχε σὺ εἰς τὸ, Μόνος, ἐπειδὴ προφέρεις τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Ἐξέτεινα τὸν οὐρανὸν μόνος· καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως τὸ, Ἐγὼ εἰμι, καὶ οὐκ ἐστὶν ἄλλος· κατ' ἐμαντοῦ ὀμνύω. Πρόσεχε καὶ τῇ αὐθεντίᾳ, καὶ τῇ δυνάμει τοῦ λέγοντος· ὅτι εἶπεν, Οὐκ ἐστὶν ἄλλος· καὶ τὸ, Μόνος εἰμι, καὶ τούτα, καθ' ἑαυτοῦ ὤμοσα· καὶ μὴνύει μὴ εἶναι τινα μέλλον αὐτοῦ καλοῦντος. Ὡστε καὶ ὁ Ἀπόστολος φησὶν Ἐκεῖ κατ' οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμῶσαι, καθ' ἑαυτοῦ ὤμοσεν. Οὐκ ἔχει οὖν μείζονα ὁ λέγων· Κατ' ἐμαντοῦ ὀμνύω, εἰ μὴν ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη, οἱ λόγοι μου οὐκ ἀποστραφίσονται. Καὶ τί ὀμνύεις; Ὅτι ἐμοὶ κάμψαι πᾶν γόνυ<sup>h</sup>, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τὸν Θεὸν τὸν ἀληθινόν. Τίς ὁ ταῦτα λέγων, αἰρετικῆ; ὁ Πατὴρ ἢ ὁ Υἱός; Παρ' ἐμοὶ τῷ πιστῷ, καὶ παντὶ εὐσεβεῖ, τῷ Πατρὶ ἢ ἀξία, καὶ Υἱοῦ ἡ αὐθεντία. Ἐκεῖνο γὰρ ἔχει παρατετηρημένον, ὅτι πολλὰ τῶν λεγομένων ἐπ' ἡμῖν ἀγωνιστικῶς κηρύττεται, οὐ δογματικῶς. Ἐμὲ ἔστηκεν ἐβρωμένον τὸ δόγμα τῆς εὐσεβείας, καὶ παντὶ πιστῷ, ὅτι ὅπου μόνος διαλέγεται Πατὴρ, συμπαιρῶληται καὶ ὁ Υἱός καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ὅπου Υἱός διαλέγεται, Πατὴρ αὐθεντία· ὅπου Πατὴρ αὐθεντεῖ, Υἱὸς ἐξουσία· ὅπου τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐνεργεῖ, τοῦ Πατρὸς ἢ ἐνέργεια. Οὐ τέμνεται τῆς ἁγίας Τριάδος ἡ δόξα, ἐπειδὴ οὐ τέμνεται τὸ δόγμα τῆς ἀληθείας. Μὴ ὁμολογεῖ μίαν βασιλείαν.

<sup>h</sup> In Operibus Athanasii sic legitur hic locus: Κατ' ἐμαντοῦ ὀμνύω, ἢ (vel ἢ) μὴν ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη· οἱ λόγοι μου οὐκ ἀπογραφίσονται, ὅτι ἐμὲ κάμψαι πᾶν γόνυ. СОПЛЕЛ.

<sup>a</sup> Sic fere ubique pro τολμώντων.

dentium! o pietatem cuncta credentium! Sed quid ait adversarius? Non invenimus fidem ubique tutam; reperimus eam collapsam: non oportet sine examine credere, sed cum diligenti perquisitione. Multa porro externa iis concurrunt. Sunt enim affinia hæreticorum et gentilium sensa: illa dæmonum inventa, hæc dæmonum doctrina sunt. Dicunt ergo quidam adversariorum fidei, noxium in illa esse id quod rationi non subijciatur: et nisi fidei adjungatur rationis examen, nullum credenti lucrum afferre. Unde enim vis, inquit, naturam fidei examinare? visne, inquit, a principio, ab ipsa mundi creatione? Inquire de eo, quem vocatis protoplastum. Invenio illum a fide cecidisse. Considera maligni dæmonis verba, qui omnia facile audet aggredi, qualia audeat, quænam loquatur, quænam obtendat. Vos dicitis, inquit, serpentem illi dixisse<sup>1</sup>: *Quocumque die comederitis, inquit, eritis sicut dii scientes bonum et malum* (Gen. 3. 5). Creditit serpenti; quod credidisset periit. Principium ergo malorum est fides. Hæc ad nos illi veritatis inimici, piæ religionis hostes. Sed ignorant impii veram fidei definitionem, nesciunt quid objiciant. Non enim dicimus, quemlibet qui omnibus credat, fidem habere, ac fidelem prædicari; neque eum qui obvio cuivis credit, esse fidelem; sed eum qui vere Deo credit. Num ostendisti Adamum quod Deo credidisset periisse? Quod diabolo crediderit, lapsus est; quod Deo non crediderit, cecidit. Cur dicta pervertis? Audi Jeremiam dicentem: *Audite me, qui odio habetis judicium, qui omnia recta pervertitis* (Imo Mich. 3. 9). Atqui dicere oportuit, Principium malorum incredulitas. Nam si credidisset Deo dicenti, *Quocumque die comederitis, morte moriemini* (Gen. 2. 17), non lapsus fuisset, sed habuisset fidem, fidem, inquam, tutam ad salutem. Noli umquam fidei nomen calumniari. Non enim ille qui cuilibet credit, fidelis est; sed qui Deo credit, is fidelis est et dicitur. Abstine a quæstionibus, et amplectere fidem. Fides omnia illuminat, fides omnia sanctificat, fides Spiritu sancto dignatur. Nam *Stephanus plenus gratia et fortitudine* (Act. 6. 8). Nisi præluxisset fides, fortitudo in sancto viro non sequenta fuisset. Ubi fides, illic et virtus seu fortitudo; ubi incredulitas, illic infirmitas. Principium bonorum, fides; fons honorum, fides. Sumamus arma salutis. Cur dictionibus servis, et veritatem fugis? cur profers ea, quæ ne angelorum quidem natura investigare audet? Quid dico angelorum natura? Quæ ne dæmones quidem audent. Non vis sequi Petrum? non vis sequi Paulum? non angelos? non Cherubim? non vis Seraphim? Esto saltem dæmonum discipulus. Viderunt dæmones Servatorem, et aiebant illi: *Sine, quid nobis et tibi, Fili Dei* (Matth. 8. 29)? Dæmones Filium confitentur, et tu, hæretice, blasphemias? dæ-

mones æqualem faciunt, et tu inæqualitatem ads ruis. Ecquid faciam, ait hæreticus, cum Dominus dicat: *Ut cognoscant te solum verum Deum* (Joan. 17. 3)? Solum dixit, solum prædicavit verum Deum Patrem. Veritatem sector per Deum annuntiatam. Vocem solius sectaris, et literæ servis? Serva terminos in rerum disquisitione. Dicit Deus per prophetam: *Ego sum primus, et ego postea, et alius præter me non est. Justus et salvator præter me non est. Et convertimini ad me, et salvi eritis ab extremis terræ. Ego sum Deus et non est alius. Per memetipsum juro. Ego primus, et ego post hæc: atque intulit, Et non est alius præter me* (Isai. 44. 6. et 45. 21. 22. 23). Videte quomodo ostendat solitariam naturam, quæ nihil commune habeat cum alia natura separata. Hæc porro Deus ait: *Ego sum, et non est alius; qui per prophetam ait: Extendi cælum solus* (Isai. 44. 24). Attende tu voci *Solus*, quandoquidem profers *Solum verum Deum. Extendi cælum solus*. Similiter quoque hic, *Ego sum et non est alius: per memetipsum juro*. Animum adhibe pariter auctoritati et potentæ loquentis, quod dixerit, *Non est alius*; et, *Solus sum*, et hoc, *Per memetipsum juravi*; significatque neminem se loquente majorem esse. Unde ait etiam Apostolus: *Quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum* (Hebr. 6. 13). Non habet ergo majorem qui dicit: *Per memetipsum juro, si quidem egredietur de ore meo justitia, sermones mei non avertentur* (Isai. 45. 23). Et quid juras? *Quia mihi curvabitur omne genu (a), et omnis lingua confitebitur Deum verum* (Isai. 45. 24). Quis hæc dicit, hæretice? Pater an Filius? Apud me fidelem, cunctosque pios, Patris est dignitas, et Filii auctoritas. Hoc enim observes velim, multa eorum quæ dicimus, pugnantium, non docentium more prædicari. Mihi firmum stat dogma pietatis, et cuilibet fideli, nempe ubi solus loquitur Pater, ibi comprehendi etiam Filium et Spiritum sanctum. Ubi Filius loquitur, ibi Patris adest auctoritas; ubi Pater auctoritatem exercet, ibi Filii est potestas; ubi Spiritus sanctus operatur, Patris operatio est. Non scinditur sanctæ Trinitatis gloria (b),

(a) Illum textum hoc pacto citatum invenies in Operibus Athanasii, Dialogo 3 de Trinitate, T. 2, p. 215; seu Maximi T. 2, p. 459: *Per memetipsum juro, amen egredietur de ore meo justitia; non exitu fraudabuntur sermones mei, qui mihi curvabitur omne genu*. Coteter.

(b) Non ita pridem edita fuerunt cura et studio stephani Baluzii, hominis ad editionum labores nati, lib. 4 miscellaneorum, duo Theodoretii fragmenta ad Trinitatem pertinentia. Ea gestit animus cursim hic meliora facere. Unde conjecturas solummodo proponam, conferendas vero et examinandas diligentibus relinquam. Lego igitur initio prioris fragmenti: *salus autem est scientia existentis; existentis vero scientia, est Dei; Deus autem est Trinitas*. Sub initium autem posterioris: *Et autem clare intelligatur, exemplo quodam tenui (vel tene) istius patefaciamus sensum. ait enim Trinitatem personarum subsistentium esse Nomen Petrus, in baptisate vero Andreas, et in militia Thomas*. Et p. 5, lin. 1, in marg. *Deuter. 6. 4*. Post per titulum, *adversus Arrium impium*, atque a linea: *Sed necessarium quidem est, ut tres subsistentias confitendo, malum sectam Arrii fugiamus. Contrariam enim Sabellio judicantem pergens riam, et fugiens monarchiam, in millorum deorum paganici inruunt opinionem subsistentias sanctæ Trinitatis in unam deitatis substantiam non intendens, sed naturas et substantias extraneas subiectus alterutris, Deum*

<sup>1</sup> Post hæc verba, *illi dixisse*, sequentia leguntur apud Lupum, De tribus quæstionibus, sub initium: *Adjecto eo, scire Deum (nihil mutò), quod si c medissent unde prohibui essent, mox aperirentur oculi eorum, similesque diis existerent. Scilicet ut numerositate deorum saltem eorum fidem corrumpere, si ad inobedientiam tentati gula vitio non cessissent*. Coteter.

quia non scinditur doctrinae veritas. Ne confitearis unum regnum.

6. Hæc a me dicta sunt, quia hostem exerceo, ne forte quidam sycophantæ dicant: Vide quomodo dixerit, omnia esse Filii, et Filium loqui, et ostendit quidem alienam esse prophetiam Patris, propriam vero Filii. Stat mihi inconcussa Filii meta. Certamen est hæc exercitatio. Illic ostendo Filium loquentem, et cum tibi persuasero, mihi etiam persuasero, Patrem loqui, Filium prædicare, Spiritum sanctum oracula fundere, « Ego primum, ego et post hæc, et præter me Deus non est. Per memetipsum juro. » Quis est qui dicit, « Ego sum et non est alius? » et, « De ore meo egredietur justitia; » et, « Sermones mei non avertentur: quia mihi curvabit se omne genu, et omnis lingua confitebitur Deum verum? » Quomodo ponis dictum? in quem assumis nomen? Sed tu ne dicas ea quæ ignoras; neque ego quod non novi effero. Sequamur magistrum spirituales, qui nos deducere valeat ad pietatem. Ne igitur ex me audias, sed audi mecum. Ego ecclesiasticorum dogmatum Paulum novi doctorem. Cum Paulum dico, Christum prædico; ipse enim erat qui in Paulo loquebatur, secundum illud dictum: « An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christi? » (2. Cor. 13. 3) Hanc igitur præmissam Isaiaæ prophetiam: « Ego sum et non est alius; » et, « Per memetipsum juro, quia mihi curvabit se omne genu, et omnis lingua confitebitur Deum verum, » Paulus de Christo accipit. Et ubi hanc invenis demonstrationem? Ad Romanos scribens ait: « Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? cur invicem judicatis? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deum verum » (Rom. 14. 10. 13. 11). Ille est qui ait, « Ego sum, et non est alius; per memetipsum juro, quia mihi curvabitur omne genu. » Si ergo Paulus prophetiam Christo refert: qui autem apud prophetam loquitur est Christus;

*magnam definiens et parvum et minimum; et infra, allegavit; p. vero 8: Ait enim cantiloquus (Ps. 38, 7), Eliam in imagine ambulat homo, non ut consistat usque in hoc, sed jaculetur mente a sensibilibus ad intelligibilia. P. 6: Christianismus autem vere est scientia inenarrabilis sanctæ Trinitatis: per hanc sanctam scientiam ab ignorantia liberatur homo, gratia filius Dei vocatur: et multis interjectis, de homine: Non alienum autem a Dei cognitione est, licet ex non existentibus, donante Creatore. Intellectus autem, et iste secundum interiorum hominem non extra rationem agentibus: namque est intellectus rationis. Sed neque extra spiritum: est enim intellectus intelligens, et ratio ratiocinatrix, et spiritus palam faciens, et contemplator; et unum substantia, tria proprietatibus. Mens enim seu intellectus, Pater Verbi, habet enim verbum, etc. Vide Theodoretum Quæst. 20 in Genesim. At p. 7: Quid vere Pater est verbum. Ibi enim vere est unitas Trinitatis, et Trinitas vere est unitas. Propterea enim Pater existens subsistentia, etc., et post multa, selectissimam scientiæ profunditatem; p. denique ultima, Secundum quid unum tria, et secundum quid tria unum; secundum quod immutabiliter habet ad semetipsum Trinitas una natura existens, propter hoc unum; Trinitas porro secundum quod non una persona, sed tres. Trinitas vere est unitas, etc. Invenitur, etc. Sap. 1, 2. Atque brevem hanc digressionem amori erga Theodoretum meo postulo condonari; cujus ergo culpam deprecari iuvo, si culpa est, quam culpa vacare. Cotelet.*

dicit vero Christus, *Ego sum solus, et non est alius: ergo Patrem eiecit divinitate? Atqui non eiecit; revera namque non eiecit; individua enim est gloria. Ergo clare demonstratum est, quemadmodum Filius cum dicit, Ego sum solus, non eiecit Patrem; ita neque cum de Patre dicit, Ut cognoscant te solum verum Deum, se ipsum sejungere a veritate. Neque hoc solum salubriter docetur; sed etiam Christum esse verum Deum ex ipso testimonio inferitur. Subjungit enim, Et omnis lingua confitebitur Deum verum. Proinde qui dicit, Ego solus, et ego verus, Filius est. Cur ergo contendit de verbis, ubi consentit veritas? Cur itaque dixerit, Te solum verum Deum, edisce, et ne concerta. Servator præceptor est mundi, corrector orbis, qui lapsa erigit, errantia reducit et inveterata renovat. Quia noverat sermonem suum processurum, et per totum orbem propagandum ad corrigendum gentilium errorem, et ad coarguendam Judaicam incredulitatem, utrinque acuto usus est sermone; ut dum dicit, Verum et solum Deum, plures falsosque deos traduceret, cumque subdit, Et quem misisti Christum, illos qui incarnationem negaverant confortaret. Prædicat solum verum Deum; non separando se, sed instrumenta erroris destruendo. Atque ut discas, frater, ipsum esse et verum Deum, et veri Dei Filium, Joannes evangelista in quo hæc scripta sunt: nam in Evangelio secundum Joannem habetur: Ut cognoscant te solum verum Deum (Joan. 17. 3); idem ille præco, qui hæc prædicavit, in Epistola sua scribit: prima autem Epistola inter ea quæ in Ecclesia recipiuntur, non inter apocrypha recensetur (a): nam secundam et tertiam patres extra canonem ponunt. Primam vero Epistolam Joannis esse, omnes consentiunt. Quid igitur ille sanctus per epistolam de Deo loquens prædicet animadvertere necesse est. « Scimus, » inquit, « quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus illum qui verus est, et simus in vero, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna » (1. Joan. 5. 20). Iste, fratres, et illa dixit, et hæc prædicavit. Adhuc, si placet, de voce Solus philosophemur et disputemus. Adversus infidelem multæ sagittæ mittantur, non ut corpora vulnerent, sed ut sententias corrigant. Emittantur verba ad fideles, sagittæ vero ad infideles. Nam Sagittæ potentis acutæ, populi sub te cadent (b), in corde inimicorum (Psal. 44. 6). Ait ergo beatus Jeremias, sive potius Baruch, qui discipulus illius fuit, sicut Eliseus Elia: « Qui præparavit terram in æternum tempus, replevit eam jumentis et quadrupedibus: emisit lumen, et vadit; vocavit illud, et obedivit illi in tremore. Stellæ autem fulserunt in custodiis suis, et lætatae sunt; vocavit ipsas stellæ, » inquit, « et dixerunt. Adsumus: et fulserunt in lætitia ei qui fecit illas »*

(a) Vide supra in Monito.

(b) In mendo est locus Cyrilli Alexandrini Comment. ad Zachariam n. 60, in exquisitione hujus textus: Sagittæ ejus, Mystajogi, eos qui errant veram Dei naturam ignorantes, perculiunt, illis non mortem afferentes sed charitatem quæ est in Christo, ut sub ipso feriant Quinimo, cadant, sicut et cæco patet. Cotelet.

ς'. Ἐπειδὴ τὸν ἐχθρὸν γυμνάζω, ταῦτά μοι εἰρη-  
ται, ἵνα μὴδὲ τινες τῶν διαβάλλειν φιλοῦντων εἰπω-  
σιν· Ὅρα πῶς εἶπεν, ὅτι πάντα τοῦ Υἱοῦ ἐστί, καὶ, Ὁ  
Υἱὸς φέγγεται, καὶ ἀπέδειξεν μὲν ἄλλοτριαν τὴν προ-  
φητεῖαν τοῦ Πατρὸς, [429] ἰδίαν δὲ τοῦ Υἱοῦ. Ἔσθηκέ  
μοι ἀσάλευτος ὁ ὄρος τῆς πίστεως. Ἄγων ἐστὶ τὸ  
γυμναζόμενον. Δείκνυμι ἐναυθῶα τὸν Υἱὸν φθεγγόμε-  
νον, καὶ ὅταν σε πείσω, τότε ἐμαυτὸν πείθω, Πατέρα  
λαλοῦντα, Υἱὸν κηρύττοντα, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον θε-  
σπίζον. Ἐγὼ πρῶτον, ἐγὼ καὶ μετὰ ταῦτα, καὶ  
πλήρ ἔμοῦ Θεὸς οὐκ ἐστίν. Κατ' ἔμοῦ ὁμνῶ.  
Τίς ἐστίν ὁ λέγων, ὅτι Ἐγὼ εἰμι, καὶ οὐκ ἐστίν  
ἄλλος; καὶ ὅτι Ἐκ στόματός μου ἐξελεύσεται  
δικαιοσύνη; καὶ, Οἱ λόγοι μου οὐκ ἀποστραφή-  
σονται· ὅτι ἐμοὶ κάμψαι πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα  
γλῶσσα ἐξομολογήσεται Θεὸν τὸν ἀληθινόν; Πῶς  
τίθησι τὸ ῥῆμα; εἰς τίνα ἐκλαμβάνεις τὸ δνομα; Ἄλλα  
μῆτε σὺ φράζεαι ἢ μὴ οἰδᾶς, μῆτε ἐγὼ ἐπαγγέλλομαι  
ἢ μὴ ἐπίσταμαι. Ἀκολουθήσωμεν διδασκάλῳ πνευ-  
ματικῷ, δυναμένῳ ἡμᾶς στοκῆσαι πρὸς εὐσέβειαν.  
Μὴ τοίνυν ἄκουε παρ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἄκουε μετ' ἐμοῦ.  
Ἐγὼ τῶν ἐκκλησιαστικῶν δογμάτων τὸν Παῦλον  
οἶδα διδάσκαλον. Ὅταν Παῦλον εἶπω, Χριστὸν κη-  
ρύττω· αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ ἐν Παύλῳ φθεγγόμενος, κατὰ  
τὸ εἰρημένον· Εἰ δοκιμῆν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ  
λαλοῦντος Χριστοῦ; Ταύτην τοίνυν τὴν προφητεῖαν  
Ἠσαίου τὴν προσηρημένην, τὸ, Ἐγὼ εἰμι, καὶ οὐκ  
ἐστίν ἄλλος· καὶ, Κατ' ἔμαντοῦ ὁμνῶ, ὅτι ἐμοὶ  
κάμψαι πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογή-  
σεται τὸν Θεὸν τὸν ἀληθινόν, Παῦλος εἰς Χριστὸν  
ἀναλαμβάνει. Καὶ ποῦ ταύτην εὐρίσκεις τὴν ἀπόδει-  
ξιν; Ἐπιστέλλων Ῥωμαίοις φησί· Σὺ δὲ τί κρίνεις  
τὸν ἀδελφόν σου; ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν  
ἀδελφόν σου; τί ἀλλήλους κρίνετε; Πάντες γὰρ  
παραστησόμεθα τῷ βήμῳ τοῦ Χριστοῦ. Γέ-  
γραπται γάρ· Ζῶ ἐγὼ, λέγει Κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμ-  
ψαι πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται  
τὸν Θεὸν τὸν ἀληθινόν. Ἐκεῖνος ὁ λέγων· Ἐγὼ  
εἰμι, καὶ οὐκ ἐστίν ἄλλος· κατ' ἔμαντοῦ ὁμνῶ,  
ὅτι ἐμοὶ κάμψαι πᾶν γόνυ. Εἰ τοίνυν ὁ Παῦλος εἰς  
Χριστὸν ἀναφέρει τὴν προφητεῖαν ὁ δὲ ἐν τῷ προ-  
φήτῃ φθεγγόμενος Χριστὸς ἐστίν, λέγει δὲ ὁ Χριστὸς·  
Ἐγὼ εἰμι μόνος, καὶ οὐκ ἐστίν ἄλλος· οὐκοῦν ἐκ-  
βάλλει τὸν Πατέρα τῆς θεότητος; Ἄλλ' οὐκ ἐκβάλλει.  
ὥσπερ οὖν οὐκ ἐκβάλλει· ἀμέριστος γὰρ ἡ δόξα. Οὐκο-  
οῦν ἀποδέδεικται σαφῶς, ὅτι ὥσπερ ὁ Υἱὸς ὅταν λέγει,  
Ἐγὼ εἰμι μόνος, οὐκ ἐκβάλλει τὸν Πατέρα· οὕτως,  
οὐδὲ ὅταν περὶ Πατρὸς λέγει, Ἴνα γινώσκωσί σε  
τὸν μόνον ἀληθινόν Θεόν, ἑαυτὸν ἀφορίζει τῆς  
ἀληθείας. Καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἴσται, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ  
εἶναι ἀληθινόν Θεόν τὸν Χριστὸν, ἐξ αὐτῆς τῆς μαρ-  
τυρίας προφέρεται· ἐπάγει γάρ· Καὶ πᾶσα γλῶσσα  
ἐξομολογήσεται τὸν Θεόν τὸν ἀληθινόν. Οὐκοῦν ὁ  
λέγων, Ἐγὼ μόνος, καὶ ἐγὼ ἀληθινός, ὁ Υἱὸς ἐστίν.  
Τί τοίνυν διαφέρει περὶ τὰ ῥήματα, συμφωνούσης τῆς  
ἀληθείας; Διατί οὖν εἶπε, Σὲ τὸν μόνον ἀληθινόν  
Θεόν, παιδεύου, καὶ μὴ μάχου. Ὁ Σωτὴρ παιδευτῆς  
ἐστίν τοῦ κόσμου, διορθωτῆς τῆς οἰκουμένης, ὁ τὰ

πεπτωκότα ἐγείρων, ὁ τὰ πεπλανημένα ἐπιστρέ-  
φων, καὶ τὰ πεπαλαιωμένα ἀνακαινίζων. Ἐπειδὴ  
ἦδεν τὸν ἑαυτοῦ λόγον προϊόντα καὶ ἰσχύσαντα εἰς  
πᾶσαν τὴν ὑπ' οὐρανόν, εἰς διόρθωσιν τῆς Ἑλληνικῆς  
πλάνης, καὶ εἰς ἐλεγχον τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀπειθείας,  
διστομον προφέρει τὸν λόγον· Ἴνα δι' ἐμὲ τὸν ἀλη-  
θινόν<sup>α</sup> καὶ μόνον εἰπεῖν τὸν Θεόν, τοὺς πολλοὺς  
καὶ ψευδωνύμους στηλιτεύσῃ· διὰ δὲ τὸ ἐπαγαγεῖν,  
καὶ ὄν ἀπέστειλας Χριστόν, τοὺς ἠρνημένους τὴν οἰ-  
κονομίαν ἐλέγξῃ. Κηρύττει μόνον ἀληθινόν [430] Θεόν·  
οὐχ ἑαυτὸν ἀφορίζων, ἀλλὰ καὶ ὄργανα τῆς πλάνης  
ἀφανίζων. Καὶ ἵνα μάθῃς, ἀδελφε, ὅτι αὐτὸς ἐστίν καὶ  
ἀληθινὸς Θεός, καὶ ἀληθινὸς Θεοῦ Υἱὸς, Ἰωάννης ὁ  
Εὐαγγελιστῆς, ἐν ᾧ ταῦτα γέγραπται (ἐν γὰρ τῷ  
Εὐαγγελίῳ τῷ κατὰ Ἰωάννην κεῖται· Ἴνα γινώσκωσί  
σε τὸν μόνον ἀληθινόν Θεόν), αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ κήρυξ,  
ὁ ταῦτα κηρύξας, αὐτὸς ἐν τῇ Ἐπιστολῇ τῇ ἑαυτοῦ  
γράφων· τῶν δὲ ἐκκλησιαζομένων, οὐ τῶν ἀποκρύφων  
μὲν ἢ πρώτη Ἐπιστολῇ· τὴν γὰρ δευτέραν καὶ τρίτην·  
οἱ Πατέρες ἀποκαλονίζουσι. Τὴν μὲντοι πρώτην Ἐπι-  
στολὴν ἅπαντες εἶναι Ἰωάννου συμφώνως ἀπεφάνησαν.  
Τί οὖν ἐκεῖνος ὁ ἅγιος διὰ τῆς Ἐπιστολῆς κηρύττει  
θεολογῶν, προσέχειν ἀναγκαῖον. Οἶδαμεν, φησὶν, ὅτι  
ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἦκει, καὶ ἔδωκεν ἡμῖν διάνοιαν,  
ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν· καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ  
ἀληθινῷ, ἐν τῷ Υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. Οὗτός  
ἐστίν ὁ ἀληθινὸς Θεός, καὶ ζωὴ αἰώνιος. Οὗτος,  
ἀδελφοί, κάκεινα εἶπε, καὶ ταῦτα ἐκήρυξεν. Ἐπι-  
πλεῖον εἰ δοκεῖ εἰς τὸ, μόνος, φιλοσοφῶμεν, καὶ  
ἀγωνισώμεθα. Πρὸς τὸν ἀπίστον πολλὰ τὰ βέλη πεμ-  
πέσθω· βέλη, οὐχ ἵνα τρώσῃ τὰ σώματα, ἀλλ' ἵνα  
διορθώσῃ τὰ φρονήματα. Πεμπέσθω ῥήματα μὲν  
πρὸς τοὺς πιστοὺς, βέλη δὲ πρὸς τοὺς ἀπίστους.  
Τὰ βέλη<sup>β</sup> γὰρ τοῦ δυνατοῦ ἠκοιμημένα, λαοὶ  
ὑποκάτω σου πεσοῦνται, ἐν καρδίᾳ τῶν ἐχθρῶν.  
Λέγει τοίνυν ὁ μακάριος Ἱερεμίας, μᾶλλον δὲ  
Βαρούχ ὁ μαθητῆς αὐτοῦ, ὡς ὁ Ἐλισσαῖος τοῦ  
Ἠλίου, Ὁ κατασκευάσας τὴν γῆν εἰς τὸν αἰῶνα  
χρόνον, ἐπέπλησεν αὐτὴν κτηνῶν τε καὶ τετρα-  
πόδων· ἀπέστειλε τὸ φῶς, καὶ πορεύεται· ἐκά-  
λεσεν αὐτὸ, καὶ ὑπήκουσεν αὐτῷ τρόμφ. Οἱ δὲ  
ἀστέραις ἔλαμψαν ἐν ταῖς φυλακαῖς αὐτῶν, καὶ  
εὐφράνθησαν. Ἐκάλεσεν αὐτοὺς τοὺς ἀστέρας,  
φησὶ, καὶ εἶπεν, Πάρσμεν· καὶ ἔλαμψαν ἐν εὐ-  
φροσύνῃ τῷ ποιήσαντι αὐτούς. Καὶ τσαῦτα θεο-  
λογήσας, φησὶν· Οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, οὐ λογισθή-  
σεται ἕτερος πρὸς αὐτόν. Πρόσθετε ἀκριβῶς, πῶς  
ἀποκαλεῖται τῷ ἐτέρῳ. Οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς  
αὐτόν. Ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, καὶ ἔδω-  
κεν αὐτὴν Ἰακώβ τῷ παιδί αὐτοῦ, καὶ Ἰσραὴλ  
τῷ ἠραπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ. Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς τῆς

<sup>α</sup> Coteler. conj. διὰ μὲν τὸ τ. ἀλ.

<sup>β</sup> Cyrill. Alex., in exquisitione hujus textus: Βέλη αὐτοῦ οἱ μυσταγωγοί· τοὺς δὲ γε πεπλανημένους, καὶ τὸν φύσει τε καὶ ἀληθῶς Θεόν οὐκ εἰδότες, πλήττουσιν, οὐκ εἰς θάνατον, ἀλλ' εἰς ἀγάπην αὐτοὺς ἀποφέροντες τὴν ἐν Χριστῷ, ἵνα καὶ ὑποκάτω τύπτωσιν αὐτοῦ. Ubi rescribendum esse πίπτωσιν, vel cæco patet. COTELER.

ῶφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη α. Οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, πρὸς ὃν Οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτὸν, ἐπὶ τῆς γῆς ῶφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη μετὰ ταῦτα. Ὁρᾷς τὴν ἀλήθειαν ἠσφαλισμένην; Ὅρα πῶς οὐ δίδωσι παρελθούσιν τῇ πλάνῃ, ἵνα μὴ Ἰουδαίος συκοφαντήσῃ τὴν ἀλήθειαν, καὶ εἴπῃ, ὅτι ὁ Θεὸς ῶφθη τῷ Μωϋσῇ· ῶφθη γὰρ Θεὸς ἐν Ἡρι. Παρ' αὐτὸν οὐκ ἔστιν ἄλλος· καὶ οὐκ ἐκβάλλει τὸν Πατέρα τῆς θεϊκῆς ἀξίας. Πατὴρ ἐν κληθῆ μόνος, ἐξορίζει τὸν Υἱὸν τῆς ἐν τῷ ἀξιώματι κοινωνίας; Ὅταν λέγῃ ὁ Θεός, αὐτὸν εἶναι καὶ μόνον ἕνα, ὁ Πατὴρ, ἢ ὁ Υἱός, οὐ τὴν ἴδιαν ἀρνεῖται τῆς φύσεως οικειότητα. [431] Οὐχ ὁ Πατὴρ τὸν Υἱὸν ἐκβάλλει, οὐχ ὁ Υἱὸς ἀθετεῖ τὸν Πατέρα· ἀλλ' ὅταν τὰ τοιαῦτα λέγηται, πρὸς τὴν πλάνην τὴν τῶν εἰδώλων ὁ λόγος. Τί κατὰ τοῦ Μονογενοῦς βλασφημίαν κατασκευάζεις; Εἰδώλους οὐ δίδωσι ὁ Θεὸς τὴν δόξαν αὐτοῦ, ἢ οὐδὲ τῷ ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντι δίδωσι; Καὶ δίδωσιν β, οὐ κατὰ χάριν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν τῆς φύσεως κοινωνίαν. Καὶ πῶθεν ἢ ἀποδείξεις ὅτι λαμβάνει δόξαν Πατὴρ ὁ Χριστός; Εἶπε γὰρ· Ἐτέρῳ τὴν δόξαν μου οὐ δώσω. ζ'. Ἄκουε πῶς αὐτὸς ὁ Σωτὴρ διαλεγόμενος τοῖς Ἀποστόλοις φησὶ· Ὅταν εἰπῇ ὁ Υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ, ἐκείνου προειρηκότος, ὅτι τὴν δόξαν μου ἐτέρῳ οὐ δώσω. Ἐρεύνησον τὸ ῥῆμα, καὶ εὐρήσεις τὸ νόημα. τὴν δόξαν μου, οὐκ εἶπε, τῷ Υἱῷ μου οὐ δώσω, ἀλλ', Ἐτέρῳ οὐ δώσω. Τὸ δὲ ἕτερον ἔστι τὸ τῆς οικειότητος ἀλλότριον, καὶ τῆς φύσεως ἀπεσχοινισμένον· ὁ δὲ Υἱός οὐκ ἔστιν ἕτερος· Ἐγὼ γὰρ καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἑσμεν. Ἀποδέδεικται τολίμως σαφώς, τὸ, Ἰνα γινώσκωσι σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, οὐκ ἀναίρειν τὸ εἶναι τὸν Υἱὸν Θεὸν ἀληθινόν. Μὴ συνεκβάλλῃς τὸν λόγον εἰς διαβολὴν, ὡς τοῦ νοήματος μετεώρου καταλειφθέντος· ὅπερ πεπόνθασι τινες τῶν ἀδελφῶν περὶ τοῦ ποτήριου. Ὡς γὰρ λύσιν μὴ λαβόντος τοῦ νοήματος, οὕτως ἐπήγαγον τὰ ἐγκλήματα. Ἐκκρεμῆ γὰρ, φησὶ, καὶ μετέωρον κατέλιπε τὴν ἐξέτασιν. Τί δὲ ἦν, ἀδελφοί, πλέον εἶπεν; τί πρὸς ἀποδείξιν ἔδει τοῖς προειρημένοις; Πρῶτον μὲν γὰρ, *Εἰ δυνατόν, παρελθάτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον*· καὶ πρὸς τὸ ὑπὸ τῆς λέξεως ὑποβαλλόμενον (δοκεῖ γὰρ πως ἡ λέξις ὑφ' ἑτέραν ἐξουσίαν τάττειν τὸν ἱκετεύοντα) παρεθέμεθα τὴν φωνὴν ἐκείνην τὴν τοῦ Κυρίου, πάσης ὡς ἀληθῶς θεϊκῆς αὐθεντίας γέμουσαν, καὶ τὴν τοῦ λέγοντος ἀξίαν παριστώσαν· *Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχὴν μου, καὶ ἐξουσίαν ἔχω λαβεῖν αὐτήν*· καὶ ὅτι τὸ μὲν, *Ἐχω*, τῆς θεότητος ἴδιον, τὸ δὲ, *Εἰ δυνατόν, παρελθάτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο*, ἐκ προσώπου τῆς σαρκὸς ἐλέγετο, καὶ οὐκ ἐκ προσώπου τῆς θεότητος· καὶ ἐπὶ τούτων αὐτὴν πάλιν τὴν Δεσποτικὴν ἐστήσαμεν μαρτυρίαν ἐπισημαζήσαν· διὸ ἔλεγε, *Τὸ πνεῦμα πρόθυμον, ἢ δὲ σὰρξ ἀσθενής*· καὶ ἐπεσημηνάμεθα, ὅτι δὴ τῶν ἀτοπωτάτων ἐστίν, αὐτοῦ τοῦ Κυρίου τῆς σαρκὸς ἐπιγράφοντος, ἡμᾶς; τῆ αὐθεντικῆς τῆς θεότητος ἐπιβρίπτειν τοῦ ῥήματος τὴν εὐτέλειαν. Ἄλλ' ὥστε καὶ τὸν σκοπὸν τοῦ Κυρίου παραστήσωμεν, τίνος

ἐνεκεν ἔλεγε, *Παρελθάτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον*· ὡς οὐ φεύγων τοῦ σταυροῦ τὴν οικονομίαν παρητεῖτο τὸν θάνατον, ἀλλὰ διὰ τὸ τοὺς ἀπείρους τῆς οικονομίας μέλλειν ἐπὶ τῷ σταυρῷ σκανδαλιζέσθαι, ταύτη κέρηται τῇ φωνῇ. Καὶ πάλιν ἠκολούθησε ταύτῃ τῇ ἐνοίᾳ ἡ μαρτυρία. *Προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθῃτε εἰς πειρασμόν*. Ἐτεροι δὲ ἐσυκοφάντησαν, ὡς ἡμῶν εἰρηκότων· εἰ ἐνδέχεται ἐτέρῳ τρόπῳ θανάτου τὴν οικονομίαν ἐκπληρῶσαι. Τοῦτο δὲ οὕτε εἴρηται, οὕτε λεχθήσεται. Οὐκ εἶπον, ἐτέρῳ θανάτῳ· ἀλλ' εἶπον, ἐτέρῳ τρόπῳ τὴν οικονομίαν πληρωθῆναι· τουτέστιν, ἐκτὸς θανάτου. Τὸ γὰρ ποτήριον ἠρμήνευσα· τὸ δὲ ἐτέρως, ὡς τὸ ἐκτὸς θανάτου. Καὶ τοῦτο ἐγένετο, οὐχ ὡς ἀληθῶς παραιτούμενον τοῦ Κυρίου τὸν θάνατον ὑπὲρ τοῦ κόσμου, [432] ἀλλὰ τὴν τῆς σαρκὸς ἀσθένειαν πιστούμενον, ὅτι σὰρξ ἦν ἀληθῶς τὸ δειλιόν, τὸ παρατιόμενον. *Τὸ γὰρ πνεῦμα πρόθυμον, ἢ δὲ σὰρξ ἀσθενής*. Τῇ σαρκὶ τὰ ῥήματα τῆς ἀσθενείας ἐπέγραψεν, οὐ τῆς θεότητος τὴν αὐθεντίαν ἔτρωσε. Τί διαβάλλεις ἂ μὴ λέγω; τί συκοφαντεῖς ἂ μὴ κηρύττω; ἕτερον τρόπον εἶπον· οὐ θανάτου, ἀλλ' οικονομίας. Οὐ γὰρ εἴρηται· Εἰ δυνατόν, ἀμειψήτω τὸ ποτήριον τοῦτο. Τῆς σαρκὸς ἡ ἀσθένεια, τῆς ἐνανθρωπήσεως τὸ πάθος. Φθέγγεται τὰ τῆς ἀσθενείας ῥήματα, ἵνα δεῖξῃ ὅτι ταύτην ἐνδέδεται τὴν φύσιν, τὴν δειλιώσαν τὸν θάνατον. Ἰνα δὲ μὴ πάλιν τῇ λίσσει δουλεύσῃς, ἐκ περιουσίας κάκεινο παρήγαγον, ὅτι ποῖος λόγος, τοὺς μὲν ἀποστόλους γενναίως τὸν θάνατον καταπατεῖν, τὸν δὲ τῶν ἀποστόλων Κύριον δεδιέναι καὶ τρέμειν τὴν τοῦ θανάτου πείραν; Ἐρῶ δὲ καὶ ταῦτα νῦν, ἀδελφοί. Παῦλος οὐ μόνον δεθῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ νεανιεύεται, καὶ ὁ Παῦλος Κύριος παραιτεῖται τὸν θάνατον; Καὶ Παύλου μὲν οὐ συνθρύπτεται ἡ καρδία, ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ ψυχὴ ταράττεται; Νῦν γὰρ, φησὶ, ἡ ψυχὴ μου τετάρταται. Ταῦτα πάντα ὑπὸ μαρτυρίαν ὑμῖν ἐφθεγγάμην. Ἄλλ' οὐ πείθει σε ταῦτα; ἀλλὰ τὸ, *Εἰ δυνατόν*, ἔτι σκανδαλίζει σε; Ναί, φησὶ. Συνέλθωμεν, ἀδελφοί, τῷ φιλονεικῶ, φιλονεικῆσωμεν τῇ δυνάμει τῆς ἀληθείας ἐγείρει τοὺς πεσόντας τῇ ἀσθενείᾳ τῆς ἀπιστίας. Εἰ εἶχεν ἐξουσίαν ὁ Χριστός, οὐκ ἂν εἶπε τὸ, *Εἰ δυνατόν, παρελθάτω*. Οὐκοῦν καὶ τὸν Θεὸν αἰτίαςαι, διὰ τοῦ νόμου κεχρημένον τινὶ λέξει, πολὺ τῆς αὐτοῦ ἐξουσίας κευχωρισμένη. Λέγει γὰρ πρὸς τὸν Μωϋσέα, ὅτε ἐλάλει ἐκ τοῦ θροῦν Σινᾶ, διὰ τῆς μεγάλης ἐκείνης καὶ φοβερᾶς ἐπιφανείας· ὅτι πᾶς ὁ λαὸς ἔτρεμεν, ἀκούων φωνὴν Θεοῦ ζῶντος· ὁ πάντων ἔχων τὴν ἐξουσίαν, καὶ πάντα διέπων πᾶσι, λέγει τῷ Μωϋσῇ, ὁ Θεὸς ὁ τὰ πάντα διδοὺς· *Τίς δώσει οὕτως εἶναι τὴν καρδίαν αὐτῶν ἐν αὐτοῖς, ὥστε φοβεῖσθαι με καὶ φυλάξασθαι πάσας τὰς ἡμέρας, ἵνα εὐ ἢ αὐτοῖς καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῶν*; Λέγει ὁ Θεός· *Τίς δώσει τῷ λαῷ τούτῳ καρδίαν*; Καὶ τίς, ὦ Δέσποτα, ὑπὲρ σὲ στερεὸς, ἵνα οὐ; οὐ σὺ εἶ ὁ διδοὺς πάντα, καὶ μάλιστα τὰ εἰς εὐσέβειαν συντελούντα; Εἰ μὴ σὺ ἦσθα ὁ διδοὺς καρδίαν ἀγαθὴν τοῖς ἀγαπῶσι σε, εἰ μὴ σὺ εἶ ὁ διδοὺς, πῶς σοὶ Δαυὶδ προσεύχεται, *Καρδίαν καθαρὰν κτίσον ἐν ἐμοί, ὁ Θεός*; *Καρδίαν καθαρὰν παρὰ σοῦ αἰτοῦσιν οἱ προφῆται*; καὶ τὰ ἄλλα δῶρα τὰ ἀγαθὰ, καὶ τίς

\* Intolerandum mendium, συνανατρεφόμενος, in *Calena Marci*, ad cap. 2, vers. 10. Apud Cyrillum lib. 8 contra Julianum p. 286, συναεστράφη pro συνανεστράφη, et Giphrygorum in *Exodum* lib. 2, p. 296. COETLER.  
 β Legendum videntur Nxi, εἰδῶσιν.

(Baruck. 3. 52.-55). Et post tantam theologiam ait : « Hic est Deus noster, non æstimabitur alius ad eum » (Ibid. v. 36.-38). Animadvertite diligenter, quo pacto alterum excludat. « Non æstimabitur alius ad eum. Invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo (a). Post hæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est. » Hic Deus noster ad quem non æstimabitur alius, in terra visus est et cum hominibus conversatus est postea. Vides veritatem confirmatam? Vide ut errori aditum intercludat, ne Judæus veritatem calumniatur et dicat, Deus visus est a Moyse; apparuit enim Deus in monte. Præter eum non est alius: nec eiecit Patrem a divina dignitate. Pater si solus nominatus fuerit, exterminabitur Filius a communi dignitate? Quando dicitur Deus, sive Pater, sive Filius, se solum unum esse, non negat naturæ suæ consortium. Pater Filium non eiecit, Filius non negat Patrem; sed cum similia dicuntur, contra idolorum errorem sermo habetur. Cur contra Unigenitum blasphemiam apparas? Idolis Deus non dat gloriam suam; an neque ei dat quem genuit? Dat certe non secundum gratiam, sed secundum naturæ consortium. Unde vero demonstratur Christum gloriam Patris accipere? Ait enim: *Gloriam meam alteri non dabo* (Isai. 42. 8).

7. Audi quid ipse Servator cum apostolis disserens dicat: *Cum venerit Filius hominis in gloria Patris sui* (Marc. 8. 38); postquam ille prius dixisset, *Gloriam meam alteri non dabo*. Scrutare dictum, et invenies sensum. *Gloriam meam*, non dixit, Filio meo non dabo, sed, *Alteri non dabo*. Alterum autem est id quod est alienum a consortio, et a natura separatum; Filius autem non est alter: Nam *Ego et Pater unum sumus*. Clare ergo demonstratum est, illud, *Ut cognoscant te solum verum Deum* (Joan. 10. 30), non auferre a Filio, esse verum Deum. Ne repudies sermonem cum calumnia, quasi sensus suspectus relictus sit: id quod passi sunt quidam e fratribus circa calicem. Ac si enim sententia solutionem non accepisset, sic accusationem intulerunt. Nam dixerunt: Suspensam et sublimem reliquit disquisitionem. Quid autem, fratres, amplius dicendum suppetebat? quid prius dictis deerat ad demonstrationem? Primo quidem, *Si possibile est, transeat a me calix iste* (Matth. 26. 39): et ad id quod per illam dictionem suggeritur (videtur enim dictio supplicentem sub aliam potestatem redigere), attulimus vocem illam Domini, quæ omni certe divina auctoritate plena est, dicentisque dignitatem exhibet: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam* (Joan. 10. 18), diximusque illud, *Habeo*, divinitatis proprium esse; illud vero: *Si possibile est, transeat a me calix iste*, ratione carnis dictum esse, non ratione divinitatis, atque insuper Domini testimonium adduximus in confirmationem; quamobrem dixit: *Spiritus prom-*

*plus est, caro autem infirma* (Matth. 26. 41): et annotavimus rem esse absurdissimam, cum ipse Dominus carni adscribat, nos in divinam majestatem dicti vilitatem conjicere. Sed ut Domini scopum declarem, cur nempe dixerit, *Transeat a me calix*: non quod refugeret crucis dispensationem, mortem recusabat; sed quia imperiti circa dispensationem illam, in cruce scandalum passuri erant, hac usus est voce. Iterumque hanc sententiam sequutum est hoc testimonium: *Orate, ut non intretis in tentationem* (Ibid.). Alii vero calumniati sunt, ac si dixissemus: Si fieri posset ut alio mortis genere œconomiam impleret. Hoc porro nec dictum fuit, nec dicitur umquam. Non dixi, alia morte, sed alio modo œconomiam impleri; hoc est, citra mortem. Nam calicem interpretari sum: illud autem aliter, tanquam, citra mortem. Atque hoc factum est, non quod vere Dominus recusaverit mori pro mundo; sed quod fidem facere voluerit infirmitati carnis, atque ostendere carnem vere fuisse id quod timebat, et turbabatur: nam *Spiritus promptus est, caro autem infirma*. Carni verba infirmitatis adscribit, divinitatis majestatem non læsit. Cur criminari quæ non dico? cur calumniari quæ non prædico? Alium modum dixi; non mortis, sed œconomiae. Neque enim dictum est, Si possibile est, mutetur calix iste. Carnis est infirmitas, incarnationis est passio. Profert infirmitatis verba, ut ostendat se hac indutum esse natura, quæ mortem formidat. Ut non autem rursus dictioni servias, ex abundanti illud quoque adduxi: quæ est ratio, apostolos fortiter mortem conculcare, apostolorum vero Dominum timuisse et horruisse mortis accessum? Hæc et nunc dicam, fratres. Paulus non solum alligari, sed etiam mori propter nomen Christi paratum se strenue pronuntiat, Pauli vero Dominus mori recusat (Act. 21. 13)? Et Pauli quidem cor non moeret, anima vero Christi turbatur? Nam ait: *Nunc anima mea turbata est* (Joan. 12. 27). Hæc omnia vobis testibus loquutus sum. Verum his non obtemperas? sed illud, *Si possibile est, adhuc offendiculo est tibi? Sane quidem, ait. Congrediamur, fratres, cum contentioso, simulque nitamur vi veritatis illos erigere qui incredulitatis infirmitate lapsi sunt. Si potestatem habuisset Christus, non dixisset, Si possibile est, transeat. Accusa ergo etiam Deum, qui in lege iis verbis usus est, quæ ab ejus potestate longe distent. Ait enim Moysi Deus, cum loqueretur in monte Sina, per magnum illud terribileque ostentum: cum omnis tremere populus, audiens vocem Dei viventis: qui omnium potestatem habet, et omnia omnibus dispensat, ait Moysi Deus omnium largitor: *Quis dabit esse cor eorum in eis, ut timeant me, et custodiant omnibus diebus, ut bene sit eis, et filiis eorum* (Deut. 5. 29)? Dicit Deus, *Quis dabit populo huic cor?* Et quis, Domine, te validior, ut det? nonne tu es qui cuncta das, præsertim quæ ad pietatem spectant? Nisi tu es qui cor bonum das diligentibus te, nisi tu es qui largiris, quare David hoc a te petit, *Cor mundum crea in me, Deus* (Psal. 50. 12)? Cor mundum a te postulant prophetae, alia-*

(a) In Græco, ἡμετέριον. Itaque *electo* apud Augustinum lib. 1 contra Faustum Manichæum, cap. 43, et in Vigilio Tapsensi lib. 1 contra Arriun, Sabellium et Photinum n. 45, et lib. 1 contra Varimadum, cap. 2, manifesta corruptio est. *coelester*.

que bona munera, atque cordis puritatem : et humana utens voce dicis, *Quis dabit populo huic cor?* Et quis plus dat quam tu? Verumtamen licet tu præbonitate sic loquutus sis, at beatus Moyses non ad hæsit sermone tuo, sed publicavit majestatem tuam, ostendit auctoritatem, patefecit potentiam. Dicit populo in Deuteronomio : *Dedit vobis Dominus Deus cor ad sciendum, et oculos ad videndum, et aures ad audiendum usque in diem hanc* (Deut. 29. 4).

8. Vides illum dare cor, oculos, aures et omnia? Qui ergo is qui omnia dat dicebat, *Quis dabit populo huic cor tale?* quo pacto rursus, nisi ipse cor daret, diceret per Ezechielem : *Et extraham ex eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum, et scribam legem meam in cordibus eorum* (Ezech. 11. 19; Jer. 31. 33)? Sicut ergo illic ipse Deus, qui dare potest cor bonum, dicit, *Quis dabit?* ita et Unigenitus Patris, qui potestate sua replet orbem terrarum, dicitque cum auctoritate : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam* (Joan. 10. 18) : adhuc responde et ex humana forma et ratione carnalis infirmitatis, his verbis : *Si possibile est, transeat a me calix* (Math. 26. 39). Ne igitur calumniemini circa ea quæ dicta non fuerunt, sed inhærete iis, quæ prædicata sunt : ne criminemini doctrinam, qui sensum non percipitis. Scio unde in calumniam prorumpas : scio unde sic affectus sis. Humanus est affectus, invidiæ morbus. Nam ut oculus si purus sit, cuncta recte videt ac discernit ; sin fumus invaserit, et pulchritudinem visus labefecerit, aut si pulvis inciderit, obtundit visum ; neque recte videt ut ante : ita nunc quoque auditores singuli, donec purum habent fidei oculum, puram caritatis palpebram, recte pureque vident ; at si fumus blasphemiam dicta invaserit, aut invidiæ pulvis animum subierit, turbat intuitum, mentisque puritatem tollit ; ac quæ non audivit, audivisse putat, quæque audivit, non probe intellexit. Quapropter cum prævideret divina Scriptura offendicula eorum qui in sacris literis cogitatione oberraturi erant, quidam ex prophetis clamavit post impletam divinam prædicationem : *Quis sapiens, et intelliget hæc? et vir prudens, et cognoscat hæc? Quia rectæ viæ Domini, justi ambulabunt in eis* (Osee 14. 10). Ne itaque, frater, verba convertas in offendicula. Nudus sermo, nuda veritas. Non unus, non duo, non decem, non centum audierunt, multitudo est immensa et innumera. Pelagus pietatis est Ecclesia, non fluctibus agitata, sed fide plenum. Apud nos non patitur naufragium scapha doctrinæ, non pellitur, non turbatur, non tempestatibus agitur ; sed ut ad tran-

quillum portam in animas diligentium Deum appellit. Atque hæc hactenus. Cæterum illud considerare oportet, sanctos Dei in calumnias incidere. Quid mirum si nos viles, humiles, qui nihil sumus, ut ita dicam, calumniis impetimur? Annon audisti Davidis verba, *Eripe me a calumniis hominum* (a) (Psal. 118. 134)? Calumniam passi sunt etiam sancti Servatoris apostoli, ut ait et beatus Paulus : *Et non sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, facimus mala, ut veniant bona* (Rom. 3. 8). Non mereo, cum sanctis calumnia affectus ; etsi indignus sim sanctorum consortio. Iudices vos omnes habeo, atque ante vos omnes communem Patrem nostrum, qui non ex præjudicata opinione, sed re cognita judicat. Novit cogitationes nostras, cognoscit et verba, quod ab ipso hæc edocti fuerimus. Postulamus a vobis nam reprehenderit dicta, eaque correxerit : verum nihil suspicatus est. Certe si emendasset, non odio, sed caritate motus id fecisset. Quem enim diligit pater, arguit ; quem vero non corrigit, aversatur (Prov. 3. 12). Admirandum autem hic pater et recte dicta comprobatur, et errores emendat. Hoc enim patris proprium est, recte dicta ac cum fide prædicata laudibus celebrare. Sufficit ergo omnium instar ejus suffragium, atque in primis sanctissimi Dei. Cæterum piæ adhæreamus religioni, servemus fidem intemeratam. Credite veritati, ne contradicite veritati. Ne fidem adulteres, divinam naturam ne curiose explores, ne mortalibus ratiociniis immortalem dignitatem subjicias. Periculosa est ratiocinationum via ; tuta et firma intelligentia confessionis fidei. Vera sapientia est fides. Audi quid dicat divinum oraculum : *Nam eis quis erit perfectus inter filios hominum, si ab illo abfuerit ea quæ a se est sapientia, ad nihilum reputabuntur* (Sap. 9. 6). Fuge quæstiones, neque verba fidei præferas. Paulum habe magistrum, Petrum tibi adscribe præceptorem : illorum fidem sectare. Audi Petrum dicentem : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (Math. 16. 6). Sequere Paulum aperte Filium Dei celebrantem, ac modo quidem dicentem : *Loquutus est nobis Deus in Filio, per quem fecit et sæcula : qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ, portansque omnia verbo virtutis suæ* (Hebr. 1. 2. 3) : modo iterum prædicantem, ubi de Judæis agit : *Quorum patres nostri, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen* (Rom. 9. 5).

(a) Ita quoque Nilus. De diversis malignis cogitationibus, cap. ultimo. Coteler.



καρδίας καθαρότητα· καὶ λέγεις ἀνθρωπίνῃ κερη-  
μένους φωνῇ, *Τίς δώσει τῷ λαῷ τούτῳ καρδίαν*;  
Καὶ τίς ὁ πλεῖον σου διδούς; Πλὴν εἰ καὶ σὺ ὡς ἀγα-  
θὸς οὕτως ἐφθέγγω, ἀλλ' ὁ μακάριος Μωϋσῆς οὐκ  
ἠκολούθησέ σου τῇ λέξει, ἀλλ' ἐκήρυξέ σου τὴν ἀξίαν,  
ἔδειξε τὴν αὐθεντίαν, ἐγνώρισέ σου τὴν δυναστείαν.  
Λέγει τῷ λαῷ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ· *Ἔδωκεν ὑμῖν  
Κύριος ὁ Θεὸς καρδίαν εἰδέσθαι, καὶ ὀφθαλμοὺς  
βλέπειν, καὶ ὅσα ἀκούειν, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.*

ἦ. Ὁρᾷς ὅτι καρδίαν, καὶ ὀφθαλμοὺς, καὶ ὅσα,  
καὶ τὰ πάντα ὁ αὐτὸς δίδωσι; Πῶς οὖν ὁ τὰ πάντα  
διδούς ἔλεγε, *Τίς δώσει τῷ λαῷ τούτῳ καρδίαν  
τοιαύτην*; [433] πῶς δὲ πάλιν, εἰ μὴ αὐτὸς ἦν ὁ δι-  
δούς καρδίαν, ἔλεγε διὰ τοῦ Ἰεζεκιήλ· *Καὶ ἐκπαύσω  
ἐξ αὐτῶν τὴν καρδίαν τὴν λίθινην, καὶ δώσω  
αὐτοῖς καρδίαν σαρκίνην, καὶ γράψω τὸν νόμον  
μου ἐν ταῖς καρδαίαις αὐτῶν*; Ὅσπερ οὖν ἔχει αὐ-  
τὸς ὁ Θεὸς, ὁ δυνάμενος δοῦναι καρδίαν ἀγαθὴν, λέ-  
γει· *Τίς δώσει*; οὕτως καὶ ὁ Μονογενὴς τοῦ Πατρὸς,  
ἐν ἐξουσίᾳ πληρῶν τὴν οἰκουμένην, καὶ λέγων μετὰ  
αὐθεντίας, *Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχὴν μου,  
καὶ ἐξουσίαν ἔχω λαβεῖν αὐτήν*, ἀποκρίνεται πάλιν  
τῷ ἀνθρωπίνῳ σχήματι, ἐκ προσώπου τῆς κατὰ  
σάρκα ἀσθενείας λέγων· *Εἰ δυνατὸν, παρελάττω  
ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον*. Μὴ τοίνυν συκοφαντεῖτε τὰ  
μὴ λεγόμενα, ἀλλὰ στοιχεῖτε τοῖς κηρυττομένοις·  
μὴ διαβάλλετε τὴν διδασκαλίαν, μὴ καταλαμβάνοντες  
ἐν ἔνοιαν. Οἶδα πόθεν εἰς διαβολὴν ἐξολισθαίνεις·  
οἶδα ταῦτα πόθεν πάσχεις. Ἀνθρώπινον τὸ πάθος,  
βασκανία ἢ νόσος. Ὅσπερ γὰρ ὁ ὀφθαλμὸς, ἐὰν ᾖ  
καθαρὸς, πάντα ὀρθὰ βλέπει καὶ διακρίνει, ἐὰν δὲ  
καπνὸς ἐπισέλθῃ, καὶ λυμῆνῃται τὰ κάλλη τῆς ὕψους,  
ᾗ κοινοτὸς ἐμπέσῃ, ἀμβλύνει τὴν ὄψιν, καὶ οὐ βλέ-  
πει καλῶς, ὡς πρὸ τούτου ἔβλεπεν ὀρθῶς· οὕτως καὶ  
νῦν τῶν ἀκροατῶν ἕκαστος, ἕως καθαρὸν ἔχει πί-  
στεως ὄμμα, καθαρὸν ἀγάπης βλέφαρον, ὀρθῶς καὶ  
καθαρῶς ὀρᾷ· ἐὰν δὲ καπνὸς βλασφημίας ἐπισέλθῃ  
τοῖς λεγομένοις, ἢ κοινοτὸς βασκανίας τὴν ψυχὴν  
ὑποδράμῃ, θολοί τὴν ὄψιν, καὶ ἀφανίζει τὸ καθαρὸν  
τῆς διανοίας, καὶ ἂ μὴ ἤκουσεν, ἤκουσεν, καὶ ἂ  
ἤκουσεν, οὐ καλῶς ἐνόησεν. Ὅθεν προειδυῖα ἡ θεία  
Γραφή τὰ προσκόμματα τῶν μελλόντων τῇ διανοίᾳ  
προσκόπτειν τοῖς ἱεροῖς γράμμασι, καὶ πού τις τῶν  
προφητῶν ἔδωκε, μετὰ τὸ πληρῶσαι τὸ θεῖον κήρυγμα·  
*Τίς σοφός, καὶ συνήσει ταῦτα; καὶ ἀνὴρ φρόνι-  
μος, καὶ γνώσεται ταῦτα*; *Ὅτι εὐθείαι οἱ ὁδοὶ Κυ-  
ρίου, δίκαιοι πορεύονται ἐν αὐταῖς*. Μὴ τοίνυν,  
ἀδελφεῖ, μεθάρπαζε ῥήματα εἰς προσκόμματα. Γυ-  
μνὸς ὁ λόγος, γυμνὴ ἡ ἀλήθεια. Οὐχ εἷς, οὐ δευτερός,  
οὐ δέκατος, οὐχ ἕκατοστός ὁ ἀκούσας, πλῆθος ἐστὶν  
ἄπειρον<sup>α</sup>, πλῆθος ἀναρίθμητον. Πέλαγός ἐστιν εὐσε-  
βείας ἢ Ἐκκλησία, οὐ κυμάτων πεπληρωμένον, ἀλλὰ

πίστεως γέμον. Οὐ ναυαγεί παρ' ἡμῖν τὸ τῆς διδα-  
σκαλίας σκάφος, οὐ τύπτεται, οὐ ταραττεται, οὐ χει-  
μάζεται· ἀλλ' ὡς εὐδίων λιμένα εἰς τὰς ψυχὰς τῶν  
τὸν Κύριον ἀγαπώντων ὀρμίζεται. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν  
εἰς τοσοῦτον. Ἐκεῖνον δὲ δεῖ σκοπεῖν, ὅτι οἱ ἅγιοι τοῦ  
Θεοῦ ὑποπίπτουσι συκοφανταίαις. Τί τὸ θαυμαστὸν, εἰ  
ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς, καὶ ταπεινοὶ, καὶ τὸ μηδὲν, ὡς εἰ-  
πεῖν, ἦντες, συκοφαντούμεθα; Ἡ οὐκ ἤκουσας πῶς  
ὁ Δαυτὸ φησι· *Ῥῦσαι με ἀπὸ συκοφαντίας ἀν-  
θρώπων*; Ἐσυκοφαντήθησαν καὶ οἱ ἅγιοι τοῦ Σωτή-  
ρος ἀπόστολοι, ὡς ἔλεγε καὶ ὁ μακάριος Παῦλος· *Καὶ  
μὴ, καθὼς βλασφημοῦμεθα, καὶ καθὼς φασὶ τινας  
ἡμῶς λέγειν, ὅτι Ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ  
ἀγαθὰ*. Οὐ λυποῦμαι μετὰ τῶν ἁγίων συκοφαντουμέ-  
νος, εἰ καὶ ἀνάξιος εἰμι τῶν ἁγίων. Ἐχω πάντας  
ὑμᾶς κριτάς, καὶ πρὸ πάντων ὑμῶν τὸν κοινὸν ἡμῶν  
Πατέρα, [434] οὐ προλήψει κρίνοντα, ἀλλ' ἔνοιᾳ δι-  
κάζοντα. Οἶδεν ἡμῶν τὰ νοήματα, γνωρίζει καὶ τὰ  
ῥήματα, ὅτι ἐξ αὐτοῦ ἐπαιθεύθημεν ταῦτα. Ἀντι-  
βάλλομεν πρὸς ὑμᾶς, εἰ ἐπέλειπτο ἡ τῶν εἰρημένων,  
διορθῶσαι τὰ εἰρημένα· ἀλλ' οὐκ ὑπελάβετο. Εἰ γὰρ  
οὐκ διορθώσατο, οὐ μισῶν, ἀλλὰ ἀγαπῶν· ὃν γὰρ  
ἀγαπᾷ Πατὴρ, ἐλέγχει· ὃν δὲ οὐ διορθοῦται, ἀπο-  
στρέφεται. Ὁ δὲ θαυμάσιος οὗτος Πατὴρ καὶ τὰ κα-  
λῶς λεγόμενα ἀποδέχεται, καὶ τοῖς ἐσφαλμένοις ἐπι-  
άγει τὴν διόρθωσιν. Τοῦτο γὰρ Πατὴρ ἴδιον, βραβεύειν  
τοῖς καλῶς λεγομένοις, καὶ μετὰ πίστεως κηρυττο-  
μένοις. Ἀρκεῖ τοίνυν ἀντὶ πάντων ἡ ψήφος αὐτοῦ,  
καὶ πρὸ αὐτοῦ πάλιν ἡ τοῦ παναγίου Θεοῦ. Ἐχώ-  
μεθα δὲ τῆς εὐσεβείας, φυλάξωμεν τὴν πίστιν ἀσά-  
λευτον. Πιστεύετε τῇ ἀληθείᾳ, καὶ μὴ ἀντιλέγετε τῇ  
ἀληθείᾳ. Μὴ παραγράφου τὴν πίστιν, μὴ πολυπρα-  
γμονεῖ τὴν θεῖαν φύσιν, μὴ ὑποβάλλῃς λογισμοῖς θνη-  
τοῖς τὴν ἀθάνατον ἀξίαν. Ἐπισφαλῆς ἡ τῶν λογισμῶν  
ὁδός· ἀσφαλῆς καὶ βεβαία ἡ ἔννοια τῆς κατὰ τὴν  
πίστιν ὁμολογίας. Ἡ ἀληθὴς σοφία ἢ πίστις ἐστίν.  
Ἄκουε τί φησι τὸ θεῖον λόγιον· *Κἀν γὰρ ἢ τις τέ-  
λειος ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων, τῆς παρὰ σοῦ σοφίας  
ἀπούσης, εἰς οὐδὲν λογισθήσεται*. Φεῦγε τὰ ζητή-  
ματα, καὶ μὴ προτίμα τῆς πίστεως τὰ ῥήματα. Παῦ-  
λον ἔχε διδάσκαλον, Πέτρον ἐπιγράφου καθηγητὴν·  
τῇ πίστει ἐκεῖνων ἐξακολούθησον. Ἄκουε Πέτρου λέ-  
γοντος· *Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ  
ζῶντος*. Ἀκολουθεῖ τῷ Παύλῳ, σαφῶς τὸν τοῦ Θεοῦ  
Υἱὸν ἀνυμνοῦντι, καὶ πῆ μὲν λέγοντι, ὅτι Ἐλάλησεν  
ἡμῖν ὁ Θεὸς ἐν Υἱῷ, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε·  
ὃς ὢν ἀπαύρασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς  
ὑποστάσεως, φέρων τὰ πάντα τῷ λόγῳ τῆς δυ-  
νάμεως αὐτοῦ· πῆ δὲ πάλιν κηρύττοντι, ἐν τῷ περὶ  
Ἰουδαίων· *Ὅν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς  
κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς ἐλλογητὸς εἰς  
τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Ἀμήν.

<sup>a</sup> Hunc ad sacras conciones concursum auditorum ὀμι-  
σμοῦ, θλίψιν, στενοχωρίαν, saepe memorant Patres, praecipue  
poster; eoque de more cum Christiano Lupo accipio verba  
Nestorii: *Pureo enim, quoniam et ego valde sum fatigatus  
et vos optatino constrecti*; seu ex alia versione, *constipatione  
laboratis*, graece procul dubio συγγόμενοι. In Homilia Pauli

Emiseni: Στονοχωρία τῶν ἡμετέρων ἀδελφῶν ἔκωσεν ἡμᾶς  
τῶν σκαμμάτων· cui adsonat Gregorius Nyasenus Oratio-  
nibus in 40 martyres. Consuli quoque velim Sozomenum  
lib. 8, cap. 5, et Vitam Chrysostomi per Anonymum. n. 88.  
COTELER.

<sup>b</sup> Coteler. conj. ἐπιληπτο.

## MONITUM

[435] In Vaticano Codice num. 1500, inque aliis Codicibus hæc conciones Joannis Chrysostomi nomine comparent; id curantibus librariis, ut quæstus causa quanto plura possent Chrysostomi nomine inscriberent. At esse Severiani episcopi Gabalorum constat: idque luculenter declarat Cosmas Ægyptius in Topographia sua Christiana a nobis edita anno 1706, ubi p. 320, postquam Theophili Alexandrini aliquot loca ex Epistolis festalibus attulerat, ad Severianum Gabalorum transit, quem Theophili συμμύστην vocat: καὶ τοῦτον δὲ παραδραμόντες, ἐπὶ τὸν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ συμμύστην τὸν τῆς Γαβάλων ἐπίσκοπον Σευηριανὸν, τέταρτον, μετέλθωμεν. Verum hoc dimisso (Theophilo) ad alium ipsi æqualem et symmystam, Gabalorum scilicet episcopum Severianum, quartum numero, transeamus. Hinc multa longaque fragmenta hujus operis ad verbum refert, quæ nos suis locis contulimus cum textu nostro. Itaque orationes Severiani sine dubio sunt. De his audiendus Savilius in notis p. 871, ubi de quibusdam orationibus ab se cum Chrysostomi operibus editis agens sic ait: « Hasce novem orationes sequentes ideo adjeci, quia in bibliothecis passim reperiantur sub nomine Chrysostomi, cum tamen ipsius non sint; et in aliis correctioribus libris aliis auctoribus, idque vere, adscribantur. De his sex orationibus alia etiam ratio fuit, quod non abs re putarem exstare publice monumentum eloquentiæ ferreæ illius ætatis, quæ tamen cum nostro aureo flumine judicio aurium ejus sæculi comparanda videretur. Nota enim Joannis nostri et Severiani rivalitas ex historia ecclesiastica, nota Imperatricis Eudoxiæ pro Severiano contra Joannem studia. »

## IN MUNDI CREATIONEM.

## ORATIO PRIMA.

Εἰς τὴν πρώτην ἡμέραν τῆς κοσμοποιίας \*.

α'. [436] Πᾶσα εὐσεβείας ὑπόθεσις τῶν ψυχῶν ἐστὶ τῶν ἡμετέρων διόρθωσις. Πρὸς ταύτην γὰρ τὴν τῶν ψυχῶν ἡμῶν σωτηρίαν ὀρεῖ πάντα τὰ τῆς εὐσεβείας παιδεύματα. Ταύτην γοῦν καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ πραγματεύεται λόγος, ταύτην ὁ Μωϋσέως ὑποτίθεται νόμος, ταύτην κηρύττουσιν αἱ νοεραὶ τῶν προφητῶν γλῶσσαι, ὑπὲρ ταύτης αἰγιήτοις στόμασι βοῶσιν οἱ ἀπόστολοι. Πάντα γὰρ ὑπὲρ ἡμῶν καὶ δι' ἡμᾶς, ἵνα πρὸς διόρθωσιν δραμόντα τὰ ἡμέτερα τῆς εὐσεβείας καταξιωθῆ. Πᾶσα μὲν οὖν βίβλος ἅγια ἀφορμὴν ἔχει τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ὡς ἐφθην εἰπών. Αὕτη δὲ ἡ τῆς δημιουργίας βίβλος, ἀρχὴ καὶ πηγὴ καὶ δύναμις ἐστὶ πάντων τῶν ἐν νόμῳ καὶ προφήταις. Καὶ ὡς περ οἶκον οὐχ οἶόν τε στήναι, θεμελίου μὴ ὑποκειμένου, οὕτως οὐδὲ τὰ τῆς δημιουργίας κάλλη λάμψαι, μὴ τῆς δημιουργίας τὴν ἀρχὴν ἀπολαθοῦσης. Οἶδα μὲν οὖν, ὅτι πολλοὶ τῶν ἁγίων Πατέρων καθήκαν εἰς τὸν

τῆς δημιουργίας λόγον, πολλὰ καὶ μεγάλα καὶ ἐνδοξα εἰρηκότες, ὡς ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπεμέτρησης χάρις. Καὶ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ θαυμαστῶν προειρημένων, οὐδὲν κωλύει καὶ τὰ παρ' ἡμῶν βηθῆναι, ὡς ἂν ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος χορηγῆσι χάρις. Ὡς περ γὰρ οἱ πρὸ ἡμῶν οὐκ ἐνεποδίσθησαν ὑπὸ τῶν πρὸ αὐτῶν, οὕτως οὐδὲ ἡμεῖς ὑπὸ τῶν πρὸ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς. Καὶ γὰρ κάκεινοις καὶ ἡμῖν καὶ τοῖς πρὸ ἐκείνων μία ἐστὶν ἡ χάρις ἡ χορηγοῦσα τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὴν δύναμιν. Πάντα γὰρ, ψῆσιν, ἐνεργεῖ ἐν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἐκάστη καθὼς βούλεται. Οὐ τοίνυν τὰ παρὰ τῶν Πατέρων ἐκβάλλεται, ἀλλὰ τὰ παρ' ἡμῶν παρατίθεται. Κἂν ἡ μεγάλα τὰ παρ' αὐτῶν, μικρὰ δὲ τὰ ἡμέτερα, ἀλλὰ συνοικοδομεῖται ἐκείνοις. Ὡς περ γὰρ λίθον μέγαν κύβου τάξιν φέροντα, ἐν οἰκοδομῇ παγέντα, καὶ ἥρημα σαλευόμενον, μικρὸς ὑποβληθεὶς λίθος στηρίζεται οὕτω καὶ τὰ ὑπὸ τῶν Πατέρων εἰρημένα, μικρὸς προσθήκας δεχόμενα, μείζονα τὴν οἰκοδομὴν τῆς Ἐκκλησίας ἀπεργάζεται. Παρακαλῶ δὲ τὴν ἡμετέραν ἀγάπην, ταῖς ἐννοίαις τῶν λεγομένων προσέγειν μὴ εἰ ξένοι εἰσὶν ἀλλ' εἰ ἀληθεῖς ὑπάρχουσιν. Οὕτε γὰρ

\* In cod. Vatic. num. 1560: τοῦ οὗτου (supple Χρυσοστόμου) εἰς τὴν πρώτην ἡμέραν τῆς κοσμοποιίας. Savilius totum titulum sic concipnavit: Σεβηριανοῦ ἐπισκόπου Γαβάλων εἰς τὴν κοσμοποιίαν λόγοι εἰς, Χρυσοστόμου δὲ ἐν τισὶν ἀντιγράφοις ἐπιγραφόμενοι.

## AD SEX HOMILIAS SEVERIANI DE MUNDI CREATIONE.

Quam vocat Savilius eloquentiam ferream, ego certe *φλοαρίαν* dixerim, et loquacitatem; nam ubi facundiam vult exhibere, ibi futilia loquitur: rerum naturalium perquisitionem plerumque aggreditur, et ad nauseam usque explorat, suoque more, nimirum inepte, edisserit: auditores autem ea de causa conquestos objurgat acriter; ita de mundo, quem rotundum esse negat, de igne, de aqua, plus quam satis esset agit. In rebus seriis aliquando nugatur, ut cum inde probat Adamum habuisse spiritum prophetiæ quod dixerit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc. Nam quomodo, inquit, scire poterat se ossa habere, qui ossa sua nunquam viderat, nisi spiritum prophetiæ habuisset? Hæc in oratione quinta. Tolerabilius fortasse est, etsi parvi pretii, id quod in eadem oratione ait: ideo *ΑΔΑΜ* nomen impositum esse primo homini, quia hoc nomine quatuor climata per primas literas designantur: α, ἀνατολή, δ, δύσις, α ἄρκτος, μ, μεσημβρία, *oriens, occidentes, septentrio, meridiæ*, non advertens hoc nomen Hebraice vel Chaldaice impositum Adamo fuisse, quibus linguis ista climatum significatio per primas literas non indicatur, atque adeo casu, non consilio, factum ut in Græco nomine quatuor climatum primæ literæ deprehenderentur.

Habitæ sunt hæ orationes in Quadragesima, ut non semel in prima innuit Severianus. Harum interpretationem Latinam novam paravimus.

**SEVERIANI,**  
**GABALORUM EPISCOPI (a),**  
**IN MUNDI CREATIONEM,**  
**ORATIO PRIMA.**

—●—

*In primum diem creationis mundi.*

1. *Scripturæ sacræ dignitas utilitasque. Exordium modestiam spirantē animos audientium sibi conciliat orator noster.* — Quodvis pietatis argumentum, animarum nostrarum emendatio est. Ad hanc enim animarum salutem omnia pietatis instituta respiciunt. Hanc et Dei sermo operatur, hanc et Moysis lex insinuat, hanc prædicant spirituales illæ prophetarum linguæ: incessabili voce pro hac clamant apostoli. Omnia siquidem pro nobis, et propter nos: ut dum nostra ad emendationem properant, pietatem nos assequamur. Omnis itaque sanctus liber salutis nostræ causa scriptus est, ut modo dicebam. Hic porro creationis liber, origo, fons et virtus est eorum omnium, quæ

in lege et in prophetis scripta sunt. Ac quemadmodum non potest domus sine fundamento stare, sic nec varia creaturarum pulchritudo splendescere, nisi creatio ipsa initium habuerit. Scio multos ex sanctis patribus de creatione verba fecisse, multaque et egregia dixisse, ut Spiritus gratiæ mensura ipsis collata tulit. Licet autem multa, eximia et mirabilia dicta fuerint, nihil vetat quominus et nostra dicamus, prout Spiritus gratia subministraverit. Quemadmodum enim eos qui ante nos fuere non cohibuere veterum scripta, sic nec illi qui nos præcesserunt, nos arcebunt ab instituto. Si quidem et illis et nobis et antiquioribus una est gratia quæ Spiritus sancti virtutem suppeditet. *Omnia enim, inquit, operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (1. Cor. 12. 11). Non ergo ea quæ a patribus dicta sunt eliminantur, sed nostra illis apponuntur. Quamvis magna sunt eorum dicta, nostra autem exigua, hæc tamen in eandem structuram aptantur. Ut enim lapidem magnum in cubi formam aptatum, in structuram admodum, et paulum nutantem, subjectus firmat exiguus

(a) In Codice Vaticano num. 560: *ejusdem* (supple *Chrysostomi*: nam Chrysostomi sunt ea quæ præcedunt). Infra Savilius totum titulum, sic concinnavit: *Severiani, Episcopi Gabalorum, in mundi creationem sermones sex, qui, in quibusdam exemplaribus, Chrysostomo adscribuntur*. Combesisius, qui uno Savilio est usus (repetens typis sermones hos sex in *Bibliothecæ Græcorum patrum Auctario novissimo*. Tom. 1, p. 211, sqq., Paris. 1672, fol.), hæc postrema de Chrysostomo tacuit.

lapis : sic ea quæ a Patribus dicta sunt, exiguis accessionibus majus Ecclesiæ ædificium constituunt. Precor autem caritatem vestram, ut dictorum sententiis attendatis; non an novæ sint, sed an veræ. Non enim quod usu tritum est, semper verum; neque quod novum, ideo falsum; sed semper exploratur an ea quæ dicuntur vera sint, an falsa. Rogo autem ne quis, ut amicus ad gratiam sine examine sermonem excipiat, neve ut inimicus illa quasi peregrina respuat, sed videat ubique num veritas dictis palmam tribuat.

2. *Geneais auctor Moyses et Spiritu sancto revelante. Duplex Moysis scopus. Cur invisibilium creationem tacuit.* — *In principio*, inquit, *fecit Deus cælum et terram* (Gen. 1. 1). Hæc historia Moysis legislatoris opus est, et Spiritus sancti revelatio. Continet autem creationem Dei virtute factam, per propheticam vero gratiam Moysi revelatam. Non enim hæc Moyses ut historiographus dixit, sed ut propheta. Illa quippe dixit quæ non viderat, et illa narravit quorum spectator non fuerat. Ut enim pridem tria esse prophetiæ genera esse diximus, primum verbo, secundum opere, tertium opere et sermone: sic et tres jam prophetiæ partes constituimus: prophetiam de præsentibus, prophetiam de futuris, et prophetiam de præteritis. Exempli causa non aderat Isaias propheta iis quæ sub Moyse gesta sunt: sed quia spiritus Moysis erat in illo, qui ea ipsi revelaret, id propheta erat. Est item prophetia etiam de præsentibus; ut si quis coram propheta aliquid in animo versans, occultum ei esse velit, et propheta ipsum arguat, ut Elisæus erga Giezi fecit, futura præcunctans et occulta revelans. Moyses quæ præterita erant aperuit: alii quæ futura. Ita igitur est huius historiæ attendendum, non ut narrationi, sed ut historiæ veræ, quæ per Spiritum sanctum prolata sit. Quis porro est prophetæ scopus? Duo Moyses in proposito habet, et doctrinam edere, et leges sancire. Legislator enim cum sit, non tamen a legibus inceptit, sed a creatione. Cur autem primo voluit Deum ostendere Creatorem et Dominum universi? Ut Deus esse demonstraretur, qui non alienis, sed suis legem poneret. Nisi enim prius ostendisset eum mundi Conditorem, non fide dignus habitus fuisset mundi Legislator. Nam alienis legem dare, violentum; suos autem instituere, consentaneum est. Quemadmodum Joannes evangelista non prius leges a Christo latas posuit, quam ejus dominatum dixisset his verbis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. In propria venit, et sui eum non receperunt* (Joan. 1. 1. 3. 4. 11). Cum dixisset eum Opificem et Creatorem, tunc inducit illum doctorem et Legislatorem universi. Rursum alius Moysis scopus. Cur beatus Moyses cælum memoravit, terram, mare, aquas et ea quæ ex illis sunt, angelorum autem, archangelorum, Seraphim et Cherubim nullam mentionem fecit? Quia nimirum legislationem ad temporis illius conditionem aptabat. Noverat enim quibuscum loqueretur, cum iis

nempe qui ex Ægypto egressi erant, qui Ægyptiacum errorem, solem, lunam, stellas, fluvios, fontes, aquas didicerant. Invisibilium ergo creatione relicta, de visibilibus verba facit, ut persuaderet eis qui hæc adorabant, ut ne illa deos esse putarent, sed opera Dei. Non necesse namque erat, ut illis angelorum et archangelorum notitiam daret, ne rursus illorum ægritudinem aleret. Nam si, etiamsi non viderent, angelos tamen esse dixerunt, multo magis, si audissent angelos aut archangelos, putassent illos esse deos. Sed cælum memorat, terram, montes, aquas, et omnia quæ ex illis sunt; ut visibilibus invisibilem interpretetur, et ex operibus Opificem prodatur. Sic ergo etiam tres pueri Babylone fecerunt. Quia enim apud gentem illam versabantur Deo inimicam: nec erat Dei cognitio, sed idola colebantur, in fornace cum essent, dicebant: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino* (Dan. 3. 57). Cur non dicebant, Angeli, cæli, terra, ignis, aqua, frigus, æstus, et similia, sed creationem sigillatim enumerant? Ut creaturam omnem abluerent, et totum opificium mundarent, nullamque relinquerent impietatis scintillam. Quemadmodum etiam hoc loco Moyses ut omnem Ægyptiacum errorem a Judæis eliminaret, cælum et terram ut creata memorat, ut hæc facta esse ostenderet, et Opificem declararet. *In principio creavit Deus cælum et terram.*

3. *Verba Moysis, in principio erat, cum verbis Joannis, in principio fecit, comparantur. Arianos et Anomæos redarguit. Duo Testamenta uno Patre orta.* — Hic mihi animum adhibe. Ego miror quomodo Joannes et Moyses idem principium habeant. Nam hic dicit: *In principio creavit*; ille vero ait: *In principio erat*. Verum et ille utiliter, et hic proprie. Ubi namque creatio erat, dixit Moyses, *Fecit*; ubi vero Creator, posuit evangelista, *Erat*. Multum autem est discriminis et intervalli inter illud, *Fecit*; et illud, *Erat*: illud enim cum ante non esset, factum est: hic vero semper erat. *In principio fecit, et, In principio erat*. Dei est esse, creaturam vero fieri, ut et evangelista distinguit. Nam de Servatore ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum*. Sexies dixit, *Erat*, ut explicaret ejus existentiam. De famulo autem, postquam prædicavit eum qui erat, et venit ad servum Joannem, dixit: *Factus est homo*. Deus erat, homo autem factus est. Quod si de Servatore dicere audeant: Servator etiam factus est, nihil differret a terra. Animum adhibe, quæso: si dicat hæreticus: Christus factus erat, non erat antequam fieret, quid ergo plus habebit, quam terra? Nam de terra quoque ait Moyses: *Terra autem erat*. Si igitur illud: *In principio erat*, de creatione intelligunt, non de æterna natura; nihil plus habet, quam terra. Et Deus Verbum erat, et terra erat: sed ille quidem in principio erat, non factus semper existens: terra vero facta erat. Non enim prius dixit legislator, *Terra erat*, donec diceret: *In principio fecit Deus cælum et terram*; primum dixit, *Fecit*, postea vero, *Erat*. Scimus certe, fratres, has subtiles questiones

τὸν συνθεῖν πάντως ἀλήθεις, οὔτε τὸ ξένον ψευδές· ἀλλὰ πανταχοῦ ζητεῖται εἰ ἀλήθεια ἢ ψεῦδος τὰ λεγόμενα. Ἀξιῶ δὲ μήτε ὡς φίλον τινὰ χαρίσασθαι ἀνεξετάστως δεχόμενον τοὺς λόγους· μήτε ὡς ἐχθρὸν ξενίζοντα ἐκβάλλειν τὸν λόγον· ἀλλ' ὄρᾳν πανταχοῦ [437] εἰ ἀλήθεια ἔστιν ἢ τοῖς λεγομένοις βραβεύουσα.

β'. Ἐν ἀρχῇ, φησὶν, ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Ἡ ἱστορία αὕτη ἐστὶ μὲν Μωυσέως τοῦ νομοθέτου σύγγραμμα, καὶ Πνεύματος ἁγίου ἀποκάλυψις· περιέχει δὲ δημιουργίαν δυνάμει μὲν Θεοῦ γεναμένην, προφητικῇ δὲ χάριτι Μωῦσει ἀποκαλυφθεῖσαν. Οὐ γὰρ εἶπεν ταῦτα Μωῦσῃς ὡς ἱστοριογράφος, ἀλλ' ὡς προφήτης. Εἶπε γὰρ ἃ μὴ εἶδε, καὶ διηγήσατο ὡν θεατὴς οὐκ ἐγένετο. Ὡσπερ γὰρ τρία εἶδη προφητείας εἰρήκαμεν πάλαι, ὅτι πρῶτον μὲν εἶδος προφητείας τὸ εἰπεῖν, δεύτερον δὲ τὸ δι' ἔργου, τρίτον τὸ δι' ἔργου καὶ λόγου· οὕτω καὶ ἐνταῦθα τρία μέρη προφητείας· προφητεία περὶ τῶν ἐνεστώτων, προφητεία περὶ τῶν μελλόντων, προφητεία περὶ τῶν παρελθόντων. Οἷον, οὐ παρῆν προφήτης, φέρε εἰπεῖν Ἡσαίας, τοῖς ἐπὶ Μωυσέως γενομένοις· ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ πνεῦμα Μωυσέως ἦν ἐν αὐτῷ, ἀποκαλύπτων αὐτῷ τὰ γενόμενα, προφητεία ἦν. Ἔστι δὲ αὐθις προφητεία καὶ ἐπὶ τῶν παρόντων· ὡς ἐάν τις καὶ ἐπὶ τοῦ προφήτου ἐστώς θέλῃ κρῦψαι τι ἐν τῇ διανοίᾳ, καὶ ὁ προφήτης ἐλέγῃ αὐτὸν, ὡς ὁ Ἐλισσαῖος τὸν Γιεζὶ, τὰ μέλλοντα προσημαίνων καὶ τὰ κεκρυμμένα δεικνύων. Μωῦσῃς εἶπε τὰ προγεγονότα, ἄλλοι τὰ μέλλοντα. Οὕτως οὖν δεῖ προσέειναι τῇ ἱστορίᾳ ταύτῃ, οὐχ ὡς διηγήματι, ἀλλ' ὡς προφητείᾳ ἀληθινήν ἐκ Πνεύματος ἁγίου λελαλημένην. Τίς δὲ ὁ σκοπὸς τῷ προφήτῃ; Δύο πρόκειται Μωῦσει ποιῆσαι, καὶ διδασκαλίαν ἐκθέσθαι, καὶ νομοθεσίαν ὑποτυπῶσαι. Νομοθέτης γὰρ ὡν, οὐ πρῶτον ἤρξατο τῆς νομοθεσίας, ἀλλὰ τῆς δημιουργίας. Διατί δὲ πρῶτον ἠθέλησε δεῖξαι τὴν Θεὸν δημιουργὸν τοῦ παντός καὶ Δεσπότην; Ἴνα δειχθῇ Θεός· οὐκ ἄλλοις νομοθετῶν, ἀλλὰ τοῖς ἰδίοις. Εἰ μὴ γὰρ πρῶτον ἔδειξεν αὐτὸν δημιουργὸν τοῦ κόσμου, οὐκ ἂν ἀξιοπίστοι· ἐδείχθη νομοθέτης τοῦ κόσμου. Τὸ γὰρ ἄλλοις νομοθετεῖν, βίαι· τὸ δὲ τοῖς ἰδίοις παιδεύειν, ἀκολουθίας. Καὶ ὡσπερ Ἰωάννης ὁ Εὐαγγελιστὴς οὐ πρῶτον ἔταξε τοῦ Χριστοῦ τὴν νομοθεσίαν, ἕως εἶπεν αὐτοῦ τὴν δεσποτείαν, εἰπὼν· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν, ὃ γένηται. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. Ὅτε εἶπεν αὐτὸν Ποιητὴν καὶ Δημιουργὸν, τότε εἰσάγει αὐτὸν διδασκαλὸν καὶ νομοθέτην τοῦ παντός. Πάλιν ἄλλος σκοπὸς Μωυσέως· Διατί ὁ μακάριος Μωῦσῃς οὐρανοῦ μὲν ἐμνημόνευσε, καὶ γῆς καὶ θαλάσσης καὶ ὕδατων, καὶ τῶν ἐξ αὐτῶν, ἀγγέλων δὲ ἢ ἀρχαγγέλων, ἢ Σεραφεῖμ, ἢ Χερουβείμ οὐκ ἐμνημόνευσε; Ἐπειδὴ καὶ τὴν νομοθεσίαν πρὸς τοὺς τότε καιροὺς ἤρμαζεν. Ἥδει γὰρ οἷς διελέγετο, τοῖς ἐξεληθούσιν ἐκ τῆς Αἰγύπτου, τοῖς τὴν Αἰγυπτιακὴν πλάνην μαθούσιν, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα, ποταμοὺς καὶ πηγὰς καὶ ὕδατα. Κατέλιπεν οὖν τὴν τῶν ἀοράτων δημιουργίαν, καὶ νεοὶ τὸν λόγον ἐπὶ τὰ [438] ὀρώμενα, ἵνα πείσῃ τοὺς τούτοις προσκυνούοντας μὴ νομίζειν αὐτὰ θεοὺς, ἀλλ' ἔργα Θεοῦ. Καὶ γὰρ οὐκ ἦν ἀναγκαῖον τότε δεῖξαι ἐκείνοις περὶ ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων, ἵνα μὴ πάλιν θράψῃ αὐτῶν τὴν νό-

σον. Εἰ γὰρ μὴ βλέποντες ἀγγέλους εἶπαν ἃ, πολλῶν μάλλον, εἰ ἤκουσαν ἀγγέλους ἢ ἀρχαγγέλους, ἐνόμισαν ἐκείνους θεοὺς εἶναι. Ἀλλὰ μνημονεύει οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὀρέων καὶ ὑδάτων, καὶ τῶν ἐξ αὐτῶν πάντων, ἵνα ἀπὸ τῶν ὀρωμένων ἐρμηνεύσῃ τὸν ἀόρατον, καὶ ἀπὸ τῶν ἔργων δεῖξῃ τὸν τεχνίτην. Οὕτως οὖν καὶ οἱ τρεῖς παῖδες ἐν Βαβυλῶνι ἐποίησαν. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῷ ἔθνει ἦσαν ἐκείνῳ τῷ θεομάχῳ, καὶ οὐκ ἦν Θεοῦ γνώσις, ἀλλ' εἰδῶλα προσεκυνοῦντο, ἐν τῇ καμίνῳ δυτες λέγουσιν· *Εὐλογοῦτε, πάντα τὰ ἔργα Κυριοῦ, τὸν Κύριον*. Διατί οὐκ εἶπον, Ἄγγελοι, οὐρανοὶ, γῆ, πῦρ, ὕδωρ, ψῦχος, καῦμα, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἀλλὰ τὴν δημιουργίαν ἀριθμοῦσι κατὰ μέρος; Ἴνα ὅλην πλύνωσι τὴν κτίσιν, καὶ ὅλην καθαρῶσι τὴν δημιουργίαν, καὶ μηδὲνα καταλ[ε]ῖπωσι σπινθῆρα τῆς ἀσεβείας. Ὡσπερ καὶ ἐνταῦθα Μωῦσῃς θελήσας τῶν Ἰουδαίων τὴν Αἰγυπτιακὴν ἀπελάσαι πλάνην, μνημονεύει καὶ οὐρανοῦ καὶ γῆς ὡς γενομένων, ἵνα δεῖξῃ τὰ πεποιημένα, καὶ μνημονεύσῃ τὸν πεποιηκότα· *Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν*.

ἔβαλε τὸ ὕδωρ εἰς οἶνον, καὶ οὐ φαίνεται πρὸ τοῦ σημείου τούτου διδάξας· ἔδει γὰρ προλαβεῖν τὸ ἔργον καὶ ἀκολουθῆσαι τὸν λόγον. Διὰ τοῦτο ὁ συγγραφεὺς λέγει· Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιήσαντες περὶ πάντων, ὃ θεόφιλος, ὃν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. Πῶς ἔμελλε διδάσκειν ὁ Σωτὴρ, ὅτι ποιητὴς ἐστὶ τοῦ κόσμου; Εἰ μὴ γὰρ ὁ ἐφώτισε τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, οὐκ ἂν ἐπιστεῦθη λέγων· Ἐγὼ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Εἰ μὴ ἤγειρε Λάζαρον, οὐκ ἂν ἐπίστευσαν οἱ ἀκούοντες λέγοντι· Ἐγὼ εἰμι ἡ ζωὴ καὶ ἡ ἀνάστασις. Εἰ μὴ πύσας εἰς τὴν γῆν ἐποίησε πηλὸν, καὶ ἔχρισε τὸν τυφλόν, οὐκ ἂν ἐπιστεῦθη, ὅτι αὐτὸς ἐστὶν ὁ λαβῶν χροῦν ἀπὸ τῆς γῆς καὶ πλάσας τὸν Ἀδάμ. Εἰ μὴ περιεπάτησεν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, οὐκ ἂν ἐφάνη Δεσπότης τῆς θαλάσσης. Εἰ μὴ ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ, οὐκ ἂν εἰδείχθη Δεσπότης τῶν ἀνέμων. Διὰ τοῦτο ἄνθρωπος μὲν ἦν φαινόμενος, διὰ δὲ τῶν θαυμάτων ὡς Θεὸς γνωριζόμενος καὶ δοξαζόμενος. Ὁ Σωτὴρ γοῦν ἐξέπληττε τοὺς μαθητάς, καὶ ἔλεγον· Ποταπὸς ἐστὶν οὗτος, ὅτι οἱ ἀνεμοὶ καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; Ἔδειξε πρῶτον ὑπακούοντα τὰ στοιχεῖα, καὶ τότε ἠρμήνευσε διὰ τῶν ἔργων, ὅτι πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Ἔδειξε πρῶτον ὑπακούοντα. Εἰ μὴ πρῶτον εἰδείχθη ἡ κτίσις ὑπακούουσα, [447] οὐκ ἂν ἐπιστεῦθη Ἰωάννης ὁ Εὐαγγελιστὴς λέγων· Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Πῶς ἠδύναντο οἱ ἀπόστολοι πιστεῦσθαι, ἰδιωτικῆν ἔχοντες γλῶσσαν, συνιστάμενοι περὶ Θεοῦ Λόγου, Δημιουργοῦ, Σωτῆρος, πανσόφου, διδασκάλου; Ἀλλὰ ἡ γλῶσσα τῶν ἀποστόλων τὰ θαύματα ἦν· τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ἦν νεκρὸς ἐγειρόμενος, χωλὸς περιπατῶν. Ὅτι δὲ τοῖς θαύμασιν ἀκολουθεῖ ἡ πίστις, μαρτυρεῖ ἡ Γραφή λέγουσα· Διὰ γὰρ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων ἐγένετο σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα ἐν τῷ λαῷ. Καὶ ἐξίσταντο δὲ πάντες, καὶ μᾶλλον προσετίθεντο καθ' ἡμέραν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν κλήθη. Προέλαμπα τὰ θαύματα, καὶ ἠκολούθουν τὰ δόγματα. Οὕτω καὶ ἐν τῷ νόμῳ, προηγήσατο τὰ ἐν Αἰγύπτῳ θαύματα, δεικνύοντα τὸν Θεὸν δημιουργόν. Ὁ δὲ Θεὸς, ἀγαθὸς ὢν, οὐκ ἠθέλησεν ἑαυτὸν μόνον σεμνύναι, ἀλλὰ μερίζεται μετὰ Μωϋσέως τὴν δόξαν. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ Θεὸς ἐφάνη ἐξ ὧν ἐποίησε, φαίνεται καὶ Μωϋσῆς ἐξ ὧν ἐδοξάσθη. Ὡς γὰρ κατήλαθε κατέχων τὸν νόμον, ἵνα μὴ ὡς ψιλῶ ἀνθρώπῳ προσέχωσι, πληροὶ αὐτοῦ ὁ Θεὸς δόξης τὸ πρόσωπον, ἵνα τὸ λείπον τῆ ἀσθενείας τῆς φύσεως πληρώσῃ τὸ περιττὸν τῆς χάριτος. Ἐνεκῶν γὰρ οὕτω οὐκ ἐφίσε δεδοξασμένη οὐκ ἐστὶν ἀλλοτρία Θεοῦ. Οὕτω καὶ ὁ Σωτὴρ Στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος ἐποίησε λάμψαι τὸ πρόσωπον. Διὰ τὸ ἐποίησε λάμψαι τὸ πρόσωπον Στεφάνου; Ἐπειδὴ ἔμελλεν ὡς βλάσφημος ληθίζεσθαι, εἰπὼν, Θεωρῶ τὴν οὐρανὸν ἀνεφώνητους, καὶ τὸν Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, προλαβὼν ὁ Θεὸς ἐστεφάνωσεν αὐτοῦ τὴν βίην ἀγγελικῆν μορφῆν, ἵνα πείσῃ τοὺς ἀγνώμονας, ὅτι εἰ βλάσφημὸς ἐστὶ, διὰ τὴν δεξιάν; Χθὲς μὲν οὖν εἰρηται ἡμῖν, ὅτι ὁ Θεὸς ἐκ μὴ ὄντων ἐποίησε τὰ ὄντα τῆ πρώτῃ ἡμέρᾳ. Καὶ τὸ θαυμαστόν, ὅτι οὐ μόνον τὴν δημιουργίαν τοῦ Θεοῦ δεικνυσὶ τὰ ἔργα, ἀλλὰ καὶ τῶν αἰρετικῶν τὴν ἀσέβειαν ἐλέγχουσιν. Ἐρωτῶ γάρ· Τὰ μὴ ὄντα πῶς ἐγένετο, ἐπειδὴ περὶ τοῦ ἦντος ἐρωτῶσι, πῶς ἐγεννήθη; Εἰ μὴ ἦν, εἰπῶσι, τὰ μὴ ὄντα

c Additum γὰρ e Sav.

\* Combes. legendum putat διάταξιν.

β' Ἐπετρώθη ἢ θάλασσα. Combes. vertit, divisum est mare, quasi ab ἐπιτετρώσω, persforo. At puto ἐπετρώθη a πετρω deducendum esse, in peisae naturam mutuo. Nam sit Scriptura, mare quasi murum fuisse; certe si de divisione maris ageretur, aliud querendum verbum erat, quam ἐπιτετρώσω.

πῶς ἐγένετο. εἰ μὴ ἦν. Τὸ μὴ ὄν οὐ γίνεται: <sup>a</sup>, ὅσον κατὰ λογισμὸν ἀνθρώπινον, οὐ κατὰ θεϊὰν δύναμιν. Ἐνίοτε λέγει ὁ ἀίρετικὸς· Εἶπεν ὁ Θεὸς, καὶ ἐγένετο. Ἄλλὰ νῦν τὸ πρᾶγμα εἶπες, οὐ τὸν τρόπον. *Εἶπεν ὁ Θεός· Γενηθήτω φῶς*· ἐγένετο τὸ μὴ ὄν. Ὁ λόγος μετεβλήθη εἰς πρᾶγμα, ὅσον αὐτὴ ἡ φωνὴ ἐξεληθούσα ἐγένετο φῶς. Οὐκοῦν οὐκ ἔστιν ἐκ μὴ ὄντων, ἀλλ' ἐξ ὄντος. Τίς γὰρ τοιμὰ εἶπεν τὸν Λόγον μὴ ὄντα; Οὐκοῦν οὐδὲν ἐποίησεν ἐκ μὴ ὄντων, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ· καὶ εὐρίσκειται τὰ κτίσματα ὁμοούσια αὐτῷ, καὶ ὁ φεύγουσιν ἐπὶ τοῦ Υἱοῦ, ἀρμόζουσιν ἐπὶ τῶν κτισμάτων. Ἄλλὰ πάλιν στενοῦμενοι λέγουσιν· Ἡ βούλησις τοῦ Θεοῦ τὰ μὴ ὄντα ἀπέτελεσεν· εἶτα· Ἡ γὰρ βούλησις τὸ μὴ ὄν ποιεῖ· ἡ δὲ φύσις τὸ ὄν οὐ γεννᾷ. Καὶ ἔστι θαυμαστόν· Ὡς ἐν εἰκόνι λέγω· Ὑπόθου μοι πηγὴν καὶ πέτραν· τί εὐκολότερον, τὴν πηγὴν ὕδωρ γεννήσασαι, ἢ τὴν πέτραν; Ἡ πηγὴ ἐὰν γεννήσῃ, ἐξ ὧν ἔχει προφέρει· ἡ δὲ πέτρα ἐξ ὧν οὐκ ἔχει. Εἶτα τὸ μὴ ὄν ἐγέννησεν ἡ πέτρα ἐξ ὧν οὐκ εἶχε, καὶ ἡ πηγὴ οὐκ [448] ἐγέννησεν ἦν εἶχεν ἐν αὐτῇ πηγὴν; Καὶ πῶς ἐγένετο τὰ μὴ ὄντα; μὴ αὐτοματοισμὸς ἦν; τὸ μὴ ὄν ὀνομαζέσθαι, οὐκ ἔστι δέ τι; Μὴ ἐπειδὴ λέγω ἐκ μὴ ὄντων, νομίσης εἶναι τι μὴ ὄν. Εἶτα τὸ ὄν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐκ οἶδας εἶπεν πῶς ἐγένετο, καὶ τὸν ὄντα ἐκ τοῦ ὄντος τολμήσεις πολυπραγμονεῖν πῶς ἐγεννήθη; Πάντα τὰ κτίσματα οὐκ ἦν ἀπ' ἀρχῆς καὶ γέγονεν· ὁ μονογενὴς Λόγος καὶ Κτίστης τοῦ κόσμου οὐκ ἐγένετο ἀπ' ἀρχῆς, ἀλλ' ἦν. Ταῦτα οὐκ ἦν, καὶ ἐγένετο· ὁ δὲ ἦν ἐν ἀρχῇ μὴ γενόμενος, ταῦτα δὲ ἐγένετο ἐν ἀρχῇ μὴ ὄντα.

γ. Ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, φησί. Τί ἐστίν, Ἀόρατος; Οἶδα πολλοὺς τὸν ἄγιον Πατέρων εἰρηκότας· Ἀόρατος ἦν ἡ γῆ, ἐπειδὴ τῷ ὕδατι ἐκαλύπτετο. Πολλὰ τῶν νοημάτων ἐστὶ μὲν εὐσεβῆ, οὐκ ἀληθῆ δέ. Οἷον οἱ τρεῖς φίλοι τοῦ Ἰωβ, θεασάμενοι αὐτὸν ἐν πειρασμῷ, κατέκριναν τὸν ἄγιον ὡς δικαίως πάσχοντα, καὶ ἔλεγον· Εἰ μὴ χήρας ἐλύπησας, εἰ μὴ ὀρφανούς ἐπλεονέκτησας, οὐκ ἂν σοὶ ὁ Θεὸς ἐπιτήγαγε ταῦτα. Καὶ ὁμως ἐπειδὴ ἠγγύοντο τὸν σκοπὸν τοῦ Θεοῦ, εἴλαντο μᾶλλον κατακρίναι τοῦτον ὡς δικαίως πάσχοντα, ἢ καταψηφίσασθαι τοῦ Θεοῦ ὡς ἀδικῶς ἐπαγαγόντος. Ὑπὲρ Θεοῦ ἐποίησαν, καὶ ἐλέγχει αὐτοὺς ὁ Θεός· *Διατί οὐκ ἐλαλήσατε ὀρθὰ κατὰ τοῦ θεράποντός μου*; Ἔστιν οὖν νόημα εὐσεβὲς μὲν, οὐκ ἀληθές δέ. Τί οὖν ἐστίν. *Ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκευαστος*; Οἱ ἐρμηνευταὶ ἠρμηνευσαν σαφῶς. Λέγει γὰρ ὁ Ἀκύλας· *Ἡ δὲ γῆ ἦν κένωμα καὶ οὐδέν*. Ἀόρατος δὲ λέγεται, οὐχ ὅτι οὐκ ἐφαίνετο, ἀλλ' ὡς ἂν εἴποι τις, ἀκόσμητος. Οὐδέπω ἦν φαιδρυνομένη τοῖς φυτοῖς, οὐδέπω καρποῖς ἐστεφανωμένη, οὐδέπω ποταμοῖς καὶ πηγαῖς διεζωσμένη, οὐδέπω τῇ ἄλλῃ εὐκοσμίᾳ πεποικιλμένη, καὶ ἦν ἀόρατος, μηδέπω κατασκευασθεῖσα πρὸς ἐπιτηδεύματα τοῦ γεννᾶν. Λέγει ἡ Γραφή περὶ τίνος ἀνδρείου καὶ εὐμόρφου· *Οὐχ οὗτος*, φησί, *ἐπάταξεν τὸν ἄνδρα τὸν Αἰγύπτιον ὀρατόν*<sup>b</sup>; Ἔστιν οὖν ἀνήρ ἀόρατος; Ἄλλ' ἄξιος, φησί, τοῦ ὁρᾶσθαι. Ὅσπερ οὖν τὸν Αἰγύπτιον εἶπεν ἄνδρα ὀρατόν, ὡς ἄξιον τοῦ ὁρᾶσθαι, αὕτως τὴν γῆν τὴν ἄμορφον ἀόρατον ἐκάλεσεν. Τῇ<sup>c</sup> δευτέρᾳ ἡμέρᾳ εἶπεν ὁ Θεός· *Γενηθήτω στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος, καὶ ἔστω*

*διαχωρίζον ἀναμέσον ὕδατος καὶ ὕδατος*. Ἐποίησεν οὖν τὸν οὐρανὸν τοῦτον, οὐ τὸν ἐπάνω, ἀλλὰ τὸν ὀριζόμενον ἐξ ὕδατος πῆξας ὡς κρυστάλλον. Βούλομαι σοὶ παραστήσαι πρᾶγμα· πολλὰ γὰρ τῇ ὕψει μᾶλλον ἡμῶν ἢ τῷ λόγῳ παραδίδονται. Τοῦτο τὸ ὕδωρ ὑπερείχε, φέρε εἶπεν, τῆς γῆς πῆχαις τριάκοντα<sup>d</sup>. Εἶτα εἶπεν ὁ Θεός· *Γενηθήτω στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος*· καὶ λοιπὸν ἐν μέσῳ τῶν ὕδατων ἐπάγη πῆγμα κρυσταλλῶδες, καὶ ἐκούφισεν τὸ ἦμισυ τοῦ ὕδατος ἄνω, κατέλιπε τὸ ἦμισυ κάτω, καθὼς γέγραπται· *Γενηθήτω στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος*, [449] *καὶ ἔστω διαχωρίζον ἀναμέσον ὕδατος καὶ ὕδατος*. Διατί δὲ αὐτὸ καλεῖ στερέωμα; Ἐπειδὴ ἀπὸ ἀραιῶν ὕδατων καὶ διαλελυμένων αὐτὸ ἐστερέωσε. Διὰ τοῦτο καὶ Δαυὶδ φησὶν· *Αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν στερεώματι δυνάμεως αὐτοῦ*. Καὶ ἵνα ἐτέρω χρήσμαι ὑποδείγματι· ὡσπερ καπνός, ἐπειδὴ ἀπὸ ξύλων καὶ πυρὸς ἀναδοθῆ, ἡραιωμένος ἐστὶ καὶ κεχαυνομένος· ἐπειδὴ δὲ δράμη εἰς ὕψος, εἰς νεφέλης παχύτητα μεταβρῦθμιζέται· οὕτω τῶν ὕδατων τῶν ἡραιωμένων ὁ Θεὸς τὴν φύσιν ὑψώσας ἐπηξεν ἄνω. Καὶ ὅτι ἀληθὲς τὸ ὑπόδειγμα<sup>e</sup>, μαρτυρεῖ Ἡσαίας λέγων, ὅτι· *Ὁ οὐρανὸς ὡς καπνὸς ἐστερεώθη*. Παγεῖς τοῖνον ἐν μέσῳ τῶν ὕδατων ὁ οὐρανός, ἐκούφισεν τὰ ἦμισε[ι]α τῶν ὕδατων ἄνω. Διατί δὲ ἄνω ὕδατα; πρὸς ποῖαν χρῆσιν; ἵνα τις πῆγῃ; ἵνα τις πλεῖσθῃ; Ὅτι μὲν γὰρ ἔστιν ὕδατα ἄνω, μαρτυρεῖ Δαυὶδ λέγων· *Καὶ τὸ ὕδωρ τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν*. Πρόσθετε λοιπὸν τὴν σοφίαν τοῦ Δημιουργοῦ Κρυσταλλῶδες ἦν ὁ οὐρανὸς ἀπὸ ὕδατων παγεῖς· ἐπειδὴ γὰρ ἔμελλε δέγεσθαι ἡλίου φλόγα καὶ σελήνης, καὶ ἀστρῶν ἄπειρα πλήθη, καὶ εἶναι ὅλος πυρὸς πεπληρωμένος, ἵνα μὴ ὑπὸ τῆς θερμότητος λυθῆ ἢ φλεχθῆ, ἐπέστρωσε τοῖς νότοις τοῦ οὐρανοῦ τὰ πελάγη καὶ τὰ νῦτα, καὶ οὕτως ἀντέχῃ πρὸς τὴν φλόγα, καὶ μὴ φρύγεται. Ἔχεις δὲ καὶ ὑπόδειγμα· ὡσπερ σήμερον ἐὰν ἐπιθῆς λέβητα ἐπάνω πυρὸς, ἐὰν μὲν ὕδωρ ἐπάνωθεν ἦ, ἀντέχει πρὸς τὸ πῦρ· ἐὰν δὲ μὴ ἔχη, διαλέλυται· οὕτως ὁ Θεὸς ἀντέθηκεν ἀντίπαλον τῷ πυρὶ τὸ ὕδωρ, ἵνα ἔχη ἀρκούσαν τὴν διαμονὴν ἐκ τῶν ἄνωθεν ἐπαλειφόντων αὐτὸν ὕδατων. Καὶ βλέπε τὰ θαυμαστά· τοιοῦτον περισσεύει τῷ οὐρανῷ σῶματι ὕδρων, ὑπὸ τοσοῦτου πυρὸς πολεμούμενον, ὅτι καὶ τῇ γῆ δανεῖζει. Ἐπεὶ πόθεν ἡ δρόσος; Νεφέλη οὐδαμοῦ, ὁ ἀήρ ὕδωρ οὐκ ἔχει· δηλονότι ὁ οὐρανός ἐκ τῶν περισσευόντων αὐτῷ ἀποστάζει. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ πατριάρχης· Ἰσαὰκ εὐλογῶν τὸν Ἰακώβ εἶπε· *Δῶν σοὶ ὁ Θεὸς ἀπὸ τῆς δρόσου τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἀπὸ τῆς πύθου τῆς γῆς*.

δ. Λέγεται δὲ, ἀδελφοί, ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως· ὑποχωρεῖ τὸ ὕδωρ τὸ ἄνω, καὶ ὁ οὐρανός λύεται μὴ ἔχων τῶν ὕδατων τὴν σύστασιν, καὶ ἀστρα πίπτει μὴ ἔχοντα ὕδην ἢ βάσιν. Ταῦτα οὖν οὐ λέγομεν ἀπλῶς, ἀλλ' ἡ Γραφή διδάσκει· *Ἐλληγησεται γὰρ ὁ οὐρανός ὡς βιβλίον* (ἀντὶ τοῦ, φρυγόμενος· τὸ γὰρ φρυγόμενον εἰλεῖται), *καὶ τὰ ἀστρα πεσίσται ὡς*

<sup>a</sup> Combef. distinguit ei μὴ ἦν, τὸ μὴ ὄν οὐ γ., veritique: *nisi erai, non ens non fit*.

<sup>b</sup> Ὁρατόν hoc loco est *dignum spectaculo*, ut vertit Vulgatus interpret.

<sup>c</sup> Haec apud Cosmam Aegyptium habentur, p. 521 et seq.

<sup>d</sup> Cosmas πῆχεις πέντε.

<sup>e</sup> Cosmas παραδείγματι.

<sup>f</sup> Cosmas καὶ ὅτι ἀληθές· τὸ δείγμα.



eo qui erat quærent, quomodo genitus sit. Si non erant illa non exstantia, dicant, quomodo facta sint. Quod non est, non efficitur secundum humanum ratiocinium, non item secundum divinam virtutem. Aliquando dicit hæreticus; Dixit Deus, et facta sunt. Sed nunc rem dixisti, non modum. *Dixit Deus, Fiat lux*: factum est id quod non erat. Sermo in rem mutatus est; puta, ipsa vox egressa facta est lux. Ergo non est ex non exstantibus, sed ex existente. Quis enim ausit dicere Verbum non exstare? Ergo nihil fecit ex non exstantibus, sed ex illo: sicque reperiuntur creaturæ ipsi consubstantiales, et quod de Filio dicere refugiunt, id creaturis adscribunt. Verum rursus aretati dicunt: Voluntas Dei ea quæ non erant effecit; atqui voluntas id quod non erat producit; natura autem id quod erat non gignit. Ac mirabile utique est. Exempli causa loquor: suppone mihi fontem et petram: quid facilius aquam gignere potest, an fons, an petra? Fons si genuerit, ex iis quæ habet, profert, petra vero ex iis quæ non habet. Ergo id quod non erat petra genuit ex iis quæ non habebat: et fons quem in se fontem habebat non genuit. Et quomodo facta sunt quæ non erant? num id casu et per se accidit? id quod non erat, nomen est, nihilque aliud? Quia dico, Ex non exstantibus, ne ideo existimes id quod non exstat aliquid esse. Ergo cum non possis dicere quomodo id quod non erat, ex non exstante seu ex nihilo factum sit, audebisne curiosius inquirere quomodo is qui erat ex eo qui erat genitus sit? Omnes creaturæ non erant ab initio, et factæ sunt: unigenitum Verbum et Creator mundi non factus est ab initio, sed erat. Hæc non erant et facta sunt: hic erat in principio non factus, hæc vero factæ sunt in principio, cum non essent.

3. *Terra quomodo invisibilis erat in principio; Firmamenti et cæli ratio secundum Severiani mentem.* — *Terra autem, inquit, erat invisibilis.* Quid est, *Invisibilis*? Novi multos sanctorum Patrum dixisse: invisibilis erat terra, quoniam aqua occultabatur (*Gen. 1. 2*). Multæ sunt sententiæ piæ quidem, sed non veræ. Exempli causa, tres amici Jobi, cum illum in ærumnis viderent, sanctum virum damnarunt, quasi justa patientem, dicebantque: Nisi viduas afflixisses, nisi pupillos oppressisses, nunquam tibi Deus hæc inflixisset. Et tamen quia Dei propositum ignorabant, maluerunt hunc damnare quasi justa patientem, quam Deum, ut injusto mala inferentem. Dei causam agebant, et tamen Deus illos coarguit: *Quare non loquuti estis recta adversus servum meum (Job 42. 7)*. Est igitur sententia pia quidem, sed non vera. Quid est igitur, *Terra autem erat invisibilis et incomposita*? Interpretes clare exposuerunt. Ait enim Aquila: *Terra autem erat inanitas et nihil.* Invisibilis autem dicitur, non quod non appareret, sed, ut quis dixerit, inornata. Nondum erat læta plantis, nondum fructibus coronata, nondum fluviis et fontibus cincta, nondum aliis variisque ornamentis decora, eratque invisibilis nondum instructa gignendi facultate. Ait Scriptura de quodam viro forti et formoso: *Nonne hic percussit virum Ægyptium visibilem (2. Reg. 23. 21)*? Num

est ergo vir invisibilis? Sed dignus est, inquit, qui suspiciatur. Quemadmodum igitur Ægyptium dixit virum visibilem, ceu dignum spectaculo: sic terram informem invisibilem dixit. Secundo die dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens inter aquam et aquam (Gen. 1. 6)*. Fecit igitur hoc cælum, non vero cælum superius, sed illud quod videtur, ex aquis nempe crystalli instar concretis. Velim rem tibi in conspectum dare: multa enim ex visu nostro melius quam verbo traduntur. Hæc aqua supra terram eminebat, verbi causa, cubitis triginta. Tunc dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquæ*: demumque in medio aquarum concretio in crystalli morem fuit, levavitque mediam partem aqua sursum, mediam vero inferius reliquit, sicut scriptum est: *Fiat firmamentum in medio aquæ, et erit dividens inter aquam et aquam.* Cur autem illud firmamentum vocat? Quia nimirum ex rariore et dissoluta aquarum substantia illud firmavit. Ideo David quoque ait: *Laudate eum in firmamento virtutis ejus (Psal. 150. 1)*. Et ut alio utar exemplo: quemadmodum fumus, cum ex lignis et igne emerit, rarior est atque mollior; cum autem in sublime ascenderit, in nubis densitatem mutatur: sic aquarum illarum rariorem naturam in sublime ductam Deus fixit et consolidavit. Rem autem esse veram testificatur Isaias dicens: *Cælum ut fumus firmatus est (Isai. 51. 6)*. Cælum itaque in medio aquarum concretum, dimidiam aquarum partem in sublime levavit. Cur autem aquæ illæ supernæ, et cui usui? an ut quis bibat, an ut quis naviget? Nam aquas superne positas esse testificatur David dicens: *Et aqua quæ super cælos est (Psal. 148. 4)*. Animadvertite jam Creatoris sapientiam. Crystallinum erat cælum ex aquis concretum: quia enim solis flammam suscepturum erat atque lunæ, necnon infinitam stellarum multitudinem, futurumque erat ut totum igne repleretur, ne ex calore nimio solveretur aut uretur, dorso cæli constravit illa aquarum maria, ut ejus dorsa emolliret atque liniret, et sic posset resistere flammæ, nec torreretur. Exemplum in manu habes: si hodie lebetem igni imposueris, si aquam habeat, igni resistit; sin non habeat, dissolvitur: sic Deus igni adversariam posuit aquam, ut perduraro posset, ex aquis sursum illud linientibus. Ac vide rem miram: tantum abundat humida substantia cælesti corpori imposita, tanto licet adversante igne, ut etiam terræ commodet. Nam unde ros? Nubes nusquam est, aer aquam non habet; nempe cælum ex superabundanti aqua distillat. Ideo Isaac patriarcha cum Jacobo benediceret, dicebat: *Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ (Gen. 27. 28)*.

4. Aiunt vero, fratres, in die iudicii, recessuram aquam illam supernam, cælumque solutum iri, cum non ultra habiturum sit illam aquarum molem, et fore ut stellæ cadant, cum nec viam nec stationem ultra habituræ sint. Hæc porro non temere dicimus; sed Scriptura docet: *Cælum enim convolvetur ut liber (Isai. 34. 4)*; nempe adustum: quod enim aduritur convolvitur: *et stellæ cadent sicut folia vitis.* Attende,

quæso, et alium usum. Aquæ illæ, quæ super cælos sunt, non modo cælum conservant, sed etiam flammam solis et lunæ emittunt. Si enim pellucidum esset cælum, omnis ejus splendor sursum curreret, ignis quippe cum sursum tendat, terram desertam relinqueret. Idcirco igitur totum cælum superius immensis aquis addensavit, ut splendor coactus infra decenderet. Vide Artificis sapientiam. Habes autem in teipso sapientiæ Artificis imaginem; fecit quippe Deus etiam in te quatuor elementorum effigiem. Animadvertite, quæso: cogita mihi caput hoc esse cælum superius; quæ supra linguam sunt, cælum alterum, id est firmamentam: indeque est quod *ὀψαυτορας*, sive parvum cælum vocetur. Superius in locis abditis cerebrum, quod non videtur, inferius lingua, quæ sub aspectum cadit. Quemadmodum igitur cælum superius in invisibilibus est, mundus vero in locis de quibus loquimur: ac quemadmodum in elementis terram comperis esse gravem, aquam vero terra leviolem, igne graviorem; rursusque aerem aquis leviolem, igne graviorem: sic et in nobis sensus, gustus, odoratus, auditus, visus nec omnes similes sunt. Rem comproba: si velis aliquid gustare, nisi linguæ admoveas, nullo gustus sensu afficeris. Crassior quippe sensus est, nec potest procul percipere. Olfactus vero procul percipit; exempli causa, per domum transis, odoris fragrantiam percipis, quam non vides. Rursus visus olfactu celerior est: videt enim ex monte latam planitiem. Visu rursus mens acutior: cælum cogitat, terram, mare, et ubique invenitur.

*Mens quomodo est imago Dei. Historia cujusdam, qui ex sanctificatione volebat detruncari illud, Dominus sabaoth...* — Ideo imago Dei mens est. Mens cogitat, moxque in se fora creat, turbam sibi depingit, et populum. Erubescant hæretici. Mens talia operatur, et mentis Artifex, omni olfactu subtilior, non celeriolem habet operationem, non promptam creandi vim, non incomprehensibilem naturam? Volo autem, fratres, rem vobis dicere insolentem quidem quantum ad impietatem, sed fidei consonam, quantum ad examinem; ut discatis quanta et quam nova moveat diabolus, quanta reperiat, quanta suggerat hæreticis, vel hi potius diabolo. Hodie quispiam hæreticus, præsentibus sanctis viris et patribus, nos conveniens dicebat: hæc dico autem, ne res aliter audita, aliter feriat: Pater, aiebat, et Filius et Spiritus sanctus una divinitas, una virtus, unum regnum. Oportet autem, inquit, auferre ab animo<sup>1</sup>, non enim ab altari dico, ne in sanctificatione dicatur, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth*. Nisi illud, inquit, abstuleritis, Christiani non estis. Vidistin' tantam audaciam, tantamque diaboli insaniam? vidistin' radicem adversantis Deo impietatis? vidistin' magnitudinem blasphemix? Pietatis caput voluit amputare, enervare mysterium, fidem abolere, ejus fundamenta eruere. Et vide diaboli astutiam. Persuasit ei ut diceret: Pa-

<sup>1</sup> Savil. legendum putat, *ab oratione*, pro, *ab animo*. Sed clare potest lectio Codicum omnium.

ter et Filius et Spiritus sanctus, una fides (a), una virtus, unum regnum. Venenum melle temperavit. Semper enim mendacium, cum vult sibi fidem haberi, nisi fundamentum posuerit apparentis veritatis, ut falsum rejicitur: et qua ratione, audi: nihil quidem simile, dicam tamen. Rahab meretrix cum excepit exploratores, interrogata: *Ingressi sunt ad te viri (Joa. 2. 4. 5)?* respondet, *Etiam*; hoc primum verum est: *Sed exierunt*, inquit; hoc secundum falsum. Si dixisset, Non egressi sunt, domum perscrutati essent. Dixit verum, ut fidem conciliaret: falsum addidit, ut deciperet. Ita et iste: nobis interrogantibus, Cur sanctificationem detruncabimus? dicitis, inquit, *Dominus Sabaoth*: atqui non est nomen Dei, non est Christi, neque Patris. Vidistin' os vile et impurum? Ignoravit, nempe ob inscitiam, Sabaoth non esse nomen Dei, sed nomen exercituum; id est, Dominus virtutum. Causam autem dico: sed ante finem quid fasti evenerit annuntio: pœnituit, procidit, anathemata dixit, precatu est, receptus est.

5. Attende igitur: quia sermo incidit, operæ pretium est nos causam dicere, ob quam beatus Isaias hanc sanctificationem Deo emissam audivit. Isaias erat vir mirabilis, zelo plenus, vir audax, audax non procaçitate, sed zelo. Illis temporibus fuit rex, Ozias nomine: is cum regia majestate, sacerdotium etiam invadere tentavit. Sacerdotes quid inde sequeretur noverant; regi tamen plurimum reluctari noluerant; dignitatem reveriti, solum honore prosequuti sunt, exercitus timerunt. Ipse quoque Isaias tacuit, non obstitit regi. Ut vidit Deus sacerdotes formidolosos, nutantem prophetam, regem audacter aggressum, immisit ei lepram in vultum, utpote qui sancta attingere ausus esset: atque expulsus demum ille est non modo a sacerdotio, sed etiam a regno, et leprosus mansit. Deus porro quod suum erat præstitit, indignatus autem est in sacerdotes, maximeque in prophetam, quod præsens cum esset, pietatem prodidisset. Deus itaque órga prophetam silentium servabat; nec verba cum eo fecit, donec iniquus ille moreretur. Cum autem obiisset impius ille, tum Deus posita indignatione, propheta conciliatur. Ait itaque Isaias: *Et factum est in anno, in quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solum excelsum et elevatum (Isai. 6. 1)*. Cur vero Deus apparuit super solum excelsum et elevatum? Quia invisibilis est Deus, rex autem visus metum incussit; propheta celestem gloriam exhibuit; ut ostenderet ei, quo solio despecto, quod solum honorassent: quod satellitium, nempe cæleste et angelicum, non honorantes, neque cogitantes, humanum satellitium metuissent. *Et erat, inquit, domus plena gloria ejus: et Seraphim stabant in circuitu ejus (Ibid. v. 2)*. Cherubim solum, Seraphim satellitium sunt: Cherubim namque nihil aliud significant, quam sapientiam plenam. Quemadmodum autem hoc solum sive aliud quodvis quietem præbet sedenti,

(a) Vaticanus, Savilius ejusque Codd., *μία πίστις*. Combelisius vero, suo Marte, nulliusque Manuscripti auctoritate, substituit *μία θεότης*. Non video cur textus hic sit nulla auctoritate mutandus.

φύλλα ἀμπέλου. Πρόσεχε δὲ, παρακαλῶ, καὶ ἐτέραν χρεῖαν· τὰ ὕδατα ἐπάνω τῶν οὐρανῶν, οὐ μόνον συντηρεῖ τὸν οὐρανὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν φλόγα τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης καταπέμπει· Ἐἰ γὰρ ἦν διαφανὴς ὁ οὐρανὸς, ὅλη ἡ αὐγὴ ἄνω ἔτρεχε· τὸ γὰρ πῦρ ἀνωφερὲς ἐν, Ἐρημον τὴν γῆν κατελίμπανε. Διὰ τοῦτο γοῦν ἐπίλησε τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν ἀπέλροις ὕδατιν, ἵνα ἡ αὐγὴ στενωμένη κάτω πέμπηται. Ὅρα τοῦ τεχνίτου τὴν σοφίαν. Ἐχεις δὲ καὶ ἐν ἑαυτῷ τοῦ τεχνίτου τῆς σοφίας τὴν εἰκόνα· ἐποίησεν ὁ Θεὸς [450] καὶ ἐν σοὶ τῶν τεσσάρων στοιχείων τὴν εἰκόνα. Καὶ πρόσεχε, παρακαλῶ· κήσόν μοι τὴν κεφαλὴν ταύτην τὸν οὐρανὸν τὸν ἄνω, τὰ ἐπάνω τῆς γλώσσης, τὸν ἄλλον οὐρανὸν, τούτους τὸ στερέωμα· ὅθεν καὶ οὐρανίσκος καλεῖται. Ἄνω ἐν τοῖς ἀοράτοις ἐγκέφαλος μὴ φαινόμενος, ἐν τῷ κάτω γλώσσα φαινόμενη. Ὅσπερ οὖν ὁ οὐρανὸς ὁ ἄνω ἐν τοῖς ἀοράτοις, ὁ δὲ κόσμος ἐν τοῖς λαλουμένοις· καὶ ὡσπερ ἐν τοῖς στοιχείοις εὐρίσκεις τὴν μὲν γῆν βαρεῖαν, τὸ δὲ ὕδωρ τῆς μὲν γῆς κουφότερον, τοῦ δὲ πυρὸς βαρύτερον· πάλιν τὸν ἀέρα τῶν ὑδάτων κουφότερον, τοῦ δὲ πυρὸς βαρύτερον· οὕτω καὶ ἐν ἡμῖν αἱ αἰσθήσεις, γεῦσις, ὄσφρησις, ἀκοή, ὅψις, καὶ οὐ πάσαι ἴσαι. Λάβε τὴν ἀπόδειξιν· Ἐὰν θέλῃς τινὸς γεῦσασθαι, ἐὰν μὴ πλησιάσῃς τῇ γλώσσῃ, τοῦ γευομένου οὐ λαμβάνεις αἰσθῆσιν. Παχεῖα γὰρ ἔστι, καὶ οὐ δύναται πόρρωθεν οὔσα ἀντιλαμβάνεσθαι. Ἡ ὄσφρησις δὲ μακρῶθεν ἀντιλαμβάνεται· ὅσον, πρὸς φρηγὴ δι' οἰκίας, ὄσφραϊν θυμαμάματος, ὃ μὴ ὀρεῖ. Πάλιν ἡ ὄψις τῆς ὄσφρησεως ταχυτέρα· βλέπει γὰρ ἀπὸ δρους πλάτη μεγάλη. Τῆς ὄψεως πάλιν ὀξύτερος ὁ νοῦς· ἐννοεῖ οὐρανὸν, γῆν, Ὀλίασσαν, καὶ πάντῃ εὐρίσκειται.

Διὰ τοῦτο καὶ εἰκὼν Θεοῦ ὁ νοῦς. Ἐννοεῖ ὁ νοῦς, καὶ εὐθέως κτίζει παρ' ἑαυτῷ ἀγοράς, ἀναζωγραφεῖ ἔχλον, δῆμον. Αἰδεσθῶσιν αἰρετικοί. Νοῦς τοιαῦτα ἐργάζεται, καὶ ὁ τοῦ νοῦ τεχνίτης, ὁ πάσης ὄσφρησεως ὀξύτερος, οὐ ταχυτέραν ἔχει τὴν ἐνέργειαν, οὐ σύντομον τὴν δημιουργίαν, οὐκ ἀκατάληπτον τὴν φύσιν; Βούλομαι δὲ, ἀδελφοί, εἰπεῖν εἰς ὑμᾶς τὸ ξένον μὲν, ὅσον εἰς ἀσέβειαν, σύντροπον δὲ τῆς πίστεως, ἔστιν εἰς ἐξέτασιν, ἵνα μάθητε πόσα καινοτομεῖ ὁ διάβολος, πόσα εὐρίσκει, πόσα υποβάλλει τοῖς αἰρετικοῖς, μᾶλλον δὲ ἐκείνῳ οἱ αἰρετικοί· Σήμερον τις ἐπὶ ἁγίων ἀνδρῶν καὶ Πατέρων ἐλθὼν πρὸς ἡμᾶς αἰρετικὸς ἔλεγε (λέγω δὲ ἵνα μήποτε ὁ λόγος ἄλλως ἀκουσθῆις, ἄλλως πλήξῃ)· Πατὴρ γὰρ, φησὶ, καὶ Υἱὸς καὶ ἅγιον Πνεῦμα μία θεότης, μία δύναμις, μία βασιλεία. Δεῖ δὲ, φησὶν, ἐξαρεθῆναι ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ<sup>b</sup> (οὐ γὰρ λέγω ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου), τὸ λέγειν ἐν ἁγιασμῷ· Ἄγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαώθ. Ἐὰν τοῦτο, φησὶ, μὴ περιέλγητε, Χριστιανοὶ οὐκ ἐστέ. Εἶδες πόσα αὐτὴν τόλμαν καὶ μανίαν τοῦ διαβόλου; εἶδες ῥίξαν θεομαχίας; εἶδες ὑπερβολὴν βλασφημίας; Ἀποκεφαλίσαι ἠθέλησε τὴν εὐσέβειαν, ἐκνευρώσαι τὸ μυστήριον, ἀφανίσαι τὴν πίστιν, ἐκτριζῶσαι τὰ θεμελιωθέντα. Καὶ ὅρα τὸ δεινὸν τοῦ διαβόλου· Προσέπηξεν αὐτῷ εἰπεῖν· Πατὴρ καὶ Υἱὸς καὶ ἅγιον Πνεῦ-

μα, μία πίστις, μία δύναμις, μία βασιλεία. Ἐκέρασε τὸ δηλητήριον μέλιτι. Ἄει γὰρ τὸ ψεῦδος, ὅταν θέλῃ πιστευθῆναι, ἐὰν μὴ πῆξῃ θεμέλιον δοκούσης ἀληθείας, οὐ πιστεύεται· καὶ ὅπως, ἄκουε· οὐδὲν μὲν ὅμοιον, λέγω δὲ· Ῥαβὴ ἡ πόρνη ὅτε ἐδέξατο τοὺς κατασκόπους, ἠρωτήθη· [451] *Εἰση. ἴδον πρὸς σὲ οἱ ἄνδρες*; λέγει, *Ναί*· τὸ πρῶτον ἀληθές· Ἄλλ' ἐξῆλλθον, φησὶ· τὸ δεύτερον ψεῦδος. Εἰ εἶπεν, Οὐκ ἐξῆλλθον, ἠρευνᾶτο ἡ οἰκία. Εἶπε τὸ ἀληθές, ἵνα ἐντρέψῃ· ἐπήγαγε τὸ ψεῦδος, ἵνα ἀπατήσῃ. Οὕτω καὶ οὗτος· ἐρωτώτων ἡμῶν, Διατί ἐξέλωμεν τὸν ἁγιασμόν; λέγετε·, *Κύριος Σαβαώθ*· ἀλλ' οὐκ ἔστι Θεοῦ ὄνομα, οὐκ ἔστιν οὔτε τοῦ Χριστοῦ, οὔτε τοῦ Πατρὸς. Εἶδες τὸ ἐξουθενημένον καὶ μιαρὸν στόμα; Ἠγνόησε δὲ ἀπὸ ἰδιωτείας, ὅτι τὸ Σαβαώθ οὐκ ἔστιν ὄνομα Θεοῦ, ἀλλ' ὄνομα στρατιῶν· τούτῃ, Κύριος τῶν δυνάμεων. Λέγω δὲ καὶ τὴν αἰτίαν· ἀλλὰ πρὸ τοῦ τέλους εὐαγγελίζομαι ὑμᾶς· μετενόησε, προσέπεσεν, ἀνεθεμάτισεν, τῖξαστο, ἐδέχθη.

ε'. Πρόσεχε τοίνυν· ἐπειδὴ παρενόησεν ὁ λόγος, δεῖ ἡμᾶς καὶ τὴν αἰτίαν εἰπεῖν καθ' ἣν ὁ μακάριος Ἡσαίας τὸν ἁγιασμόν τοῦτον ἤκουσε τῷ Θεῷ ἀναπεμπόμενον· Ἡσαίας ἐγένετο ἀνὴρ θαυμαστός, ζῆλον πεπληρωμένος, ἀνὴρ τολμηρὸς, τολμηρὸς δὲ οὐκ ἀπὸ θρασύτητος, ἀλλ' ἀπὸ ζήλου. Κατὰ τοὺς χρόνους τούτους ἐγένετο βασιλεὺς Ὀζίας ὀνόματι· ὃς μετὰ τῆς ἄλλης τῆς βασιλικῆς δόξης ἠθέλησε καὶ ἱερωσύνην ἐνδύσασθαι. Οἱ ἱερεῖς μὲν τὴν ἀκολουθίαν ἤδεσαν· βασιλεὶ δὲ ἐπὶ πλείστον ἀντεπιτεῖν οὐκ ἠθέλησαν· ἠδέσθησαν τὸ ἀξίωμα, ἐτίμησαν τὸν θρόνον, ἐδυσωπήθησαν τὰ στρατεύματα. Ἡσαίας καὶ αὐτὸς ἐσώπησεν, οὐκ ἀντέστη τῷ βασιλεῖ. Ὡς εἶδεν ὁ Θεὸς τοὺς ἱερεῖς φοθηθέντας, τὸν προφήτην ὀκλάσαντα, καὶ τὸν βασιλέα τολμήσαντα, ἐπέβαλεν αὐτῷ λέπραν ἐν τῷ προσώπῳ, ὡς τολμήσαντι ἄψασθαι τῶν ἁγίων· καὶ ἐξεβλήθη λοιπὸν οὐ μόνον τῆς ἱερωσύνης, ἀλλὰ καὶ τῆς βασιλείας, καὶ διέμενε λεπρὸς. Ὁ δὲ Θεὸς ἐποίησε μὲν τὸ ἴδιον, ἠγανάκτει δὲ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ μάλιστα τῷ προφήτῃ, ὅτι παρῶν προέδωκε τὴν εὐσέβειαν. Ἦν οὖν ὁ Θεὸς ἐν παρασιωπήσει πρὸς τὸν προφήτην, καὶ οὐ μετέδωκε λόγους, ἕως ἐτελεύτησεν ὁ παράνομος. Ὅτε λοιπὸν ἀπέθανεν ὁ ἀσεβὴς, τότε ὁ Θεὸς<sup>d</sup> ἀποθέμενος τὴν ἁγανάκτησιν, διαλάσσειται τῷ προφήτῃ. λέγει τοίνυν Ἡσαίας· *Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἑνιαυτῷ, ᾧ ἀπέθανεν Ὀζίας ὁ βασιλεὺς, εἶδον τὸν Κύριον καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου*. Καὶ διατί Θεὸς ἐπεφάνη ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου; Ἐπειδὴ ἀοράτος ἔστιν ὁ Θεὸς, ὁ δὲ βασιλεὺς δρώμενος φέβον ἔσχε, δεικνύσι τῷ προφήτῃ τὴν οὐράνιον δόξαν, ἵνα πείσῃ αὐτὸν ποίου θρόνου καταφρονήσαντες, ποῖον θρόνον ἐτίμησαν· ποῖαν δορυφορίαν, οὐράνιον καὶ ἀγγελικὴν, μὴ τιμήσαντες, μηδὲ ἐννοήσαντες, δορυφορίαν ἀνθρωπίνην ἐδυσωπήθησαν. *Καὶ ἦν, φησὶν, πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ, καὶ τὰ Σεραφείμ εἰστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ*. Τὰ Χερουβείμ θρόνος ἔστι, τὰ Σεραφείμ δορυφορία· τὰ Χερουβείμ γὰρ οὐδὲν ἄλλο ἐρημνεύεται, ἡ σοφία πε-

<sup>a</sup> Cosmas κάτω πέμπει. *Infra idem* διὰ τοῦτο οὖν συνεπίλησε.

<sup>b</sup> Sav. conj. ἀπὸ τῆς εὐχῆς αὐτοῦ.

<sup>c</sup> Sic Vaticanus recte: Savil. et Combefis. ἔλεγον, ὅτι ἄλλου ἔστι Θεοῦ ὄνομα· οὐκ ἔστιν οὔτε, etc. Vox ἐλεγον inquam perturbat sententiam.

<sup>d</sup> His adiuvia dicit Chrysostomus supra Commentario in Isaiam.

πληρωμένη. Ὡςπερ δὲ οὗτος ὁ θρόνος ἢ ἕτερος ἀναπαύει τὸν καθήμενον, καὶ ἐστὶ τιμὴ καὶ ἀνάπαυσις, οὕτω καὶ Θεοῦ θρόνος σοφία, ἐφ' ἣ ἑπαναπαύεται Θεός. Διὰ [452] τοῦτο ὁ Δαυὶδ φησιν· Ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβείμ, ἀντὶ τοῦ, Ὁ ἐπὶ τῆς πεπληρωμένης σοφίας ἑπαναπαύομενος. Διὰ τοῦτο τὰ Χερουβείμ πλήρη ὀφθαλμῶν, τὰ νῦτα, τὴν κεφαλὴν, τὰς πτέρυγας, τοὺς πόδας, τὰ στήθη, καὶ πάντα ὀφθαλμῶν ἐπεπλήρωτο, ἐπειδὴ ἡ σοφία πανταχοθεν βλέπει, πανταχοθεν ἠνεμηγμένον ἔχει τὸ ἔμμημα. Ἐξ, φησὶ, πτέρυγες τῷ ἐνὶ, καὶ ἕξ πτέρυγες τῷ ἐνὶ. Καὶ ταῖς μὲν δυσὶ κατακλύπτου τὸ πρόσωπον, καὶ ταῖς δυοῖν τοὺς πόδας, ταῖς δὲ δυσὶν ἐπέτοτο. Καὶ ἐκέκραγον ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον· Ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος Κύριος Σαβαώθ, τουτέστι, Κύριος στρατιῶν. Ἐξ πτέρυγες τῷ ἐνὶ, καὶ ἕξ πτέρυγες τῷ ἐνὶ. Ὅκτῳ ἡσυχάζουσι, καὶ τέσσαρες βοῶσι. Τί οὖν διδάσκει ἡμᾶς ἡ Γραφή; Μὴ πάντα κινεῖν λογισμῶν περὶ Θεοῦ· ἀλλὰ τὰ μὲν σιωπῇ κηρύττειν, τὰ δὲ πιστεῖς δοξάζειν καὶ θεολογεῖν. Διατί δὲ σκεπάζουσι τοὺς πόδας καὶ τὴν κεφαλὴν; Ἐπειδὴ οὐτε ἀρχὴ εὐρίσκειται, οὐτε τέλος. Ταῖς δὲ δυσὶ καλύπτουσι τὴν κεφαλὴν, ταῖς δυσὶα τοὺς πόδας, δηλονότι ταῖς μέσαις πτέρυξι πέτονται, οὐ ταῖς ἄνω, οὐ ταῖς κάτω. Δεῖ γὰρ ἡμᾶς περὶ Θεοῦ λαλοῦντας τὰ μέσα λαλεῖν· ὅτι Θεός, ὅτι Δημιουργός, ὅτι Δεσπότης, ὅτι εὐεργέτης. Ταῦτα πάντα μέσα. Ἐὰν εἴπῃς, Πῶς ἐγέννησε; τὴν κεφαλὴν ἐγύμνωσας, ἦν σκέπει τὰ Χερουβείμ. Ἐὰν δὲ εἴπῃς, Πού τὸ τέλος τοῦ Θεοῦ; τοὺς πόδας γυμνοῖς, οὐς σκέπει τὰ Χερουβείμ. Σκέπει δὲ τὴν κεφαλὴν καὶ τοὺς πόδας, οὐχ ἵνα κρύψῃ, ἀλλ' ἵνα διδάξῃ, ὅτι ἀνεξερεύνητα, ὅτι ἀκατάληπτα. Λάβε καὶ τὸν τύπον. Ἦσαν ἕξ καὶ ἕξ, δώδεκα πτέρυγες· ὁκτῷ ἡσυχάζουσι, καὶ τέσσαρες κινούνται. Τύπος τῶν ἀποστόλων. Δώδεκα ἀπόστολοι, ἀλλὰ τέσσαρες βοῶσιν εὐαγγελισταί. Καὶ τί βοῶσιν; Ἦν ἐσπούδασεν ὁ Σατανᾶς ἀνατρέφειν φωνῆν. Πρόσεχε, παρακαλῶ· Οὐχ ἀπλῶς ἔλεγον, ὡς ἡμεῖς· Ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος· ἀλλὰ εἰς τῷ ἐνὶ ἀντέβαλ[λ]ον, ὡς γέγραπται· Καὶ ἐκέκραγον ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον. Ἄγιος, φησὶν, ἅπαξ ὀφειλομεν εἰπεῖν. Ὁ ἄλλος λέγει· Ἄγιος· εἶτα ὁ ἕτερος, πρόσθετος τὸ τρίτον, Ἄγιος. Ἐπεὶ οὖν τρία ἠριθμήσαμεν, μὴ νομίσης εἶναι τρεῖς θεούς. Τί οὖν, Ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος Κύριος; Εἰς γὰρ Κύριος, μία πίστις, ἐν βάπτισμα. Καὶ ὡςπερ ἐν ταῖς ψαλμωδίαις ἀντιπέμπουσιν ἀλλήλοις τὰ μέλη, οὕτως αἱ ἄνω δυνάμεις ἀντιχορεύουσιν ἀλλήλαις, καὶ ὡςπερ ἐξ ἀντιφώνου μελωδίας ἀναπέμπουσι τὴν δοξολογίαν. Εἶτα, Πλήρης, φησὶν, ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ. Καὶ ἐπήρθη τὸ ὑπέρθυρον ἀπὸ τῆς κραυγῆς ἧς ἐκέκρυγον, καὶ ὁ οἶκος ἐπληρώθη καπνοῦ.

ζ'. Ἐνόν πρᾶγμα! Ἀπὸ τῆς δοξολογίας, δέον προστεθῆναι δόξαν, καὶ ἡ οὕσα ἀπώλετο, καὶ καπνός εἰσῆλθε. Καπνός δὲ, ἐρημία· ἐστὶν εἰκὼν. Τί οὖν ἐστὶ τοῦτο; Προῆδεν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὅτι τὸ, Ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος, ἡρμουςταὶ τῷ κόσμῳ, τῷ κηρύγματι τῶν ἀποστόλων, καὶ οὐ δέχεται αὐτὸ ὁ ναός τῶν Ἰουδαίων. Λέγει οὖν, ὅτι μετὰ τὸ κήρυγμα τοῦ Εὐαγγελίου ἐρημίας καὶ καπνοῦ πληροῦται ἡ συναγωγὴ. Ἐπήρθη δὲ οὐχ ἡ θύρα, ἀλλὰ τὸ ὑπέρθυρον. Πρόσ-

εχε· Πᾶσα θύρα οὐδὲν ὑποκείμενον ἔχει, καὶ ὑπέρθυρον [453] ἐπικείμενον ταῖς παραστάσι· καὶ οὕτως στήναι δύνανται παραστάδες μὴ ἔχουσαι οὐδὲν, οὐδὲ στηριχθῆναι ἀσάλευτοι δύνανται μὴ λαβοῦσαι τὸ ὑπέρθυρον. Ἐπήρθη οὖν τῆς συναγωγῆς τὸ ἄνω σχῆμα· οὐχ ὅλη μὲν ἡ συναγωγὴ, θύρας μὲν ἔχουσα, ὑπέρθυρον δὲ οὐκ ἔχουσα. Τὸ ὑπέρθυρον ἐστὶν ἡ ἄνω κρατοῦσα δύναμις. Ἐπήρθη τὸ ὑπέρθυρον, ἐγμυνώθη τῆς χάριτος. Ἄφ' οὗ δὲ τὸ ὑπέρθυρον ἐπήρθη, ἀνάγκη τὰς παραστάδας καὶ ὑπὸ τῆς τυχοῦσης χειρὸς σαλευέσθαι. Διὰ τοῦτο πᾶσα χεὶρ σαλεύει τὰ Ἰουδαϊκά. Καὶ διὰ τοῦτο προφήτης τις ἔλεγε· Καὶ θήσω τὴν Ἰερουσαλὴμ ὡς πρόθυρα σαλευόμενα. Καὶ ὁ οἶκος, φησὶν, ἐπληρώθη καπνοῦ. Καὶ ποῦ ἡ δόξα ἀπῆλθε; Πρόσεχε, παρακαλῶ· Λέγει Ἡσαΐας· Καὶ πλήρης τῆς δόξης ὁ οἶκος αὐτοῦ· εἶτα λέγει, ὅτι Ἐπλήσθη καπνοῦ. Εἰσελθόντος τοίνυν τοῦ καπνοῦ, ἀνάγκη ἡ δόξα μετετέθη. Καὶ ποῦ μετετέθη; Οὐχ ἐν ἐνὶ οἴκῳ, ἀλλ' ἐπλήρωσε τὰς Ἐκκλησίας ἀνά πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Καὶ ἵνα δείξῃ τὰ Χερουβείμ ποῦ ἀπῆλθεν ἡ δόξα ἐν τῷ ναῷ, λέγει· Πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. Ἐγμυνώθη ἐν ἔθνοισ, καὶ ἐφωτίσθη τὰ πέρατα τῆς γῆς. Ταύτην τὴν ἀγίαν φωνὴν Κυρίου, τὴν βασιλικὴν δοξολογίαν, ταύτην τὴν ἔνθεον μουσταγωγίαν, ἔλεγε διαβολικὸν στόμα, περιέειλε ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου. Ὅτι δὲ κατ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ χωρεῖ ἡ βλασφημία, δὴλη ἡ μαρτυρία. Τίνα εἶδεν Ἡσαΐας ἐν τῷ θρόνῳ; Λέγει γάρ· Ἦκουσα φωνὴν Κυρίου λέγοντος· Τίνα ἀποστείλω; καὶ τίς πορεύσεται πρὸς τὸν λαὸν τοῦτο; Κατηλλάγη μὲν τῷ δούλῳ, ἀκμὴν δὲ ἔφερον ἀγανακτήσεως. Ὡςπερ ἡμεῖς ἐὰν διαλλαγῶμεν οἰκίῃ, οὐκ εὐθέως αὐτῷ τὸ ὄλον ἔμμημα χαρίζομεθα, ἀλλὰ ἡρέμα ὑποκλίπομεν τὴν βῆσιν· οὕτως ὁ Θεός μὴ θέλων δεῖξαι ὄλον τὸ πρόσωπον, ἐστώτος αὐτοῦ, λέγει· Τίνα ἀποστείλω; Ὡςπερ ἐὰν ὡς δούλοι ἐστώτες ἐπὶ δεσπότη, καὶ θέλῃ αὐτῶν μέμψασθαι τὴν βραθυμίαν, λέγει· Τίνα ἀποστείλω; Εἰς τήνδε τὴν χρεῖαν οὐκ ἔχω ἀνθρωπων· οὐχ ὡς μὴ ἔχων, ἀλλ' ὡς προσδαῖον μὴ ἔχων. Οὕτω καὶ ὁ Θεός· Τίνα ἀποστείλω ἀντὶ τοῦτο; τὸν σιωπήσαντα<sup>β</sup>, τὸν πολεμοῦντα τὴν ἰερωσύνην; Τί οὖν Ἡσαΐας; Ὡς οἰκίτης ἐν προσκρούσει γενόμενος, καὶ δηχθεὶς, καὶ σπένδων ὑπὲρ τῶν πρώτων ἀπολογησασθαι· Ἰδοὺ ἐγὼ, ἀποστείλόν με. Πόθεν οὖν δεῖξωμεν, ὅτι Χριστοῦ ἦν ἡ δόξα; Λέγει Ἰωάννης ὁ Εὐαγγελιστής· Τοιαῦτα δὲ σημεῖα πεποικηκότος τοῦ Ἰησοῦ, οὐκ ἐπίστουσαν αὐτῷ Ἰουδαῖοι, ἵνα πληρωθῇ τὸ ρηθὲν διὰ Ἡσαίου· Ἀκοῆ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνήτε. Ταῦτα δὲ εἶπεν, ὅτε εἶδεν τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. Εἶδες τὸ κεφάλαιον ἡμῶν τῆς σωτηρίας τὸν ἁγιασμόν; Ἄγιασμός ἐὰν μὴ γένηται, οὐδὲ τὸ μυστήριον τελεῖται. Ἐχεις τὴν εἰκόνα. Μόνον εἶπε τὰ Χερουβείμ· Ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος Κύριος· ἡγιάσθη ἡ οὐσία. [454] Καὶ ἀπεστάλη, φησὶ, πρὸς με ἐν τῶν Χερουβείμ, καὶ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ εἶχε ἀνθρακί, ὃν ἐπὶ λαβίδι ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου. Μὴ ἔλαβεν, ἕως οὗ ἡγιάσθη. Ἦγυατο, φησὶ,

<sup>β</sup> Sic omnes mss. Sav. legendum putat, ἀντὶ τοῦ, τοῦτον τὸν σιωκ. et hanc lectionem sine auctoritate, nihil moneans, in textum invexit Combes. Sed puto seriem optime, ut est, stare posse, cum maxime Severianus non tam scrupulo verba hæc vel alia adhibuerit.

<sup>α</sup> Sav. καὶ ταῖς μὲν δυσὶ... ταῖς δὲ δυσὶ.

estque honori simul et quieti: ita et Dei solum sapientia in qua Deus requiescit. Ideo David ait: *Qui sedes super Cherubim* (Psal. 79. 5. et 98. 1); ac si diceret, qui in plena sapientia quiescis. Ideo Cherubim plena sunt oculis, in dorso, in capite, in pennis, in pedibus, in pectore, et tota oculis plena erant, quoniam sapientia undique conspicit, et undique apertis est oculis. «Sex alæ,» inquit, «uni, et sex alæ uni. Et duabus quidem tegebant vultum, et duabus pedes, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth» (Isai. 6. 2. 3): hoc est, Dominus exercituum. *Sex alæ uni, et sex alæ uni.* Octo silentium tenent, et quatuor clamant. Quid ergo docet nos Scriptura? Ne omne ratiocinium moveamus circa Deum; sed alia silentio prædicemus, alia fide glorificemus et divina dicamus. Cur autem pedes obtegunt et caput? Quia nec principium nec finis reperitur. Duabus tegunt caput et duabus pedes, nempe duabus mediis pennis volant, non superioribus, nec inferioribus. Nos enim de Deo loquentes, media declarare oportet: quod nempe sit Deus, quod Creator, quod Dominus, quod beneficus. Hæc omnia media sunt. Si dicas, Quomodo genuit? caput detexit, quod Cherubim tegunt. Si porro dixeris, Ubi est Dei finis? pedes nudasti, quos tegunt Cherubim. Tegunt autem caput et pedes, non ut abscondant, sed ut doceant hæc esse inscrutabilia, incomprehensibilia. Accipe figuram. Erant sex et sex, duodecim pennæ: octo quiescunt, et quatuor moventur. Hæc figura sunt apostolorum. Duodecim sunt apostoli, sed quatuor evangelistæ clamant. Et quid clamant? Eam vocem quam evertere satanas conatus est. Animadvertite, quæso. Non simpliciter dicebant, ut nos, *Sanctus, sanctus, sanctus*, sed alter ad alterum vicissim emittebant, ut scriptum est: *Et clamabant alter ad alterum.* Sanctus, inquit, semel dicendum nobis est. Alius dicit Sanctus: deinde alius, adde tertio, Sanctus. Quia ergo tres numeravimus, ne putes tres esse deos. Cur ergo: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus?* Unus enim est Dominus, una fides, unum baptisma. Ac quemadmodum in psalmodiis alii aliis versus transmittunt, sic supernæ potestates mutuos choros agunt, ac veluti ex melodia vicissim habita, glorificationem emittunt, Deinde. *Plena erat, inquit, domus gloria ejus. Et elevatum est superliminare a voce qua clamabant, et domus repleta est fumo* (Isai. 3. 4).

6. Rem stupendam! Cum post glorificationem gloria addenda videretur, etiam ea quæ erat periit, et fumus intravit. Fumus autem desolationis est imago. Quid igitur hoc est? Prævidebat Spiritus sanctus, illud, *Sanctus, sanctus, sanctus*, mundo esse concinnatum, prædicationi apostolorum, et templum Judæorum non illud accipere. Dicit ergo post prædicationem Evangelii desolatione et fumo replendam esse synagogam, Elevatum est non ostium, sed superliminare. Animum adhibe. Omnibus janua solum substratum habet, et superliminare impositum parastatis: neque possunt parastatæ stare, nisi solum habeant; neque firmari immotæque esse possunt, nisi accipiant super-

liminare. Elevata est ergo synagogæ superior forma: non tota quidem synagoga, quæ portas quidem habet, superliminare autem nullum. Superliminare porro est virtus superne continens. Elevatum est superliminare, nudatum est gratia. Ex quo autem superliminare elevatum est, necessarium fuit parastatas vel a debili manu commoveri. Ideo quævis manus Judaica commovet: idcirco propheta quidam dicebat: *Et ponam Jerusalem ut vestibula quæ moventur. Et domus repleta est fumo* (Zach. 12. 2). Et quonam abiit gloria? Attende, quæso. Dicit Isaias, *Et plena erat domus gloria ejus*; deinde dicit: *Repleta est fumo.* Ingresso itaque fumo, necesse fuit ut gloria transferretur. Et quonam translata est? Non in unam domum, sed implevit Ecclesias per totum orbem. Et ut ostendant Cherubim quonam abierit gloria quæ in templo erat, dicunt: *Plena est omnis terra gloria ejus.* Nudata est gens una, et illuminati sunt termini terræ. Hanc sanctam vocem Domini, regiam glorificationem, hanc divinam mysticam institutionem, dicebat os diabolicum, aufer ab altari. Quod autem hæc blasphemia Christum impetat, manifestum testimonium adest. Quemnam vidit in solio Isaias? Ait enim, *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit ad populum hunc* (Isai. 6. 8)? Reconciliatus est servo, speciem tamen præferebat indignationis. Ut nos quando servo peperimus, non statim illi totum vultum gratiosum exhibemus, sed aspectum tantisper subducimus: ita Deus cum non vellet totum ostendere vultum, stante illo dicebat: *Quem mittam?* Quemadmodum si servi starent coram hero, et vellet ipse eorum ignaviam incusare, diceret: *Quem mittam?* Ad hoc negotium hominem non habeo; non quod non habeat, sed quod strenuum non habeat. Sic Deus: *Quem mittam hujus loco?* an cum qui tacuit, videns eum qui sacerdotium impugnabat? Quid ergo Isaias? Quasi famulus in offensa deprehensus, ac compunctus, quique studeat priora abstergere: *Ecce ego, mitte me.* Unde ergo ostendemus eam fuisse Christi gloriam? Ait Joannes evangelista: «Cum tanta signa fecisset Jesus, non crediderunt ei Judæi, ut impleretur quod dictum est per Isaiam: *Auditu audietis, et non intellegitis.* Hæc autem dixit quando vidit gloriam ejus, et loquutus est de eo» (Joan. 12. 37.-41). Vidistin' caput salutis nostræ, sanctificationem? Sanctificatio si non fuerit, neque mysterium consummatur. Habes imaginem. Solum dixere Cherubim: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus*: sanctificata est hostia. *Et missus est, inquit, ad me unus de Cherubim, et in manu sua habebat carbonem, quem forcipe tulerat de altari* (Isai. 6. 6). Non tulit, donec sanctificatus est. *Tetigit, inquit, labia mea* (Ibid. v. 7). Cur labia? Mysteriorum vestibula. Quid dicimus fideles? Hoc mysterium peccata dimittit. Dicunt etiam Cherubim: *Ecce abstuli peccata tua.* Vidisti figuram? vidisti splendenter veritatem? Ipsum igitur, qui sedet super solium excelsum et elevatum, sanctificare ne cessemus; gratias vero agamus pro anima quæ seducta fuerat, quam lupus rapuit, quam avulsit pastor, quam rapuit diabolus, sed abstulit ille

clemens ac benignus; ut os omne hæreticum, et lingua blasphema furens, laudet Patrem et Filium et Spiritum sanctum in sæcula. Amen (a).

*Ejusdem in diem tertium creationis, et de resurrectione.*

1. Mundi Artifex sole, luna, stellis cælum ornavit, terramque floribus et plantis coronavit, atque omnem creaturam variis decoravit ornatibus: nos vero par est, resumpto de creatione sermone, opificia quidem mirari, Opificem autem adorare. Neque enim hæc scripta sunt solum, ut discamus illa facta esse, sed ut Opificem admiremur. Dictum est illum primo die creaturarum materiam produxisse: secundo die, quomodo ex rariore mollioreque aquarum materia firmamentum constituerit, idemque firmamentum vocatum fuerit. Idcirco etiam Christus totum orbem terrarum extenuatum et emollitum, diversoque plurium deorum errore ceu materia dissipatum, collegit, et unam fidem fecit, quam firmamentum vocat Apostolus his verbis: *Secundum firmamentum fidei in Christum (Col. 2. 5)*. Divisa est igitur abyssus; eratque aqua illa quæ infra manebat abyssus, atque etiam illa quæ sursum et sublimis erat abyssus. Unde hoc? Ait David: *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum (Psal. 41. 8)*. Divisa est itaque abyssus, et factum est firmamentum: deinceps terra aperta erat aqua. *Et dixit Deus, inquit, Congregetur aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, et appareat arida (Gen. 1. 9)*.

*Contra Anomæos.* — Quandoquidem omnia intelligere volunt miseri illi hæretici, et incomprehensibilis naturæ modum scrutantur, dicant quomodo congregata sit aqua, aut congregata quonam recesserit. Non enim, secundum vos, nullo examine vocibus hærendum est, sed res sunt quærendæ. *Dixit Deus: Congregetur aqua.* Quonam congregata fuit? In mare. An mare tunc plenum non erat? Terra plena erat, utique sane et mare. Quonam igitur congregata est? Qui illa quæ in pedibus habent, quæque videntur non possunt capere, inscrutabilem altitudinem curiose perquirunt, et incomprehensibilem divinitatis abyssum, neque mare, quod est incomprehensibile, deterret eos ab explorando Artifice. Ideo hæreticis dicat propheta: *Erubescant hæretici, dixit mare; quemadmodum dixit: Erubescite, Sidon, dixit mare<sup>1</sup> (Isai. 23. 4)*. Quonam igitur loco congregatæ sunt aquæ? Audi. Quando terram fecit Deus, nondum erant concava montium; sed simul atque dixit, *Congregetur aqua*, terra dirupta est, ac sinus fecit. Quæ res commonstratur, nempe quod terra dirupta fuerit, ex insulis et montibus hinc inde positis. Ideoque reliquit Deus insulas et montes, ut discas ea a principio conjuncta fuisse: Dei autem verbum hæc segregavit. *Congregetur aqua*, nudata est terra. Sciendum autem, terram, quæ sic iodie appellatur, a Deo nec terram esse factam, neque hoc nomine vocatam: sed a principio creationis nomen ejus fuisse, arida, ut ait David: *Quoniam ipsius*

<sup>1</sup> Hæc, quemadmodum dixit..... dixit mare, neque in Savil. neque in Combefis. leguntur.

(a) Sic desinit Vaticanus.

*est mare, et ipse fecit illud, et aridam formaverunt manus ejus (Psal. 94. 5)*. Arida facta est, cognominata autem fuit terra: quemadmodum hoc firmamentum conditum est, et vocatum est cælum. Facto igitur aquarum divortio, prodiit arida, speciem habens incibriatæ terræ: aquæ enim nuperrime recesserant. Ubi ergo detecta fuit terra, jubet Creator: «*Germinet terra herbam fræni, seminantem semen secundum genus et secundum similitudinem, et lignum fructiferum, cujus semen in ipso sit, secundum genus et secundum similitudinem*» (*Gen. 1. 11*): Neque hoc pudore afficit hæreticos. Herba et ligna et frænum generant secundum similitudinem, et Deus dissimilem sibi genuit? Et cum quadrupes rursus, reptilia et aves facta sunt, dicit Deus: *Educant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volantia super terram secundum genus (Gen. 1. 20)*. Fræ, reptilia, volatilia, natatilia, herba, frænum, ligna, secundum genus et secundum similitudinem generant: solusque Deus dissimilem genuit? Cumque nos creavit Deus, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1. 26)*: opus est secundum similitudinem, et artifex dissimilis?

2. Sed rem miram vide: sæpe namque hæretica nequitia latibulum reperit. Si, inquit, ita dixeris Filium secundum similitudinem, ut et nos, id admittimus. Enimvero aliud est naturæ similitudo, aliud gratiæ. Nos secundum similitudinem, ille similitudo est: nam *Qui vidit me, vidit Patrem (Joan. 14. 9)*; nos secundum similitudinem. Servos autem Dei oportet dictionum discrimina quærere. Dixit Deus: *Germinet terra herbam fræni, et lignum fructiferum faciens fructum*. Deinde dicit: *Educat terra quadrupes et bestias*. Cur ibi, *Germinet*, hic, *Educat*, dicit? Germina et ligna fructusque quotannis germinant. Quia igitur semina in terra mansura erant, et ex illa proditura, ideo ait, *Germinet*. Et circa animalia, *Educat*, quia cum semel ex terra orta essent, non ultra a terra, sed per successionem gignuntur. *Factum est ita*. Verbum in opus decurrit; ornata fuit terra; oportebat demum ornari cælum.

*Cur solem et lunam non primo die fecerit Deus.* — Cur prius terram exornat, quam cælum? Propter errorem multiplicium deorum, qui exoriturus erat, quo solem, lunam, stellas coluerunt. *Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli (Genes. 1. 14)*. Cur solem et lunam non primo die fecit? Quia nondum factum fuerat firmamentum, in quo illa ponenda erant. Neque ob hanc tantum causam; sed quia nondum erant fructus, qui ab illis foverentur. Tertio namque die fructus germinarunt. Ac ne putaretur illos ex solis natura germinasse, post absolutam creationem, tunc Deus fecit solem, lunam et stellas. Undenam Deus illa fecit? Dictum est enim ipsum primo die ex non exstantibus cuncta fecisse, reliquis autem diebus ex exstantibus. Unde ergo sol? Ex luce quæ primo die facta fuerat, quam mutavit ut voluit Artifex, in variasque species convertit: illic lucis materiam, hic stellas: quemadmodum si quis præmitteret auri mas-

τῶν χειλέων μου. Διατί τῶν χειλέων; Τὰ πρόθυρα τῶν μυστηρίων. Τί λέγομεν οἱ πιστοί; Τοῦτο τὸ μυστήριον ἀφήσιν ἀμαρτίας. Λέγει καὶ τὰ Χερουβείμ· Ἰδοὺ ἀφήρηκα τὰς ἀμαρτίας σου. Εἶδες τὸν τύπον; εἶδες τὴν ἀλήθειαν λάμπουσαν; Αὐτὸν τοίνυν τὸν ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου μὴ διαλείψωμεν ἀγιάζοντες· εὐχαριστήσωμεν δὲ καὶ ὑπὲρ τῆς ψυχῆς τῆς δελεασθείσης, ἣν ἤρπασεν ὁ λύκος, καὶ ἀπέσπασεν ὁ ποιμὴν, καὶ ἤρπασεν ὁ διάβολος, καὶ ἀφέλιατο ὁ φιλόθυρος· ἵνα πλᾶν στόμα αἰρετικῶν, καὶ πᾶσα γλῶσσα μαινομένη βλασφημίαν. ὤμνήσῃ Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὴν τρίτην ἡμέραν τῆς κοσμοποιίας, καὶ περὶ ἀναστάσεως.

α'. Ὁ μὲν τοῦ κόσμου τεχνίτης ἤλιψ καὶ σελήνη καὶ ἄστροις τὸν οὐρανὸν ἐκαλλώπισε, καὶ τὴν γῆν ἄνθει καὶ φυτοῖς ἐστεφάνωσε, καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν διαφόρως ἐποίησεν· ἡμᾶς δὲ δεῖ τὸν τῆς δημιουργίας λόγον ἀναλαβόντας θαυμάζειν μὲν τὰ γεγενημένα, προσκυνεῖν δὲ τὸν τεχνίτην. Οὐ γὰρ ἐγράφη ταῦτα ἵνα μάθωμεν ὅτι γέγονε μόνον, ἀλλὰ καὶ θαυμάσωμεν τὸν ποιήσαντα. Εἴρηται ὅτι τῇ πρώτῃ τὰς ὕλας τῶν κτισμάτων παρήγαγε· τῇ δευτέρᾳ πῶς τὸ στερέωμα ἐξ ἡραιωμένης φύσεως τῶν ὑδάτων συνεστήσατο, καὶ διὰ τοῦτο στερέωμα ἐκλήθη. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ ὁ Χριστὸς τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἐξηραϊωμένην, καὶ κεχαυωμένην, διαφόροις πολυθέου πλάνης ὕλαις ἐσκορπισμένην, συνήγαγε, καὶ μίαν ἐποίησε πίστιν, καὶ καλεῖ αὐτὴν ὁ Ἀπόστολος στερέωμα, λέγων· Κατὰ τὸ στερέωμα τῆς εἰς τὸν Χριστὸν πίστεως. Ἐμερίσθη τοίνυν ἡ ἄβυσσος, καὶ ἦν τὸ μείναν κάτω ὕδωρ ἄβυσσος, καὶ τὸ ὑψωθὲν ἄνω ἄβυσσος. Πόθεν τοῦτο; Λέγει Δαυὶδ· Ἄβυσσος ἄβυσσον ἐπικαλεῖται εἰς φωτὴν τῶν καταρακτῶν σου. Ἐμερίσθη τοίνυν ἡ ἄβυσσος, καὶ ἐγένετο στερέωμα· λοιπὸν ἡ γῆ ἐκεκάλυπτο ὕδατι. Καὶ εἶπε, φησὶν, ὁ Θεός· Συναχθήτω τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς συναγωγὴν μίαν, καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά.

Ἐπειδὴ πάντα<sup>a</sup> βούλονται οἱ ἄθλιοι τῶν αἰρετικῶν παῖδες, καὶ τρόπον βρευνῶσιν ἀκατάληπτου φύσεως, εἶπωσι πῶς συνήχθη τὸ ὕδωρ, καὶ ποῦ συνήχθη, ἢ συναχθὲν ποῦ ἐχώρησεν. Οὐ γὰρ ἀκολουθεῖν δεῖ, καθ' ἡμᾶς, ἀπλῶς ταῖς φωναῖς, ἀλλὰ ζητεῖν τὰ πράγματα. Εἶπεν ὁ Θεός· Συναχθήτω τὸ ὕδωρ. Ποῦ συνήχθη; Εἰς τὴν θάλασσαν. Οὐ γὰρ ἦν τότε πεπληρωμένη ἡ θάλασσα; Ἡ γῆ ἐπεπλήρωτο, πάντως καὶ ἡ θάλασσα. Ποῦ οὖν συνήχθη; Οἱ τὰ ἐν ποσὶ καὶ ὀρώμενα μὴ δυνάμενοι καταλαβεῖν, πολυπραγμονοῦσι βυθὸν ἀνεξιχνίαστον, καὶ ἄβυσσον θεότητος ἀκατάληπτον, καὶ οὐκ ἐντρέπει<sup>b</sup> αὐτοὺς ἡ θάλασσα ἀκατάληπτος οὕσα ἐρευνητῶν περὶ τοῦ τεχνίτου. Διὰ [455] τοῦτο καὶ πρὸς αἰρετικούς λεγέτω ὁ προφήτης· Αἰσχυνθήτωσαν αἰρετικοί, εἶπεν ἡ θάλασσα· ὡς περ εἶπεν· Αἰσχυνθήτωσι Σιδῶν, εἶπεν ἡ θάλασσα<sup>c</sup>. Ποῦ οὖν συνήχθη τὰ ὕδατα; Ἄκουε· Ὅτε τὴν γῆν ἐποίησεν ὁ Θεός, οὐδέπω ἦν τὰ κοιλώματα τῶν ὀρέων· ἀλλ' ἅμα εἶπε, Συναχθήτω τὸ ὕδωρ, καὶ ἐβράγη ἡ γῆ, καὶ κόλπους

ἐποίησε. Μαρτυρεῖ τῷ πράγματι, ὅτι γῆ ἐστὶν ἡ σφισθεῖσα, αἱ νῆσοι, τὰ ὄρη μεταξὺ. Καὶ διὰ τοῦτο κατέλιπεν ὁ Θεὸς τὰς νήσους καὶ τὰ ὄρη, ἵνα μάθῃς ὅτι ἀπ' ἀρχῆς συνῆπτο· Θεοῦ δὲ λόγος αὐτὰ ἐβράχην. Συναχθήτω τὸ ὕδωρ, ἐγυμνώθη ἡ γῆ. Δεῖ δὲ εἰδέναι, ὅτι ὁ Θεὸς τὴν γῆν, τὴν σήμερον οὕτω καλούμενην, οὕτε γῆν ἐποίησεν, οὕτε ὄνομα αὐτῇ τοιοῦτον ἔδωκεν· ἀλλ' ἦν τὸ ὄνομα τῆς κοσμοποιίας ἀπ' ἀρχῆς, ἡ ξηρά, ὡς λέγει Δαυὶδ· Ὅτι αὐτοῦ ἐστὶν ἡ θάλασσα, καὶ αὐτὸς ἐποίησεν αὐτήν, καὶ τὴν ξηρὰν αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἐπλασαν. Ξηρὰ ἐγένετο, ἐπεκλήθη δὲ γῆ· ὡς περ τοῦτο τὸ στερέωμα ἐγένετο, ἐπεκλήθη δὲ οὐρανός. Χωρισθέντων τοίνυν τῶν ὑδάτων, προῆλθεν ἡ ξηρὰ, ὅψιν ἔχουσα γῆς μεμεθυσμένης· νεωστὶ γὰρ ὑπεχώρησαν τὰ ὕδατα. Ὡς οὖν ἐγυμνώθη ἡ γῆ, κελεύει ὁ δημιουργός· Βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου, σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον κάρπιμον, οὐ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα. Οὐδὲ τοῦτο αἰσχύνει τοὺς αἰρετικούς. Βοτάνη καὶ ξύλα καὶ χόρτος γεννᾷ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ὁ Θεὸς ἀνόμοιον ἐγέννησε; Καὶ ὅτε τὰ τετράποδα πάλιν καὶ τὰ ἔρπετά καὶ πετεινὰ ἐγένετο, λέγει ὁ Θεός· Ἐξαγατέτω τὰ ὕδατα ἔρπετά ψυχῶν ζωῶν, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ γένος. Τὰ θηρία, τὰ ἔρπετά, τὰ πετεινὰ, τὰ νηκτά, ἡ βοτάνη, ὁ χόρτος, τὰ ξύλα, κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα γεννᾷ· καὶ μόνος ὁ Θεὸς ἀνόμοιον ἐγέννησεν; Καὶ ἡμᾶς μὲν δημιουργῶν ὁ Θεὸς εἶπε· Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ ὁμοίωσιν· τὸ ἔργον καθ' ὁμοίωσιν, καὶ ὁ τεχνίτης ἀνόμοιος;

monem pars major haberet, ait illis: *Quem dicitis esse Christum? cujus filius est (Matth. 22. 42)?* Respondent scribæ et Pharisei, *David*. Hinc Dominus coram contradicens opinioni, rursus infert: « Quomodo David in Spiritu sancto vocat eum Dominum dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis » ( *Ibid. v. 43. 44* )? Illud porro, *In Spiritu sancto*, adjecit, non ut Spiritum servum declararet Christi, qui prædicabatur, sed ut palam ostenderet, prophetam in Spiritu sancto futura prævidentem, filium suum secundum carnem Dominum confiteri secundum rei veritatem. Neque enim de Spiritu sancto, qui etiam Dominus est, quæstio erat, sed de ipso: an scilicet David filium haberet Dominum, an herum? Sane Dominus hæreticorum sycophantiam diu ante confutans, Spiritusque sancti dignitatem illæsam conservans, objectione controversiam solvit. Quid ergo ait: *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Non dixit, *Si ergo Spiritus sanctus vocat eum Dominum, sed, Si David vocat eum Dominum*. Cur ergo addidit illud, *In Spiritu sancto vocat eum Dominum?* Quoniam de Christo ante adventum Christi dicere non erat corporis intuitus, sed Spiritus sancti præsignificantis. Neque enim quæ videbat David, prædicabat; sed quæ Spiritus sanctus suggererat, hæc per spiritualem lyram pulsabat. Ideo illud adjecit, *Dominus*, *Quomodo David in Spiritu sancto vocat eum Dominum?* Ne vero hæreticus blasphemiam adversus Spiritum sanctum trahat, adjecit rursus, ut diximus, *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Igitur David Christum in Spiritu sancto vocat Dominum. Illud vero potissimum consideremus omnem prophetam ex Spiritu sancto, quæ convenient loqui. Omnes enim confitemur, prophetas in Spiritu sancto loquutos esse, idque Apostolus testificatur dicens, « Bene Spiritus sanctus loquutus est ad patres vestros per prophetam » ( *Act. 28. 25* ) Et iterum generatim Deus ait: « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt » ( *Joel. 2. 28* ). Et Moyses, « Quis dabit omnem populum Domini prophetas esse, cum dederit Dominus Spiritum suum super ipsos » ( *Num. 11. 29* )? Hic attendamus diligenter, quomodo Spiritus sancti divinitas demonstratur, non a nobis exaltata, sed a propria dignitate celebrata. Mihi que concedite ut interrogatione et responsione rem propositam tractem: hujusmodi enim quæstionibus facilius evadit dubiorum solutio. Interrogemus ergo; Patenturne Spiritum sanctum loquutum esse per prophetas, an negant, vel dubitant? Si dubitant, quæ ante dicta sunt in memoriam revocemus, quomodo ipse Deus testificatur dicens, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt?* Spiritus enim propheticam virtutem excitat. Sic et ille admirabilis Moyses, ut ostendat prophetiam ex Spiritu sancto proficisci et constitui, in hanc magnam mirabilemque erupit vocem: « Et quis dabit omnem populum Domini prophetas esse, cum dederit Dominus Spiritum sanctum suum super eos? » Si autem vere confiteantur id quod verissimum est, nempe Spiritum sanctum

loquutum esse in prophetis, audi ut beatus ille admirandusque Zacharias, Præcursoris pater, Deum dicat Spiritum sanctum, qui per prophetas loquutus est: « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ; et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui: sicut loquutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus » ( *Luc. 1. 68-70* ). Si ergo Deus est, ille, qui per os prophetarum loquutus est, et Spiritus sanctus in prophetis loquutus est, ut ait David in libro Regnorum: *Spiritus enim Dominus loquutus est in me (2. Reg. 23. 2)*; ergo et Deus et Dominus est Spiritus sanctus qui per prophetas loquutus est. Verum claræ hujus rei demonstrationem accipe. Divinus apostolus per propheticam vocem volens Spiritum sanctum ostendere, in epistola ad Corinthios ait: « Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel Kiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta cordis ejus manifesta fiunt: et ita cadens in faciem adorabit, pronuntians, quod vere Deus in vobis sit » ( *1. Cor. 14. 24. 25* ). Vides pietatis doctorem clare indicare, Spiritum in prophetantibus loquentem Deum esse?

10. Cur ergo, hæretice, scandalizaris circa piæ fidei? cur calumniaris Spiritus sancti dignitatem? cur fidei confessionem transgredieris? Lege pacta tua in mysteriis emissa, quomodo dixeris, *Credo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum*. An quod credidisti, eliminasti? quod confessus es, avertisti? quod palam declarasti, hoc impie labefactasti? bellumne cum pace geris? abnegastine fidem? et quæstiones moves? Credenti, consenti tibi traditum est donum, et post donum fides eliminatur, et inducitur disputatio? Ne contumelia afflicta dignitatem gratiæ: ne violes pacta tremendæ illius et horrendæ initiationis, cum confessus es te credere, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, baptizatus es similiter in Patrem et Filium et Spiritum sanctum; benedictio similiter in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Nobis dona gratiæ, a vobis blasphemia in gratiam? Nobis libertas a Spiritu sancto; a vobis servitus Spiritui sancto adscribitur? O stultitiam! o ingratum animum! Aut novam nega gratiam, aut Velus Testamentum reverere, vel ubique statue Trinitatis æqualitatem honoris, quam sæpe vobis ex multis Scripturæ testimoniis probavimus: quibus aliam demonstrationem adjungere placet. Nova, ut sæpe dixi, sæpe in Veteri Testamento prænuntiata sunt. Quid igitur? Imperat Deus Moysi dicens: *Loquere Aaron et filiis ejus, Sic benedicite filios Israel (Num. 6. 23)*. Adverte diligenter. Ne quis simplicius accipiens putaret rem quomodolibet bene se habere, adjecit illud, *Sic*, ne quis propria auctoritate benedictiones institueret, sed secundum Scripturæ regulam omnia facere jubet. *Sic*, inquit, *benedicite*. *Sic*, quomodo? *Benedicet tibi Dominus, et custodiet te (Ibid. v. 24)*. Attende, quomodo Trinitatem ubique mystice proponat, per quam benedictiones triplicantur. « Benedicet te Dominus, et custodiet te. Ostendet Dominus vultum super te, et

benedicet te. Attollet Dominus vultum suum super te, et det tibi pacem » (Num. 6. 25. 26). Vide sanctam Trinitatem discrete celebratam. Et quænam gratia a Spiritu sancto non proficiscitur? et quod donum non ab illo datur? quod bonum sine ipso? quod caeleste bonum sine Spiritu sancti opera hominibus contingere possit? Scrutamini Scripturas, et videte. Itaque Scriptura sacra cum voluerit quidpiam, quod supra naturam factum sit, indicare aut ostendere, Spiritus auctoritati omnia adscribit. Verbi gratia, Samsonem, egregium illum bellatorem, cum egregia illa ac stupenda fortiter gesta Scriptura describit, Spiritus sancti ductu id fecisse præmittit. Venerunt, inquit, Alienigenæ multi et innumeri in Samsonem; solusque ille erat, neque id tantum, sed etiam ligatus. Quæ igitur spes libertatis vincito? quæ salutis captivo? quomodo unus multis superior erit? Spiritus Domini descendit in Samsonem, et irruit in Alienigenas, repertaque asini maxilla, mille viros interfecit. Ac vide divinæ Scripturæ sapientiam. Cum in expertis incredibile videretur, vinctum solutos vicisse, et solum multos superasse, ideo apposite præmisit: *Et Spiritus Domini advenit in Samsonem et accepta maxilla asini, mille viros occidit* (Judic. 15. 14. 15): ut eum secundum humanam naturam id incredibile videretur, per Spiritus potentiam crederetur. Itaque probe Moyses dixit: *Quomodo persequetur unus mille, et duo fugabunt decem millia, nisi quia Dominus tradidit eos, et Deus vendidit illos* (Deut. 32. 30)? Lege Scripturas et in singulis facinoribus Spiritus sancti virtutem antepositam animadvertes. Venerunt Alienigenæ, et Spiritus Domini advenit in Samsonem (Judic. 14. 6). Insiliit leo et discersit leonem ut hædum. Vincitur est ferreis catenis, et uxor ejus ad eum, *Alienigenæ in Samsonem*. Sed iterum Scriptura: *Et Spiritus Domini venit in Samsonem, et soluta sunt vincula, ut si stuppa sentiat ignem* (Jud. 16. 9). Nullum ejus præclarum facinus inducit, non præmissa Spiritus efficacia. Deinde cum omni virtute nudatus esset, attende animo, quid dicat Scriptura, quæ ubique dixerat, cum aliquod facinus aggredere, et vinceret, *Spiritus sanctus venit in Samsonem*. Postquam caput ejus detonsum est, prodito gratiæ pignore, statim scripsit, *Et Dominus discessit a Samsonem* (Jud. 16. 20). Cum Alienigenæ venerunt, Spiritus Domini descendit in

ipsum: cum autem recessit, ait, *Et Dominus discessit ab illo*. Et jure quidem: nam *Dominus Spiritus est* (2. Cor. 3. 17). Nec solum in Veteri Testamento id animadvertes, sed etiam in apostolis. Quando magnam quamdam et præcellentem virtutem divinæ Literæ prædicant, ubique Spiritus auctoritatem præmittit. Inducit rursus Paulum in Cypro exsecrandum illum Elymam magum verbo punientem, quod contra veritatem pugnaret; et quia rem stupendam narraturus erat, oculos nempe verbo extinctos, ait: *Ecce manus Domini in te, et eris cæcus, non videns solem* (Act. 13. 11). Illud autem et Pauli et omnium mortalium naturam superabat, nempe oculos hominibus verbo extinguere. Verbum enim hominis non mutat naturam, nec oculos excæcat. Ne quis ergo humana verba respiciens, de re obstupesceret, et commentitium quiddam dici putaret, præmittit iterum Scriptura Spiritus sancti auctoritatem. *Tunc, inquit, Paulus Spiritus sancto repletus ait illi* (Ibid. v. 9). Habes et aliam circa Spiritum sanctum demonstrationem: si quis homo rudis melius, quam facultas ferat, loquatur: verum hanc rursus operationem Scriptura Spiritui adscribit. Exempli gratia, Petrus et Joannes in Judæorum frequentia concionantur: *Et tunc, ait, Petrus plenus Spiritu sancto dixit ad populum: An justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, vos judicare* (Act. 4. 8. et 19). Cur ergo dicitur, *Plenus Spiritu sancto*? Quia indoctum excedebat hæc loquendi fiducia, ne quis piscatorem respiciens, orationi illi sanctæ cum libertate habitæ fidem non haberet, præmisit Spiritus sancti sapientiam, ne mireris abundantiam. Quod si videtur, alium consideremus, ut magis ac magis dicta confirmentur. Sanctis cælum aperitur, sed sine Spiritu sancto non aperitur; neque enim oculis corporis cælum apertum videtur, sed Spiritus sancti operatione. Vidit Stephanus celos apertos; verum, ut ait Scriptura, cum esset plenus Spiritu sancto (Act. 6. 5), vidit. Nusquam igitur, fratres, cælum licet apertum videre, sine Spiritu, neque docendi auctoritatem sumere, nec miraculorum virtutem exhibere sine sancto et adorando Spiritu. *Omnia enim operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (1. Cor. 12. 11): cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ρήσει *σε*. *Ἐπαρει Κύριος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ σέ, καὶ δόξῃ σοι εἰρήνην.* Ὅρα τὴν ἅγιαν Τριάδα διαβρήδην ἀνυμνουμένην. Ποία χάρις οὐκ ἀπὸ Πνεύματος ἁγίου; ποῖον δῶρον οὐκ ἐξ ἐκείνου; ποῖον ἀγαθὸν ἄνευ ἐκείνου; τί δύναται καὶ ὑπερχόσιμον ἐπιφανῆναι τοῖς ἀνθρώποις ἄνευ Πνεύματος ἁγίου; Ἐρευνάτε τὰς Γραφάς, καὶ σκοπήσατε, ὡς, ὅταν ἡ Γραφή θέλῃ μνηῦσαι τι ἢ δεῖξαι τῶν ὑπὲρ φύσιν ἀποτελουμένων, τῇ τοῦ Πνεύματος αὐθεντίᾳ τὸ πᾶν ἐπιγράφει. Οἶον, Σαμφῶν τὸν γενναῖον ἐκείνον ἀριστέα, ὅτε τὰ μεγάλα ἐκείνα καὶ παράδοξα τῆς ἀνδρείας ἐνεδεῖκνυτο στρατηγήματα, ἡ Γραφή πανταχοῦ δεικνύουσα, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τῶν στρατηγημάτων προέταττεν. Ἦλθον, φησὶν, Ἀλλόφυλοι ἐπὶ τὸν Σαμφῶν πολλοὶ, καὶ ἀναρθμητοὶ· καὶ μόνος ἦν ἐκείνος· καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ δεδεμένος. Τίς οὖν λύσις τῶν δεδεμένων; τίς σωτηρία τῶν ἀπειλημένων; πῶς εἰς περιγίνεται τῶν πολλῶν; Πνεῦμα Κυρίου κατῆλθεν ἐπὶ Σαμφῶν, καὶ ἐφήλατο ἐπὶ τοῦς Ἀλλοφύλους, καὶ εὐρῶν ἄνου σιαγόνα, χιλιούς ἀνδρας διεχειρίσατο. Καὶ ὅρα τῆς θείας Γραφῆς τὸ σοφόν. Ἐπειδὴ τοῖς ἀπείροις τοῦ ἀνδρὸς ἀπιστον ἦν τὸ ῥῆμα, ὅτι ὁ δεδεμένος ἐνίκησεν τοὺς λελυμένους, καὶ ὁ μόνος τῶν πολλῶν περιεγένετο, διὸ προέταξε καλῶς· *Καὶ Πνεῦμα Κυρίου ἐπέληθεν ἐπὶ Σαμφῶν, καὶ ἔλαβε σιαγόνα ἄνου, καὶ ἀνείλε χιλιούς.* Ἦν ὅταν ἀπιστηθῆ διὰ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, πιστευθῆ διὰ τὴν τοῦ Πνεύματος δύναμιν. Οὐκοῦν καλῶς ἔλεγε Μωϋσῆς· *Πῶς διώξεται εἰς χιλιούς, καὶ δύο μετακινήσουσι μυριάδας, εἰ μὴ ὅτι Κύριος παρέδωκεν αὐτοῦς, καὶ ὁ Θεὸς ἀπέδοτο αὐτοῦς;* Ἀνάγνωθι τὰς Γραφάς, καὶ εὐρήσεις ἐφ' ἐκάστου στρατηγήματος προτεταγμένην τοῦ Πνεύματος τὴν αὐθεντίαν. Ἦλθον οἱ Ἀλλόφυλοι, καὶ Πνεῦμα Κυρίου κατῆλθεν ἐπὶ Σαμφῶν. Ἐπήδα λέων, καὶ διεσπάραξε τὸν λέοντα ὡς ἔριφον. Ἐδέθη σιθηραῖς ἀλύσει, καὶ ἡ γυνὴ πρὸς αὐτόν· *Ἀλλόφυλοι ἐπὶ Σαμφῶν.* Ἀλλὰ πάλιν ἡ Γραφή· *Καὶ Πνεῦμα Κυρίου ἦλθεν ἐπὶ Σαμφῶν, καὶ διελύθη τὰ δεσμά, ὡς ὅταν στυπιον ὀσφραθῆ πυρός.* Οὐδαμοῦ οὐδεμίαν εἰσήγγεν [529] ἀριστείαν, μὴ προτάξας τοῦ Πνεύματος τὴν ἐνέργειαν. Εἶτα ἐπὶ λοιπὸν ἐγυμνώθη τῆς δυνάμεως, πρόσχε ἀκριδῶς, τί παραδέδωκεν ἡ θεία Γραφή, πανταχοῦ λέγουσα, ὅτε ἐστρατήγει, καὶ ἐνίκη, ὅτι *Πνεῦμα Κυρίου ἦλθεν ἐπὶ Σαμφῶν.* Ὅτε ἐξυρᾶτο τὴν κεφαλὴν, προδιδούς τῆς χάριτος τὸ ἐνέχυρον, εὐθέως ἔγραφε· *Καὶ Κύριος ἀπέστη ἀπὸ Σαμφῶν.* Ὅτε οἱ Ἀλλόφυλοι, *Καὶ Πνεῦμα Κυρίου κατῆλθεν*

ἐπ' αὐτόν· ὅτε ἀνεχώρει, λέγει· *Καὶ Κύριος ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ.* Καὶ εἰκότως· ὁ γὰρ Κύριος τὸ Πνεῦμα ἐστίν. Οὐ μόνον δὲ ἐν τῇ Παλαιᾷ ταύτην εὐρήσεις τὴν θεωρίαν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἀποστόλοις. Ὅταν τινὰ μεγάλην καὶ ὑπερβάλλουσαν δύναμιν κηρύττη τὰ θεία λόγια, πανταχοῦ τοῦ Πνεύματος τὴν αὐθεντίαν προτάττει. Εἰσάγει τὸν Παῦλον ἐν τῇ Κύπρῳ λόγῳ τιμωρούμενον τὸν ἐπάρατον ἐκείνον Ἐλύμαν τὸν μάγον, τὸν κατὰ τῆς ἀληθείας στρατευόμενον, καὶ ἐπειδὴ ἐμελλε πρᾶγμα διηγεῖσθαι ξένον, ὄρα ὀφθαλμοῦς λόγῳ σθένουμένου· *Ἴδου γὰρ, φησὶ, χειρὶ Κυρίου ἐπὶ σέ, καὶ ἔση τυφλός, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον.* Τοῦτο δὲ ὑπερέβαινε τὴν Παύλου καὶ πάντων ἀνθρώπων φύσιν, λέγω δὴ τὸ ἀφανίσει ὀφθαλμοῦς λόγῳ ἀνθρώπου. Λόγος οὖν ἀνθρώπου οὐ μεταβάλλει φύσιν, οὔτε τυφλοὶ τὴν ὄψιν. Ἦνα οὖν μὴ τις ἀποβλέψας εἰς τὰ ἀνθρώπινα ῥήματα, ξενισθῆ περὶ τὰ πράγματα, καὶ νομίσας πεπλανημένον εἶναι τὸ ῥῆμα, προτάττει πάλιν ἡ Γραφή τοῦ Πνεύματος τὴν αὐθεντίαν. *Τότε δὴ, φησὶν, ὁ Παῦλος Πνεύματος ἁγίου πλησθεὶς εἶπε πρὸς αὐτόν.* Ἐχεις καὶ ἐτέραν ἀπόδειξιν Πνεύματος· ἂν ὑπὲρ δύναμιν ἰδιώτης λαλήσῃ· ἀλλὰ πάλιν ἡ Γραφή τῶν Πνεύματι τὴν ἐνέργειαν ἐπιγράφει. Οἶον, δημηγορεῖ Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἐν τῶν πλήθει τῶν Ἰουδαίων· *Καὶ τότε, φησὶν, ὁ Πέτρος πλησθεὶς Πνεύματος ἁγίου εἶπε πρὸς τὸν λαόν.* *Εἰ δικαίον ἐστὶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον, ἢ τοῦ Θεοῦ, κλίνατε.* Διὰ τί οὖν, Πλησθεὶς Πνεύματος ἁγίου; Ἐπειδὴ ἰδιώτης, ὑπερέβαινε ἡ παρῆρσις, ἵνα μὴ τις εἰς τὸν ἀλιέα ἀποβλέψας, ἀπιστήσῃ τῇ παρῆρσι τοῦ λόγου τοῦ ἁγίου, προέταξε τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὴν σοφίαν, ἵνα μὴ θαυμάσῃ τὴν χορηγίαν. Σκοπήσωμεν, εἰ ἔοικε, καὶ ἕτερον, ἵνα ἐπὶ πλεῖον ἡ βεβαιώσις ἐπιλάμψῃ τοῖς εἰρημένοις. Ἀνοίγεται οὐρανὸς ἁγίοις, ἀλλὰ ἄνευ Πνεύματος τοῦ ἁγίου οὐκ ἀνοίγεται· οὐ γὰρ ὀφθαλμοῖς σαρκὸς ὁρᾶται οὐρανὸς ἀνοιγόμενος, ἀλλ' ὑπὸ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐνεργείας. Εἶδε Στέφανος τοὺς οὐρανοὺς ἀνεψυμένους, ἀλλ', ὡς ἡ Γραφή φησὶν, ὑπάρχων πλήρης Πνεύματος ἁγίου, εἶδεν. Οὐδαμοῦ τοῖνον, ἀδελφοί, οὐρανὸν ἐστὶν ἰδεῖν ἄνευ Πνεύματος ἀνοιγόμενον, οὔτε αὐθεντίαν διδασκαλίας ἐνδύσασθαι, οὐ δύναμιν θαυμάτων ἐνδείξασθαι ἄνευ τοῦ ἁγίου καὶ προσκυνητοῦ Πνεύματος. *Πάντα γὰρ ἐνεργεῖ ἐν καὶ ἐν αὐτῷ Πνεῦμα, διακροῦν ἰδίᾳ ἐκάστῳ, καθὼς βούλεται· ἢ ἡ θέξις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Ἀμήν.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUEMTEM AD THEODORUM MOPSUESTENUM,

*Cujus antiqua versio Latina hic profertur.*

[530] Hujus epistolæ, quam Græce et Latine dedimus Tomo tertio, p. 655, interpretatiō vetus Latina habetur in Manuscripto quodam Bibliothecæ nostræ Sangermanensis; et in catalogo Manuscriptorum enuntiabatur; sed Manuscripti numerus perperam positus non parum negotii laborisque attulit; notatur enim Codex 727, in quo hujus epistolæ ne vestigium quidem occurrit; demum autem illa post multam perquisitionem in Codice 326 reperta fuit.

Illam autem hic edere visum est, quia circa illam epistolam duæ difficultates exortæ fuerant, ut monimus in notis ad eandem, quibus solvendis difficultatibus magnum affert momentum hæc vetus interpretatio Latina. Prior autem difficultas hinc oritur quod hujus epistolæ, quæ CXII numeratur, titulus in omnibus Mss. atque Editis sic habeat: Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ, *Theodoro episcopo*; cujus autem civitatis episcopus esset non enuntiatur. Pene tamen concors eruditorum opinio erat, hunc Theodorum esse Mopsuestenum. At in Concilio V, Tomo V Labbæi, p. 490, negatur, eum cui hæc mittitur epistola esse Theodorum Mopsuestenum. In Manuscripto autem nostro titulus est: *Joannis Constantinopolitani ad Theodorum Mopsuestenum episcopum*. Hinc videas jam prisceis illis temporibus Theodorum illum episcopum pro Mopsuesteno habitum fuisse, id quod etiam confirmatur ex annotatione sequente.

Secunda difficultas ex epistolæ sine exurgit, ubi sic legitur in Editō nostro: οὐ γὰρ τὴν τυχοῦσαν, καὶ ἐν ἐρημίᾳ καθήμενοι, καρπούμεθα τὴν παράκλησιν, ὅταν τοσοῦτον ἐν καρδίᾳ θησαυρὸν καὶ πλοῦτον ἀποκείμενον ἔχωμεν τῆς ἐγγηγορίας καὶ γενναίας σου ψυχῆς τὴν ἀγάπην: i. e. *Neque enim, in hac licet solitudine positi, vulgarem consolationem capimus, cum tantum in corde thesaurum tantasque opes reconditas habemus, hos est, vigilantis ac generosi animi tui caritatem.*

Hunc porro locum ad Frontonis Ducæi et Savilli Editionum fidem edidimus. Ex quatuor autem Manuscriptis, quæ usi sumus, duobus nempe Vaticanis, uno Regio et uno Coisliniano, Regius et Vaticanus unus habent, ἐν καρδίᾳ θησαυρὸν, ut supra; alii autem duo, ἐν Κιλικίᾳ θησαυρὸν. Quam lectionem confirmat Codex noster Sangermanensis in quo legitur, *talem in Cilicia thesaurum*. Huic lectioni favet etiam Facundus Hermianensis lib. 7, cap. 7, p. 633, Edit. Sirmondi, fol.; qui Facundus quoque ἐν Κιλικίᾳ legerat. Itaque hanc lectionem ἐν Κιλικίᾳ, quam ibidem in nota germanam esse suspicabamur, jam veram esse pronuntiamus, sicque prorsus legendum esse censemus. Si porro Theodorus hic in Cilicia episcopus fuerit, haud dubie Mopsuestenus erit, quod etiam in titulo fertur in Manuscripto Sangermanensi, *ad Theodorum Mopsuestenum episcopum*, cum alioquin nullum alium in Cilicia episcopum Chrysostomi amicum fuisse sciamus, præterquam Theodorum Mopsuestenum.

Hæc itaque lectio pro asserta jam et indubitata haberi debet. Neque tamen omittendum est, id quod observat Tillemontius, etiamsi ἐν καρδίᾳ legeretur, hunc tamen Theodorum esse Mopsuestenum omnino oportere: nam duos solum Theodoros novimus, ad quos hæc epistola missa fuisse potuerit, Mopsuestenum nempe in Cilicia, et Tyaneum in Cappadocia. Tyaneo autem nulla fuisse consuetudine junctus videtur Chrysostomus; Theodori autem Mopsuesteni a puero amicus fuerat.

*Ex codice MS. num. 326 Bibliothecæ sancti Germani a Pratis, qui nono sæculo descriptus fuit.*

Incipit Johannis Constantinopolitani ad Theodorum Mopsuestenum Episcopum.

Si esset quidem venire possibile, tuamque reverentiam caritatemque complecti, in ipsa jucundari, cum multa hoc velocitate et studio faceremus: quoniam autem hoc nobis non adjacet, nunc literis hoc implemus. Si enim ad ipsos fines mundi ducamur, tuæ dilectionis integritatem et fervorem, et sine dolo sinceritatem oblivisci non possumus, quæ est antiqua et a principio, quamque nunc monstrasti. Neque enim nos latuit quanta pro nobis et dicere et facere festinasti, meus (sic) honoratissime atque sanctissime. Sed

etsi nihil amplius factum est, Deum tamen habes pro tuo studio et alacritate debitorem, integramque mercedem. Nos autem non quiescimus, scientes tuæ gratiam sanctitatis, et tuam reverentiam omnibus prædicantes, atque poscentes eandem dilectionem florentem per omnia conservari. Non enim in deserto sedentes fortuitæ intercessionis fructus habemus, quando talem in Cilicia thesaurum et reconditas divitias possidemus: hæc est enim fortis et vigilans animæ tuæ dilectio. Explicit.

# SPURIA.

---

## MONITUM


### IN DUAS HOMILIAS SEQUENTES.

[532] Hasce homilias ejusdem auctoris esse non est quod dubitemus, ita stylo et dictione similes sunt : et alioquin in secunda argumentum primæ ab initio prosequitur. Non esse autem Chrysostomi, quivis emunctæ naris statim percipiat. Sed libentius credam esse cujuspian ex presbyteris Antiochenis, qui Chrysostomi tempore alternis vicibus coram Flaviano episcopo Antiochiæ concionabantur. Hinc est quod in finem primæ homiliæ, τοῦ κοινοῦ πατρὸς, *communis patris*, mentio habetur, tanquam præsentis. Quod forte judicium ferendum est de aliis plurimis orationibus, in quibus ille communis pater præsens commemoratur. Hanc autem, ut et innumeras alias Chrysostomo adscriptas reperimus, sive librariis quæstus causa illas tam celebri nomine insignientibus, id quod sæpissime accidit, sive aliis scriptoribus temerario ausu factus suos tanto doctore adscribentibus, ut melioribus auspiciis in publicum prodirent. Interpretatio utriusque sermonis est Frontonis Ducaei.

---



SERMO IN ILLUD, VIDIT DEUS CUNCTA QUÆ FECERAT, ET ECCE VALDE BONA (Gen. 1. 31); ET DE EO, QUOD DIVINA ELOQUIA JUCUNDIS QUIBUSQUE REBUS ANTECELLUNT.



1. Pulchra sane sunt pietatis prava, quæ non temporariis coloribus nitent, sed cælestibus floribus redundant. Flores autem pietatis sunt, divinitus inspiratæ conversationis fructus. Virtutes enim ad admirabilem illam et primigeniam pulchritudinem nos reducunt, quæ ad imaginem et similitudinem Dei creata erat. Hæc itaque secundum virtutem similitudo, equum pro homine dici non sinit. Hanc utique si sectemur, non jam lupus, draco vel serpens appellamur, ad brutorum naturam dejecti, sed imago Dei stupenda atque veneranda, quæ primigeniam illam pulchritudinem formæ retinet, et sumus, et dicimur, atque adeo credimur. Factus es dominus bestiarum; noli servorum mores imitari: non quod mala sint bruta animalia: nihil enim mali a bono creatum est. Neque enim existimet quisquam in vitii loco reponendas esse bestias, quod tamquam imagines quædam vitiorum in medium proferantur, quæ in iis regnant, qui non ex præscripto virtutis vitam degunt. Nam si ita esset, cur dixisset Scriptura, *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et ecce bona* (Gen. 1. 31), neque simpliciter Bona, sed *Valde bona*? Quando igitur res creatæ in similitudinem malitiæ adducuntur (nam et leo tyranni imago est, et serpens versuti hominis, quique moribus sit nequissimis, et scorpium percussoris, et lupus rapacis), quomodo res creatæ bonæ dicentur, inquit, quæ tam aperte tamquam similitudines vitiorum proferuntur? Verum operæ pretium est intelligant discendi cupidi hæc, si spectetur propria eorum natura, mala neque esse, neque dici, sed eam potius conditionem et statum, qui rationis expertibus convenit animantibus: postquam autem ratione præditam naturam invaserint, speciem ejus contumelia afficere, et rationalem ingenuitatem obtusorem reddere. Accepisti, o homo, dignitatem heri; noli ignominiosam et servis congruam bestiarum conditionem sectari: teipsum enim probro afficis, dum bestiarum immanitatem imitaris: non quasi male sint, aut dicantur bestię, sed quod ignominiosa et servilis imago liberis non conveniat. Quemadmodum enim si vir quispiam illustris et nobilis servili toga sit indutus aut amictus, probro afficitur et ignominia notatur, non quod vestis illa sit vilis aut sordida, sed quod servum quidem deceat, libero vero non conveniat: ita si scorpium lupique mores induas, non brutorum accusatur natura, sed conditio tua probro afficitur, quæ domini sortem cum nacta sit, ea quæ sunt servilia sectatur. Hæc a me necessario fuerunt in medium allata, ne quis ea forte quæ dicta sunt, ad ignominiam Creatoris traducat, quasi malum aliquod fecerit Deus: vere enim bona sunt omnia; et valde bona, si propriam conditionem conservent, et suam legem sectentur. Atque ut intelligas, carissime, nihil a Deo mali creatum esse, si naturam spectes, docuit nos Deus et belluarum similitudinem usurpare. Admonuit enim ut quasdam dotes prærogativasque brutarum animantium imitemur, ne tamquam mala damnemus et calumniemur quæ creata sunt, non generantur eorum naturam, sed quæcumque rationalium conditioni potuerint convenire. Annon hodie Proverbiorum auctorem audisti dicentem, *Vade ad formicam, piger, et æmulare vias ejus* (Prov. 6. 6)? Non animadvertis quod pacto proposita formicæ diligentia nos ad impigrum quoddam studium erudierit? Nonne te disertè docuimus a formica diligentiam, ab ape vero artificii amorem? Licet enim nobis, licet, ut ante dixi, et bestiarum prærogativas et commoda quæ conditioni nostræ conveniunt, ad imitandum decerpere: verumtamen ista ad pudorem nobis incutendum probrumque dicuntur. Quando enim Deum imitari nolueris, imitare formicam. Numquamne patrem

vidisti qui dilectum filium objurgaret, et post multam instructionem ad imitationem famulorum eum traduceret, atque hæc palam diceret: Imitare saltem famulum, dignitate quidem inferiorem, at scientia tamen præstantiorem? Quomobrem benignissimus Deus ad coarguendum stuporem nostrum, formicam profert in medium a qua negligentia nostra convincitur, et apem quæ pigritiam nostram condemnat. Atque hinc satis constat, nihil a Deo malum conditum esse, qui tibi sensum ac meniem indidit, cujus vi possis ista discernere, ut belluarum quidem mores devites, potiores autem earum dotes et commoda consecteris. Potest enim et leo virtutis imago esse, cum non tamquam tyrannidis, sed quasi fortitudinis indice similitudinem illam accipis: aliud quippe est tyrannus, et aliud fortitudo. Idcirco Scriptura ipsa Salvatorum annuntians exortiturum ex Juda, *Catulus leonis*, inquit, *Juda: ex germine, fili mi, ascendisti: recumbens dormivisti ut leo, et quasi catulus leonis* (Gen. 49. 9). Vide ejusmodi similitudinem ex iis quæ belluis insunt potiora, duxerit sermo divinus. Licet igitur leonem sapienter imitari: licet et serpentem quoque, non quidem in veneno fundendo, sed in solertia comparanda: sicut et apostolis Servator ait, *Estote prudentes sicut serpentes*. Quomobrem, si mala esset creatura, imaginem suam ad ejus imitationem non cohortaretur, dicens, *Estote prudentes sicut serpentes* (Math. 10. 16): imitare serpentes non venenum, non iram, sed prudentiam. Nam si venentium imiteris, clamat in te David, *accusans et dicens: Furor illis secundum similitudinem serpentis* (Psal. 57. 5); sin autem prudentiam ejus imiteris, factus es Christi discipulus, qui dixit, *Estote prudentes sicut serpentes*. Quia enim serpens omnibus animantibus est prudentior, ut paulo ante lectum est, prudentiam opponit prudentiæ, non ut dolium neclere discas, sed ut dolium discas declinare.

2. *Quomodo differant calliditas et malignitas; prudentia quomodo adhibenda.* — Vult enim benignus Deus nos esse non malignos, sed callidos: aliud autem est calliditas, aliud malignitas. Callidus itaque est non ad excogitandam malitiam, sed ad malitiam evitandam: et uti solet calliditate non ut in alios consuat dolos, sed ut ea quæ a cæteris in ipsis perniciem contexta sunt effugiat: malignus autem est sicarius, deceptor, qui alii mala machinatur. Talis prudens Jacob, prudens ut serpens, non venenum spargens ut serpens. Nam cum in occursum congressumque cum fratre Esaü venturus esset, homine sceleribus et parricidiis cooperto, Deum orabat dicens, *Domine, eras mo de manu fratris mei Esaü, quia valde eum timeo* (Gen. 32. 11): Deumque sic precabatur, ut adversus inaleum orationem opponeret. Quando vero fratri occurrit, humanitate, cultu et observantia furorem ejus mansuefecit, et malitiam restinxit. Quid enim ait ad Esaü? *Sic vidi faciem tuam, ut si quis videret vultum Dei* (Gen. 33. 10). Ac si hæc quidem dixit Jacob, ut ea fraude vinceret fratrem, male loquebatur: sin autem dixit, ut terrorem effugeret, calliditate recte usus est. *Estote ergo prudentes ut serpens* (Math. 10. 16); non iracundi, non venenum ejaculantes, sed prudentes, et simplices sicut columbæ. Potest autem columba et ad vitium et ad virtutem significandam accipi: qua vero ratione, audi. Si sis inconsideratus minimeque discretus, et solius malitiæ peritus, accusat te Scriptura ut imprudentem. *Ephraim enim, inquit, quasi columba insipiens, quæ cor non habet* (Osee 7. 11). Si ergo insipientiam

<sup>1</sup> Reg. sic habet, non quidem in veneno fundendo, neque in malitia, neque in plenitudine acerbitatis, sed in solertia, etc.

Λόγος εἰς τὸ, «*Εἶδεν ὁ Θεὸς πάντα ὅσα ἐποίησε· καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν·*» καὶ ὅτι τὰ θεῖα λόγια τιμιώτερον πάντων ἤδῃων<sup>α</sup>.

α'. Καλοὶ τῆς εὐσεβείας οἱ λειμῶνες, οὐ προσκαίροις χροιαῖς κομῶντες, ἀλλ' οὐρανίως ἀνεθεὶ βρῦντες. "Ἄνθη δέ εἰσι τῆς εὐσεβείας, οἱ καρποὶ τῆς ἐνθέου πολιτείας. Αἱ γὰρ ἀρεταὶ ἀνάγουσιν ἡμᾶς εἰς τὸ θαυμαστὸν καὶ πρωτότυπον εἶκον κάλλος τὸ κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγεννημένον καὶ καθ' ὁμοίωσιν. Αὕτη τοίνυν ἡ κατ' ἀρετὴν ὁμοίωσις ἔπικον ἀντὶ ἀνθρώπου οὐκ ἐξ λέγεσθαι. Ταύτην οὐν ὅταν μεταδιώκωμεν, οὐκ ἔτι λύκος καὶ δράκων καὶ ὄφις καὶ σκορπίος ὀνομαζόμεθα, πρὸς τὴν τῶν ἀλόγων ὕδριν καταφερόμενοι· ἀλλ' εἰκὼν Θεοῦ θκυμαστή καὶ τιμία, τὸ πρωτότυπον κάλλος, τοῦ χαρακτήρος σώζουσα, καὶ ἔσμεν, καὶ λεγόμεθα, καὶ πιστευόμεθα. Ἀσπότης ἐγένον τῶν ἀλόγων· μὴ μιμῶ τῶν οικετῶν τὰ ἦθη· οὐκ ἐπιθῶ φαῦλα τὰ ἄλογα· οὐδὲν γὰρ παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ κακὸν ἐκτίσθη. Μὴ γὰρ τις νομιζέτω ἐν χωρῇ κακίας τὰ ἄλογα τάττεσθαι, διὰ τὸ εἰκόνα κακίας παρήχθαι τῶν μὴ κατ' ἀρετὴν βιούντων. Εἰ γὰρ τοῦτο, πῶς εἶπεν ἡ Γραφή, *Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς πάντα ὅσα ἐποίησε, καὶ ἰδοὺ καλὰ*, καὶ οὐχ ἄπλωσ καλὰ, ἀλλὰ καὶ *καλὰ λίαν*; "Ὅποτε οὖν τὰ γεγονότα εἰς εἰκόνα κακίας παρήχθησαν (ὁ γὰρ λέων εἰκὼν τοῦ τυράννου, καὶ ὁ ὄφις τοῦ σχολίου καὶ τοῦ πνηροτάτου τῶν τρόπων, καὶ ὁ σκορπίος τοῦ πλῆκτου, καὶ ὁ λύκος τοῦ ἀρπακτικού), ποῦ ἂν εἴη καλὰ τὰ γενόμενα, φησὶν, οὕτως προφανῶς εἰς εἰκόνα κακίας παραλαμβανόμενα; Δεῖ δὲ εἰδέναι τοὺς φιλομαθεῖς, ὅτι ταῦτα τῆ οἰκεία φύσει κακὰ οὐτ' ἔστιν, οὕτε λέγεται, ἀλλὰ τοῖς ἀλόγοις· πρέπουσα κατάστασις; [530-535] ἐπειδὴν δὲ ἔλθῃ εἰς τὴν λογικὴν φύσιν, ὑβρίζει τὴν θεάν, καὶ ἀμβλύνει τὴν λογικὴν ἐλευθερίαν. Ἐλάττει, ἀνθρώπως, τὴν δεσποτικὴν ἀξίαν· μὴ τὴν ἀτιμον καὶ δουλοπρεπῆ τῶν ἀλόγων μεταδιώκα τάξιν· ὑβρίζεις γὰρ σαυτὸν, μιμούμενος τῶν ἀλόγων τὴν θηρωδίαν· οὐχ ὡς τῶν ἀλόγων κακῶν ὄντων, ἢ λεγομένων, ἀλλ' ὡς τῆς ἀτίμου καὶ δουλοπρεποῦς εἰκόνας οὐ προπούσης τοῖς ἐλευθέροις. "Ὅσπερ γὰρ τὴς ἀνὴρ ἐπίσημος καὶ ἐπίδοξος, ἐὰν ἐνούσῃται ἢ περιβάλλεται δούλου σολῆν, ὑβρίζεται, καὶ καταισχύνεται, οὐχ ὡς τῆς ἐσθῆτος οὐσης φαύλης καὶ ῥυπαρᾶς, ἀλλ' ὡς δούλῳ μὲν προπούσης, ἐλευθέρῳ δὲ μὴ ἀρμυτούσης· οὕτως ἐὰν ἦθῃ σκορπίος καὶ λύκος ἀναλάθῃς, οὐχ ἢ φύσει τῶν ἀλόγων διαβάλλεται, ἀλλ' ἢ σὴ κατάστασις ὑβρίζεται ἢ δεσποταίαν λαχούσα β, καὶ τὰ δούλου μεταδιώκουσα. Ταῦτα δὲ μοι ἀναγκαίως προήχεται, ἵνα μηδαὶς εἰς ὕδριν τῆς δημιουργίας ἐκλάβῃ τὰ εἰρημένα, ὡς τοῦ Θεοῦ φαῦλόν τὴ πεποιχότος· πάντα γὰρ ἀληθῶς καλὰ, καὶ καλὰ λίαν, ἐὰν τὴν οἰκίαν φυλάττῃ τάξιν, καὶ ὅν οἰκίον μεταδιώκῃ νόμον. "Ἰνα δὲ μάθῃς, ἀγαπητέ, ὅτι οὐδὲν φαῦλον γεγέννηται παρὰ τοῦ Θεοῦ κατὰ φύσιν, εἰδίαξεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς καὶ τῶν ἀλόγων τούτων εἰκόνα λαμβάνει. "Ἰπέθηκε γὰρ τὴν ἀνὰ μιμείσθαι τῶν ἀλόγων πλεονεκτήματα, ἵνα μὴ διαβάλλωμεν εἰς κακίαν τὰ γεγονότα, οὐ καθόλου τὴν φύσιν, ἀλλ' ὅσα ἀρμόζει λογικῆς καταστάσει. "Ἡ οὐκ ἤκουσας σήμερον τοῦ Παροιμιαστοῦ λέγοντος, *Πορεύθητι πρὸς τὸν μύρμηκα, ὀκνηρὲ, καὶ ζήλωσον τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ*; Οὐ συνήκας πῶς τὴν τοῦ μύρμηκος φιλοπονίαν ὑποθέμενος, εἰς ἄκοντος ἡμῶν προθυμίαν ἐπαιδαγωγῆσθαι; Οὐκ εἰδίαξάμεν σε βητῶς ἀπὸ μὲν τοῦ μύρμηκος τὸ ἄκονον, ἀπὸ δὲ τῆς μελίσης τὸ φιλότνον; "Ἔστι γὰρ, ἔστιν, ὡς ἔφησιν εἰπῶν, ἀπανθισσασθαι τίνα καὶ τῶν ἀλόγων πλεονεκτήματα ἀρμόζοντα λογικῆς καταστάσει· πλὴν γε ταῦτα πρὸς ἡμετέραν λέγονται αἰσχύνῃ καὶ δνειδῶσι. "Ἐπειδὴ γὰρ Θεὸν οὐκ ἐμίμησαι, μίμησαι, φησὶ, τὸν μύρμηκα. Οὐκ εἰδῆς ποτε πατέρα γνήσιον ἐπιτιμῶντα τὰ τέκνα, καὶ μετὰ πολλὴν παιδείαν εἰς μίμησιν αὐτὰ οικετῶν ἀνάγοντα, καὶ ταῦτα προφανῶς λέγοντα· Μίμησαι κἀν τὸν οἰκέτην, ὑποδεέστερον μὲν τῆς ἀξίας, ὑπερέχοντα δὲ τῆ ἐπιστήμῃ; "Ὅθεν ὁ

φιλόανθρωπος Θεὸς εἰς ἐνδειξίν τῆς ἡμετέρας ἀγκομοσύνης προσφέρει τὸν μύρμηκα ἐλέγχοντα ἡμῶν τὸν ἄκονον, καὶ τὴν μελίταν ἐλέγχουσαν ἡμῶν τὴν ῥαθυμίαν. Καὶ ἔπικον ἐκ τούτων, ὅτι οὐδὲν κακὸν ἐγένετο παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἔδωκέ σοι αἰσθησὶν καὶ νοῦν διακριτικόν, φεύγειν μὲν τῶν ἀλόγων τὰ ἦθη, ἀρπάξειν δὲ αὐτῶν τὰ πλεονεκτήματα. Δύναται γὰρ καὶ ὁ λέων εἰκὼν εἶναι ἀρετῆς, ὅταν μὴ εἰς τυραννίδα τὴν εἰκόνα, ἀλλ' εἰς ἀνδρείαν ἐκλάβῃς· ἄλλο γὰρ ἔστι τυραννὶς, καὶ ἕτερον ἀνδρεία. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ Γραφή τὸν ἐκ τοῦ Ἰούδα μέλλοντα ἀνατέλλειν εὐαγγελιζομένην Σωτῆρα, φησὶ· *Σκύμνος ἄετος Ἰούδα· ἐκ βλαστοῦ, υἱὲ μου, ἀνέβη· ἀναεσσὼν ἐκοιμήθης ὡς λέων, καὶ ὡς σκύμνος*. "Ὁρα πληκτὴν ὁ θεῖος λόγος ὁμοιότητα κατασκευάζει ἐκ τῶν τοῖς ἀλόγοις προσόντων πλεονεκτημάτων. "Ἔστι τοίνυν μιμείσθαι λέοντα μετὰ συνέσεως· ἔστι δὲ μιμείσθαι κἀβριν, οὐκ ἐν τῷ ἰσοθεῖν, ἀλλ' ἐν ὧ τῶ συνέσιν ἀναλαμβάνειν· καθὼς καὶ ὁ Σωτὴρ τοῖς ἀποστόλοις φησὶ· *Γίνεσθε φρόνιμοι, ὡς ὁ ὄφις*. "Ὅθεν, εἰ φαῦλον ἦν τὸ κτίσμα, οὐκ ἂν εἰς μίμησιν τοῦ φαύλου προσεκαλεῖτο τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα, *Γίνεσθε*, λέγων, *φρόνιμοι ὡς ὄφις*· μίμησαι τοῦ ὄφους μὴ τὸν ἰδὸν, μὴ τὸν θυμὸν, ἀλλὰ τὴν σύνοιαν. "Ἐὰν γὰρ τὸν ἰδὸν μιμήσῃ, καταδοῦ σου αὐτοῦ κατηγορῶν καὶ λέγων· *Θυμὸς αὐτοῖς κατὰ τὴν ὁμοίωσιν τοῦ ὄφους*· ἐὰν δὲ τὴν σύνοιαν αὐτοῦ μιμήσῃ, μαθητὴς γίνῃ Χριστοῦ τοῦ εἰπόντος· *Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς ὁ ὄφις*. "Ἐπειδὴ γὰρ ὁ ὄφις φρονιμώτερός ἐστι πάντων τῶν θηρίων, ὡς ἀρτίως ὑπανεγνώσθη, ἀντέθηκε τῆ φρονήσεως φρονῆσιν, οὐχ ἵνα μάθῃς ὄλον ποιεῖν, ἀλλ' ἵνα μάθῃς ὄλον ἐκκλίπειν.

β'. Βούλεται γὰρ ἡμᾶς ὁ φιλόανθρωπος Θεὸς οὐχὶ κακούργους [534] εἶναι, ἀλλὰ πανούργους· ἕτερον δὲ ἐστὶ τὸ πανούργον, καὶ ἕτερον τὸ κακούργον. Πανούργος τοίνυν ἐστὶν οὐκ εἰς τὸ μελετᾶν κακίαν, ἀλλ' εἰς τὸ φεῖρειν κακίαν· καὶ κέρηται τῆ πανουργίᾳ οὐκ εἰς τὸ μηκονοράφειν καθ' ἕτερον, ἀλλ' εἰς τὸ τὰ ὑπ' ἑτέρων πλεονεκτήματα διαφεύγειν· κακούργος δὲ ἐστὶν ὁ φονεὺς, ὁ δόλιος, ὁ ἑτέροισι κακὰ τεκταινόμενος. Τοιοῦτος φρόνιμος ὁ Ἰακώβ, φρόνιμος ὡς ὁ ὄφις, οὐκ ἰσοδόλος ὡς ὁ ὄφις. "Ὅτε γὰρ ἐμελλε συμβάλλειν τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Ἠσαὺ κακίας γέμοντι καὶ φονοκτονίας, παρεκάλε τὸν Θεὸν λέγων, *Κύριε, ῥῦσαι με ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ μου Ἠσαὺ, ὅτι γοβοῦμαι αὐτὸν πάντῃ*· καὶ ἰκέτευε τὸν Θεόν, ὡς κατὰ πονηροῦ τὴν εὐχὴν τιθέμενος. "Ὅτε δὲ συνήτησε τῆ ἀδελφῆς ἠθικότητι καὶ κολακεῖ τὸν θυμὸν ἡμέρωσε, καὶ τὴν πονηρίαν ἔσβεσε. "Ἦ γὰρ φησὶ πρὸς τὸν Ἠσαὺ· *Εἶδόν σου τὸ πρόσωπον, ὡς εἰ τις ἴδοι πρόσωπον Θεοῦ*. Καὶ εἰ μὲν ἔλεγεν ὁ Ἰακώβ ταῦτα, ἵνα διὰ τῆς ἀπάτης νικήσῃ τὸν ἀδελφόν, κακῶς ἐλάλει· εἰ δὲ εἶπεν, ἵνα τὸν φόβον ἐκφύγῃ, καλῶς ἐχρησάτο τῆ πανουργίᾳ. *Γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς ὁ ὄφις*· μὴ θυμώδεις, μὴ ἰσοδόλοι, ἀλλὰ φρόνιμοι, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περισσεραί. "Ἔστι δὲ τὴν περισσεραί καὶ εἰς κακίαν καὶ εἰς ἀρετὴν ἐκλαθεῖν· καὶ ὅπως, ἄκουε· Ἐὰν ἦς ἀλόγιστος καὶ ἀδιάκριτος, καὶ κακίας ἐμπειρος μόνον, διαβάλλει σε ἡ Γραφή ὡς ἄσυνετον. *Ἐγραψί γὰρ, φησὶν, ὡς περισσεραῖ ἄνους, οὐκ ἔχουσα καρδίαν*. Ἐὰν οὖν τὸ ἄνουν φυγῶν, τὸ ἀκέραιον κατορθώσῃς, ἔχεις τὴν σύνοιαν τελείαν, οὐ συμμιγνύς αὐτῆ [i. αὐτῆ] τῆ κακία· καὶ ἀκούεις παρὰ τοῦ Κυρίου, *Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς ὁ ὄφις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περισσεραί*. Μὴ τοίνυν ἄπλωσ, ἀδελφέ, τὰς Γραφὰς ἀναγίνωσκε, καὶ τὰς εἰκόνας εἰς κακίας ἐκλάμβανε παρ' αὐτῆς, μερίζουσα [i. μερίζουσα] τοῦτω μὲν τοῦτο, τοῦτω δὲ ἕτερον. Θέλεις οὖν μαθεῖν; πρῶσεχε ἀκριθῶς τοῖς

<sup>α</sup> Collutus cum cod. Reg. 2342.

<sup>β</sup> Reg. ἢ δεσποτοῦ λαχούσα.

<sup>γ</sup> Reg. ἰσοθεῖν, οὐδ' ἐν τῇ πικρότητι, οὐτε μὲν ἐν τῇ πικρίᾳ γέμειν· ἀλλ' ἐν...

λεγομένοις· Καλεῖ λέοντα ἡ Γραφή· Σκύμος γάρ, ψῆσι, λέοντος Ἰουδα· ἐκ βλαστῶν, ὑλέ μου, ἀνέβη· ἀναπεσὼν ἐκοιμήθη ὡς λέων. Ὡς τὸ, Ὡς λέων, τὸ ἀνδρείον σημαίνει· καὶ γὰρ καὶ περὶ τοῦ δικαίου τὴν αὐτὴν τίθησιν εἰκόνα· Δίκαιος γάρ, ψῆσιν, ὡς λέων ἀπέκλιθεν. Ἀνδρείος τοίνυν ὁ δικαίος, οὐκ ἐν τῷ δρᾶν κακῶς, ἀλλ' ἐν τῷ διαπτύειν τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν ἐπαγόμενα. Καλεῖ καὶ τὸν Σωτῆρα λέοντα, διὰ τὸ ἐκ βασιλικῆς εἶναι φυλῆς. Ὅσπερ γὰρ τῶν τετραπόδων ὑπάρχει βασιλεὺς ὁ λέων, οὕτως καὶ τῶν Ἰουδαίων ἐβασίλευσεν ἡ Ἰουδα φυλῆ, ἐξ ἧς ὁ Σωτῆρ ἀνέτειλε. Καὶ μὴ νομίσης, ἀγαπητὲ, ἀνάξιον εἶναι τοῦ Χριστοῦ τὸ εἶκόν τι λέοντος ἀπεικάζεσθαι· σχηματίζει γὰρ ἡ Γραφή τὴν εἰκόνα ταύτην καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς Θεότητος. Ἄκουε γοῦν οἷα ὁ προφήτης ψῆσι· Λέων ἐρεῖζεται, καὶ τίς οὐ φοβηθήσεται; Κύριος ὁ Θεὸς ἐλάλησεν, καὶ τίς οὐ προφητεύσει; Κατὰ τὸ δυνατόν τοίνυν, καὶ τὸ φοβερόν, καὶ τὸ βασιλικόν, λέοντι ἀπεικάζεται ὁ Χριστός. Καλεῖται δὲ καὶ ὁ διάβολος λέων, οὐχ ὡς δυνατὸς, οὐδ' ὡς φοβερός, ἀλλ' ὡς πλῆκτης, ὡς τύραννος, ὡς ἀφανιστικός. Λέγει δὲ περὶ τούτου ὁ μακάριος Πέτρος ὁ ἀπόστολος· Ἰδοὺ ὁ ἐχθρὸς ὑμῶν διάβολος περιέρχεται, ὡς λέων, ζητῶν καταπιεῖν ψυχὴν. Μέρειζε τοίνυν τῶν ἀγνωσμάτων τὰς θεωρίας, μήποτε ἐναντία δοκοῦντα τῇ λέξει συγχέῃ σου τὴν διάνοιαν. Ἐπιπεν ἡ Γραφή λέοντα καὶ λέοντα· ἀλλὰ τὸν μὲν κατὰ τὸ βασιλικόν καὶ δυνατόν, τὸν δὲ κατὰ τὸ ἀφανιστικόν καὶ ὀλητήριον. Οὕτω καὶ τὸν δικαίον καὶ τὸν ἀσεβῆ διὰ μιᾶς εἰκόνας σχηματίζει ἡ Γραφή· Δίκαιος, ψῆσιν, ὡς φοῖνιξ ἀθήσεται, ὡς ἡ κέδρος ἡ ἐν τῷ Λιδάνῳ πληθυνθήσεται. Ἐποίησε πρότερον τὴν εἰκόνα τοῦ δικαίου, εἶθ' οὕτως καὶ τοῦ ἀσεβοῦς. Εἶδον γάρ, ψῆσι, τὸν ἀσεβῆ ὑπερψυφόμενον καὶ ἐπαιρόμενον, ὡς τὰς κέδρους τοῦ Λιδάνου. Ὅρα τοίνυν πῶς τὴν μὲν αὐτὴν εἰκόνα παρήγαγε, ταῖς δὲ λέξει τὰς ἐνοίας ἐμέρισεν. Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ ἀσεβοῦς λέγει· Εἶδον τὸν ἀσεβῆ ὑπερψυφόμενον καὶ ἐπαιρόμενον, ὡς τὰς κέδρους· ἐπὶ δὲ τοῦ δικαίου οὐκ εἶπεν, Ὡσεὶ κέδρος ἡ ἐν τῷ Λιδάνῳ ἐπανθήσεται, ἀλλὰ, Πληθυνθήσεται. Οὕτως οὖν καὶ τὴν μέλιτταν μίμησαι, ὡ ἀνθρώπε, ἦν καὶ ἡ Γραφή διδάσκει μιμεῖσθαι πρὸς φιλοπονίαν. Πορεύθητι πρὸς τὴν μέλιτταν, καὶ [535] μάθῃς ὡς ἐργάτης ἐστί. Μὴ μάθῃς· ὅτι κέντρον ἔχει, ἀλλ' ὅτι μέλι ἐργάζεται. Ἐν γὰρ μιμῆσθί τῆς μέλιττος τὸ κέντρον, καθ' ἡμέραν σου Δαυὶδ, λέγων· Πάντα τὰ ἔθνη ἐκύκλωσάν με, ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον, καὶ τῷ ὄνόματι Κυρίου ἠμυνάγη αὐτοῦς. Ὁρᾷς πῶς τοὺς πλήττοντας ἀπεικάζει μέλιττι πληρτούσῃ, τοὺς δὲ δικαίους ἀπεικάζει τῇ τῷ μέλι ἀποσταζούσῃ; Χείλη γάρ, ψῆσιν, ἀνδρῶν δικαίων ἀποσταζούσι σοφίαν· καὶ, Κηρίον μέλιτες λόγῳ καλοὶ· γλύκασμα δὲ αὐτῶν ἰασις ψυχῆς. Τοῦτο τοίνυν, ἀγαπητοῦ, τὸ γλύκασμα τῶν ψυχῶν λέγω, ποθήσωμεν ἐξ ὅλης ψυχῆς, καὶ τὸ κηρίον ἐργασώμεθα τὸ νοερόν ἐν τῷ κρυπτῷ τῆς ψυχῆς ἐργαστηρίῳ, καὶ τὰ θεῖα λόγια λάβωμεν ὑπερ μέλι καὶ κηρίον. Μέλι γὰρ πολὺ ἐσθίονον πολλάκις μεταβάλλει τὸ γλύκασμα εἰς πικρίαν, καὶ διαστρέφει τὸ στομάχου τὴν ὄρεσιν, καὶ πᾶσαν ἀνασκευάζει τοῦ ἀνθρώπου τὴν κατάστασιν· λόγος δὲ Θεοῦ λαμβανόμενος πολὺς οὐ θολοὶ τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ θεραπεύει· Γλύκασμα γὰρ αὐτοῦ ἰασις ψυχῆς· διὰ τοῦτο βουλόμενος ὁ σοφὸς ἐκείνος ἀντιθεῖναι διαφύραν μέλιτος καὶ λόγου, ψῆσιν· Ἐσθίειν μέλι κολῶν οὐ καλόν, τιμῶν δὲ χρῆ λόγους ἐνδόξους. Ἐχωμεν οὖν, ἀγαπητοί, τὸ κηρίον τὸ ποικίλον, τὰ θεῖα καὶ ἱερὰ λόγια, διὰ πάντος· καὶ ὡσπερ τὸ κηρίον ἐκείνῳ ἐκ πολλῶν μὲν καὶ διαφόρων σχημάτων ἀπαρτίζεται, ἐν δὲ ἔχει καλόν· οὕτω καὶ ἡμῖν ἔστω κηρίον ἡ θεῖα Γραφή, ἐκ πολλῶν μὲν καὶ διαφόρων συγκεκλιμένη προφητῶν, ἐν δὲ μέλι διδασκαλίας ἀποσταζούσα. Τοιοῦτον ἡμῖν καὶ τὸ τῶν Πατέρων κηρίον, ἐκ διαφόρων μὲν ἡλικιῶν συνηρμοσμένον, μίαν δὲ χάριν καὶ μίαν πνευματικὴν διδασκαλίαν ἀποσταζόν. Ἐστὸ ταῦτα μὲν εἰς τσοσῶτον. Γένοιτο δὲ ἡμᾶς εὐχαῖς καὶ προσβλαῖς τοῦ κοινοῦ Πατρὸς, τῇ φιλοπονίᾳ τὸν λόγον αἰζόντας, τὸν θεῖον ἀπεργάζεσθαι νόμον ἐν τῇ διανοίᾳ πάντοτε, καὶ ποιεῖν ἐκεῖνο τὸ ὑπὸ τοῦ Δαυὶδ εἰρημόνον, τὸ ἔχειν τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ πάντοτε ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας ἡμῶν, ἦγουν τὰ θεῖα νοήματα, ὥστε νομίσειν φρεσὺς ὁροὺς ἐπιγνώσκων, τιμᾶν τε τὴν

ἀλήθειαν, καταφρονεῖν κόσμου, καὶ Θεῷ δόξαν ἀναπέμπειν, νῦν καὶ αἰ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

Ἀποδείξεις, ὅτι τὴν εἰκόνα τὴν καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γενομένην ἐρρίψεν ὁ ἄνθρωπος ὁ πρῶτος διὰ τῆς παρακοῆς, διὰ δὲ τοῦ νέου Ἀδάμ πάλιν αὐτὴν ἀπέλαβεν.

α'. Κατ' εἰκόνα Θεοῦ καὶ ὁμοίωσιν γεγονέαι τὸν ἄνθρωπον καὶ ἡ θεῖα Γραφή παραδέδωκε, καὶ ὁ τῆς διδασκαλίας λόγος ἠρέμα πῶς τοῖς φιλομαθέσιν ὑπέδειξε. Καὶ μέμνησθε πάντως, οἱ γε φιλόπονοι τῶν ἀκρατῶν, ὅπως ἡμῖν ὁ περὶ τούτων διητύθη λόγος, ὅτι τὸ, Κατ' εἰκόνα, προηγουμένως εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπου δεσποτείαν καὶ εἰς τὴν πάντων ἀρχὴν ὑπαγορεύεται· ἡ δὲ ὁμοίωσις ταύτης τῆς εἰκόνας εἰς τὴν τῶν ἀρετῶν τελειωσιν ἐκλαμβάνεται. Ἀναγκαῖον δὲ δεῖξαι, ἀδελφοί, καὶ σαφῶς παρῆσθαι, πῶς ὁ παρὰ πάντα τὰ ποιήματα τοῦ Θεοῦ μερίζων τιμηθεὶς ὁ ἄνθρωπος ἐκ τοῦ τιμίου καὶ πρωτοτύπου κάλλους τοῦ θεοῦ χαρακτήρος εἰς τὴν τῶν ἀλόγων φύσιν καὶ ὁμοιότητα κατηνέχθη. Εἰκὼν γὰρ ὢν Θεοῦ τοῦ φιλανθρώπου, ἐαυτὸν ἡμαρῶσε ταῖς κακίαις, καὶ ταῖς παρανομίαις ἠμύλων, καὶ ἀληθῶς Παρασυρ-εβλήθη τοῖς κτήνεσι τοῖς ἀνοήτοις, καὶ ὁμοιωθῆσθε τοῖς. Ὅπως ἀνοήτως κτήνεσι παρωμοιώθη ὁ ἄνθρωπος ἀναγκαῖον ἐξ αὐτῶν ἰδεῖν τῶν ἔργων, οὐχ ἵνα τὰ προλαβόντα μεμφώμεθα, ἀλλὰ ἵνα τὰ παρόντα διορθωθώμεθα. Καὶ γὰρ τὰ κατὰ τὸν Ἀδὰμ ἀναγινώσκεται, καὶ πᾶσα ἡ τῶν προλαβόντων ἱστορία, οὐχ ἵνα τοὺς [536] προλαβόντας ἐπαινεσωμεν, ἢ μεμφώμεθα, ἀλλ' ἵνα τὴν ἀρετὴν μιμησώμεθα, καὶ τὴν κακίαν ἐκκλίνωμεν ταῦτα δὲ, ψῆσιν ὁ θαυμάσιος Παῦλος, ἐγράφη πρὸς ρουθεσίαν ἡμῶν, εἰς ὅς τὰ τέλη τῶν αἰῶνων κατηνέχθη. Τὴν εἰκόνα τοίνυν τὴν καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γενομένην ἐρρίψεν ὁ ἄνθρωπος ὁ πρῶτος διὰ τῆς παρακοῆς, καὶ πάτημα ἐποίησε δαιμόνων, καὶ ταῖς τῶν ἀλόγων ὁμοιωσεν ὑβρίσει· καὶ τὸν μὲν διὰ τὸ ὠμόν καὶ τυραννικὸν τῶν τρόπων λέοντα μάλλον ἢ ἄνθρωπον ἐποίησε, τὸν δὲ λύκον διὰ τὸ ἀρπακτικὸν εἰργάσατο. Καὶ μαρτυρεῖ ἡ Γραφή λέγουσα οὕτως· Οἱ ἀρχόντες ὑμῶν ὡς λέοντες ὤρνομενοι, καὶ οἱ κριταὶ ὑμῶν ὡς λύκοι τῆς Ἀραβίας· λέοντας καλέσασα τοὺς ὠμούς καὶ τυραννικούς, λύκους δὲ τοὺς ἀρπακτικούς καὶ πρὸς πλεονεξίαν βλέποντας. Ὁρᾷς πῶς ὁ κατ' εἰκόνα Θεοῦ γενομένος ἄνθρωπος εἰς τὴν τῶν ἀλόγων τάξιν κατηνέχθη; Ὅταν οὖν τυραννῆ ὁ ἄνθρωπος, προσαγορεύεται λέων· ὅταν ἀρπάξῃ, δέχεται τὸ λύκου τὴν προσηγορίαν· ὅταν ταῖς ἀκολάστοις ἐπιθυμίαις ἐμψύρηται, καὶ διττῶν ἀλόγων ἐπὶ τὰς παρανόμους πράξεις ἐκφέρηται, εὐρίσκειται πάλιν ἵππος ὁ ἄνθρωπος· Ἴπποι γὰρ, ψῆσι, θηλυμαεῖς ἐστρέθησαν· ἐκαστος ἐπὶ τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον αὐτοῦ ἐχρεμέτιζεν. Ἄλλους πάλιν ἡ κακία ἀπὸ ἀνθρώπων κύνας ἐποίησε. Κύνας καὶ τί; διὰ τὸ ὑλακτικόν, διὰ τὸ πάντοτε θορύβους καὶ παραχαῖς χαίρειν· περὶ ὧν καὶ ὁ μακάριος Δαυὶδ ἐκ προσώπου τοῦ Σωτῆρος βοᾷ διὰ τῆς προφητείας· Περικύκλωσάν με κύνες. Καὶ τίνας οἱ κύνες; Συναγωγὴ ποτηρευομένων περιέσχορ με. Ἄλλους πάλιν ἡ Γραφή καλεῖ χοίρους, τοὺς ἐν βόθρῳ τῶν ἀτόπων πράξεων ἐμψυρομένους· περὶ ὧν ψῆσιν ὁ Κύριος διὰ τοῦ εὐαγγελιστοῦ· Μὴ βλέπετε τὰ ἄγια τοῖς κυσὶ, καὶ τοὺς μαργαρίτας ἐμπροσθεν τῶν χοίρων. Ὁρᾷς πῶς ποικίλος ὁ ἄνθρωπος, καὶ πῶς ἡ εἰκὼν ἐκείνη ἡ καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γενομένη κατηνέχθη πρὸς τὴν τῶν ἀλόγων ὁμοιότητα, οὐκ ἄλλου τινὸς βιασαμένου, ἀλλὰ τοῦ ἀνθρώπου ἐαυτὸν ρίψαντος; Ἡ γὰρ Γραφή οὐ τῇ ἀνάγκῃ τὴν παραβάσιν ἐπέγραψεν, ἀλλὰ τῇ προαιρέσει τοῦ τιμηθέντος, καὶ τὴν τιμὴν ἀνοήσαντος· Ἀνθρώπος γὰρ, ψῆσιν, ἐν τιμῇ ὦν, οὐ συνῆκε. Φέρε πάλιν, εἰ δοκεῖ, σκοπήσωμεν ὡς αὐτὸς ἕτερος τινὰς ἡ Γραφή διὰ τὸ ποικίλον καὶ πανουργικὸν καὶ ὑποκρίσεως γέμον τῆς γνώμης ἐπάγγελμα ἀλώπεκας ὀνομάζει. Διὰ τοῦτο γοῦν τὸν Ἡρώδη ποικίλον ὄντα ταῖς γνώμας, καὶ πανούργον ταῖς ἐνθυμήσεσι, καὶ ἀσεβεῖς συζήντας, εὐσεβεία συσημαζόμενον, ὁ Σωτῆρ ἀλώπεκα προσαγορεύει. Ἐλθόντων γὰρ τινῶν, καὶ ἀπαγγελλόντων αὐτῷ, ὅτι· Βούλεται σε ἰδεῖν Ἡρώδης, ἡ ἅγια καὶ με-

fugiens, simplicitatem cum laude præ te tuleris, habes prudentiam perfectam, si eam cum malitia non commisceas; et audis a Domino, *Estote prudentes sicut serpens, et simplices sicut columbæ*. Ne igitur uullo delectu utcumque Scripturam lege, mi frater, aut similitudines ad vitia malamque in partem accipias ab ea prolatas, dum distribuit huic quidem illud, illi vero aliud. Visne hoc intelligere planius? Attende diligenter iis quæ dicuntur. Vocat leonem Scriptura: *Catulus enim leonis, inquit, Juda: ex germine, fili mi, ascendiat: recubens dormivisti ut leo (Gen. 49. 9)*. Hic, *Ut leo*, fortitudinem significat; nam et de justo eandem proponit similitudinem: *Justus enim, inquit, quasi leo confidit (Prov. 28. 1)*. Fortis itaque est justus, non in male agendo, sed in iis refellendis, quæ a sceleratis inferuntur. Appellat et Salvatorem leonem, eo quod esset ex tribu regia. Ut enim quadrupedum rex est leo, sic inter Judæos tribus Juda regnabat, ex qua Salvator progenitus est. Neque vero existimes, carissime, Christo indignum leonis imagini comparari: nam et eandem ipsi tribuit Divinitati Scriptura. Audi ergo quid dicat propheta: *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus loquutus est, quis non prophetabit (Amos 3. 8)*? Ergo ratione potentia, et quatenus terribilis est, ac regia majestate pollens, comparatur leoni Christus. Appellatur et leo diabolus, non ut potens, vel ut tremendus, sed ut percussor, ut tyrannus, ut exterminator. De hac re dicit et beatus Petrus apostolus: *Ecce inimicus vester diabolus circumit tanquam leo, quaerens ut animam devoret (1. Petr. 5. 8)*. Divide itaque eorum quæ leguntur notiones et intelligentias, ne forte quæ in verbis apparent contraria tuam mentem perturbent. Commemoravit Scriptura leonem et leonem; sed hunc quidem secundum regiam dignitatem ac potentiam, illum autem ob vim perdendi aque delendi. Itaque justum simul et impium una similitudine Scriptura exprimit: *Justus, inquit, ut palma florebit; sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur (Psal. 91. 13)*. Priori loco proposuit imaginem justi, deinde pariter impii. *Vidi enim, inquit, impium superexaltatum et elevatum, sicut cedros Libani (Psal. 36. 35)*. Vide ergo quo pacto eandem similitudinem in medium attulerit, sed dictionibus notiones diviserit. Nam de impio dicit, *Vidi impium superexaltatum et elevatum, sicut cedros*; de justo autem non dicit, *Ut cedrus, quæ in Libano est, efflorescet, sed, Multiplicabitur*. Sic igitur apem imitare, mi homo, quam et Scriptura, ut imiteris in diligentia, te docet. *Vade ad apem, et discas quam sit operatrix (Prov. 6. 6)*. Noli discere quo pacto stimulum habeat, sed quo pacto mel conficiat: nam si apis stimulum fueris imitatus, reprehendet te David, dicens: *Omnes gentes circumdederunt me, sicut apes favum et in nomine Domini ultus sum eos (Psal. 117. 15)*. Vides ut percutientes se comparet api pungenti, justos autem assimilet ei, quæ mel stillat? *Labra enim, inquit, justorum stillant sapientiam. Et, Favus mellis sermones honesti: dulcedo vero eorum sanitas animæ (Prov. 10. 52. et 16. 24)*. Hanc itaque dulcedinem, dilectissimi, animarum, inquam, desideremus ex tota anima, favumque spiritalem in occulta animæ officina conficiamus, et eloquia divina plurius quam mel et favum faciamus. Sæpe numero fit ut si multum mellis comedatur, dulcedinem mutet in amaritudinem, et stomachi viuet appetitum, omnemque hominis statum evertat: sermo vero divinus etsi multus accipiar, animam non perturbat, sed potius sanat: *Dulcedo enim ejus sanitas animæ*. Quapropter Sapiens cum vellet mellis et sermonis inter se discrimen opponere, *Mel multum, ait, comedere non est bonum, honorare autem oportet sermones gloriosos (Prov. 25. 27)*. Semper itaque, dilectissimi, tamquam favum quemdam varium, sacra eloquia retineamus: et quemadmodum favus ille diversis quidem conficitur ex generibus, unum autem bonum habet: sic et nobis esto favus Scriptura divina, ex multis quidem ac diversis constans prophetis, unum vero doctrinæ mel stillans. Talis et nobis patrum favus ex

multis quidem ætatibus coacervatus, unam vero gratiam unamque spiritalem doctrinam distillans. Verum hæc quidem hactenus: nobis vero precibus et patrociniis communis patris contingat, ut diligentia nostra sermonem argentes, divinam legem auimpleamus in mente nostra quovis tempore, idque faciamus, quod a Davide dictum est, ut Dei legem in medio ventris nostri semper habeamus (*Psal. 39. 9*), sive divinas sententias ut naturæ terminos statuamus agnoscere, ac veritatem colere, mundum contemnere, Deoque gloriam offerre, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*Ejusdem demonstratio, primum hominem per inobedientiam abjecisse imaginem ad similitudinem Dei factam, et per novum Adamum eam rursus recuperasse.*

ρυγὰς φωτὸς ἐπαφίησι, ποτὲ δὲ λήγουσα αὐτῆς τὰ μέτρα ἀπαρασάλευτα διαφυλάττει μετὰ τῶν ἀστῆρων τῶν πολυαριθμῶν γορῶν; Ἄλλὰ πρὸς τὴν ἀκολουσίαν τοῦ λόγου ἤθεμεν. Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωὶ, ἡμέρα τετάρτη. Καὶ εἶπεν ὁ Θεός· *Ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἔρπειτα ψυχῶν ζώων κατὰ γένος, καὶ πετεινὰ πετόμενα κατὰ τὸ στέρωμα τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ ἐποίησεν ὁ Θεός τὰ κτήνη τὰ μεγάλα. Κατάμαθε ἀκριβῶς τὸ ῥῆμα τοῦ Παντοκράτορος· Πόσα γένη ἰχθύων τῶν ἐν τῇ θαλάσῃ παρέστησε, καὶ πόσον ἄνθρωπον πετεινῶν ἐν τῷ ἀέρι παρεσκεύασε, τὰ μικρὰ, τὰ μέγιστα· καὶ θαύμαστον τῆς σοφίας αὐτοῦ τὴν ὑπερβολὴν, πῶς ἐνὶ λόγῳ τὰ πάντα παρήχθη. Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωὶ, ἡμέρα πέμπτη. Καὶ εἶπεν ὁ Θεός· Ἐξαγαγέτω ἡ γῆ ψυχὴν ζώων κατὰ γένος, τετράποδα, ἔρπειτα καὶ θηρία, καὶ πᾶν κτήνος κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα. Ὡς τῆς μεγίστης σοφίας ἢ τῆς ἀνεκδιηγήτου ἀγαθότητος. Πάντα τὰ κτήνη καὶ τὰ θηρία ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ ἐποίησε, λέοντα, ἄρκον, δράκοντα, βῶν, καὶ ἵππον, καὶ ἕσα τοῖς ἀνθρώποις πρὸς ὑπηρεσίαν περισπούδαστα καὶ ἀγώγιμα. Ὅρας τοῦ δημιουργοῦ τὴν συνέπιν; Πάντα ἐποίησεν ἐν ἐξ ἡμέραις, φῶς, οὐρανὸν, γῆν, θάλασσαν, ἥλιον, σελήνην, ἀστρα, ὄρη, βουνούς καὶ πεδιάδας, θηρία, κτήνη, ἰχθύας, κτήνη, τὰ ἐν τῇ θαλάσῃ, τὰ ἐν τῇ γῆ. Ὅθεν τιμιωτέραν βουλὴν καὶ ἔργον μεγίστον θῶλον κατεργάσασθαι ὁ Πατήρ τῶν φωτῶν, ὁ ὢν καὶ ὁ (sic) ἦν, ὁ νοῦς ὁ ἀναρχος, ὁ ἀγέννητος πρὸς τὸν Μονογενῆ· ὁ γεννήσας πρὸς τὸν γεννηθέντα ἐξ αὐτοῦ ἀβέσπῳ τὸν Υἱόν, τὸν Λόγον, τὴν σοφίαν, τὴν ἀκατάληπτον, θεοπρεπὴ καὶ μυστικὴν [544] βουλὴν ἐπεισάγει λέγων· *Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν· καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης, καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῶν κτηνῶν, καὶ πάσης τῆς γῆς, καὶ πάντων τῶν ἔρπειτων τῶν ἐρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς. Καὶ ἐποίησεν ὁ Θεός τὸν ἄνθρωπον, ἄνθρωπον ἀπὸ τῆς γῆς. Καὶ ἵνα μὴ δεῖξῃ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀλλότριον τῆς δημιουργίας, Ἐνεψύσῃσεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζώσαν.* Εἶδες ἐξαιρετὸν πλάσμα τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας; εἶδες βασιλεῖα τῆς κτίσεως καθεστῶτα τὸν Ἀδὰμ; εἶδες τιμὴν ὑπερβάλλουσαν τὸν ἐν τῇ χειρὶ δημιουργηθέντα; Μάθε αὐτοῦ καὶ τὰ χαρίσματα, ἃ παρέσχεν αὐτῷ ὁ Θεός μετὰ τῆς πλάσεως. Καὶ ἐνύπτεισεν ὁ Θεός παράδεισον ἐν Ἐδέμ κατὰ ἀνατολὰς, καὶ ἔθετο ἐκεῖ τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἐκλάσσε· καὶ ἐξανατίθειλεν ἐκ τῆς γῆς ἔυλον ὄρειον εἰς ὄρεσιν, καὶ καλὸν εἰς βρώσιν, καὶ τὸ ἔυλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, καὶ τὸ ἔυλον τοῦ εἰδέναι καλὸν καὶ ποικίρον. Βαβαὶ τῆς τιμῆς τοῦ Θεοῦ τῆς εἰς ἡμᾶς γενομένης! βαβαὶ τῆς φιλοανθρωπίας, ἣς ἐπεδείξατο τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων! βαβαὶ τῶν ἀβήτων ἀγαθῶν, ὧν μετέσχηκεν ὁ Ἀδὰμ! Ὡς γὰρ ἠρκέσθη ἡ ἀφάρτος αὐτοῦ κηδεμονία, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος αὐτὸν ἐποίησεν, ἐκ γοῆς βασιλεῖα τῆς κτίσεως ἐχειροτόνησεν· ἀπὸ γῆς ὑπέρινον ἀγγέλους ἀνέδειξεν· ἐκ τῆς ἀψύχου ἐμψύχον Ἰνδαλμα ἐπισήγαγε. Ποῖαν ἀρετὴν ἐπεδείξατο ὁ Ἀδὰμ, ὅτι τοιαύτην ἀμοιβὴν αὐτῷ ἐχαρίσατο; ποῖους ἀγῶνας καὶ ἰδρώτας ὑπέμεινε, ὅτι τοιοῦτων στεφάνων ἐπέτυχε; ποῖαν δοξολογίαν ἤνεγκε τῷ ποιήσαντι, ὅτι μέσον τοῦ παραδείσου οἰκίστην αὐτὸν ἀνέδειξε; ποῖον ἔργον ἔνδοξον ἀπέτελεσεν, ὅτι ἀμοιβῶν βίον ἐπεσάσατο; ποῖαν δουλείαν θεάρεστον κατεργάσατο, ὅτι τοιαύτης ἀπῆλαυσε δωρεᾶς; Ἄλλ' ὄμως ὁ φιλόανθρωπος τοιοῦτους ἐκόμισσε χαρίσματα τὸ πλάσμα, ὅθεν καὶ πρὸς περισσώτεράν χαρὰν, καὶ ἀγαλλίαν, καὶ ἄλλην ἐργασίαν ἐπεδείξατο. *Ἐπέβαλε γὰρ, φησὶν, ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ ὁ Θεός ἐκστασίν, καὶ ὤκνωσε, καὶ ἔλαβεν μιαν τῶν πλευρῶν αὐτοῦ, καὶ ἀνέκλασε γυναικίαν.* Ὅντως θαυμαστὰ τὰ ἔργα Κυρίου! ὄντως ἀνεξιχνίαστοι οἱ ὁδοὶ αὐτοῦ! ὄντως ἀνεκδιηγήτος ἡ ἀγαθότης αὐτοῦ! Οὐ γὰρ ἠρκέσθη τῷ Ἀδὰμ ἀπὸ γοῆς γενέσθαι ἄνθρωπον καὶ ἐν παραδείσῳ τῆς τρυφῆς ἀπολαύειν κλειύσας, ἀλλὰ καὶ βοηθὸν αὐτῷ ἐποίησε. Πόστην χαρὰν τότε ἦν ἐληφώς ὁ Ἀδὰμ, ὅτε ἐθεάσατο ἀπὸ τοῦ ὕπνου παρακαθίζομένην αὐτῷ τὴν γυναικίαν; πόσως εὐφροσύνης αὐτοῦ ἡ ψυχὴ ἐνεκίμπεστο κοινωνῶν θεωρῶν τὴν γυναικίαν, καὶ ὁμορόπον καὶ ὁμόδοξον αὐτὴν καθεστῶσαν; πόσως θυμηδίας καὶ προφητείας ἤξιώθη, ἐν τῷ θεάσασθαι Ἀδὰμ Ἐῶν, τοῖς αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ μορφήν ἴδαν καὶ χαρακτῆρα ἀντικρυς παρισταμένην; Ὅθεν ἐν ἀγαλλίᾳ*

pientia eorum insipientia deprehensa est. Quæ enim sex diebus creata fuerant, non dubitarunt si qui fabulas de conditu mundi commenti sunt, ea dicere ex se et sponte sua facta esse, cælum nempe, terram, solem, lunam et omnia quæ sub aspectum cadunt. Si una hora sapientia Dei hæc fecisset, quem non impudentiæ obtinere opponere potuissent? Verum ipse, utpote qui hæc præsciret, iniquas venenatasque eorum linguas prohibuit, quæ contra Opificem erigebantur, et creaturam pro Creatore colebant. Verum ad propositum revertamur, seriemque narrationis ulterius producamus. « Dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux : et vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem : et facta est vespera, et factum est mane, dies una. Et dixit Deus : Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens inter aquam et aquam. Et vocavit Deus firmamentum cælum » (Gen. 1. 3-7). Vidistin' opus quod mortaliū mentes percellit, quod absque columnis, absque vectibus hoc opificium constituit usque ad consummationem sæculi? Quam mirabilia sunt opera Domini, et quis possit investigare illa? « Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespera, et factum est mane, dies secundus. Et dixit Deus : Congregetur aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, et appareat arida : et congregata est aqua quæ sub cælis est in congregationes suas, et apparuit arida : et vocavit Deus aridam, terram, et congregationes aquarum vocavit maria. Et dixit Deus : Germinet terra herbam scæni, seminantem semen secundum genus et secundum similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum » (Gen. 1. 8-14). Hæc verbo jubentis statim exhibita sunt, sine obice, sine impedimento. *Et facta est vespera, et factum est mane, dies tertius* (Gen. 1. 13). Viden' Scripturam nostram aperire mentem ad perfectiora? Ubinam sunt illi qui dicunt, Hic fructus amarus, hæc herba exitium parit, hæc avis carnivora quid nobis boni affert? Alia clamans mortem comminatur; alia vociferans hylem significat; alia volans calamitatem inducit. Multos enim audiivi talia causantes et effutientes. Annon illud est apud Christianos pravus Scripturæ usus? Etenim quæ Deus cum vidit, bona esse dixit, tu ne contumelia afficias. « Et dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cæli in illuminationem diei, et in faciem noctis. Et fecit Deus luminare magnum », nempe solem, « ad dominatum diei, et luminare minus ad dominatum noctis, et stellas. Et sint in signa et in tempora, et in dies et in annos » (Gen. 1. 14-16). Quid prius mirabimur nos homines? solisne altitudinem immensam, an magnitudinem, an vehementiam? Lucemne ejus sine termino extensam, an æstum insuperabilem? Quomodo ex una lucerna et ex una substantia hæc omnia splendida fiunt; dum ipse cursum conficit, tantum, ut mentem omnem obstupefaciat; ut uno die ab ortu ad occasum pervenient, nullum relinquat locum, qui se abscondat a calore ipsius? Ubinam sunt Persæ qui colunt illum ut deum, et Opifice relicto, opificio ejus honorem deferunt? Nonne sol ipse perennem quotidianumque cursum suum conficit cum timore et concinno ordine, et modo nubibus obvelatur, modo spirante noto radii ejus minuuntur? Hic est sol ille vester, cui vos fidentes cultum exhibetis. Omnia Dei opera admodum bona, terribilia et stupenda; sed ad ministerium nostrum sunt constituta, non ad dominatum. Quomodo etiam luna in faciem noctis jussu Opificis producta est, et modo incrementum, modo imminutionem patitur, et aliquando splendens radios lucis emittit, modo senescens mensuram sine ulla mutatione servat, cum stellarum innumerarum choris? Verum sermonis seriem repetamus. « Et facta est vespera, et factum est mane, dies quartus. Et dixit Deus : Producant aquæ reptilia animarum viventium secundum genus, et volatilia volantia in firmamento cæli. Et fecit Deus cete grandia » (Gen. 1. 19-21). Animadvertite diligenter dictum Omnipotentis. Quot genera piscium in mari exhibuit, et quantum volatiliū, tum exiguorum, tum magnorum, populū

in aere paravit; ac mirare sapientiæ ejus magnitudinem, quomodo omnia uno verbo producta sint. « Et facta est vespera, et factum est mane, dies quintus. Et dixit Deus : Educat terra animam viventem secundum genus, quadrupes, reptilia et feras, et omne jumentum secundum genus, et secundum similitudinem » (Gen. 1. 23-25). O magnam sapientiam! o inenarrabilem bonitatem! Omnia jumenta et feras in ictu oculi fecit, leonem, ursum, draconem, bovem, equum, et quotquot ad ministerium hominum desiderabilia utiliaque sunt. Viden' Creatoris prudentiam? Omnia fecit sex diebus, lucem, cælum, terram, mare, solem, lunam, stellas, montes, colles, planities, feras, jumenta, pisces, cete; quæ in mari, quæ in arida. Quare insignius consilium iniens, cum vellet opus inaximum perficere Pater ille luminum, qui est et qui erat, mens sine principio, qui ingenuus est ad Unigenitum: qui genuit ad Filium qui ex ipso sine fluxu genitus est, Verbum nempe, sapientiam incomprehensibilem, Deo dignum et mysticum consilium inducit his verbis: « Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem: et imperent piscibus maris, et volatilibus cæli, et jumentis, et universæ terræ, et omnibus reptilibus reptentibus super terram. Et fecit Deus hominem, pulverem accipiens de terra » (Gen. 1. 26. 27). Et ut ostenderet Spiritum sanctum non alienum a creatione, *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (Gen. 2. 7). Vidistin' exitium opificium creationis Dei? vidistin' eum constituentem Adamum in creaturarum regem? vidistin' honorem exsuperantem eum qui ejus manu creatus fuerat? Disce etiam dona quæ ipsi Deus post creationem largitus est. « Et plantavit Deus paradisi in Edem ad orientem, et posuit ibi hominem, quem formavit: et produxit ex terra omne lignum pulchrum aspectu, et bonum ad comedendum, et lignum vitæ in medio paradisi, et lignum scientiæ boni et mali » (Gen. 2. 8. 9). Papæ, quantum Deus nobis honorem tribuit! papæ, quantum clementiam generi hominum exhibuit! papæ, quam ineffabiliū honorum consors fuit Adam! Non enim satis fuit ineffabili ejus providentiæ, quod illum ex nihilo produxerit: ex pulvere regem naturæ constituit; ex terra illum angelis honorabiliorem exhibuit; ex inanimato animatum simulacrum induxit. Quam virtutem exhibuerat Adam, ut tanto præmio ab eo donaretur? quæ certamina, quos sudores subierat, ut hujusmodi coronas sit consequutus? quam gloriam Opifici retulit, ut illi in medio paradisi habitaculum constitueret? quod gloriosam opus perfecit, ut vitam sine labore sibi procuraret? Quam Deo placitam servitutem exhibuerat, quod tale sit donum consequutus? Attamen ille hominum amans opificium suum tot donis exornavit, unde ad majus gaudium exultationemque aliud quoque opus exhibuit. *Injecit, inquit, in Adamum Deus mentis excessum, et dormivit, et accepit unam de costis ejus, et formavit mulierem* (Gen. 2. 21). Vere mirabilia opera Domini; vere impervestigabiles viæ ejus; vere inenarrabilis bonitas ejus. Non enim satis fuit ipsi Adamum de pulvere factum, et paradiso voluptatis frui jussum esse, ipsi quoque adiutorium fecit. Quantum gaudium fuit Adamo, cum post somnum vidit sibi assidentem mulierem! quanta lætitia ejus animus plenus fuit, cum sibi consortem mulierem vidit, et moribus et sententia sibi consonantem! quanta consolatione, quanto prophetiæ munere dignatus est Adam, cum oculis corporis videret Evam sua forma et figura præditam sibi adstantem! Eapropter animo exultans palam verèque prophetavit his verbis: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea. Hæc vocabitur mulier, quia ex proprio viro sumpta est » (Gen. 2. 23). Vidistin' prophetam clarissime prædicentem ea quæ post futura erant? vidistin' Adam Spiritus sancti participem, quæ gratia dignatus? vidistin' exitium dictum, post multas generationes et usque in finem confirmatum?



3. Verum non tulit tortuosissimus ille draco magnam huiusmodi fiduciam et Spiritus donum. Non potuit oculis perspicere honorem gratiamque opificii, quam ab Opifice acceperat: sed quæ meditatus fuerat, hæc perfecit. Nam reperto vafritiei nequitiaque suæ instrumento serpente, ipsum malitiæ suæ adiutorem fecit: nec ausus est Adamum aggredi, sed infirmiore debilioremque tum sensu tum opere adortus est. At nemo Dei creationem arguat. Quemadmodum enim Adamum fecit Deus, ita et Evam ex eadem commixtione, ex eadem massa, eodemque ordine. Sed adversarii consilium et corpus et mentem Evæ prava effecit. Nam qui ex terra terrenus factus immortalis, cum gratiam accepisset ut manu Omnipotentis formaretur, et divina dignatione humanum nomen sortitus esset, ubi audivit appellationem, qua dignus non erat, eoque opere assumpto, ad divinitatis dignitatem mente advolvit, et contra Opificem calcaneum miser sustulit: quomodo autem audi. *Accedens callidus serpens quid ait mulieri? Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de fructu scientiæ boni et mali? Quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (Gen. 3. 1. 5). Vides, auditor, inimici mentem? vides seductoris offendicula? Vides quam versipellis sit, quibus verbis Evam inescarit? *Quacumque die comederitis de ligno vetito, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* O malum seductoris consilium! o infamiam, quam dolosis verbis mulieri conciliavit! o insidias, quibus in profundum inferni dejecit eum, qui per Dei clementiam in sublimi deductus fuerat! Non nudus adit Evam dolosus ille, sed serpentis habitu mulierem alloquitur, ut inescat eam, et dictis suis obsequentem paret; nam si sua accessisset forma, Eva statim resiliisset, et ad virum suum aufugisset. Verum indutus serpentis forma versipellis ille, huiusmodi verbis illam affatus est: *Accedens ad contingendum lignum, quod vobis comedere vetuit Deus, illud inspicere; speciosum oculis tuis offertur, et ad comedendum ori tuo gratum erit. Jam formidabilis es feris et volatilibus, formidabilior ipsis post degustatum fructum videberis: hactenus te forma humana circumdatam conspiciunt, jam vero post degustatum fructum divina forma indueris, et cognosces bonum et malum. Nihil erit oculis occultam vestris, nihil auditu vestro absconditum; sed omnia visibilia et invisibilia vobis erunt manifesta et conspicua. Illaqueatur ergo seductoris verbis mulier: primoque serpentis promissa in pectore describit, et contra Conditorem suum calcaneum extollit. Deinde virum adit, eumque his verbis felle amarioribus alloquitur: *Cur nobis præcepit Deus ne comederemus de hoc ligno? Quacumque die comederimus, aperientur oculi nostri, et cognoscemus bonum et malum. O pessimum consilium! o verba felle amariora! Non vidit oculis suis lumen veritatis, non excepit auribus ipsis vitæ sermonem, non gustavit ore dulcedinem clementis Domini, non contigit manibus suis lucis januam. Ante copulam virum suum Deo alienum fecit; ante cohabitatiorem regem effecit pauperem; ante susceptam prolem filii maledictionem procuravit; antequam filios silvasque pareret, exsilium nepotibus adduxit; antequam cum viro habitaret, ex paradiso illum deturbavit. O nequitiam! o insipientiam! o fallaciam! Verbis suis id vero suadet, illi decerptum fructum offert, eumque in profundum inferni dejecit, qui feris et volatilibus sublimis videbatur: dejecit mentem omnium quæ sub celo sunt sincerissimam; exstinguit lumen oculorum Deum quotidie contemplantium: pavorem iniecit in eum qui frequenter Deum alloquebatur: dissolvit manus illas, quæ benedixerant avibus cæli et bestiis terræ, atque illis nomina dididerant. Rex efficitur pauper, dives, egenus; qui amica consuetudine Deum alloquebatur, quasi fur sub arbore occultatur; princeps, famulus, purus corde, totus sordidus, animo splendidus, tenebrosus constituitur. Videre erat eum, qui ut sol splen-**

debat, in caligine repente positum; qui dæmonibus tremendus erat, in ludibrium positum; qui liber formatus erat, ut servum absconditum; qui gloriosus et honorabilis erat, ut inglorius sordidumque jacentem. Quapropter, auditores benevoli, hanc historiam repetentes, videamus Scripturæ abyssum, narrationis seriem exhibentes. « Et vidit mulier quod bonum esset lignum ad comedendum, et quod oculis placidum, et speciosum ad intelligendum. Et accipiens mulier de fructu, comedit, et dedit viro suo » (Gen. 3. 6). Viden' voluptatem, quæ mortem procurat? viden' voluptatem quæ in infernum dejecit? viden' gustationem, quæ gustantem a paradiso alienum facit? Nemo cordatus lignum in culpam vocet, sed comedentem. Quemadmodum enim si quis rex militi præcipiat, ne quem principum intra regium cubiculum ingredi sinat, aut arcanum ipsi revelans, vetet ne quis alius ediscat: ille vero egressus id renuntiet aliis pro lubito; dic mihi, an non pœnas dabit ille, quod regium spreverit imperium? Id ipsum in Adamo factum. Omnia ipsi Deus dederat in cibum et voluptatem, arbores, fructus, aquas, paradisi jucunditatem, solem, lunam et stellas: vivus vero ligni fructum servandum tradidit, dominii argumentum et imaginem præbens, præceptumque dans ad obsequentiam opificii sui. Ille vero nondum intra hæc gratiæ dona consistens, nec dignitatis magnitudinem in pretio habens, neque imperii sui libertatem custodiens, iniquum illum et inimicum veritatis audivit, et inobsequentiæ se dedit, factusque est ex immortalis mortalis; princeps paradisi ejus habitatione privatus; qui veritatis semitas terebat, dæmonum ludibrium effectus; qui plenus Spiritu sancto erat, spiritibus malignis repletus; qui prophetiæ dono fulgebatur, ne sui quidem ipsius guaras. Completa denique illa mortifera inobsequentia, cum advertissent Adam et Eva se nudos esse ob prævaricationem: quando enim divino immortalitatis vestitu ornatuque amicti erant, nuditatem suam non videbant, cum autem accessit prævaricatio, et inobsequentiæ opus perfectum est, tunc turpitudinem suam viderunt. Deinde *Audierant, inquit, vocem Domini ambulantis in paradiso circa meridiem, et se occultarunt Adam et uxor ejus a facie Domini Dei* (Gen. 3. 8). Fiduciæ causa præcisa est: venit prævaricatio, et sese occultant ab Omnipotente. Tales sunt ii, qui peccatis sunt onusti et obruti. Cum enim quis scortatus nichatusve fuerit, egressusque ex meretricis janua, invenerit virum mulieremve, qui occursum huiusmodi narrent, is qui peccatum admisit existimat colloquium circa ipsum versari, tunc pudore ruboreque afficitur, arguente peccati conscientia. Id ipsum passi sunt et Adam et Eva. Nam sæpe Deo in paradiso ambulante, numquam pudefacti ad ejus occursum fuerant: sed post peccatum et inobsequentiam sese abscondunt a facie Dei cuncta perspicientis, hinc se lueri quidpiam reportaturos sperantes: sed frustra cessit ipsorum prudentia. Quapropter quasi nullam haberent defensionis ansam aut fiduciam erga occultorum cognitorem, ipse cordis et renum scrutator dicit Adamo: *Adam, ubi es* (Gen. 3. 9)? defensionis ansam ipsis præbens: *Ubi es?* Jam de ligno comedisti, nec optatum es assequutus: jam in prævaricationem lapsus es, et a divinitate excidisti. *Adam, ubi es?* Ille vero: *Vocem tuam audivi ambulantis in paradiso, et timui, quia nudus sum, et me occultavi* (Ibid. v. 10). Viden' pudorem peccati? viden' peccati turpitudinem? viden' tribunal intra Adamum positum, ipsum incusantem, quod a Deo se abalienaverit? Dixitque Deus: *Quis tibi indicavit, quod nudus esses, nisi quia ex ligno, ex quo solo præceperam tibi ne comederes, ex illo comedisti* (Ibid. v. 11)? Dimisisti me Conditorem, et ad inimicum defecisti: reliquisti me Creatorem, et cum se ductore consensisti. Ego tibi præceperam ut ne ex hoc solo comederes, et tu cum diabolo consilium iniisti? Respondit Adam: *Mulier, quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit de ligno, et comedi* (Gen. 3. 12). O obtentum ratione vacuum! o defensionem loquenti ad nihil uti-

ψυχῆς προσφῆτευσεν ἀναφανδὸν τὴν ἀλήθειαν· φησὶ γάρ, *Τούτο νῦν ἐστὶν ἐκ τῶν ὀστέων μου καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκὸς μου. Αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἰδίου ἄνδρός ἐλήφθη.* Εἶδες προφήτην τηλαυγέστατα προλέγοντα τὰ μετέπειτα γενησόμενα; εἶδες Πνεύματος ἁγίου κοινωνίας μετέχοντα τὸν Ἀδὰμ, καὶ χάριτος, ἥ; ἤξιώσαι; εἶδες ἐξαιρετὸν λόγον τὸν μετὰ πολλὰς γενεὰς ἕως ἐσχάτων βεβαιούμενον;

δ'. Ἀλλ' οὐκ ἤνεγκε τὴν μεγίστην παρῆρσιαν καὶ τοῦ Πνεύματος τὴν χορηγίαν ὁ σχολιωτάτος δράκων. Οὐκ ἔφερε τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ θεωρεῖν τὴν τῆμην καὶ τὴν χάριν τοῦ πλάσματος, ἦν ἐληφεν παρὰ τοῦ Δημιουργοῦ· ἀλλ' ἄπερ ἐμελέτησε, ταῦτα καὶ κατεργάσατο. Εὐρῶν γὰρ ὄργανον τῆς ἐαυτοῦ σκαιοῦρας καὶ κακοβουλίας τὸν βρην, συνηρῶν ποιεῖται τῆς κακίας αὐτοῦ· καὶ οὕτως ἐτόλμησε πρὸς τὸν Ἀδὰμ εἰσελθεῖν, ἀλλὰ πρὸς τὸ σαφρότερον καὶ ἀπαλωτέρον, καὶ τῷ φρονήματι καὶ τῇ πράξει. Καὶ μηδεὶς τοῦ Θεοῦ τὴν δημιουργίαν μὲμφοίτω. Ὅσπερ γὰρ τὸν Ἀδὰμ ἐποίησεν ὁ Θεός, οὕτως καὶ τὴν Εὐάν ὠκοδόμησε, τοῦ αὐτοῦ κράματος, τοῦ αὐτοῦ φαρμάκου, τῆς αὐτῆς τάξεως. Ἀλλ' ἡ βουλή τοῦ ἀντικειμένου ἐποίησε σαθρὸν καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν φρένα τῆς Εὐας. Ὁ γὰρ ἐκ γῆς χοϊκὸς γενόμενος ἀθάνατος, καὶ τὴν ἀξίαν τῆς διαπλάσεως εἰληφὼς χειρὶ τοῦ Παντοκράτορος, καὶ ὁ τῆς ἀνθρώπινης [54:5] ἐπινοίας διὰ δεσποτικῆς ἀξίας προσλαβὼν τὸ ὄνομα, καὶ ἥς οὐκ ἦν ἀξίως προστιγορίας ἀκούσας, ταύτης καὶ τὴν πρᾶξιν εἰληφώς, εἰς θεότητος ἀξίαν τὸν νοῦν ἐαυτοῦ ἀνεπέρωσε, καὶ κατὰ τοῦ πλάστου αὐτοῦ πτέρναν ὁ ἄθλιος ἐπήρει· καὶ ὅπως ἄκουε. Ὁ γὰρ κακόβουλος ὄφεις προσελθὼν, τί φησι τῇ γυναικί; *Τί ὅτι ἐνετείλατο ὁμῖν ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ καρποῦ τοῦ γίνωσκαι καλὸν καὶ πονηρὸν μὴ φαγεῖν; Ἡ δ' ἂν ἡμέρα φάγητε ἀπ' αὐτοῦ, διανοιχθήσονται ὄμῳν ὁ ὀφθαλμοί, καὶ ἔσεσθε ὡς θεοί, γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρὸν.* Βλέπεις, ἀχροσάτα, τοῦ ἐχθροῦ τὴν ἐπινοίαν; βλέπεις τοῦ πλάου τὰ σκάνδαλα; ὄφεις οἷος πολύπλοκος ὤν, διὰ ποίων ῥημάτων ἐδελέασε τὴν Εὐάν; Ἡ δ' ἂν ἡμέρα φάγητε ἀπὸ τοῦ ἀπηγορευμένου ξύλου, διανοιχθήσονται ὄμῳν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἔσεσθε ὡς θεοί, γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρὸν. Ὡ τῆς κακοβουλίας τοῦ πλάου ἢ ὡς τῆς ἀτιμίας ἥς προσήγαγε διὰ δολίων ῥημάτων τῇ γυναικί! Ὡ τῆς ἐνδράς, δι' ἥς καταβάλλει εἰς ἄβου πυθμένα τὸν εἰς ὕψος ἀναχθέντα τῇ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ! Καὶ οὐ γυμνὸς προσέρχεται τῇ Εὐᾷ ὁ δόλιος, ὅς ἦν αὐτοῦ ἡ ἀξία, ἀλλ' ἐν ἐνόηματι τοῦ βρεῦς προσομιλεῖ τῇ γυναικί· πρὸς τὸ δελεάζει αὐτήν, καὶ ἀκουτιοῦθῃαι τοῦτο τοῖς ῥήμασιν εὐπειθεῖς. Εἰ γὰρ ἦλθεν ὡς ἦν μεμροφωμένος, εὐθέως ἡ Εὐα ἀπεπήδα, καὶ πρὸς τὸν ἴδιον ἄνδρα ἀπέτρηεν. Ἀλλὰ τὴν τοῦ βρεῦς μορφήν ἐνδυσάμενος; ὁ πανούργος, τοιοῦτος λόγους πρὸς αὐτὴν ἐχρήσατο· Προσελθούσα ἄψαι τοῦ ξύλου, οὐ ὄμῳν ἐνετείλατο ὁ Θεὸς μὴ φαγεῖν· πρόσχευς εἰς αὐτὸ, ὠραῖον εἰς δρασιν τοῖς ὀφθαλμοῖς σου πρόκειται, καὶ καλὸν εἰς βρῶσιν τῷ στόματι σου γενήσεται. Ἰδοὺ νῦν φοβερὰ τοῖς θηρίοις καὶ τοῖς πετεινοῖς κατέστησας, φοβερωτέρα μετὰ τὴν γεῦσιν αὐτοῖς ὀφθήσῃ· ἀρτίως μορφήν ἀνθρωπίνην περιχειμένην σε θεωροῦσι, νυνὶ δὲ γενοσάμενη τοῦ ξύλου, θεότητος μὸρφωσιν περιβαλήσῃ, καὶ γινώσκουσα γενήσῃ καλὸν καὶ πονηρὸν. Οὐδὲν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ὄμῳν ἀποκρυβήσεται, οὐδὲ ἐκ τῆς ἀκοῆς ὄμῳν τι λήθη παραδράμῃ, ἀλλὰ πάντα τὰ ὀρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα ἐν ὄμῳν γενήσεται εὐδῆλα καὶ φανερά. Δελεάζεται τοῖσιν τοῦ πλάου τοῖς λόγοις ἡ γυνὴ· ἄρχεται τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ βρεῦς ἐν τοῖς στέρνοις ἐγγράφειν, καὶ κατὰ τοῦ πλάου ἐπαίρει πτέρναν. Εἶτα πρόσσει τῷ ἀνδρὶ τοιαῦτα ἀπεγγέλλουσα τὰ μικρότερα χοιλῆς ῥήματα, καὶ φησι· Τί ὅτι ἤμῳν ἐνετείλατο ὁ Θεὸς τοῦ μὴ φαγεῖν τοῦ ξύλου τούτου; Ἡ δ' ἂν ἡμέρα φαγώμεθα, διανοιχθήσονται ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἐσόμεθα γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρὸν. Ὁ συμβουλίας κακίτης! Ὁ λόγων πιχροτέρων χοιλῆς! Οὐχ εὐρακε τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῆς τὸ φῶς τῆς ἀληθείας· οὐχ ὑπήκουσε τοῖς ὠτίι αὐτῆς τῆς ζωῆς τὴν ἀκρόασιν· οὐκ ἐγένεαστο τῷ στόματι τὴν γλυκύτητα τοῦ φιλανθρώπου· οὐκ ἐψήλαφσε ταῖς χερσὶν αὐτῆς τοῦ φωτὸς τὴν πύλιν. Πρὸ τῆς συναφείας ξένον τὸν ἄνδρα τοῦ Θεοῦ ἐποίησε· πρὸ τῆς ἐνοικίσεως· πένητα τὸν βασιλέα καθίστησι· πρὸ τῆς τεκνογονίας τοῖς τέκνοις τὴν ἀτάραν ἐτεκνήματο· πρὸ τοῦ τεκεῖν υἱοὺς καὶ θυγατέρας ἐξορίαν τοῖς ἐγγόνιοις ἐπισείγαγε· πρὸ τῆς τυμδιώσεως;

τοῦ ἀνδρός, ξένον αὐτὸν τοῦ παραδείσου ἐποίησεν. Ὁ τῆς κακίας! Ὡ τῆς ἀφροσύνης! Ὡ τῆς ἀπάτης! Πείθει τὸν ἄνδρα τοῖς λόγοις αὐτῆς, καὶ λαβοῦσα ἀπὸ τοῦ καρποῦ, φέρει πρὸς τὸν ἀπατηθέντα, καὶ κατὰγε εἰς ἄβου πυθμένα τὸν ὕψηλὸν τοῖς θηρίοις καὶ πετεινοῖς φαινώμενον· καταβάλλει τὴν φρένα τὴν παντὸς τοῦ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀκραιότεραν σβεννύει τὸ φῶς τῶν ὀφθαλμῶν τῶν καλ' ἐκάστην Θεὸν καθορώντων· ἐμβάλλει δειλίαν ταῖς φρεσὶ τοῦ συνεχῶς Θεῷ ἐντυγχάνοντος· παραλύει τὰς χεῖρας τὰς εὐλογησάσας τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὰ θηρία τῆς γῆς, καὶ τοῦτοῖς τὰς ἐπινοίας ἐπιθησάσας. Γίνεται ὁ βασιλεὺς πένης, ὁ πλοῦσιος προδοῆς, ὁ φιλικῆ συντυχίᾳ τῷ Θεῷ διαλεγόμενος ὡς κλέπτης ὑπὸ δένδρον κρυπτόμενος· ὁ ἀρχων οἰκίτης, ὁ καθαρὸς τῇ καρδίᾳ βερυπωμένος ὄλιος, ὁ τῆ ψυχῆς ὑπέρλαμπρος, σκοτεινὸς καθεστῶς. Καὶ ἦν ἰδεῖν τὸν ὡς ἦλιον λάμποντα ἐξοφωμένον αἰφνης· τὸν φοβερὸν τοῖς δαίμοσιν, καὶ παίγιον προκειμένον· τὸν ἐλεύθερον πλασθέντα, ὡς δούλον κρυπτόμενον· τὸν ἐνδοξον καὶ ἐντιμον, ὡς [54:6] ἄδοξον καὶ ῥυποειθῆ κατακειμένον. Διδ, φιλακροάμονες, ἀνακεφαλιώσαντες τὴν ἱστορίαν ταύτην, ἰδῶμεν τῆς Φραφῆς τὴν αἴυσσον, τὸν εἰρμὸν τῆς διηγήσεως ἐμφαινωσας. *Καὶ εἶδεν ἡ γυνὴ ὅτι καλὸν τὸ ξύλον εἰς βρῶσιν, καὶ ὅτι ἀρσεντὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ ὠραῖόν ἐστι τοῦ κταινοῦθῃαι. Καὶ λαβοῦσα ἡ γυνὴ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ, ἔφαγε, καὶ ἔδωκε καὶ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς.* Ὅρας τρυφήν θάνατον προσένοῦσαν; ὄρας τρυφήν εἰς ἄδην ἐκπέμποσαν; ὄρας γεῦσιν παραδείσου ποιοῦσαν ξένον τὸν μεταλαμβάνοντα; Καὶ μηδεὶς τῶν ἐχόντων ἀκραιότερον νοῦν τῇ ξύλῳ τὴν μέψιν προσάγοιτο, ἀλλὰ τῷ μεταλαβόντι. Ὅσπερ γὰρ τις βασιλεὺς στρατιώτῃ αὐτοῦ παραγγελίας μὴ εἰσελθεῖν τινα τῶν ἀργόντων ἐνδοθεν τοῦ βασιλικοῦ κοιτίου, εἰ μὴ αὐτὸς προστάξει τοῦτω, ἢ μυστήριον αὐτοῦ ἀναγγείλας μηδὲνα τῶν ἐξωθεν καταμαθεῖν πλην αὐτοῦ μόνου, ἐκείνος δὲ ἐξελλῶν κατὰδῆλον ποιῆσῃ τὴν λόγον οἷς ἂν ὀέλι καὶ βούληται, εἰπέ μοι, οὐκ ὑποστήσεται δίκην ὁ τοιουτος, ὅτι βασιλικὸν κατεσπύνησε κράτους; Τοιοῦτον καὶ ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ ἐκαινοουργήθη. Πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς εἰς βρῶσιν καὶ ἀπόλαυσιν. τὰ φυτὰ, τοὺς καρποὺς, τὰ ὕδατα, τοῦ παραδείσου τὴν τερπνότητα, τὸν ἦλλον, τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀπτέρας· ἐνὸς δὲ μόνου ξύλου δέδωκεν αὐτῷ φυλάσσειν, ὑπόδειγμα δεσποτικῆν εἰκονίζων καὶ ἐντολὴν πρὸς ὑπακοήν τοῦ πλάτου. Αὐτὸς δὲ μήτε τούτων τῶν χαρισμάτων ἐντὸς γενόμενος, μήτε τῆς ἀξίας τὴν ὑπερβολὴν τιμήσας, μήτε τοῦ κράτους αὐτοῦ τὴν ἐλευθερίαν φυλάξας, τῷ παρανόμῳ καὶ ἐχθρῷ τῆς ἀληθείας ἐπιπροσάσατο, καὶ ἤφατο τῆς παρακοῆς, καὶ γέγονεν ὁ ἀθάνατος θνητὸς, ὁ ἀρχων τοῦ παραδείσου γυμνὸς τῆς τοῦτου οἰκίσεως, ὁ τρίβους τῆς ἀληθείας ὀδεύων, τῶν δαιμόνων ἐπιχάρμα γενόμενος, ὁ Πνεύματος ἁγίου ἐμπεπλησμένος, πνευμάτων πονηρῶν πεπληρωμένος, ὁ προφητεῖα ἠγλαϊόμενος, μηδὲ ἐαυτὸν γνωρίζων ὁποῖο; ἦν. Ἀπαρτίσθησας τῆς παρακοῆς λοιπὸν τῆς θανατηφόρου, θεασάμενοι Ἀδὰμ καὶ Εὐα, ὅτι γυμνοὶ ὑπῆρχον διὰ τῆς παραβάσεως αὐτῶν· ὅτε γὰρ θεοκράτητον στολήν τῆς ἀθανασίας ἦσαν περιβεβλημένοι, τὴν ἐαυτῶν γυμνωσιν οὐχ εἰώρων· ὅτε δὲ ἦλθεν ἡ παράβασις, καὶ ἀπηρτίσθη τὸ ἔργον τῆς παρακοῆς, τότε ἐθέασαντο τὴν ἀσχημοσύνην αὐτῶν. Εἶτα ἤκουσαν, φησὶ, τῆς φωνῆς τοῦ Κυρίου περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ τὸ δειλινόν, καὶ ἐκρύβθησαν ὅτε Ἀδὰμ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἀπὸ προσώπου Κυρίου τοῦ Θεοῦ. Περιεκόπη τῆς παρβύσεως ἡ πρόφασις· ἦλθεν ἡ παράβασις, καὶ κρύπτονται ἀπὸ τοῦ Παντοκράτορος. Τοιοῦτοί εἰσιν οἱ ἐν ἀμαρτίαις περιβεβλημένοι. Ὅταν γὰρ τις πορνείῃ ἢ μοιχείῃ, καὶ ἐξέλιθῃ ἐκ τῆς θύρας τῆς πόρνης, καὶ ἀπαντήσῃ κἂν ἄνδρα κἂν γυναῖκα, συντυχίας ἰδίως ἐαυτῶν διηγουμένου, ὁ ποιήσας τὴν ἀμαρτίαν νομίζει ὅτι ἡ συντυχία δι' αὐτὸν καθίσταται, καὶ ἐρυθρία καὶ ἐντροπέται, τῆς ἀμαρτίας αὐτὸν ἐνδοθεν διελεγχούσης. Τοῦτο πέπονθεν ὁ Ἀδὰμ καὶ ἡ Εὐα. Πολλῶν γὰρ τοῦ Θεοῦ περιπατούντων ἐν τῷ παραδείσῳ, οὐδέποτε αὐτὸν ἠδέσθησαν ἢ ἐνεσπύνησαν· ἀλλ' ὅτε ἀπετελέσθη τὸ ἔργον τῆς ἀμαρτίας καὶ τῆς παρακοῆς, τότε κρύπτονται ἀπὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ τοῦ πάντα ἐφορῶντος, κερδῶναι τὴ προσδοκῶντες· ἀλλὰ μᾶτην αὐτοῖς κατέστηκε ἡ φρόνησις αὐτῆ. Διδ ὡς μὴ ἔχοντες ἀπολογία ἢ παρῆρσιαν πρὸς τὴν κρυφιστήσῃ, αὐτὸς ὁ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροῦς φησι πρὸς τὸν Ἀδὰμ· Ἀδὰμ, ποῦ εἶ; πόρῃσιν ἀπο-



λογία αυτοίς χαρίζομενος· *Παύ εἰ; Ἰδοὺ καὶ τοῦ ξύλου φραγες, καὶ τῆς ἐπιθυμίας οὐκ ἐπέτυχες· Ἰδοὺ καὶ τὴν παράδεισον ἐποίησας, καὶ τῆς θεώσεως ἐξέπεσες. Ἄδὰμ, παύ εἰ; Ὁ δὲ, Τῆς φωτὸς σου ἦκουσα περιπαυόντος ἐν τῷ παραδείσῳ, καὶ ἐφοβήθην, ὅτι γυμνός εἰμι, καὶ ἐκώδηρην.* Ὁρᾶς τῆς ἀμαρτίας τὴν ἐντροπὴν; ὁρᾶς τῆς παραβάσεως τὴν ἀσχημοσύνην; ὁρᾶς τὸ δικαστήριον τὸ ἐνοδοθεν γεγεννημένον τῷ Ἀδὰμ, καὶ κατηγοροῦν τὴν αὐτοῦ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἄλλοτριώσιν; Καὶ εἶπεν ὁ Θεός· *Τις ἀνήγγειλέ σοι, ὅτι γυμνός εἰ, εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ ξύλου, οὐ ἐνετείλαμην σοι, τούτου μόνου [547] μὴ φαγεῖν, ἀπ' αὐτοῦ φραγες;* Ἀφῆκας ἐμὲ τὸν πλάσαντα, καὶ τῷ ἐχθρῷ προσήλθες; εἰσας ἐμὲ τὸν δημιουργήσαντα, καὶ τῷ πλάσῃ συγκατέθου; Ἐγὼ σοι ἐνετείλαμην τούτου μόνου μὴ φαγεῖν, καὶ σὺ τῷ διαβόλῳ σύμβουλος γέγονας; Ἐἶπεν ὁ Ἀδὰμ· *Ἦ γυνή, ἣν ἔδωκας μετ' ἐμοῦ, αὕτη μοι ἔδωκεν ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ ἔφαγον.* Ἡ πρόφασις εὐλογον μὴ ἔγουςαι ἢ ἀπολογία μὴ ὠφελοῦσα τὸν λαλοῦντα! Ὡ λέξεις πικρά, μὴ διασώζουσα τὸν λέγοντα! Ἦν γυναικᾶ σοι δέδωκα βοηθὸν, οὐκ αὐθεντούσαν συνήγορον, οὐ δέσποιναν· ὁμογενήματα, οὐ διδάκτριαν· σύζυγον, οὐ ἀρχουσαν· ὑποχείριον, οὐχ ὑψηλοτέραν· συγκύπτουσαν σοι, οὐ κατακρατούσαν σου. Ὅθεν ὡς τῷ ἐχθρῷ ἀρροσασάμενος, κάμω παρακούσας, δέχου τελείαν τὴν ἐπιτίμησιν, ἣν οὐ παρασάλουσαι μακροὶ αἰῶνες, ἣν οὐδεὶς ὑπερβήσεται τούτου τοῖς ὅροις, ἣν ὁ σῶμα<sup>a</sup> φορῶν καὶ ἔλλωθ ἐν τὸν κόσμον, οὐ περάσει τούτο τὸ πέλαγος. Ὅρα, Ἀδὰμ, Ὅτι ἦκουσας τῆς φωτὸς τῆς γυναικὸς σου, καὶ ἔφαρες ἀπὸ τοῦ ξύλου, οὐ ἐνετείλαμην σοι, τούτου μόνου μὴ φαγεῖν ἀπ' αὐτοῦ, ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου· ἐν λύπαις φάγη αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου. Ἀνδρας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι, καὶ φάγη τὸν χότον τὸν ἀγροῦ. Ἐν ἰδρωτί τοῦ προσώπου σου φάγη τὸν ἄρον σου, ἕως τοῦ ἀποστρέψαι σε εἰς τὴν γῆν ἐξ ἧς ἐλήφθης· ὅτι γῆ εἰ καὶ εἰς γῆν ἀπελευσῆ. Ὡ τῆς κατάρας ταυτῆς, ἧτις τὰ βράτα καὶ τὰ ἀβράτα τρέμει ἐπιποίησεν! Ὡ τῆς λέξεως, ἣν οἱ ἀπειροὶ αἰῶνες οὐ παρεσάλουσαν! Ὡ τῆς ἐπιτιμήσεως, δι' ἧς ὁ πολυχρόνιος κόσμος αὐτὴν οὐκ ἐπαλαίωσεν! Ὡ τοῦ ῥήματος, ὃ βασιλεὺς καὶ ἀρχοντας, πλούσιος καὶ πῶντες φρίττουσι καὶ δεδοίκασι! Καὶ ἐξέβαλε Κύριος τὸν Ἀδὰμ καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἐκ τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, ἐργάζεσθαι τὴν γῆν, ἐξ ἧς ἐλήφθη· καὶ προσέταξε Κύριος τὰ Χερουβὶμ καὶ τὴν φλογὶν ῥομφαίαν φυλάσσειν τὸν Ἐδὲμ παράδεισον, καὶ ἀδιάβατον τηρεῖν τὴν ἐσοδὸν, ἵνα μή τις τὸν σάρκα φοροῦντων καὶ τὴν παχύτητα τοῦ σώματος περιχειμένον διέλθῃ ταύτης τὴν πύλην. Τὸ δὲ δεσποτικὸν ῥῆμα ἔργον γέγονε αἰῶνιον, καὶ ἡ ἀπόφασις αὕτη θάνατον εἰς τὸν κόσμον εἰσήγαγε· καὶ βασιλεὺς ταύτην τὴν φωνὴν δεδοίκασι, καὶ ἀρχοντας τρέμουν τὸ ῥῆμα τούτο, πλούσιος εἰς τὴν ἀπόφασιν ταύτην ἐγκρίνεται, καὶ πτωχοὶ ὡς χρέος τούτου ἐκδέχονται, καὶ πάντες βροτοὶ ὡς τῆς φύσεως μέτοχοι τὸν θάνατον ἀναμεινοῦσι. Τί γὰρ ἔπραττεν ὁ Ἀδὰμ ἔξω τοῦ παραδείσου καθήμενος; Ἦν σκάπτειν, μετὰ κλαυθμοῦ ἐργάζεσθαι, μετὰ στεναγμοῦ, ἰδρωτί περιβρέδμενος, ἀχθοφορῶν, τοῦ ἤλωθ τὸν καύσωνα μὴ φέρων, πηγγύμενος τῷ τῆς νυκτὸς παγετῷ, καὶ κλαίων οὐκ ἐπαύετο ἐννοῶν ὅλας τρυφῆς ἑσπερήθη, στεναγμοῖς ἐκέχρητο ἐκ κατωτάτου στήθους, λόγους ὀδυνηροὺς ἐξηρεύγετο τὸ στόμα αὐτοῦ· καὶ πρὸς τὴν Ἐδὲμ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀναπετάζων, τὴν κάραν τῆς κινήσιν ἔθενε κἀκεῖθεν, γοερῶς ἀπαυδῶν, καὶ ἐν κλαυθμῷ ἀπαρμυθῆται ἐκράυγαζε ὡλητὴ μεγάλη! Ὡ πόσον ἀγαθὸν τῶν σὺν ἡλλοτριώματι, πανόλιε παράδεισε! Ὡ πόσης εὐφροσύνης ἐνεπιμπλάτο μοὶ ἡ ψυχὴ θεωροῦντος τὸ σὸν κάλλος! Ὡ πόσης ἀγαλλιάσεως ἀπῆλθον ἐνοδοθεν σου καθήμενος. Πῶς εὐφρανόμην ἐκ τῆς ὁσμῆς τῶν ἀνθέων σου! πῶς προέκειτό μοι ἡ ἀμοχθὸς ἐράπεια! πῶς ἀνέδλυξέ μοι ἡ κρατὴρ ὁ αἰεζικός! πῶς ἐνήδυνέ μου τὸ πνεῦμα ἡ τῶν ἀγγέλων πολιτεία! πῶς περιελαμπέ μου τοὺς ὀφθαλμοὺς τὸ φῶς τὸ ὑπέραλαμπρον. Πάντα τὰ ποιήματα ὡς βασιλεὶ τὴν τιμὴν μοι προσέφερον! Πᾶσι τοῖς θηρίοις ὡς φοβερὸς καθίσταμαι· πᾶσι τοῖς πετεινοῖς ὡς ἤθειλον προσέταττον· πᾶσα ἡ κτίσις ὡς δεσποτῆ μοι προσέβλεπεν. Ἀπῆλλο-

τρίωμαί τούτων ὡς παραβάτης· ἐξωρσίστην τῆς τρυφῆς ὡς ἀνδράποδον· ἐδιώχτην τῆς χαρᾶς σου ὡς πρῶτον νόμος· ἀπηλάθην τῆς κατοικίας σου ὡς δραπέτης. Τί κλαύσω πρώτον, τί δεύτερον; τὴν στέρτην τοῦ κάλλους σου; τὴν χαρὰν τὴν ἀληκτον; τὴν ἀμέριμον ζωὴν; τὴν ἀχάρατον δόξαν; τὴν ἀγγέλων τὴν ἄλλοτριώσιν; τὴν τῶν ἀρχαγγέλων στέρτην; τῆς βασιλείας τὸ κλέος; τῶν δένδρων τὴν τερπνότητα; τοῦ φωτός σου τὴν λαμπρότητα; τὴν μαρμαρυγὴν τὴν ἀχάρατον; τὴν γύμνωσιν ἣν περιέκειμαι; τῆς ἀσχημοσύνης τὰ λείψανα; τὸν οὐνεδισμόν τῶν ἀγγέλων; τὸν θηρίων τὸ ἀνυπόστακτον; τῶν κτηνῶν τὸ ἀκαμπτον; τὸ Θεοῦ τὴν φιλίαν; τοῦ Πνεύματος τὴν ἄλλοτριώσιν; τὸν μακαρισμὸν τὸν ἀδίδιον; ποῖον κοπετὸν [548] χόλομαι; ποῖον κλαυθμὸν θρηνησάω; ποῖαν ταπεινώσιν ἀσπάσομαι; ποῖαν τραυνην ἀξροῦμαι; ποῖον στεναγμὸν ἀναπέμψω; ποῖαν ὀδύνην καταπαύσω; τὴν ἀρτίως παρεστῶσαν; τὴν μετὰ ταῦτα; τὴν ἐν τοῖς καταχθονίοις, τὴν ἐν ἰδρωτί τοῦ προσώπου; τὴν ἀκανθῶν τὴν βλάστησιν; τῆς γῆς τὴν ἐπιτίμησιν; Οὐ φέρω τῆς λύπης τὰ λείψανα, οὐ φέρω τὸν στεναγμὸν, οὐ φέρω ἀπέναντι τῆς τρυφῆς σου καθήμενος βλέπειν σε. Ἔξνος γὰρ γέγονα τῆς σῆς διατριβῆς, ἔξνος τῆς σῆς κατοικίας, ἀλλότριος τῆς αἰδίου ἀπολαύσεως, ἔξνον ἑμαυτὸν κατέστησα τοῦ Θεοῦ οἰκία μου βουλή, ἔξνος ἀπάρτι γενήσομαι τῆς σῆς θεωρίας καὶ ὁράσεως. Οὐκέτι σου τῆς τρυφῆς ἀπολαύσω, οὐκέτι τῆς μακαριότητός σου ἠδυνθῶ, οὐκέτι σου τῆς θεᾶς ἀπολαύσω, οὐκέτι σου τῆς μαρμαρυγῆς ἐλαμφρῶ, οὐκέτι ἐν σοὶ κατοικήσω. Πάντα κενά μοι γέγονα· πάντα παρηλόων ὡς σιὰ· πάντα διεθῶ ὡς ὕναρ· πάντα ἠφανίσθησαν ὡς ἀνύπαρκα ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν μου. Εἰ δύνασαι, κἄν σὺ παρακάλεσαι τὸν πλάστην, ὅπως μὴ χωρισθῶ τῆς συναυλίας σου. Κατάκαμψον τὰ δένδρα σου, καὶ πρόσπεσον τῷ εὐσπλαγγῶ, καὶ τῷ ἤκω τῶν φύλλων σου ἀνάραξον ἐν ἰσχύϊ. Πανόλιος γέγονας κλεῦσμαι τοῦ Δεσπότου, καὶ παρήγισαν ἔχεις ὡς οἶκος τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ἄρον ὡςπερ ὀφθαλμοὺς τῶν καρπῶν σου τὰ εἶδη, καὶ ὡςπερ στόμα εὐλαῶν τὴν τῶν φωνῶν εὐνοῖαν, ἵνα μείνης ἀνευγόμενος τῷ σὲ ἀγαπῶσαντι. Ἰδοὺ νῦν τὸ στόμα μου κράζει ἐκοπίασε· Ἰδοὺ καὶ ἡ γλῶσσά μου λαλεῖν ἀπεπαύσατο· Ἰδοὺ καὶ ὁ λάρυγξ μου σιγῇ καταδέδεται. Ὡς παράβουλος κατακέκριμαι, ὡς ἄθλιος γεγύμνωμαι, ὡς ἄνομος ἐκδέβλημαι, ὡς γῆρας τῆ γῆ παρεδόθην, ὅθεν ἐξῆλθον· ὅθεν ἐπλάσθη, ἀναλίσω, καὶ οὐκέτι· σου θεωρῶ τοῦ κάλλους τὴν ὑπαριότητα. Εἶτα στραφεὶς πρὸς τὴν γυναῖκα, οὐνεδισμὸς ἐκέχρητο, καὶ ἐν πικρίᾳ ψυχῆς ἔλεγε· Τί μοι τὴν ἀθανασίαν ἐθέρισας, γύναι; τί τὸν ὕψηλον ἐποίησας ταπεινῶν; τί τὸν παντάρχην κατέστησας προσάτην; τί τὸν βασιλέα τῆς κτίσεως δοῦλον ἀνέδειξας; τί μοι τοὺς φωτεινοὺς ἐτύφλωσας ὀφθαλμοὺς; τί με τὴν στολὴν ἐξέδυσας, ἣν οὐκ ἐξύφανα; τί τὴν τιμὴν μου ἐφθόνησας; τί τὸ ἀρχέτατον μου κάλλος ἠμαύρωσας; τί ζωὴν προσαγορευθεῖσθα, θάνατός μοι γέγονας; τί με τῶν ἀγγέλων ἄλλοτριώσασα, τοῖς δαίμοσι συγκατεσκήνωσας; τί με τῆς βασιλείας στερῆσασα εἰς ἄκραν πτωχέαν κατήγαγες; τί τὰ ὕδα μου τῆς φωτῆς τοῦ Θεοῦ διηνεκῶς ἀκούοντα ἀπέφραξας, ὡς ἀσπίς βύσσα ἤ τις οὐκ εἰσακούσεται φωνῆς ἐπάλλοντος; Οὐ φέρω τὴν ἐπιτίμησιν, πρὸς τῆς συναφείας τὴν λύσιν ἐπικτήτω· πρὸς τῆς κατασκηνώσεως τὴν ἀναχώρησιν μελετῶ· πρὸς τῆς συμποκῆς τὸν χωρισμὸν μεριμνῶ· πρὸ τοῦ συζευχθῆναι ἀποστῆναι ἀπὸ σου δυσωπῶ. Ἄπιθι ἂμ' ἐμοῦ, γύναι. Πότε τὴν γῆν ἐργάσομαι; πότε τριβόλους ἀνασπάσω; πότε σῖτον ὠριμον θερίσω; πότε ποιήσα; ἀλευρον, ἄρτον κατασκευάσω; πότε καθίσας ἀμέριμος τούτον ἐστίασομαι; πότε ἀνωδύνως ὑπνίσω; πότε τὰ φύλλα ἐκδύσομαι τῆς σукκῆς; πότε τὴν ἀσχημοσύνην τῆς σαρκὸς μου σκεπάσω; πότε ὑποδύσομαι τοῖς ποῖι πρὸς τὸ μὴ κατακενέσθαι ὑπὸ τῆς θεοθεν ἀνατελλᾶς μοι ἀκάνθης; πότε σκέπασμα ποιήσω πρὸς τὸ σπογγίσαι τὸν τὸν προσώπου μου ἰδρωτά, ἐν μοι προεξίνης, γύναι, ἐξ ἀφοροῦσιν; Σὺ ἀέρως μένουσα οὐχ ὁρᾶς τὴν συμφορὰν; ὅτε δὲ τέξεις τέκνον, τότε τῆς ἀποφάσεως ἡ δίκη ἐπὶ σοὶ ἀνατελεῖ. Ὅτε τὸ ἔχοντον ἀπὸ τῆς κοιλίας σου μέλλει ἐξέρχεται, τότε μνησθήτη τῶν ῥημάτων μου· ὅτε ἐν ὀδύνη τοῦ πόνου ὑπομνεῖς, τότε τῆς ἀποφάσεως ὁ καιρὸς σοὶ ἐξανθήσει· ὅτε σε καταλαθούσιν αἱ ὠδίνες, τότε τὸ Θεοῦ τῆς κατάρας μνημνεύσεις. Ταῦτα καὶ τὰ τοῦτοις ὅμοια ὁ Ἀδὰμ πρὸς τὴν ὁμύζυγον ἐν πικρίᾳ ψυχῆς προσεφώνει· τούτοις τοῖς λόγοις καταπλήττων τὴν Ἐύαν καθ' ἐκάστην ἡμέραν,

<sup>a</sup> Sav. Is. ἡ οὐδεὶς ὑπερβ. τούτους τοὺς ὅρους· ἡς ὁ σῶμα.

<sup>b</sup> Cod. unius πῶς ἐνήδυνέ μου τὸ πνεῦμα ἐκ τῆς τῶν ἀγγέλων μελωδίας.

lem! o dictum amarum dicenti non salutare! Uxorem dedi tibi adjutricem, non heram; consortem, non dominam; ut consentiret, non ut doceret; conjugem, non imperantem; subditam, non sublioriorem; tibi obsequentem, non te subjicientem. Quamobrem utpote qui inimicum audieris, mihi que non obtemperaveris, accipe correptionem, quam diuturna sæcula non mutabunt, cujus terminos nemo transgredietur, quod pelagus non trajiciet quisquis assumpto corpore venit in mundum. Vide, Adam, « Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno de quo solo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in operibus tuis: in doloribus comedes illam omnibus diebus vitæ tuæ. Spinæ et tribulos germinabit tibi, et comedes fœnum agri. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia terra es, et in terram abibis » (Gen. 3. 17-19). O maledictionem, quæ visibilibus et invisibilibus tremorem incutit! o dictum, quod infinita sæcula non mutabunt! o corruptionem, quam mundi diuturnitas non antiquavit! o dictum quod reges et principes, divites et pauperes horrescunt et timent! « Et ejecit Dominus Adam et uxorem ejus ex paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est; et præcepit Dominus Cherubim et flammeum gladium, ut custodirent paradisum Edem » (Gen. 3. 24), et ejus aditum inaccessum servarent, ne quis carne indutus, et corporis mole circumdatus, per ejus ostium transiret. Dominicum vero dictum æternum habuit effectum, hæcque sententia mortem in mundum induxit: regesque ipsi hanc vocem formidant, ac principes tremunt; divites in hac inclusi sunt sententia, pauperes hoc ceu debitum expectant: expectant utique obitum mortales omnes, utpote naturæ consortes. Quid enim fecit Adam extra paradisum constitutus? Terram fodiebat, cum fletu operabatur, cum gemitu, sudore perfusus, onera bajulans, astu solis intolerabili, noctisque gelu frigoreque cruciatus, fletu finem non faciebat; mente revolvens cujusmodi voluptate privatus esset, imo peccatore gemitus emittebat, oreque verba dolore plena: apertis versus Edem oculis, caput hinc et inde movens, miserabiliter ejulabat, luctuque non consolabili, hæc voce magna clamabat: Heu quantis bonis tuis excidi, felicissime paradisi? heu quanto gaudio meus replebatur animus, cum pulchritudinem tuam respicerem! o quanta fruebar exultatione intra te constitutus! Quam letabar ex odore florum tuorum! quo pacto mihi mensa sine labore parabatur! quo pacto mihi crater perenni liquore manabat! quomodo animus recreabat angelorum consortium! quomodo oculus illuminabat lux splendidissima! Opificia omnia tamquam regem me in honore habebant. Omnibus feris tremendum eram: cunctis volucribus pro lubito imperabam: creatura omnis me tamquam dominum respiciebat. His bonis excidi per prævaricationem; e voluptate dejectus sum quasi mancipium; a gaudio tuo deturbatus quasi improbus; e domicilio tuo detrusus quasi fugitivus. Quid primum lugeam, quid secundum? num pulchritudinis tuæ privationem? an gaudium perenne, vitam curis vacuum, gloriam non fluxam? angelorum consortium amissum? an archangelorum sublatum colloquium? regni decorem, arborum audentiam, luminis tui splendorem, fulgorem perennem? nuditatem meam, turpitudinis reliquias, exprobrationem angelorum? ferarum rebellionem, jumentorum inobsequentiam? Dei amicitiam perditam, Spiritus recessum? beatitudinem perpetuam? Quo luctu, quo fletu hæc prosequar? quam humilitationem amplector? quam tragediam incipiam? quem ejulatum emitam? quem dolorem sedabo, an præsentem, an sequentem, an eum qui in inferis? an sudorem vultus, spinarum germina, terræ increpationem? Non fero doloris reliquias, non fero gemitum, non fero voluptatis tuæ conspectum, co-

<sup>1</sup> Cxl. natus, quomodo oblectabatur animus angelorum melodia!

ram te constitutus. Extraneus tibi domicilioque tuo factus sum, alienusque a perenni usi tui, propria voluntate me alienum a Deo constitui. Alienus dehinc ero a tuo conspectu et contemplatione. Non ultra fruar voluptate tua; non ultra beatitudine tua potiar; non ultra fruar aspectu tuo; non ultra radiis tuis illustrabor; non ultra in te habitabo. Omnia mihi frustra cessere; omnia ut umbra transierunt, omnia velut somnium præterierunt, omnia ab oculis meis abscesserunt, quasi nunquam exstitissent. Num potes etiam tu Opificem rogare, ut ne ab habitaculo tuo detrudar? Flecte arbores tuas, et procumbe ante miserratore illum, sonitu foliorum tuorum fortiter clama. Felicissimus factus es jussu Domini, ac fiduciam habes, utpote domus Dei nostri. Atolle quasi oculos fructuum tuorum speciem et quasi os eloquens plantarum tuarum odorem, ut apertus maneat amanti te. Ecce jam os meum clamando defatigatum est; ecce lingua mea loquendi finem fecit; ecce fauces tuæ silentio colligantur. Ut pravi consilii damnatus, ut miser nudatus, ut impius ejectus sum, ut terrenus terræ sum traditus, ex qua exivi, in eam ex qua formatus sum redeo, nec ultra contempler decoris tui speciem. Deinde conversus ad mulierem, probris est usus, et in amaritudine animæ dixit: Cur mihi immortalitatem decerpisti, mulier? cur omnium dominum effecisti mendicum? cur regem mundi servum exhibuisti? cur oculos meos lumine fruentes excæcasti? cur me vestitu exuisti, quem non texueras? cur honori meo invidisti? cur archetypum decorem meum obscurasti? cur vitæ nomine donata, mors mihi fuisti? cur me angelis alienum faciens cum dæmonibus habitare coegisti? cur me regno privatum in summam paupertatem redigesti? cur aures meas frequenter Dei vocem audientes obturasti, sicut aspis surda, quæ non exaudiet voces incantantis (Psal. 57. 5)? Non fero increpationem, ante copulam solutionem requiro; antequam habitaculum statuam, secessum meditator; ante copulam separationem molior; ante conjunctionem abs te discedere impudet. Abscede a me, mulier. Quandonam terram operabor? quando tribulos eveham? quandonam frumentum mature demetam? quandonam illo in farinam reducto, panem coquam? quandonam sine curis sedens illum comedam? quandonam sine dolore somnum capiam? quandonam ex foliis ficus vestiar? quandonam turpitudinem carnis meæ velabo? quandonam calceis pedes obtegam, ut ne pungar spina divinitus pullulante? quandonam velum consuam, ut abstergam sudorem, quem mihi, mulier, ex insipientia procurasti? Tu sine labore degens calamitatem non perspicis: ubi vero infantem paries, tunc sententiæ damnatio tibi exorietur. Cum proles ex utero tuo egredietur, tunc verborum meorum recordaberis; cum dolore cruciaberis, tunc sententiæ lætæ tempus orietur; cum te dolores partus apprehendent, tunc Dei maledictionem recordaberis. His et similibus uxorem in amaritudine animæ Adam alloquebatur: his verbis Evam quotidie increpans nulla mixta consolatione cantilenam tragice emittebat; in hujusmodi ærunnarum pelago primus homo divinitus inmissam iram cum multo labore excipiebat. Audistis, o filii, Adami formationem: nostis dignitatem ipsi collatam; didicistis dona a Deo ipsi collata; vidistis ejus transgressionis exitum; ejus non consolabilem tragediam dellevistis; vidistis eum e regione paradisi incertum ac demissum. Finemne orandi faciemus, an narrabimus odiosissimam illam hereditatem, quam Eva futuris reliquit generationibus? Necesse est sermone ultra progredi, ut omnibus enarremus illam maledictionis plagam divinitus inmissam: quomodo nobis damnatio conspicua evaserit, terminosque suos usque in sæculum conservet, et quam veraci ore Deus protulerit illud: *Multiplicans multiplicabo dolores tuos et gemitum tuum* (Gen. 3. 16): cujus dicti firmitatem his generationibus declarat. Quemadmodum enim matris formam filia refert, sive per oculos, sive per faciem, sive per staturam: ita et nunc usque in sæculum universalis

illa damnatio procedit, et mensura ejus usque in sæculum non commovebitur.

4. Verum aperta mente ad narrationis examen accedite, et animo perceptis veritatis eloquiis, his placide aures adhibete. Non enim de temperantibus et frugi mulieribus verbi theatrum purum exhibebimus, sed de improbis, lascivis et profanis agemus. Quem earum ordinem oratio prosequetur? Virginnumne, quæ viros non sunt expertæ? an earum quæ in nuptiali toro liberis operam dantes matres sunt effectæ? an earum, quæ in viduitate relictæ, Dei timore non sunt ornatae? Verum operæ pretium est prius de prima ætate disserere, et ad cæteros deinde gradus pertransire. Agedum, juvenularum ordinem in medium producamus, quæ virgines esse videntur, et de castitate sua gloriantur, deque iis verba faciamus. Quid earum commemoremus? Habitum, mores, solertiam, quomodo juvenes illecebris suis capiant (a), in eorum sæpe cubicula se ingerentes, et ex alio in alium locum discurrentes, incessu strepitum, risu tumultum edentes, sicque in illorum aures sese insinuant, atque ex fenestra in fenestram procedentes manusque expandentes, usque ad pectus illas impudenter protendunt; satanicis nutibus ceu telis lascivorum oculos impetunt: auro pectus exoriant, annulis manus, aures inauribus gemmarum et hyacinthiorum; naturali vultus pulchritudini fucum adiunt, cerusa et vermiculo genas liniunt, et collo fulgentes velut statua inanimata, singulis horis, singulis diebus cincinnos plectunt et crispant, usque ad frontem nitent, supercilia nigro colore perungunt; make certe consuetudinis opus. An non improbi istiusmodi mores sunt? an non hæc absurda opera sunt, resque inutiles? nonne spes earum insana? Quosque palam non possunt inescare, in hos clam arcus et tela intendunt: quemadmodum Eva Adamum clam inescavit. Audivi quippe earum multas per tabulæ foramen dispicere, et eos qui per plateas ambulantes explorare, parvos et magnos; et hujus quidem viam irridere, illius staturam parvi facere, illius capillitio vel vestitui illudere, ac sese mimos præstare non frugi mulieribus; dies festos dominicasque in otio transigere, neque a torpedine umquam surgere, vel ad cibum, vel ad potum, vel ad somnum sibi conciliandum; sed quotidianum laborem et curam unius diei limitibus circumscribere: nulla apud patrem et matrem reverentia, nullo apud fratres pudore, nulla apud servos et ancillas verecundia uti; sed omnibus ludos facere, et ad omnia navi fluctibus agitatae similes esse. Respiciate sepulcra, filiæ Sion, et sacræ piscine proles, et contemplantini imaginem illam, quam exornatis, necnon inanem intempestivumque vestrum cultum et habitum, quomodo omnia pulvis sint, quomodo omnia per mortem amarissimam marcescant, quomodo omnia cinis, quomodo omnia fœtore plena. At ne mihi mulierum cœtus dicam impingat, ac si ipsas vituperem. Jam enim ante monui, me non de prudentibus et frugi mulieribus verba facere, sed de pravis, imprudentibus et vesanis. Nam multas novi mulieres temperantes et probas, quarum meminit Apostolus in libro vitæ. Sed age aliorum ordinum turbam exploremus. Tres quippe ordines me vestræ magnificentiæ exhibiturum pollicitus sum, virginum nempe, connubio junctarum, et viduarum. Quia vero jam de multis pauca circa virgines vestræ caritati recensui, jam de mulieribus quæ de conjugio gloriantur agamus; quæ sane viris suis instar aspidis sunt. Quot enim mulieres vidi quæ suis conjugibus repentinam mortem procurarunt? quot novi, quæ cum viris inferre mortem non possent, eos per nequitiam suam in gemitu et tremore degere cogunt, neque tantum ipsas honoris exhibent, quantum bruta animalia? Sane si sit dives, suas nocte dieque jactans divitias, conjugem in pace vivere non

(a) Multa hic adduntur apud Savil. quæ in Ms. nostro non exstant, quæque consulo mitimus, ne tot nugæ multiplicentur.

ret ; sed ut omnibus per orbem ostenderet, quam ferventer Deum amaret Abraham, cum propter eum non pepercerit Isaaco, etiamsi unigenitus puer ejus esset. Quamobrem Deus Abrahamo ut amico mysterium exhibuit magnum et mirabile. Per sacrificium enim sacerdos factus est, in figura autem prophetam illum effecit ; docuitque illum Deus altissimum daturum se quoque esse unigenitum Filium suum pro mundo, ut Deus incarnatus ab errore genus hominum servaret. Illud enim significavit, cum pro Isaaco dedit ovem ex Sabec ad sacrificium. Quia enim futurum erat ut increduli homines sanctæ Virginis partui non crederent, quomodo videlicet potuissent sine concubitu viri filium parere, quasi res fieri non potuisset, ideo de petra produxit arietem, ut per hoc rei incredibili fidem faceret, nempe voluntate ejus divinitatis omne mandatum statim impleri. Quemadmodum ergo ibi Verbum arietem protulit, sic in Virgine Verbum caro factum est. Ac quemadmodum aries in virgulto alligatus erat, sic Unigenitus in cruce affixus fuit. Ideo clamat Isaias dicens : *Sicut ovis ductus est ad occisionem sine voce (Isai. 53. 7)*. Rursumque Dominus Judæis dicebat, *Abraham desiderabat videre diem meum, et vidit, et gavisus est (Joan. 8. 56)*, nempe diem passionis in figura Isaaci, in monte sancto. Benedictus Deus, qui præfiguravit nobis omnia ad salutem in Scripturis sanctis, et cum venisset implevit prophetarum sermones, et ascendit in gloria ad Patrem suum, ut in omni loco adoremus Patrem et Filium et Spiritum, in sæcula. Amen.

## MONITUM

### IN SEQUEMTEM HOMILIAM.

Circa hanc sive homiliam, sive orationem, hæc notat Savilius : « Orationis hujus præfationem Chrysostomi esse res ipsa dicit. Est enim sumpta tota ad verbum ex Oratione tertia in Davidem et Saül, quam vide p. 89 (Tomo 4 hujus Editionis, col. 693). Ipsa vero oratio Chrysostomi non est, quamvis per omnes pene bibliothecas sub ejus nomine descripta reperitur. Nec enim stylus tumidum quiddam et inflatum sonans, nec inventionis ratio, frigida satis et inepta, Chrysostomum omnino refert. Longissimus in periodicis, audacissimus in metaphoris (quæ debent esse ve-

recundæ) est, quisquis eum habuit : et humano capiti cervicem pene equinam junxit, quicumque proœmium hoc operi suo præposuit. Itaque poterat rectius inter dubia rejici, aut etiam ad spuria detrudi. Hic per errorem locum inter genuina occupavit, » etc.

Nugacis sane Græculi commentum hoc in tenebris reliquisset, nisi prior edidisset Savilius. Hic enim scriptor, etiamsi aliquam eloquentiæ et inventionis speciem utcumque saltem præ se ferat, puerilia multa admiscet : ne quid tamen prætermisisse videar, eam Latine translata inter Spuria ablegavi.

QUOD NON SIT ACCEDENDUM AD THEATRA, QUODQUE ID PLANE ADULTEROS REDDERE SOLEAT SPECTATORES, SITQUE DISSENSIONUM AC LITIUM CAUSA ; ET DE ABRAHAMO.

— **PLU** —

1. Multos puto eorum, qui nos nuper deseruerunt et ad illa iniquitatis plena theatra accesserunt, hodie adesse. Optaremque illos clare nosse, ut a sacris liminibus expellerem, non ut semper extra manerent, sed ut emendati rursus intrarent. Quandoquidem patres lapsos filios sæpe e domo exigunt, et a mensa arcent, non ut sic perpetuo his priventur, sed ut hac castigatione ad meliorem frugem reducti, cum pari decore honoreque ad paternam hereditatem revertantur. Hoc et pastores faciunt : scabie plenas oves a sanis sequestrant, ut deposito morbo, rursus ad illas reducantur, ne morbo laborantes totum gregem inficiant. Idcirco nos vellemus illos nosse : sed etiamsi illos corporeis oculis discernere non valeamus, sermo illos utique dignoscet, et eorum tacta conscientia suadebit illis ut egrediantur, docens illum solum intus esse, qui dignum hoc loco gerit animum ; illum vero qui corruptis moribus in hoc cœtu versatur, etiamsi corpus introduxerit, tamen expellitur et magis eliminatur, quam ii qui exclusi

sunt, ac nondum potuerunt sacræ mensæ consortes esse. Illi enim qui secundum divinas leges expulsi sunt et extra manent, interim tamen bona spe sunt : si enim velint peccata corrigere, per Ecclesiam, a qua exciderunt, potuerunt cum pura conscientia rursus redire. Qui autem semetipsos deturparunt, jusque sunt non prius accedere, quam sordes ex peccatis contractas deposuerint : deinde impudenter agentes, gravius vulnus, majusque ulcus efficiunt. Non enim ita peccare grave est, ut post peccatum impudenter agere, nec obtemperare sacerdotibus hujusmodi præcepta dantibus. Et quod tantum peccatum admiserunt, inquit, ut a sacris hisce septis ejiciantur ? Ecquod quæras aliud peccatum gravius, quam, cum se plane adulteros fecerint, impudenter tamquam rabidos canes ad sacram mensam insilire ? Ac si vis discere adulterii modum, non meum proferam sermonem, sed ejus qui nos de tota vita judicaturus est. *Qui respexerit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*

(*Matth.* 5. 28). Quod si mulier quæ forte in foro occurrit, quoquoque modo sit vestita, se curiosus intuentem sæpe solo conspectu cepit: qui non simpliciter, nec fortuito casu, sed tanto studio, ut ipsam Ecclesiam despiciant, ideo illuc ascendunt, ibidemque diu manent, et infamibus illis mulieribus delixi sunt oculis, quomodo poterunt dicere se non ad concupiscentiam vidisse, ubi verba lasciva et rantica meretricia, et vox mulieris plena voluptatis, et oculorum pigmenta, et miniatae genæ, vestis accurate composita, habitusque lenocinio plenus, aliarumque mulierum illecebræ ad fallendum demulcendumque spectatores compositæ: ignaviaque animi intuentibus, multaque effusio, atque vel ipsius loci, nec non eorum quæ prius, quæ postea recitantur ad lasciviam suasio, cantus demulcens fistularum, tibiurum et similibum, qui animi robur frangit, sedentiumque corda meretricum insidiis invadenda apparat, captumque facilia reddit, carumque opera a Christo separat? Si enim hic, ubi psalmi, et orationes, divinorumque eloquiorum conaciones, Dei timor et pietas multa, sæpe quasi quispiam fur callidus, concupiscentia clam ingreditur: quomodo ille, qui in theatro sedent, qui nihil sani vident vel audiunt, sed multa turpitudine, multa lascivia pleni, ac per omnia obsessi, per aures, per oculos, possint malam illam concupiscentiam superare? cum non possint autem, quomodo poterunt ab adulterii crimine innocii esse? qui vero ab adulterii crimine liberi non sunt, quomodo poterunt sine poenitentia hæc sancta limina ingredi, et hujus præclari cœtus consortes esse? Ideoque admoneo et precor, ut postquam confessione et poenitentia aliisque omnibus peccatum hujusmodi spectaculo contractum abluerint, sic divina eloquia audiant. Non enim leve peccatum admisistis: id quod exemplis clare ostenditur. Si quis enim servus in arcam, ubi heri vestimenta pretiosa et aurea jacebant, servilem vestem sordè pediculisque plenam depoueret, an, quæ, contumeliam hanc æquo animo terret? Quid vero, si quis in vas aureum, quod unguenta perpetuo habere solet, stercus et lutum infunderet, nonne eum qui id perpetrasset plagis oneraret? Ergone arcularum, vasorum, vestium, unguentorum tantam curam habebimus, animam vero nostram illis omnibus viliores esse censebimus? et ubi spirituale unguentum infusum est, diabolicas pompas immittemus, satanica colloquia, et cantica fornicatione referta? Et quomodo Deus hæc ferat, die mihi? Quamquam non tantum sit intervallum unguentum inter et lutum, vestimenta que herilia et servilia, quantum inter spirituales gratiam et hanc malam operationem. Non times, o homo, dum iisdem oculis lectum in orchestra vides, ubi execranda adulterii spectacula representantur, et hanc sacram mensam, ubi horrenda mysteria consummantur? dum iisdem auribus meretricem audis turpia loquentem, et prophetam Apostolumque te mysteria docentem: dum eodem corde letifera pharmaca et tremendum sacrificium excipis? Annon hinc familiarum eversiones, concubiorum corruptiones, bella, lites in domibus? Cum enim ex illo spectaculo emollitus fueris, atque remissior factus, lascivius omnique continentia inimicus, reversusque videris uxorem tuam, ingratus plane illam videbis, quæcumque tandem fuerit. Incensus enim concupiscentia ejus, quam in theatris vidisti, et externi illius spectaculi illecebris captus, pudicam, ornatam, totiusque vitæ consortem despicias, contumelia afflicis, mille probris oneras, cum nihil prorsus coarguendum habeas, sed pudeat te et morbum fateri, et vulnus ostendere, quod inde reversus attulisti, alias nectis causas, occasiones odii quærens absurdas, et omnia quæ domi sunt contemnens: ad illam hanc unam impuram concupiscentiam, qua vulneratus es, animum adjicis, menteque circumfers sonitum vocis, habitum, aspectum, motus, omniaque meretricia simulacra, nihil domi cum voluptate vides. **Hæc cur dicam uxorem et ædes? Ipsam quoque eccle-**

siam injucundius respicies, invitoque animo audies verba de castitate. Neque enim hæc tibi doctrina, sed accusatio erunt, atque in desperationem paulatim detractus, te demum totum ab hac doctrina abscindes. Idcirco rogo vos omnes, ut fugiatis prava illa theatrorum spectacula, et eos qui illa vacant abstractis. Neque enim recreatio sunt illa, sed exitium, supplicium, perniciës. Quid prodest illa temporanea voluptas, quando perpetuus hinc dolor paritur: ac die noctuque stimulatus, a concupiscentia omnibus molestus et durus evadis? Te ipsum ergo examina, qualis nempe sis, cum ab ecclesia recedis, qualis cum a theatris: atque utriusque dies mutuo confer, nihilque opus habebis sermone nostro. Satis enim erit utriusque comparatio, ut ostendatur quid magni, quid utilitatis hinc accedat, et quantum inde detrimenti. Hæc jam vestrae caritati dixi, et nunquam finem dicendi faciam. Sic enim ægrotantium morbo medebimur, eos autem qui sanitate gaudent confirmabimus. Utriusque enim hujusmodi sermo utilis est; illis, ut abscedant, his, ne labantur. Verum quia oportet eos qui increpant, id moderate facere; hic admonitionem finiemus, et quæ superant ex præcedenti argumento reddemus, atque ad patriarcham nostrum Abraham redibimus. Etenim pictoribus mos, cum accuratam volunt depingere imaginem; uno, duobus tribusve diebus, eos quos depingere volunt coram se sedentes constituere, ut ex frequenti aspectu accuratius formam expriment. Quia igitur nobis jam propositum est, non corporeæ formæ nodum depingere, sed animæ pulchritudinem, intelligibilem formam, florentem justitiam virtutem, ejus mansuetudinem, animi magnitudinem, ejusque cæteras omnes virtutes; his diutius par est immorari, ut per frequentem sermonis conspectum ab archetypi similitudine non aberreimus. Si enim corporeæ imagines aliquid solatii videntibus afferunt, multo magis animæ imagines. Illas porro non ubique conspiciere possumus; necesse quippe est ut uno in loco constituentur; hanc vero quocumque volueris circumferre potes. Nam si illam in mentis pœnario recondas, ubicumque fueris, frequenter respicere poteris, et magnam hinc referre utilitatem. Ac quemadmodum ille, qui oculis laborant, si spungias et cærulei coloris pannos teneant, et frequenter in illa respiciant, aliquid solatii ex hujusmodi colore percipiunt: ita et tu si patriarchæ Abraham imaginem ob oculos habueris, ac frequenter in eam respexeris, etiamsi scexentis ira, sive alius quisvis affectus mentis oculum agitaverit aut turbaverit, illud intuens virtutis exemplar, perfectam accipies sanitatem, puramque philosophiam. Demum, si placet, ad propositum sermonem reducamus.

2. Beatus Moyses, dilecte, qui per pia opera Deo familiaris fuit, qui præ omnibus prophetis, qui post illum fuerunt, peculiaribus dignatus est Creatoris colloquiis, utpote cum Deo ipsum os ad os alloquutus sit in specie, non per ænigmata, qui divino igne, illuminandi solum, non urendi vim habente, ad Dei contemplationem institutus est, qui divino consilio deus Pharaonis appellatus est, et venerandæ appellationis consortio, præ iis omnibus qui tunc erant, ornatus est, qui divinitus immisarrum Ægyptiis plagarum minister terribilissimus constitutus est et operatricis Dei virtutis velocissimus famulus visus est, qui Spiritus sancti lucerna illustratus est, secundum spirituales mentis oculos, et antiquorum omnipotentis artificis operum enarrator sero licet fuit, hic vir beatus post enarratam pulchram illam et bene ordinatam mundi creationem, ad priscorum illorum hominum historiam venit, partim proborum, partim improborum, et bonorum quidem felicissimum exitum, malorum vero execrandum finem descripsit, ut ex mundi creatione circa Dei cultum erudiamur, ex priscorum vero vita, nequitiam aversari, virtutemque colere doceamur, sicutque facile religiosam et beatam vitam ducamus. Multa certe

διὰ τῆς Ἐκκλησίας, ἥς ἐξέπεσον, δυνήσονται μετὰ καθαροῦ τοῦ συνειδότητος πάλιν ἐπαναλθεῖν. Οἱ δὲ μολυναντες ἑαυτοῦς, καὶ κελευσθέντες μὴ πρότερον ἐπιθῆναι, ἔως ἂν ἀποκαθάρωνται τὴν κηλῖδα τὴν ἐκ τῶν ἀμαρτημάτων, εἶτα ἀναίσχυντοῦντες, χαλεπώτερον τὸ τραῦμα ἐργάζονται καὶ μείζον τὸ ἔλκος. Οὐ γὰρ οὕτω τὸ ἀμαρτάνειν ἐστὶ χαλεπὸν, ὡς ἡ μετὰ τὴν ἀμαρτίαν ἀναίσχυντία, καὶ τὸ μὴ πείθεσθαι τοῖς ἱεροῦσι τὰ τοιαῦτα κελεύουσι. Καὶ τί τοσοῦτον ἡμάρτηται τούτοις; φησὶν, ὥστε αὐτοὺς ἐκβαλεῖν τῶν ἱερῶν τούτων περιθάλων; Καὶ ποῖαν ἑτέραν ταύτης ζητεῖς μείζονα ἀμαρτίαν, ὅταν μοιχοῦς ἑαυτοῦς ἀπρητιζόμενος ποιήσαντες, ἀναιδῶς, καθάπερ κύνες λυττώντες, ἐπιπηδῶσι τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ; Καὶ εἰ βούλει μαθεῖν καὶ τὸν τρόπον τῆς μοιχείας, οὐκ ἐμὸν ἐρῶ σοι λόγον, ἀλλ' αὐτοῦ τοῦ μέλλοντος ἡμῶν δικάζειν τὴν ζωὴν ἄψασαν. Ὁ γὰρ ἐμβλέψας, φησὶ, γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοιχεύσασα αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Εἰ δὲ ἡ ἀπὸ ταύτου κατατὰ τὴν ἀγορὰν ἐντυγοῦσα γυνή, καὶ ὡς ἔτυχεν ἐσταλμένη, τὸν περιεργῶς ἰδὼσα εἶλε πολλάκις τῆ τῆς ὕψους, θεωρῶν, οἱ μὴ ἀπλῶς, μηδὲ ἀπὸ ταυτομάτου, ἀλλ' ἀπὸ σπουδῆς τοσαύτης. ὡς καὶ τῆς Ἐκκλησίας ὑπεριδεῖν, καὶ διὰ τοῦτο ἀναθάναντες ἐκεῖ καὶ διημερεύσαντες, καὶ ταῖς ὄψεσι ἴτιμωμένων γυναικῶν ἐκείνων προσηλωμένοι, πῶς δυνήσονται λέγειν, ὅτι οὐ πρὸς ἐπιθυμίαν εἶδον, ὅπου καὶ ῥήματα διακεκλασμένα, καὶ ἄσπρα πορνικὰ, καὶ φωνὴ πολλὴ ἤδον ἔχουσα, καὶ ὄφθαλμῶν ὑπογραφαί, καὶ ἐπιπριμμάτα παρειᾶς, καὶ στολὴ περιεργῶς συγχειμένη, καὶ σχῆμα γοητείας γέμον, καὶ ἑτεραι πολλαὶ μαγανεαὶ πρὸς ἀπάτην καὶ δόλεαρ τῶν ὁρίωντων κατεκευασμένοι, καὶ ῥήθυμια ψυχῆς τῶν θεωμένων, καὶ πολλὴ ἡ διάχυσις, καὶ ἡ παρά τοῦ τόπου πρὸς ἀσέλγειαν παρακλήσις, καὶ ἡ τῶν φρασάντων καὶ ἡ τῶν μετὰ ταῦτα ἀκουσμάτων, ἡ δὲ τῶν συρίγγων, ἡ δὲ τῶν αὐλῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων μελωδία καταγοητεύουσα, καὶ τὸ στερεῶν τῆς διανοίας καταμαλάνουσα, καὶ ταῖς τῶν πορνῶν [558] ἐπιθυμίας προεστρεπίζουσα τὰς τῶν καθημένων ψυχὰς, καὶ εὐλόγητος ποιοῦσα, δι' αὐτῶν διαστήσασα τοῦ Χριστοῦ; Εἰ γὰρ ἐναυθῶσα, ὅπου ψαλμοί, καὶ εὐχαί, καὶ θεῶν λογίων ἀκρόασις, καὶ θεοῦ φῶδος, καὶ ἀελέβια πολλή, πολλάκις, ὥσπερ τὴν ληστῆς κακούργος, λαβοῦσα ἐπιστήθην ἐπιθυμία· πῶς οἱ ἐν θεάτρῳ καθήμενοι, καὶ μηδὲν μῆτε ἀρώμενοι, μῆτε ἀκούοντες ὑγιᾶς, ἀλλὰ πολλῆς γέμοντες ἀλγότητος, πολλῆς τῆς βλακειας, καὶ διὰ πάντων πολεοροχοῦμενοι, καὶ δι' ὤτων, καὶ δι' ὀφθαλμῶν, δύνανται ἂν ἀνώτεροι γενέσθαι τῆς πορνῆς ἐκείνης ἐπιθυμίας; μὴ δυνάμενοι δὲ, πῶς δυνήσονται τὸν τῆς μοιχείας ἐγκλημάτων ἀπηλλάχθαι; οἱ δὲ τῶν τῆς μοιχείας ἐγκλημάτων οὐκ ἀπηλλαγμένοι, πῶς δυνήσονται χωρὶς μετανοίας τὸν ἁγίων τούτων ἐπιθῆναι προθύρῳ, καὶ τοῦ καλοῦ τούτου μετασχεῖν συλλόγου; Διὸ δὲ παραινῶ καὶ δέομαι, πρότερον ἐξομολογήσει καὶ μετανοήσῃ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀποσημαζόμενος τὴν ἐκ τῆς ἐκεῖ θεωρίας ἀμαρτίαν, οὕτω τῶν θεῶν ἀκρόασθαι λογίων. Οὐ γὰρ τὸ τυχὸν ἡμῖν πεπλημμέληται· καὶ τοῦτο καὶ ἐκ παραδειγμάτων ἴδοι τις ἂν σαφῶς. Εἰ γὰρ τις οἰκίτης εἰς κλιῶτιον, ἔνθα τὰ δεσποτικὰ ἱμάτια ἐναπέκειτο πολυτελῆ καὶ διάχρυσα, ἱμάτιον δουλικῶν ῥύπου γέμον καὶ πολλῶν τῶν φειρῶν ἐναπέθετο, ἄρα ἀν πρῶτος ἤνεγκας τὴν ὕβριν, ἐπεὶ μοι; Τί δὲ, εἰ τις εἰς ἀγγεῖον χρυσοῦν μύρα διηνεκῶς ἔχειν ἐκωδὸς, κόπρον καὶ βόρβορον ἐνέχεεν, οὐκ ἂν καὶ πληγὰς ἐπέθηκας τῷ πλημμελήσαντι τούτου; Εἶτα κιβωτίων μὲν, καὶ σκευῶν, καὶ ἱματίων, καὶ μύρων τοσαύτην ποιησόμεθα πρόνοιαν, τὴν δὲ ψυχὴν τὴν ἡμετέραν πάντων τούτων εὐτελεστέραν εἶναι νομιούμεν; καὶ ἐνθα τὸ μύρον τὸ πνευματικὸν εἰσεχύθη, διαβολικὰς πομπὰς ἐπεμβάλουμεν, καὶ ἀκούσματα σατανικὰ, καὶ ἄσπρα πορνείας γέμοντα; Καὶ πῶς ταῦτα ὁ Θεὸς οἴσει, εἰπέ μοι; Καίτοι οὐ τοσοῦτον τὸ μέσον μύρου καὶ βορβόρου, καὶ ἱματίων δεσποτικῶν καὶ δουλικῶν, ὅσον τὸ μέσον τῆς πνευματικῆς χάριτος καὶ ταύτης τῆς πορνῆς; ἐνεργείας. Οὐ ὀδοικας. ἀνθρώπε, τοῖς αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ τὴν κλίνην τὴν ἐπὶ τῆς ὀρθήστρας βλεπόντων, ἔνθα τὰ μωσαρὰ τελείται τῆς μοιχείας ὀρχήματα, καὶ τὴν τράπεζαν ταύτην τὴν ἱερὰν, ἔνθα τὰ φρικτὰ τελείται μυστήρια; καὶ αὐταῖς ἀνοίας πόρνης ἀκούων αἰσχρολογουσῶς, καὶ Ἰερροφῆτον καὶ Ἀποστόλου σε μυσταγοῦντος; τῇ αὐτῇ καρδίᾳ τὰ δηλητήρια δεχόμενος φάρμακα, καὶ τὴν ὕσιν τὴν φρικτήν; Οὐκ ἐντεῦθεν ἀνατροπαλὸν βίον, καὶ διασωθ-

ραὶ γάμων, καὶ πόλεμοι, καὶ μάχαι ἐν ταῖς οἰκίαις; Ὅταν γὰρ ὑπὸ τῆς ἐκεῖ θεωρίας διαχυθῆς, καὶ χανώτερος γενόμενος καὶ ἀσελγέστερος καὶ σωφροσύνης ἀπάσης ἐχθρὸς, ἐπανελθὼν ἴδῃ τὴν γυναῖκα τὴν ἰδίαν, ἀηδέστερον βλεῖ πάντως, οἷα ἂν ἦ. Ἰπὸ γὰρ τῆς ἐν τοῖς θεάτροις ἐμπρησθείς ἐπιθυμίας, καὶ ὑπὸ τῆς ζήτησ ἐκείνης θεωρίας ἀλούς τῆς γεγοητευμένης, τὴν σωφρονα καὶ κοσμίαν καὶ τοῦ βίου παντὸς κοινῶν ἀτιμάρεις, ὕβριζεις, μυρλοῖς περιθάλλεις ὀνειδέσιν, οὐδὲν ἔχων ὄλους ἐγκαλέσαι, ἀλλ' αἰσχυνόμενος τὸ πάθος εἰπεῖν καὶ τὸ τραῦμα δεῖξαι, ὅπερ ἐκείθεν λαθῶν ἐπανήλθεις, ἑτέρας πλέκεις προφάσεις, ἀφορμὰς ζητῶν ἀπεχθείας ἀλόγου, καὶ τῶν μὲν οἶκοι πάντων ὑπερορῶν, πρὸς δὲ τὴν μιαν ἀκάθαρτον κερχνῶς ἐκείνην ἐπιθυμίαν, παρ ἧς τὸ τραῦμα ἐδέξω· καὶ τὴν ἤχην τῆς φωνῆς ἔχων ἐγκαθημένην τῇ ψυχῇ ἐναυλον, καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ βλέμμα, καὶ τὰ κινήματα, καὶ πάντα τῆς πορνείας τὰ εἰδῶλα, οὐδὲν μεθ' ἡδονῆς ὄρεξ τῶν ἐπὶ τῆς οἰκίας. Καὶ τί λέγω τὴν γυναῖκα καὶ τὴν οἰκίαν; Καὶ τὴν ἐκκλησίαν γὰρ αὐτὴν ἀηδέστερον βλεῖ, καὶ ῥημάτων ἀπεχθῶς ἀκούσῃ τῶν περὶ σωφροσύνης, τῶν περὶ σεμνότητος. Οὐκ εἶται γὰρ ἔσται σοι διδασκαλία, ἀλλὰ κατηγορία τὰ λεγόμενα, καὶ εἰς ἀπόγνωσιν κατὰ μικρὸν ὑποσυρεῖς, τέλεον ἑαυτὸν ἀποβρῆξεις τῆς κοινωφελούς ταύτης διδασκαλίας. Διὰ τοῦτο παρακαλῶ πάντας ὑμᾶς, αὐτοὺς τε φέγειν τὰς πορνῆς ἐν τοῖς θεάτροις διατριβὰς, καὶ τοὺς ἐσχολακότας τούτοις ἐκείθεν ἀφέλκειν. Οὐ γὰρ ἐστὶ ψυχῶν γὰρ, ἀλλ' ἐνθερος, καὶ τιμωρία, καὶ κόλασις, τὰ ἐκεῖ γινόμενα ἅπαντα. [559] Τί γὰρ ὄφελος τῆς προσ καιροῦ ταύτης ἡδονῆς, ὅταν διηνεκῆς ἐντεῦθεν ὀδύνη τίχεται, καὶ ἡμέρα, καὶ ἐν νυκτὶ κεντούμενος ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας πᾶσιν ἡς δυσχερῆς καὶ δυσάρεστος; Ἐξέτασον γοῦν σαυτὸν, τίς μὲν γίνῃ ἀπὸ ἐκκλησίας ἀναχωρῶν, τίς δὲ ἀπὸ θεάτρων; καὶ ἑκατέρας δὲ παράβαλε τὰς ἡμέρας, καὶ οὐδὲν δεήσῃ τῶν ἡμετέρων λόγων. Ἀρκέσει γὰρ ἑκατέρας ἡ σύγκοισις τῆς ἡμέρας δεῖξαι τὸ μέγεθος καὶ τῆς ἐντεῦθεν ὠφελείας, καὶ τῆς ἐκείθεν βλάβης. Ταῦτα καὶ ἦδη πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγαπῆν εἶπον, καὶ οὐδέποτε πύσσομαι λέγων. Τοῦς τε γὰρ νοσοῦντας τὰ τοιαῦτα νοσήματα παραμυθησόμεθα, τοὺς τε ὑγαίνοντες ἀσφαλεστέροως ποιήσομεν. Ἐκατέροις γὰρ ὁ περὶ τούτων χρήσιμος ὁ λόγος· τοῖς μὲν, ἵνα ἀποστῶσι, τοῖς δὲ, ἵνα μὴ ἐμπέσωσιν. Ἄλλ' ἐπειδὴ γρη καὶ τοὺς ἐπιτιμῶντας τούτου συμμέτρως ποιεῖν, μὲχρι τούτου ταύτην στήσαντες τὴν παραινέσιν, τὰ ὑπολειφθέντα ἐκ τῆς προτέρας ὑποθέσεως ὑμῖν ἀποδώσομεν, ἐπὶ τὸν πατέρα ἡμῶν Ἄβραάμ ἐπανελθόντες πάλιν. Καὶ γὰρ τοῖς ζωγράφῳς Θεός, ἐπειδὴν μέλλωσιν ἐμφερῆ τινα ἐργάζεσθαι εἰκόνα, καὶ μίαν καὶ δύο καὶ τρεῖς ἡμέρας τοὺς γράφεσθαι μέλλοντας παρακαθίζουσιν αὐτοῖς, ἵνα τῇ συνεχεῖ τῆς θεωρίας ἀδιάπτωτον τῆς μορφῆς διασώσονται τὴν ἀκρίθειαν. Ἐπεὶ οὖν καὶ ἡμῖν ζωγραφῆσαι πρόκειται νῦν, οὐχὶ τύπον μορφῆς σωματικῆς, ἀλλὰ ψυχῆς κάλλος, καὶ νοητὴν εὐμορφίαν, καὶ πολιτείαν ἀκμαζούσαν τοῦ δικαίου, καὶ τὸ πρῶτον, καὶ ἡμερον, καὶ μεγαλόφυγον, καὶ τὴν ἄλλην ἄψασαν αὐτοῦ ἀρετῆν, δέον πλεονα τὴν διατριβὴν πρὸς τούτον ποιήσασθαι, ἵνα τῇ συνεχεῖ τῆς τοῦ λόγου διαπείσεως τῆς τοῦ ἀρετῆτου ὁμοιότητος μὴ διαμάρτωμεν. Εἰ γὰρ σῶματος εἰκόνας φέρουσι τινα παραμυθίαν τοῖς ὀρώσι, πολλῶ μάλλον αἱ τῆς ψυχῆς εἰκόνας. Κάκεινας μὲν οὐ δυνατὸν πανταχοῦ ὄρεξ, ἀλλ' ἀνάγκη διηνεκῶς ἐφ' ἐκὸς ἰδρῶσθαι τόπου· ταύτην δὲ ὅπουπερ ἂν θέλῃς περιεργαγεῖν, οὐδὲν τὸ κωλύον. Ἐναποθέμενος γὰρ αὐτὴν τοῖς τῆς διανοίας ταμείοις, ὅπουπερ ἂν ἦς, συνεχῶς εἰς αὐτὴν ὄραν δυνήσῃ, καὶ πολλὴν παρ' αὐτῆς καρπούσθαι τὴν ὠφέλειαν. Καὶ καθάπερ οἱ τοὺς ὀφθαλμοὺς νοσοῦντες, σπογγίαι, καὶ ἱματίων ῥάκη κυανίνωντων κατέγοντες, καὶ συνεχῶς εἰς αὐτὰ βλεπόντες, καρποῦνται τινα τοῦ νοσήματος παραμυθίαν ἀπὸ τοῦ χρωματός ἐκείνου, οὕτω καὶ σὺ, ἂν τὴν εἰκόνα τοῦ πατριάρχου Ἄβραάμ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχῃς τῶν ἑαυτοῦ, καὶ συνεχῶς εἰς αὐτὸν ἀτενίζῃς, κὰν μυριάκις θυμὸς, ἢ ἑτερόν τι τῶν ἀτόπων ἐνοχλήῃ καὶ συγγῆθ τὸν ὀφθαλμὸν τῆς διανοίας, ὁρῶν εἰς ἐκείνον τὸν χαρακτήρα τῆς ἀρετῆς, ὀλόκληρον δέξῃ τὴν ὑγιειαν, καὶ καθάραν τὴν φιλοσοφίαν. Λοιπὸν, εἰ σοκί, ἐπὶ τὸ προκείμενον τὸν λόγον χειραγωγῆσωμεν.

β'. Ὑπακάρτοις Μωσῆς, ἀγαπητὲ, ὁ τοῖς κατ' εὐσέβειαν ἔργοις οἰκτιρωτῆς τῷ Θεῷ, ὁ παρὰ πάντας τοὺς μετ' αὐτὸν προφήτας ἰδικωτέρας ἀξιώθηκες τῆς τοῦ κτίσαντος

δμιλίας, ὡς καὶ στόμα κατὰ στόμα λαλήσαντος αὐτῷ τοῦ Θεοῦ ἐν εἶδει, καὶ οὐ δι' αἰνιγμάτων, ὁ θεῖος πυρὶ, φωτίζειν μόνον, οὐ καίεν ἐίδότε, πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ μυσταγωγηθεὶς θεωρίαν, ὁ θεῖα βουλῆ θεὸς εἶναι· Φαραὶ χρηματίσας, καὶ μετοχῆ σεβασμοῦ προσηγορίας παρὰ πάντας ἐξαίρετους τοὺς τότε κοσμοῦμενος, ὁ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ γεγεννημένων θεηλάτων πληγῶν διάκονος προχειρισθεὶς φοβερώτατος, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δραστηρίου δυναμείως φανείς ὑπρέτης δέξτατος, ὁ διδοχίτα Πνεύματος ἁγίου τὸν νοητὸν τῆς ψυχῆς φωτισθεὶς ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν ἀργαίων τοῦ Παντοκράτορος ἔργων ἐξηγητῆς γενόμενος δῆμος, οὗτος ὁ μακάριος μετὰ τὴν εὐτακτον καὶ καλὴν τῆς κοσμοποιίας διήγησιν, ἐπὶ τὴν τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν ἱστορίαν ἐχώρησεν, ἰδίᾳ μὲν τῶν ἀγαθῶν, ἰδίᾳ δὲ τῶν πονηρῶν, καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν τρισμακάριον ὄντως τὸ τέλος, τῶν δὲ ἐναντίων τοῦτοις ἐπάρατον ἀνεγράψατο, ἵνα ἔχοντες ἐκ μὲν τῆς κοσμοποιίας τὰ περὶ τῆς θεοσεβείας παιδεύσειν δόγματα, ἐκ δὲ τῶν προλαβόντων τοῦ βίου καὶ μισεῖν πονηρίαν, καὶ τιμᾶν ἀρετὴν, βράδως τὸν θεοφιλῆ καὶ μακάριον διανύμεν βίον. Πολλὰ μὲν οὖν ἀρετῆς καὶ καλοκάγαθίας παλαιῶν ἀνδρῶν ἀνεγράψατο κατορθώματα, προβεῖς ὡσπερ ὑπογραμμὸν τηλαυγῆ ταῦτα τοῖς ὀψιγόνους πρὸς μίμνησιν. Παιδεύει τοιγαροῦν ἡμᾶς "Ἄβελ τῶν ἀφθόνων [560] παρὰ Θεοῦ δωρεῶν πρὸ τῆς χρήσεως ἀπάρχεσθαι τῷ Θεῷ, καὶ μὴ προκρίνειν Θεοῦ τιμῆς ἄλογον παθὸς γαστρός. Τῷ γὰρ πρεσβυτάτῳ τῶν ὄντων ὁ μακάριος οὗτος "Ἄβελ τῶν προβάτων ἔβη τὰ πρωτότοκα, οὐδὲν μὲν τῶν ὑστάτων εἰς τὴν τοῦ πρώτου προσφέρων λατρείαν, ταῖς δὲ τῶν γενομένων ἀπαρχαῖς τὸν πρώτον δοξάζων γεννήτορα. Μετ' ἐκείνων παιδεύει πρὸς δικαιοσύνην ὁ θαυμαῖος Νῶε, παντὶ παρανομῶντι κόσμῳ μόνος αὐτὸς ἀκλινη φυλάξας ἐν πράξεσιν ἀγαθαῖς τῆς δικαιοσύνης τὴν πλάστιγγα. Μέγα σωφροσύνης τοῖς νέοις πρόκειται παιδεῦμα Ἰωσήφ ὁ μακάριος, ἐν νέῳ σώματι λευκὴν ἀγνεΐας ἀνθήσας πολιάν, καὶ σχήματι δουλείᾳ σαρκὸς ἡδονῶν δεσπότης γενναίως φανεῖς. Ἄλλ' οὗτοι μὲν οἱ μακάριοι μερικαί τινες ἴσως ἀγαθῶν ἔργων εἰκόνας εἰσὶν· ἐνὸς δὲ πεπολιηται μνήμη τὸν ἀνδρὸς, Ἄβραάμ τοῦ προπάτορος, ἐν ἐνὶ μόνῳ προσώπῳ παντὶ τῷ κόσμῳ στήλην ὑψώσας πανάρετον πρὸς μίμνησιν. Τοιγαροῦν πάντες δίκαιοι, πάντες ὅσοι τὸν πιστὸν Ἄβραάμ αὐγοῦσι πατέρα, καὶ κλέος περισσμον τίθενται τὴν πρὸς αὐτὸν οἰκειότητα. Πιστοῖς μὲν γὰρ διὰ τούτου ὁ ζῆλος ὑπάγει τῆς πίστεως· φιλοξένος οὗτος φιλοξενίας καθηγητῆς, ἔργοις, οὐ λόγοις τὸ πρακτέον δεικνύς· οὐ θεοσεβείας ἀθλητὴν στεφανηφοροῦσι, τὴν ἀνδρείαν τὴν τούτου ζηλωσάντες· τὸ ἀρχετύπου τούτου ἐμπεφεῖς εἰκόνας πάντες οἱ μεγαλόψυχοι· ἢ πρὸς τούτῳ ἀμιλλα τῶν τοσούτων δικαίων πλῆθος ἠνεγκεν· ἐκ ταύτης τῆς φιλοθείου βίτης πάντες ἐδλάστησαν οἱ φιλόχοιστοι. Καὶ τί τὸ κατὰ εἶδος ἐπαριθμοῦμαι; Πάντες γὰρ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὧν λάμπει τὸ φῶς ἐμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἐκ τῆς πιστῆς τοῦ προπάτορος λαμπάδος ἀνήφθησαν· τοσούτους αὐτῷ παῖδας ἀγαθούς ὁ κατ' εὐσέβειαν τρόπος ἐφόρησεν. Ἄψευδης γὰρ ὁ εἰπὼν, ὅτι *Πατέρα πολλῶν ἔθνων τέθεικά σε*. Ὁ μακαρία ψυχῆ, τοσοῦτον πλῆθος κατορθωμάτων ὑπ' ἐν χωρήσασα! Σὺ πάμφορος ἀληθῶς χώρα, σὺ πεδῖον πᾶνκαρπον τῶν κατ' εὐσέβειαν ἔργων, σὺ λειμῶν εὐανθῆς παντοίως δικαιοσύνης· ἀνθεσι βρώτων, σὺ καὶ στέφανος εὐπρεπῆς, μέσον ἔχων τῆς πίστεως μαργαρίτην προλάμποντα. Προσετάττειν ὁ Θεός· *Ἐξέλιθε ἐκ τῆς γῆς σου*· σὺ δὲ οὐκ ἠμέλησας, ἀλλ' εἰχου τῆς ὁδοῦ, πλὴν τελεσθῆναι τὸ πρόσταγμα. Προσετίθει τῷ, *Ἐξέλιθε ἐκ τῆς γῆς σου*, τὸ, *καὶ ἐκ συγγενείας σου*· σὺ δὲ οὐκ ἐθῆλνους τῆ πρὸς τὸ γένος στοργῆς, τοῦ γένους γενεσιουργὸν προτιμῶν. Εἶπεν ὁ Θεός, *Ἐξέλιθε ἐκ τῆς γῆς σου καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου*, καὶ τὸ τούτων βαρύτερον. *Καὶ ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ πατρὸς σου*· ἀλλ' οὐδὲν ἠγγίσω βαρῦ, ὧν προστάσει Θεός. Οὐκ ἐπέσχε σου τῆς ψυχῆς τὴν προθυμίαν οὐ τιμὴ πατρὸς, οὐ πόθος μητρὸς, οὐ στοργῆ συγγενῶν. Οὐκ ἐνένοήσας οἶα ἐπὶ σοὶ θρηνησέει μητὴρ γηραλέα, οἶα ἐπὶ σοὶ κλαύσεται πρεσβύτης πατήρ. Οὐ γὰρ ᾤθηξεν δεῖν εἶναι φιλοανθρωπότερος τοῦ τὴν κλήσιν ἐπάγοντος. Ἦν οὐ πατὴρ αἰδέσμιος, ἀλλ' οὐχ ὡς πάντων Πατήρ· ἐπόθεις μητέρα, ἀλλὰ θεοσεβείαν μάλλον. Οἴκου κατεφρόνησας πατριχου, καὶ πλοῦτος προγονοικου. Μόνον γὰρ ἦδεις τῆ ψυχῆς πρέποντα τὸν διὰ πίστεως πλοῦτον, τὸν ἀθάνατον κτήμα, τὸν ἀσυλον θησαυρόν. Ὁ οἶο, ἀσέτηρ, ἐωσφόρος φαυρότερος, ἐξ ἀνατολῶν εἰς Παλαιστίνην ἐξέλαμψας, ἐν ἀφεγγεῖ πολυθεῖας βίῃ

φαιδράς ἐκλάμψας θεοσεβείας ἀκτίνας! Σὲ Θεὸς ἀγαθὸν θεοσεβείας γλύκασμα τῆ πικρᾶ καὶ Χαναναίων ἐνέβαλε πολυτελεῖ. Σὺ, καλόπερ ἄλας φιλοανθρωπίας, γέγονας ποτηροῦ βίου παράρτυμα. Σὺ γαλήνης πέφηνος φιλοξενίας λιμῆν ἐν μέσῳ κλυδωνίου τῆ τῶν ἀλοφύλων μισανθρωπία.

γ'. Πῶς σου, μακάριε, τὴν φιλοανθρωπὸν διαγράψω σκηνήν; πῶς οὐ θαυμάσω τὴν ὄρῶν τὴν καλουμένην λαμβροῆ, ἣν σὺ τοῖς ἀγαθοῖς τρόποις ἡμέρωσας; Κοινὸν ἦν ἡ σκηνὴ τοῖς ὀδεύουσιν οἰκητήριον, μία πάντων ξένων ἀφθονος ἔστια, πάσης τῆς οἰκουμένης πανδοχεῖον ἀμισθον, οὐκ ἐν παραδύστῳ κειμένη, ἵνα λάθῃ τὸ κέρδος τῆς ἀναπαύσεως, ἀλλ' ἐν ἐρήμῳ μὲν, ἐν ὀδῷ δὲ μέση, καὶ κοινῷ σχεδὸν πάσης τῆς Παλαιστίνης ἀφετηρία. Ἡύλιζου δὲ σὺ πανημέριος ὑπὸ τῆ [561] δρυὶ, ἀγαθὸς τοῖς ὀδεύουσι προφανόμενος ἀναπαύσεως ἀγγελοῦ. Ὁψθη σοὶ Χριστός, ὦ θαυμάσιε, ὑπ' ἀγγέλιον δορυφορούμενος δύο, καὶ γέγονας διὰ φιλοξενίας καὶ Θεῷ καὶ ἀγγέλοις ὁμόσκηνος. Ὁ μακαρία σκηνή, ἡ Θεὸν μετ' ἀγγέλιον δι' οἰκονομίαν χωρήσασα! Ὁψθη σοὶ Χριστός ἐν ἀνθρώπῳ σχήματι, τῆς θείας αὐτοῦ καὶ σωτηρίου ἐπιδημίας παραφανῶν σοὶ τὰ μυστήρια· ὁμῶς οὐκ ἐλαβέσσε τοῦ παρόντος ἡ δόξα διὰ τὸ δουλικὸν σχῆμα. Εἶγες γὰρ ὀφθαλμοῖς ἄλλους, οἱς δεσπότης γνωρίζεται. Ἐξέγνωσ τοιγαροῦν μεσότην Θεοῦ, τὸν ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωρίζεσθαι μέλλοντα Ἰῶν. Θαυμάζω μὲν σου, μακάριε, τὴν περὶ τῶν φανέντων σπουδὴν· ἔβην γὰρ ἐπιταξίαις θεράποντι καὶ πληρῶσαι τὴν χρεῖαν προστάματι, ἔδραμες σὺ εἰς τὰς βόας πρεσβύτης, ἀκμάζοντι πόθῳ πλαιῖν σώμα στήριζον. Ἐκονῶνι ἐσὶ σοὶ προθύμως τῶν ἔργων ἡ σύζυγος, καὶ πλῆθῃ ἀζύμων ἄρτων ἐστεφάνου τὴν τράπεζαν· οὐ γὰρ ἀνέμεινε τὴν ζύμωσιν ἢ τῆς φιλοξενίας σπουδῆ. Πάντα δὲ ἦν ὀφθιοὶ καὶ σεβασμοῦ τὰ πρακτόμενα, οὐκ ὡς ἄνδρας ξενίζοντος, ἀλλ' ὡς Θεῷ θυσιαν προσφέροντος. Καλὸς σου, μακάριε, διὰ ταῦτα τῆς φιλοξενίας ὁ καρπὸς, καλὴ καὶ τῆς φιλοθεΐας ἡ ἀμοιβή. Αὐταὶ γὰρ παρὰ πάσας ἐλπίδας ἡμετέρας ἐστειρωμένης δεσμᾶ, καὶ νεκρὰ πρεσβύτου μέλη πρὸς τέκνου γησιῶν σπέρων ἀνθεῖ, καὶ δεχθὴ παρὰ μονογενοῦς Θεοῦ περὶ μονογενοῦς υἱοῦ εὐαγγέλια. *Κατὰ τὸν καιρὸν γὰρ, φησὶ, τοῦτον ἔλθουσμαι, καὶ ἔσται τῆ Σάρρα υἱός*. Πῶς σου κατ' ἄξιαν ἐπαίνεσω τὴν πίστιν, πανόλβιε; Οὐ γὰρ διεκρίθης πρὸς τὴν ὑπόσχεσιν, οὐδὲ περὶ ἐπαγγελίαν ἐχλωνας, οὐδὲ κατενόησας τὸ ἑαυτοῦ σώμα νεκρωμένον, ἑκατονταετής που ὑπάρχων, οὐδὲ ἀπέβλεψας εἰς τὴν στεφάνου τῆς μητέρας Σάρρας, ἀλλ' ἐνεδυναμώθης τῆ πίστει, εἰδὼς ὅτι ὁ ἐπήγγελται ὁ Θεός, δυνατός ἐστὶ καὶ πληρῶσαι. Οὐ γὰρ δουλεύει φύσις πάθεισιν ὁ φύσις δημιουργός, οὐτ' οὐχ ὑπόκειται φύσις ἀνάγκῃ Θεός· ἐν οἷς ἐργάζεται, πάσης φύσεως ὑπάρχων δημιουργός· ἀκολουθεῖ δὲ πρὸς πᾶν εἶδος μεταβολῆς ἡ φύσις τῷ ἐλευθέρῳ τοῦ πεποιηχότος θελήματι. Τοιγαροῦν οὐκ ἐφευδῆς τῶν ἐλπίδων, μακάριε, ἀλλ' ὀνομάζεις πατῆρ ἐν προθεσμίᾳ βίῃ, ἐν ἡλικίᾳ νεκρᾶ. Καὶ πρώτων βλέπεις ἐκ Σάρρας καρπὸν, καὶ θαυμάζεις πῶς ἐπιβρέουσι περὶ ἐλπίδας τῆ γεγηρακῆς τοῦ γάλακτος αἱ πηγάι, καὶ μετ' ὀλίγον προσφείλλεις τῷ τόκῳ, καλεῖν πατέρα διδασκῶν τὸ γένημα, ταύτην αἰτῶν παρὰ τοῦ τέκνου τὴν κλήσιν, ἣν προλαβούσα δι' ἐπαγγελίας ἡ χάρις ἐκύρωσε. Πῶς τὰ μετὰ ταῦτα σου διηγῆσμαι κατορθώματα, θαυμάσιε; πῶς ὑψηλὴν σου καὶ περιβόητον ἀπαγγελῶ πίστιν; Ὑπὲρ πίστιν ἡ πίστις σου, ὑπὲρ ἀκοὴν πᾶσαν ἡ πρὸς Θεόν σου καθοσίωσις. Τίς γὰρ πιστεύσει ποτὲ, ὅτι πατὴρ οἰκεῖν τέκνον θυσιαν προσήνεγκε γνησίως τῷ Θεῷ; Γάχα μόνον πιστεύομεν οἱ μὴ γεγονότες πατέρες, οἱ τέκνων στοργῆν μὴ δεδιδαγμένοι παρὰ τῆς φύσεως. Ἥκιστα δὲ τῶν εἰρημένων μάρτυς καὶ θεῖα Γραφή, καθάπερ κήρυξ ὑψηλός, ἐκθώσα τοῦ μακαρίου τὴν φιλοθεῖον γνώμη. *Μετὰ ταῦτα, φησὶν, ἐπέπεισεν ὁ Θεός τιν Ἀβραάμ*. Ἐπείρασε δὲ, οὐχ ἵνα μάθῃ διὰ πείρας τὸ ἀγνωσόμενον, μάρτυσι τῆς γνώμης τοῦ ἀνδρὸς τοῖς ἀποτελέμασι χρώμενος· ἠγγόνεσε γὰρ οὐδὲν οὐδέπω ὁ Θεός· αὐτὸς τῆ ἑαυτοῦ θεωρῆς πάντοτε πρὸς τὴν πάντων γνώσιν ἀρχοῦμενος· ἀλλ' ὅπως ἐν σαφῶς προσηγνώσκω, τοῦτον διὰ πείρας μαθόντες οἱ ἄνθρωποι, καλὸν ἔχωσι πρὸς μίμνησιν θεοσεβείας ὑπογραμμῶν. Τίνα δὲ καὶ τὰ τοῦ περασμοῦ ῥήματα, φέρε σκοπήσωμεν. *Ἀβραάμ, φησὶν, Ἀβραάμ*. Ὁ δὲ εἶπεν, *Ἰδοὺ ἐγώ*. *Ἐση αὐτῷ Ἄλγε τίς υἱόν σου τὸν ἀγαπητόν, ἐν ἡράπηςας, τὸν Ἰσάκ*, καὶ περὶ οὗτοι εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν, καὶ ἀρέσει



ille priscorum gesta, virtute probitateque plena scripto tradidit: ipsaque ut exemplar conspicuum posteris ad imitandum proposuit. Docet nos utique Abel, copiosorum Dei munerum, antequam eis utamur, primitias esse Deo offerendas, neque brutam ventris voracitatem esse Dei honori anteferendam. Nam ei, qui antiquissimus omnium erat, beatus hic Abel ovium primogenita immolabat, nihil postremo-rum ad cultum primi preferens, sed fructuum primitiis primum genitorem glorificans. Post illum ad justitiam instituit admirandus Noe, qui toto inique agente mundo, solus justitiæ lanceam in bonis justitiæ operibus non declinantem servavit. Magnum castitatis exemplar juvenibus proponitur beatus Joseph, qui in juvenili corpore castitatis canitie floruit, et in sævili habitu strenuus carnis voluptatum dominus apparuit. Verum hi beati viri peculiaries forte quædam sunt honorum imagines; sed unius viri mentionem facit Abrahæ progenitoris, in una persona toti orbi cippum erigens, omnis virtutis specimen, ad imitationem. Sane justi omnes, sancti omnes, fidelem Abrahamum patrem se habere gloriantur, et hanc cognitionem honori sibi ducunt. Per hunc enim fidelibus zelus fidei inest; hospitalibus ipse hospitalitatis doctor est, idque operibus, non verbis; religionis athleteæ coronantur, ejus fortitudinem imitantes; hujus archetypi imagines sunt omnes magnanimi; ejus imitandi studium tantam justorum multitudinem peperit; ex hac Dei amante radice, omnes pullularunt Dei amantes. Et cur singula persequor? Omnes enim, ut ita dicam, quorum lux fulget coram hominibus, ex fidei progenitoris lucerna accensi fuerunt, tan-tosque ei probos filios pii mores pepererunt. Mentiri enim non potest is qui dicit, *Patrem multarum gentium posui te* (Gen. 17. 5). O beata anima, quæ tantam præclarorum operum copiam in unum collegit! Tu feracissimus vere ager, tu planities fructuosissima piorum operum, tu pratum floridum omni-genis justitiæ floribus vernans; tu corona speciosa, mediæ continens eamque fulgentem fidei margaritam. Præcepit Deus: *Egredere de terra tua* (Gen. 12. 1): tu vero non neglexisti, sed iter capessivisti, antequam mandatum compleretur. Addidit dicto, *Egredere de terra tua, illud, Et de cognatione tua*: tu vero non emolitus es ex amore generis tui, generi ejus auctorem antefrens. Dixit Deus, *Egredere de terra tua et de cognatione tua*, quodque his gravius est, *Et de domo patris tui*: sed ex iis, quæ Deus præcepit, nihil durum existimasti. Non cohibuit animi tui alacritatem honor patri, non amor matris, non affectus erga cognatos. Non cogitasti quot lacrymas vetula mater ob te fundet, non quot te fletibus senex pater prosequatur sit. Non enim putasti te humaniorem illo esse debere, qui te vocavit. Erat tibi pater venerandus, sed non quantum omnium Pater: amabas matrem, sed magis Dei cultum. Paternam domum, et divitias progenitoris sprevisi. Sciebas enim solas fidei divitias animæ competere, immortalem possessionem, thesaurum nunquam expilandum. O qualis stella, Lucifero splendor, ex oriente in Palæstinam effulsisti! In tenebroso multorum deorum sæculo, lætos emisisti piæ religionis radios. Te Deus bonum pietatis ferculum in acerbam Chananæorum gentem immisit. Tu tamquam sal benignitatis, improbæ vitæ condimentum fuisti. Tu tranquillus apparuisti hospitalitatis portus in medio tempestatis, in media alienigenarum immanitate.

3. Quomodo, o vir beate, benignum tuum describam tabernaculum? quomodo non mirabor quercum Mambre (Gen. 18. 1) quam tu bonis moribus tuis mitem effecisti? Hoc tabernaculum commune erat viatoribus domicilium, unum hospitibus omnibus lautum convivium: totius orbis pandocheum sine mercede: non in remoto loco situm, ut requiei lucrum lateret, sed in deserto quidem, sed media in via, et prope communi totius Palæstinæ diversorio. Tu sub

quercu totam diem transigebas bonus viatoribus requiei capiendæ nuntius. Visus est tibi Christus, o vir admirande, a duobus angelis stipatus, et propter hospitalitatem factus es et Dei et angelorum contubernalis. O beatum tabernaculum, quod Deum cum angelis per cœconomiam excepit! Visus est tibi Christus hominis forma divini sui et salutaris adventus mysteria enuntians: attamen præsentis gloriam nequaquam te ob servilem formam latuit. Habebas enim alios oculos quibus Dominus cognoscitur. Noveras igitur mediatorem Dei Filium, qui in medio duorum animalium appariturus erat. Miror certe tuam, o vir beate, erga eos qui tibi adstiterunt diligentiam: poteras enim jubere famulo, et jussu officium præstare; curristi tu senex ad boves, ardenti desiderio senile corpus fulciens. Operum consors alacris erat uxor, et panum azymorum copia mensam coronabat: neque enim fermentationem expectavit hospitalitatis studium. Omnia porro agebantur cum timore et veneratione, non quasi viros excepisset hospitio, sed quasi Deo sacrificium obtulisset. Ideo præclarus est, o vir beate, tuæ hospitalitatis fructus, præclara amoris erga Deum merces. Solvuntur enim præter omnem spem sterilis vulvæ vincula, emortuaque senis membra ad germani filii semen florent, et ab unigenito Deo unigeniti filii nuntium accipiunt. *Circa hoc tempus inquit, veniam, et erit Saræ filius* (Gen. 18. 10). Quomodo tuam pro merito laudabo fidem, o beatissime? Neque enim circa promissionem, disservuisti, neque circa pollicitationem claudicasti, neque cogitasti corpus tuum emortuum, cum centenarius prope esses: neque respexisti in sterilitatem vulvæ Saræ; sed corroboratus es fide, sciens Deum quæ promisit implere posse. Neque enim naturæ affectionibus servit naturæ Creator, quia naturæ necessitati non subjacet Deus in operibus suis, cum omnis natura sit Opifex: sequitur autem natura ad omnem mutationis speciem liberam Opificis voluntatem. Itaque non a spe lapsus es, o vir beate, sed pater in constituto tempore, et in emortua senectute vocaris. Ac primus videt ex Sara fructum, ac miraris quomodo vetula præter spem lactis fontes emanent: pauloque postea cum prole balbutis, filiumque doces te vocare patrem, hanc postulans a filio appellationem, quam prius gratia per promissionem firmaverat. Quomodo ea quæ subsequuta sunt gesta narrabo, vir admirande? quomodo excelsam tuam et celebratam fidem annuntiabo? Supra fidem est fides tua, supra auditum omnem sancta illa tua erga Deum obsequentia. Quis enim credet unquam, quod pater filium suum in hostiam sincere Deo obtulerit? Forte nos soli credimus, qui patres non fuimus, qui prolis amorem a natura non didicimus. Accedat hujus dicti tesus divina Scriptura, quasi præco excelsus, religio-um beati animum exclamans. *Post hæc, inquit, tentavit Deus Abraham* (Gen. 22. 1). Tentavit autem non ut per tentationem edisceret id quod ignoraret, teste usus obsequentia ad animum viri explorandum: nihil enim unquam ignoravit Deus, sed ipse sibi sufficit ut per sui contemplationem omnia cognoscat: sed ut eum quem clare prænoscebat per tentationem ediscerent homines, præclarumque haberent ad imitationem pietatis exemplar. Quænam porro sint tentationis verba, age consideremus. *Abraham, inquit, Abraham. Ille inquit, Ecce ego. Ait illi: Accipe filium tuum dilectum, quem diligis, Isaac, et vade in terram excelsam, et offer mihi illum in holocaustum* (Ibid. v. 2). O quantum Deus per hæc verba fidei progenitoris fecit experimentum? Satis erat dixisse, Accipe Isaac, et offer mihi illum in holocaustum, non memorato filio, nec per dilecti memoriam commotis paternis visceribus. Verum quia iis, qui bonis affluunt, repentinus malorum incursum graviorem parit dolorem, ideo ait, *Accipe filium tuum, et addit, Dilectum, ac rursus, Quem diligis*, ut hisce bonis appellationibus, in bonarum promissionum spem senem prolis amantem erigeret, inductoque



confertim filii interficiendi præcepto, jussis illis inexpectatis viscera parentis gravius confoderet, non quod justum odio haberet, sed quod ejus fidem clarius mundo notam effici optaret. Itaque priusquam diceret, *Offer illum in holocaustum*, ex primis verbis illis bona prænuntiantibus, multa fausta curat a justo viro cogitari. Ut audivit enim Deum se vocantem, ac dicentem, *Abraham, Abraham*, statim vir religiosus de appellatione illa gavisus est, in lætitiâ effusus est ad illam vocem, hæc secum reputans, ut par erat: An me rursus Deus mirabili illo colloquio dignum censet? an me vult iterum divinis verbis sanctificare? an rursus transferre in meliorem regionem? an malos Chananæos vult perdere, ut Sodomitas, et servum suum, ut circa Sodomam contigit, non vult ignorare decretum judicii sui? an mihi secundi post Isaacum filii lætam nuntium optat afferre, duorum oculis filiorum senectutem meam luce conspicua donare volens? Ut autem audivit, *Accipe*, priusquam audiret, *Filium*, cogitabat Deum se alloquuturum esse de sacrificiis, petiturum ab se pro dato filio benedictionum honorem. Ut audivit autem, *Filium tuum*, interini de Ismaele cogitabat, putans solutam esse Saræ zelotypiam, ideoque illum a benigno Deo in paternam domum reduendum esse. Cum autem clare audisset, *Dilectum, quem diligis, Isaac*, statim efferebat corde, lætatus est animo, existimans se de filii sponsalitate præceptum a Deo accepturum esse, curante, ut ad propagationem generis secunda uxor juveni daretur. Ipsum autem Deus evocat ad terram excelsum. Quare? Plane ut ex edito sublimique loco totam, ut promissionis hereditatem, terram ipsi ostenderet, vel sane vult illum, inquit, me superstite in patriarcham innungere, aut præsens præsentem alloqui, et viva voce leges ipsi tradere religiosæ vitæ, in qua incendens Creatori placiturus est.

4. Hæc itaque et similia se auditorum a Deo esse sperabat beatus ille: Deus autem quid? *Offer*, inquit, *illum in holocaustum*. Onerosum mandatum vel cuivis homini, nedum patri, ipsique prolis amanti. Verum, o fidem incomparabilem! o religiosam animam! Nondum Deus finem dicendi et vocandi fecerat, et ad obsequium Abraham paratus erat, mandati finem itineris capessendi initium reddens. Quis ex aliis patribus talem vocem tulisset, nec repente in terram decidisset, membris mœrore solutis? aut forte non ad tale præceptum interisisset, paterno incensus affectu? Audi enim quam consolatione omni vacuum sit mandatum. Non ad cædem tantum juvenem petivit Deus; ut seni cadaver superesset, quod ad solatium doloris in sepulcro deponeret; sed in holocaustum, in incendium, in consumptionem omnimodam, ne effundere animi dolorem posset lacryis ad corpus fuis. Attamen etsi mandatum intolerabile esset, quod vel sono verbi percellere posset, virum utique a divino sensu non removit: existimabat enim quodcumque Deus præcipit utile bonumque esso. Itaque mandatum alacriter tulit, et ineffabili voluptate sacrificium offert, hæc, ut credere est, secum reputans: Jam liberis orbatus, filius Dei per obedientiam evado: heredem amitto, sed futura in hereditatem accipio; non video filium, sed video Deum; non senem me nutriet filius, sed senem alet Deus; a stultis reprehendar, sed Sapientissimo illi probatus ero; mœrore afficiam Saram, sed placebo Creatori; multa fruor consolatione; dolore me afficit mors ejus, sed Altissimi sacerdotem efficit; liberis orbum constituit, sed patrem primi martyris. Num perit Isaac? Purgatur igne corpus, liberatur a carnis voluptatibus, migrabit a vita, sed commigrabit ad Dominum. Talibus ratiociniis naturæ affectus confirmans, ad sacrificium properat, asinum stravit, gladium acuit, ligna et lignem paravit, filium ut agnum abducens, neminique divinam annuntiavit vocem: non communicavit cum amicis, neque ipsi conjugi simul parenti: non quod conjugem odio haberet, sed quod serpentem timeret, ne amoris erga prolem obtentu, pietatis studium re-

mitteret. O summam fidem! o sapientiam incomparabilem! Secum reputavit patriarcha quanta eventura essent mala, si divinum mandatum notum fieret; quantus luctus foret, quantus fletus, quanta lacrymæ. Ideo tacet, magnam lamentorum flammam silentio exstinguens. Quid enim putas facturam Saram fuisse, si de nece filii audisset? annon complexa statim Isaacum esset, rursus in utero, si potuisset, inclusura, Peris, filii carissime, inquires, sacrificiis obidemur? Citius, puto, amisisset propriam animam quam filium tradidisset; et alterutrum necesse fuisset, ut aut sacrificium non fieret, aut mater cum filio immolaretur. Atque cum Abraham hosce fortasse sermones contulisset. Ad mentem redi, o vir, ad mentem redi, interpres clementis Dei. Nihil contra hominem vox divina præcipit; felici proli tuæ invidet malignus dæmon, divinamque gratiam vult evertere, pietatis specie cædis filiorum maledictum inducens. An non nosti mirabilem illum Melchisedecum sacerdotem Dei altissimi? Leges sacrificiorum ab illo disce. Disce quibusnam Deus victimis delectetur: etiamsi jam olim te ad sacerdotium instituit, cum redires a cæde quinque regum. Annon panis et vinum, sanctæ oblationes et incruenta puraque sacrificia ipsi erant? an vitulus? an ovis? an filius? Non enim putabat omnino Deum sanguine delectari. *Numquid manducabit Deus carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabit? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua (Psal. 49. 13. 14)*. Si autem vere Deus est is qui tibi apparuit, intellige, mi vir, ejus consilium. Probare vult Deus tuum erga filium affectum, nosse te vult, quo affectu sis erga filium: an filium aues, si paterno sis affectu, an a naturæ visceribus vincaris, si mori pro filio malis. Vult te circa prolis amorem bonum exemplar esse Chananæis, nec ut obsequaris optat, imo potius ut obsistas filii neci, vult te videre canos avellentem, acerbis fundentem lacrymas, et his amorem erga filium comprobari. Vereor ne cædis filii reprehensionem incurras apud clementem Deum, vel ob solum consensum. Mi vir, mihi obtempera, *Ne sis nimium justus (Eccl. 7. 17)*. Hanc tuam inobsequentiam laudabit Deus. Quod si vere vult Deus immolari Isaacum, acerbis ingemiscio, supplica, procumbe, lacrymas misce precationi. Bonus est is, qui sacrificium petit, patre longe clementior; mutabit sententiam, mutabit iudicium. Numquam diluvio perisisset genus hominum, si iniqui illi scelera lacrymis abluisent. Adhuc staret Sodomia, si gemitu cordis iudicem placassent. Si ergo iniquos miseratur, multo magis te justum. Servasti prilem Lotum ab igne divinitus immisso, iudicem precatus; serva nunc filium ab igne propitiationis, precibus oblati Deo. Pro Sodomitis supplicasti, hominibus iniquis, qui sæpe extremam perniciem meruerunt, et pro filio inculpato non precaberis? Utere rursus fiducia tua: dic, *Nequaquam: qui judicas omnem terram, non facies iudicium (Gen. 18. 25)*? Non perdes justum cum impio. Recordare quanto prolis amore tenereris, cum non haberes filium. Priusquam enim Isaacum susciperes, hæc tibi factæ a Domino erant splendide promissiones: terræ optimæ possessio, pecuniarum et facultatum copia multa, augmentumque generis tantum, ut iis naturalibus rebus que sunt innumerabiles comparetur arenæ maris, et stellis cæli; attamen tanta cum sint promissa bona, ludum putasti illa esse, et cum fiducia clamasti, filiorum orbitatem lugens ac dicens: *Quid mihi dubis, Domine? ego autem sine filiis morior (Gen. 16. 2)*. Hac emissa voce, accepisti filium. Esto pater, hanc nunc emitte, ut serves filium. Dic iterum: *Quid mihi dubis, Domine, si occidas heredem meum? Væ mihi. Tunc forte prolis amans eras, cum mundum pater esses.*

5. Hæc dicente Sara, quid facturus erat Abraham? Scilicet intermisso Dei mandatu, circa pietatem erga Deum sermonem habere, et Saræ suadere, si hunc tollet Deus, cum meliorem ipso daturum esse. Et

μοι αὐτὸν εἰς ὀλοκάρπωσιν. Ὁ πόσιν ὁ Θεὸς διὰ τῶν ὤτων εἰρημένον βρήματων τῆς πίστεως τοῦ προπάτορος εἰργάσατο βάσανον! Ἦρακε μὲν γὰρ μόνον εἰπεῖν, Λάβε τὴν Ἰσαὰκ, καὶ ἀνένεγκε αὐτὸν εἰς ὀλοκάρπωσιν, μήτε υἱὸν εἰπόντα, μήτε τῆ τοῦ ἀγαπητοῦ μνήμῃ ἐκ πατρὸς σπλάγγνα κινήσαντα. Ἄλλ' ἐπειδὴ τοῖς ἔνδον τῶν ἀγαθῶν διακεχυμένους ἦ τῶν κακῶν αἰρνίδιος φορὰ βαρύτεραν ἐπάγει τὴν ἀληθόνα, [562] διὰ τοῦτο φησὶ, Λάβε τὸν υἱὸν σου, καὶ προστίθει. Τὸν ἀγαπητὸν, καὶ πάλιν, Ὁν ἠγάπησας, ἵνα ταῖς ἀγαθαῖς ταῦταις ἐπωνυμίαις εἰς χριστῶν ὑποσχέσιον ἐλπίδας μετεωρίσας τὸν φιλόπαιδα γέροντα, ἀθρόαν αὔθις ἐπάγει τὸν ἀγαπητὸν τὴν ἀναίρεσιν, τοῖς παρ' ἐλπίδα προστάγμασι πλῆξῃ τὰ σπλάγγνα τοῦ γεγεννηκότος βαρύτερον, οὐ μισῶν τὸν δίκαιον, φανῆναι δὲ λαμπρότερον τῷ κόσμῳ τὴν τούτου πίστιν βουλόμενος. Τοιγαροῦν πρὶν εἰπεῖν, Ἀνένεγκε αὐτὸν εἰς ὀλοκάρπωσιν, ἐκ τῶν πρώτων βρημάτων τῶν εὐφρήμων πολλὰ ποιεῖ χρηστά τῷ δικαίῳ φαντάζεσθαι. Ἀκούσας γὰρ καλοῦντος τοῦ Θεοῦ καὶ λέγοντος, Ἀβραάμ. Ἀβραάμ, εὐθύς ἐγῆθησεν ὁ φιλόθεος πρὸς τὴν κλῆσιν, διεχύθη πρὸς τὴν φωνὴν, ἐνθυμούμενος, ὡς εἶκό· Ἄρα μὲ ὁ Θεὸς ἄξιον πάλιν ἠγείρει τῆς θαυμαστῆς προξ. αὐτὸν ὀμιλίας; ἀρά με τοῖς θεοῖς αὐτοῦ καταγαίναται θέλει ῥήμασιν; ἢ μεταστήσῃ πάλιν εἰς χῶραν βούλεται κρείσσονα; ἢ τοὺς πονηροὺς ἀπολείπει θέλει Χαναανίους, ὡς Σοδομίτας, καὶ τὸν οὐκ εἰόντων δούλον, ὡς ἐπὶ Σοδόμων, ἀγνοεῖν οὐ θέλει τὸ τῆς κρείσσεως βούλημα; ἀρά μοι δευτέρου τέκνου μετὰ τὸν Ἰσαὰκ χρηστὰ φιλοτιμῆται παρασχεῖν εὐαγγέλια, ὀφθαλμοῖς δύο τέκνων τὸ ἐμὸν θέλον ὀματώσῃ γῆρας; Ὡς δὲ ἤκουσας, Λάβε, πρὶν ἀκοῦσῃ, Τὸν υἱὸν, ψῆθη περὶ θυσιῶν αὐτῶ τὸν Θεὸν διαλέξεσθαι, αἰτοῦντα παρ' αὐτοῦ τῶν φιλανθρώπων ἀποκαθίστασθαι πάλιν εἰς τὸν πεπερωμένον ἔστιν. Ἐπειδὴ δὲ σαφῶς ἤκουσας. Τὸν ἀγαπητὸν δὲ ἠγάπησας τὸν Ἰσαὰκ, ἔξενεν εὐθύς τῆ καρδίᾳ, ἠγαλιάσατο τῆ ψυχῇ, νομίσας ὅτι περὶ μνηστῆρας; αὐτῷ διατάσσεται, ἀρμόδιον ὡς Θεὸς εἰς ἐπίδοσιν τοῦ γένους γυναῖκα τῷ νέῳ εὐφορον εἰς τέκνον φῶν. Εἰς δὲ τὴν γῆν αὐτὸν ὁ Θεὸς καλεῖ τὴν ὑψηλὴν. Διὰ τί; Ἡ πάντως ἵνα ἐξ ἀπώτου καὶ μεταύρου τόπου πάτω εἰς κληρονόμιον τῆς ἐπαγγελίας ἀποδείξῃ τὴν γῆν, ἢ πάντως αὐτὸν εἰς πατριάρχην θέλει χρίσαι, ζῶντος ἔμου; ἐμὸν; ἢ ἐνώπιος ἐνωπίω διαλεχθῆναι, καὶ φωνῇ ζώσῃ παραδοῖναι νόμους θεοφιλοῦς βίου, οἷς ὀδεύων εὐαρεστήσει τῷ κτίσαντι.

δ. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ ταῦτα ἀκούσεσθαι παρὰ Θεοῦ προσεδόκῃσεν ὁ μακάριος· ὁ δὲ Θεὸς; εἰ; Ἀνένεγκε, φησὶν, αὐτὸν εἰς ὀλοκάρπωσιν. Φορτικὸν τὸ ἐπίταγμα καὶ τῷ τυγχόντι ἀνδρὶ, μήτιγε πατρὶ, καὶ ταῦτα φιλόπαιδι. Ἄλλ', ὡς τῆς ἀνυπερβλήτου πίστεως ἢ ὡς τῆς φιλοθεῶν ψυχῆς ὀδέπτο Θεὸς ἐπαύσατο καλῶν, καὶ πρὸς τὴν ὑπακοὴν Ἀβραάμ ὑπῆρχεν εὐτρεπῆς, τὸ τέλος τοῦ προστάγματος ἀρχὴν ἦδη τῆς ὀδοπορίας ποιούμενος. Τίς οὖν τῶν ἄλλων πατέρων ἠγεγεν ἀν τὴν τοιαύτην φωνὴν, καὶ οὐ παραχρῆμα κατέπεσεν εἰς γῆν, ἀθυμῆ τὰ μέλη λυθεῖς; ἢ τάχα παρ' αὐτῷ διεφθάρη τῷ προστάγματι, ὑπὸ πατριχῆς διαθέσεως πυρπολούμενος; Τὸ γὰρ τοῦ προστάγματος ἀπαρμύθητον ἄκουσας. Οὐκ εἰς σφαγὴν ἀπλῶς ἤτησεν τὸν νέον ὁ Θεὸς, ἵνα ἔχοι τὸ λείψανον ὁ γέρον παρμυθίαν τοῦ πάθους τῷ τάφῳ παρακαθήμενος· ἀλλ' εἰ; ὀλοκάρπωσιν, εἰς ἐμπροσθέν, εἰς ἀφανισμόν παντελῆ, ὅπως μὴδὲ προχέειν ἐγγὺς τῆς καρδίας τὴν ἀληθόνα ἐπιδακρυῶν τῷ σώματι. Ἄλλ' ὁμῶς εἰ καὶ ἀφῆρησεν ἦν τὸ πρόσταγμα, καὶ μόνον τῷ ῥηθῆναι πλῆξαι δυνάμενον, ἀλλ' οὐκ ἐξέστησεν τὸν ἀνδρα τοῦ θείου φρονήματος· πᾶν γὰρ ἠπίετατο συμφέρον εἶναι καὶ ἀγαθόν, ὃ προστάσσει Θεός. Τοιγαροῦν προθύμως ὑπομένει τὸ πρόσταγμα, καὶ μεθ' ἡδονῆς ἀφράστου τὴν θυσιᾶν ἐργάζεται, ταῦτα λογισάμενος, ὡς εἶκό· ἄτεκνος ἀπὸ τοῦ νῦν, ἀλλ' ἐγὼ τέκνον Θεοῦ δι' ὑπακοῆς γίνομαι· ἀπολλύω τὸν κληρονόμον, ἀλλὰ κληρονόμῳ τὰ μέλλοντα· οὐκ ἐβόμαι τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἐβόμαι τὸν Θεόν· οὐ γηροδοκῆσαι με παῖς, ἀλλὰ γηροτροφῆσαι Θεός· μεμψήσομαι παρὰ τῶν ἀνοσῆτων, ἀλλὰ ἀποδοθήσομαι παρὰ τοῦ Πανσόφου· λυπησῶ τὴν Σάρραν, ἀλλ' εὐαρεστήσω τῷ κτίσαντι· ἔχω πολλὴν παρμυθίαν· λυτεῖ με θανὼν, ἀλλ' ἱερέα τοῦ Ὑψίστου ποιεῖ· ἀπαῖδα καθίστησιν, ἀλλὰ πατέρα πρωτομάρτυρος. Μὴ γὰρ ἀπόλλυται Ἰσαὰκ; Καθαίρεται τῷ κυρὶ τὸ σῶμα, [563] λυεταί τῶν τῆς σαρκὸς ἡδονῶν, ἐκδημῆσει τὸ

2. Cur septem lucernæ? Propter splendorem operationis sancti Spiritus. Unde sub hæc dicit: *Hi sunt septem oculi Domini, qui universam terram respiciunt* (Zach. 4. 10). Videsne ipsam veritatem seipsam declarare, nec egere humanis ratiociniis? Sed ipsi *Adstant Domino universæ terræ*. Zacharias Dominum vocat Servatorem universæ terræ secundum carnalem dispensationem. Petrus apostolorum caput cum Cornelio dissrens ait: *Nos scimus verbum quod factum est in Judæa, Jesum de Nazaret, quem unxit Deus Spiritu sancto* (Act. 10. 38). Et rursus idem: *Verbum, quod in tota Judæa factum est; et, Verbum, quod misit Deus, annuntians pacem filiis Israel: hic est omnium Dominus* (Ibid. v. 37. 36). Propheta Dominum terræ, evangelista, Petrus Dominum omnium dicit: *Hic est omnium Dominus*, omnium quæ in cælo, et in terra, et sub terra, visibillum et invisibillum; *Hic est omnium Dominus*. Unde his consona loquitur Joannes dicens: *Qui de cælo venit, super omnes est* (Joan. 3. 34). Operæ pretium autem est diligenter expendere, solvereque hæreticorum objectionem: quoniam apostolicum dictum perperam sequentes, neque pie intelligentes et perperam explicantes, hæretici, inquam, illi, putant eum crucis præmium accepisse, quod supra omnes fuerit, et quod passus sit, et quod crucem sustinuerit, idcirco a Deo superexaltatum fuisse. Verbum apostoli consecantur, dictum sequuti sunt, mentem non explorantes. Res autem ita habet: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis: propterea Deus exaltavit illum* (Philip. 2. 8); ob cruciatum nempe, mercedem ipsi supplicii tribuens exaltationem. Ita plane dicit, hæretice: « Et dedit illi nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum » (Ibid. v. 9. 10). Viden', inquit, post crucem exaltatus est? viden', inquit, post passionem mercedem accepit, nempe exaltationem? Si ergo post crucem exaltatus est, ut vos dicitis, cur Joannes Baptista ante passionem, ante crucem dixit: *Qui de cælo venit, super omnes est* (Joan. 1. 34), non sit? Idcirco Judæos alloquens Jesus dicebat: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* (Joan. 8. 58). Est enim ille semper, et erat, et erit; et finem non habebit. Oportet autem, fratres, debitum reddere, nec occasione digressio-nis promissa negare. Prædicetur Christi gloria, Patrisque celsitudo: prædicetur Spiritus sanctus, exaltetur Unigenitus, glorificetur Pater. Nemo putet dignitatem everti, si primo Spiritum commemoremus, deinde Filium, postea Patrem: vel primo Filium, deinde Patrem. Hæc quippe dignitas ordinem non habet, non ut inordinata, sed ut ordinem superans. Ut enim Deus figuram non habet, non quod sit informis, sed quod per figuram exprimi non possit; et sicut Deus formam non habet, non ut informis, sed ut incorporeus: sic divina natura ordinem non habet, non quod sit inordinata, sed quod ordinem superet. Patrem dico primum, non ordine primum, sed intelligendi modo, quia genitor est Unigeniti, quia radix sancti fructus, quia æternum lumen æterni luminis soboles est. Ergo, mi frater, si quis aetate nostra auderet hodie in Ecclesia, in populo orthodoxo, in populo vera scientia imbuto, Filium ante Patrem ponere, non male audiret apud orthodoxos? Ergo si quis auderet in Ecclesia dicere, Christus vobis benedicit et Pater ejus, non ordinem pervertere putaretur, quod radicem non prius quam fructum poneret? Ergo si quis diceret, Filius nos servabit et Pater, non confusionem inducere existimaretur, neque ordinem prætergredi? Verum hæc apud iniquos rerum astimatores ita videntur: sed veritate judice, et apostolica sententia superante, nihil interest, si Filius ante Patrem et Spiritum commemoretur, Audi Paulum magnum præconem Thessalonicensibus scribentem his verbis: *Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater noster sanctificabit*

*vos* (1. Thess. 5. 23). Primo Filius, et sancta luce impleta anima. Neque enim in divina illa natura est ordo: sed quod primum posueris, æqualis esse honoris intelligitur; quod secundum, non inde minus; quod tertium, non contumelia afficitur: Paulus indiscriminatim nomina profert, quia novit naturam indivisibilem, et regnum inseparabile. Interrogemus vero Paulum, undenam ocasiones accepit sic de Deo loquendi, aut sic glorificandi, aut ponendi Filium ante Patrem, non ordine vel potestate, sed verbo tantum. Cur Filium primo commemoravit, deinde Patrem? Ipse Paulus loquatur in sui defensionem; et in Ecclesiæ institutionem: Nilil ex meipso loquor, Christus per me hæc dogmata dicit: *Et experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christi* (2. Cor. 15. 3)? Christus per me loquitur, ne accuses dominicam vocem, ne reprehendas. At non potes forte intelligere Christum per me loquentem? Audi illum simpliciter de seipso loquentem. Si enim nomina sanctæ Trinitatis ordini subjecta essent, et si quod primum profertur, primum esset virtute, secundum vero secundum ordine, tertium inferiori loco, Servator qui ipsa veritas est, veritatis ordinem non miscuisset. Et ubinam Servator seipsum primum commemoravit, deindeque Patrem? *Si quis, inquit, mandata mea servaverit, ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. 14. 23). Quandoquidem Pater ordine antecellit, ut aiunt hæretici, Filiumque quasi præfectum quemdam regium apud Patrem esse volunt, hoc quaeramus ab ipsis, num præfectus aliquis de rege dicere audeat: Ego et rex decernam.

3. Ex iis quæ apud nos geruntur ea, quæ supra nos sunt, intellige. An creata natura increatæ seipsam prætulerit? Creata natura, ut vos dicitis, ausa est dicere, incomparabili excellentiæ sese annumerans: *Venimus, et mansionem apud eum faciemus*? Per illud enim, *Ego et Pater*, nomen differentiam ostendit; per illud autem, *Venimus, et mansionem faciemus*, æqualitatem operationis demonstravit. Sic et alio in loco, cum Philippus apostolus diceret, *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (Joan. 14. 8), respondet Servator: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe* (Ibid. v. 9. 10)? Contraria est responsio interrogationi. An de te interrogavi? Dixi, *Ostende nobis Patrem*; ille vero ait, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me*? Si dissimilis est, quomodo per dissimilem dignoscitur? quomodo per parvum major conspicitur? quomodo per minorem is qui dignitate supereminet? quomodo per ministrum Creator? *Tanto tempore vobiscum sum*. Non dixit, *Vobiscum est Pater, sed, Sum*. Me enim existente, Pater est. *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me*? Pulchre illud, *Non cognovisti me*? Ille dicit, *Ostende*; Servator autem, *Non cognovisti me*? ut doceret Deum non visu, sed cognitione apprehendi. *Non credis quia ego in Patre*? Rursus, *Ego, et postea Pater: Ego in Patre, et Pater in me*. Quomodo ergo tu dicitis, *Ostende nobis Patrem*? ac si diceret, Cur quasi alium te visurum sperasti? *Ego in Patre, et Pater in me*. Cognosciturque Filius per Patrem, et Pater per Filium. *Quomodo tu dicitis, Ostende nobis, quasi alium a me Patrem videre quarras? Ego in Patre, et Pater in me*; non quasi natura sit confusa, neque quasi phiala in phiala reposita. *Ego in Patre, et Pater in me*. Non corporum conjunctionem dicit, sed sensorum animi contemplationem. *Ego in Patre*; Pater enim sine Filio non cognoscitur. *Et Pater in me*; Filius enim sine Patre non apparet: quemadmodum mens in sermone, et sermo in mente consideratur. Undenam mentem tuam scire possunt, nisi per sermonem tuum? Sermo tuus mentem tuam declarat: mensque tua vicissim sermonis tui interpres est. Fieri potest ut quis sermonem percipiat, neque sententiam intelligat, neque sensum percipiat, nisi sermo explicet. Idem evangelista ait, *In principio erat Verbum* (Joan. 1. 1), ut generationis impassibilitatem ostenderet. Quod est verbum erga mentem, illud est unigenitus Deus Ver-

τὸ ἅγιον· τὸ δὲ ἐπαγόμενον τὰς ἐνεργείας τοῦ Πνεύματος λέγει· Πνεῦμα Θεοῦ, Πνεῦμα σοφίας καὶ συνέσεως, Πνεῦμα βουλῆς καὶ ἰσχύος, Πνεῦμα γνώσεως καὶ εὐσεβείας, Πνεῦμα φόβου Θεοῦ· καὶ ἐπὶ χάριτας τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τὰς ἐπὶ ἀναπαυσαμένας τῷ σώματι τῷ δεσποτικῇ, ἐκεῖνα σχηματίζει ἐν τύπῳ ἐπὶ λύχων.

β. Διὰ τί δὲ ἐπὶ λύχνοι; Διὰ τὸ φωτεινὸν τῆς ἐνεργείας τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἐντεῦθεν ὑποβάς φησιν· Οὗτοι εἰσιν οἱ ἐπὶ ὀφθαλμοὶ Κυρίου, οἱ ἐκβλέποντες<sup>a</sup> ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Ὅρας αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν σαφηνίζουσαν τὴν ἀλήθειαν, καὶ οὐ δεομένην λογισμῶν ἀνθρωπίνων; Ἄλλ' αὐτοὶ Παρρησιασὶ τῷ Κυρίῳ πάσης τῆς γῆς· Ὁ Ζαχαρίας Κύριον καλεῖ τὸν Σωτῆρα πάσης τῆς γῆς· κατὰ τὴν ἐνσαρκον οἰκονομίαν. Πέτρος διαλεγόμενος Κορνηλίῳ, ἡ κορυφὴ τῶν ἀποστόλων, λέγει· Ἡμεῖς οἴδαμεν τὸ ῥῆμα τὸ γενόμενον ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας. Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρέτ, ὃν ἔχρισεν ὁ Θεὸς Πνεύματι ἁγίῳ. Καὶ πάλιν ὁ αὐτός· Τὸ ῥῆμα τὸ γενόμενον ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ, τὸν Λόγον, ὃν ἀπέστειλεν ὁ Θεός, εὐαγγελίζόμενος εἰρήνην τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ· οὗτός ἐστι πάντων Κύριος. Ὁ προφήτης Κύριον τῆς γῆς, ὁ εὐαγγελιστὴς Πέτρος Κύριον λέγει τῶν πάντων· Οὗτός ἐστι πάντων Κύριος, πάντων, καὶ τῶν ἐν οὐρανῷ, καὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τῶν ὑπὸ τὴν γῆν, καὶ τῶν ὀρωμένων, καὶ τῶν ἀοράτων· Οὗτός ἐστι πάντων Κύριος. Ὅθεν καὶ συνωδᾷ φηγγεῖται· Ἰωάννης λέγων· Ὁ ἀνωθεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν. Ἀναγκασίον δὲ ζητῆσαι ἀκριβῶς καὶ λύσαι τὴν αἰρετικὴν ζυγομαχίαν· ἐπεὶ τῇ λέξει τῷ ἀποστόλῳ κακῶς ἀκολούθησαντες, οὐ νοήσαντες εὐσεβῶς, ἀλλὰ παραγραφόμενοι δυσσεβῶς αἰρετικῶν παῖδες οἰοῦνται, ὅτι μισθὸν τοῦ σταυροῦ ἔλαβον τὸ γενέσθαι ὑπεράνω πάντων, καὶ διὰ τὸ παθεῖν, καὶ διὰ τὸ ὑπομεῖναι σταυρὸν, ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν. Ἀκολουθοῦσι τῇ φωνῇ τοῦ ἀποστόλου, μὴ νοήσαντες τὴν δύναμιν· καὶ ἠκολούθησαν μὲν τῇ λέξει, τὴν θεωρίαν μὴ βασανίσαντες· Ἐγεῖ δὲ οὕτως; Ἐταπεινώσθησαν αὐτὸν μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ· διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν· διὰ τὸ πάθος, ὡς μισθὸν τοῦ πάθους δεδωκῶς αὐτῷ τὴν ὑψωσιν. Πάντως λέγει, αἰρετικῶς· Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ὄνομα ὑπὲρ πάντων ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πάντων γόνυ κάμψῃ, ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγίων, καὶ καταχθονίων. Ὅρας, φησι, μετὰ τὸν σταυρὸν ὑψώθη; ὄρας, φησι, μετὰ τὸ πάθος μισθὸν ἔλαβε τὴν ὑψωσιν; Εἰ τοίνυν μετὰ τὸν σταυρὸν ὑψώθη, ὡς ὑμεῖς φατε, διὰ τί ὁ βαπτιστὴς Ἰωάννης πρὸ τοῦ πάθους, πρὸ τοῦ σταυροῦ ἔλεγεν· Ὁ ἀνωθεν ἐρχόμενος ἐπάνω πάντων ἐστίν, οὐχί γίνεσθαι; Διὸ καὶ Ἰουδαίους διαλεγόμενος ὁ Ἰησοῦς ἔλεγεν· [571] Ἀμήν, ἀμήν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι. Ἐστὶ γὰρ εἰ, καὶ ἦν, καὶ ἔσται, καὶ πέρασ οὐχ ἔξει. Δεῖ δὲ ἡμᾶς, ἀδελφοί, τὴν ὀφειλὴν ἀποδοῦναι, καὶ μὴ προφάσεις τῶν παρεκβάσεων ἀρνεῖσθαι τὰς ὑποσχέσεις· κηρυτέσθω Χριστοῦ δόξα, καὶ Πατὴρ ὕψος· κηρυτέσθω Πνεῦμα ἅγιον· ὑψούσθω Μονογενὴς, δοξαζέσθω ὁ Πατήρ. Μηθεὶς ἀνατετραφάμι τὴν ἀξίαν νομιζέτω, εἰ Πνεύματος πρώτου μνημονεύομεν, εἴτα Υἱοῦ, εἴτα Πατρός· ἢ Υἱοῦ πρώτου, εἴτα Πατρός. Οὐ γὰρ ἔχει τάξιν, οὐχ ὡς ἀτακτος, ἀλλ' ὡς τάξιν ὑπερβαίνουσα. Ὅσπερ γὰρ οὐκ ἔστι σχῆμα ὁ Θεός, οὐχ ὡς ἀσχημῶν, ἀλλ' ὡς ἀσχημάτιστος· καὶ ὡσπερ οὐκ ἔχει μορφήν Θεός, οὐχ ὡς ἀμορφος, ἀλλ' ὡς ἀσώματος· οὕτως οὐκ ἔχει τάξιν ἢ θεία φύσις, οὐχ ὡς ἀτακτος, ἀλλ' ὡς τάξιν ὑπερβαίνουσα. Λέγω Πατέρα πρώτον, οὐ τῇ τάξει πρώτον, ἀλλὰ τῇ ἐννοίᾳ, ἐπεὶ τῇ γεννητῶν τοῦ Μονογενοῦς, ἐπεὶ τῇ ῥίζᾳ τοῦ ἁγίου καρποῦ, ἐπεὶ τῇ φῶς αἰδίου φωτός γεννημα. Ἄρα, ἀδελφε μου, εἰ τις τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπεχείρησε σήμερον ἐν Ἐκκλησίᾳ, ἐν λαῷ ὀρθοδόξῳ, ἐν λαῷ πεπληρωμένῳ πάσης ὀρθῆς γνώσεως· προτάξαι τὸν Υἱὸν τοῦ Πατρός, οὐκ ἐλασφημέτω παρ' αὐτῶν τῶν ὀρθοδόξων; Ἄρα εἰ τις ἐτόλμησεν εἰπεῖν ἐν Ἐκκλησίᾳ, ὁ Χριστὸς ὁμᾶ; εὐλογῆσαι καὶ ὁ Πατήρ αὐτοῦ, οὐχ ὡς ἀτακτος ἐνομιζέτω, ὅτι μὴ προέταξε τὴν ῥίζαν, καὶ τότε ἐπήγαγε τὸν καρπὸν; Ἄρα εἰ τις εἶπεν, ὁ Υἱὸς ἡμᾶς οἴσεται καὶ ὁ Πατήρ, οὐ σύγγχυσιν ἐνομιζέτω ἐργάζεσθαι καὶ παραβαίνειν τὴν τάξιν; Ἀλλὰ ταῦτα οὕτως ἐνομισθῆ παρὰ ἀγνώμοσι κριταῖς· παρὰ δὲ ἀληθεῖα δικαζούσῃ, καὶ

ἀποστολικῇ ψήφῳ τὴν νίκην φερούσῃ, ἀδιάφορον καὶ υἱοῦ πρώτον μνησθῆναι καὶ Πατρός καὶ Πνεύματος. Ἄκουε Παύλου τοῦ μεγάλου κήρυκος Θεσσαλονικεῦσι γράφωντος, ὃς λέγει· Ὁ Αὐτός δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστός, καὶ ὁ Θεός ὁ Πατήρ ἡμῶν ἀγάπης ὁμᾶς. Πρῶτον Υἱός, καὶ λαμπρός· ἀγίας πεπληρωμένη ψυχή. Ὅτι οὐκ ἔστι τάξις ἐν τῇ ἀγίᾳ φύσει· ἀλλ' ὅσπερ ἀν πρώτον θῆς<sup>c</sup>, ὁμότιμον νοεῖται· καὶ τὸ δεύτερον οὐκ ἐλαττοῦται· καὶ τὸ τρίτον οὐχ ὑβρίζεται ἀδιαφόρου προφέρει τὰ ὀνόματα, ἐπειδὴ οἶδε τὴν φύσιν ἀμέριστον, καὶ τὴν βασιλείαν ἀτμητον. Ἐρωτήσωμεν δὲ τὸν ἅγιον Παῦλον, πόθεν εἴληψε τὰς ἀφορμὰς τοῦ οὕτω θεολογεῖν, ἢ οὕτω δοξολογεῖν, ἢ προτάσσειν τὸν Υἱὸν τοῦ Πατρός, οὐ τάξει, οὐ δυνάμει, ἀλλὰ τῇ λέξει. Διὰ τί πρώτον Υἱοῦ ἐμνήσθη, καὶ οὕτω Πατρός; Λεγέτω Παῦλος ἐαυτῷ συνηγορῶν, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν παιδεύων, οὐδὲν ἐξ ἑαυτοῦ φηγγεῖται, Χριστὸς δι' ἐμοῦ τὰ ὄγματα ὑπαγορεύει, λέγων· Εἰ δοκίμηθῃ ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ ὑπαλούοντος Χριστοῦ; Ὁ Χριστὸς καλεῖ δι' ἐμοῦ, μὴ κατηγορεῖ τῆς φωνῆς; τῆς δεσποτικῆς, μὴ ἐπιλαμβάνου. Ἄλλ' οὐ δύνη νοῆσαι Χριστὸν δι' ἐμοῦ καλοῦντα; Ἄκουε αὐτὸν γυνώσκων δι' ἐαυτοῦ φηγγεμένου. Εἰ γὰρ τάξει ὑπέκειτο τὰ ὀνόματα τῆς ἀγίας Τριάδος, καὶ τὴ μὲν πρώτον λεγόμενον πρώτον ἦν τῇ δυνάμει, τὸ δὲ δεύτερον δεύτερον τῇ τάξει, καὶ τὸ τρίτον τρίτον τῇ ἐλαττώσει, οὐκ ἂν ὁ Σωτὴρ αὐτὸς ἀλήθεια ὦν συνέχευε τὸν τῆς ἀληθείας λόγον. Καὶ ποῦ ὁ Σωτὴρ ἐαυτὸν πρώτον ἐμνήσθησε, καὶ εἴτα Πατρός (sic); Εἰδὲν τις, φησι, τὰς ἐντολάς μου τηρῆ, ἐγὼ καὶ ὁ Πατήρ ἐλευσόμεθα, καὶ μοῖνην παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. Ἐπειδὴ τάξει ὑπερέβη, λέγουσιν αἰρετικῶν παῖδες, καὶ ὡσπερ ἐπαρῶν τινα βασιλεύς βούλονται εἶναι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ, ἐρωτάσθωσαν, εἰ ἐτόλμησεν εἰπεῖν ἐπαρχος περὶ βασιλείως, ὅτι ἐγὼ καὶ ὁ βασιλεὺς διατάσσομαι.

γ. Ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς νόει τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς. Ἄρα κτιστὴ φύσις ἐαυτὴν προέτασε τῆς ἀκτίστου; Κτιστὴ φύσις, ὡς ὑμεῖς λέγετε, ἐτόλμησεν εἰπεῖν, συναριθμοῦσα ἐαυτὴν τῇ ἀσυγκρίτῳ ὑπεροχῇ, Ἐλευσόμεθα, καὶ μοῖνην παρ' αὐτῷ ποιήσομεθα; Διὰ μὲν γὰρ τοῦ, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατήρ, τὸ διάφορον τῶν ὀνομάτων ἐδείξε· διὰ δὲ τοῦ, Ἐλευσόμεθα, καὶ μοῖνην ποιήσομεθα, τὸ δρόμιον τῆς ἐνεργείας ἐδείξεν. Οὕτω καὶ ἐτέρω χωρίῳ Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου λέγοντος, Κύριε, δεῖξον ἡμῖν [572] τὸν Πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν, ἀποκρίνεται ὁ Σωτὴρ· Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἐγνωκάς με, Φίλιππε; Ἐναντία ἡ ἀπόκρισις τῇ ἐρωτῆσει. Μὴ γὰρ περὶ σοῦ ῥητέσθαι; Εἶπον, δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα· ὁ δὲ λέγει, Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἐγνωκάς με; Εἰ ἀνόμοιος, δι' ἀνόμοιον πῶς δὲ λένεται; πῶς διὰ τοῦ μικροῦ ὁ μέγας ὁρᾶται; πῶς διὰ τοῦ ἡλαττομένου ὁ τῇ ἀξίᾳ ὑπερέχων; πῶς διὰ τοῦ ὑπουργοῦ ὁ δημιουργός; Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι. Καὶ ο.κ εἶπε, Μεθ' ὑμῶν ἐστίν ὁ Πατήρ· ἀλλ', εἰμι. Ἐμοῦ γὰρ βντος, ὁ Πατήρ ἐστι. Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἐγνωκάς με; Καλὸν τὸ, Οὐκ ἐγνωκάς με; Ἐκεῖνος λέγει, δεῖξον· ὁ δὲ Σωτὴρ, Οὐκ ἐγνωκάς με; βουλόμενος δεῖξαι, ὅτι Θεὸν οὐκ ἔβρις, ἀλλὰ γινώσκεις παριστήσιν. Οὐ πιστεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ; Πάλιν τὸ, Ἐγὼ, καὶ τότε ὁ Πατήρ· Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἐμοί. Πῶς οὖν σὺ λέγεις, δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα; ἀντὶ τοῦ, Πῶς ὡς ἔτερον ἰδεῖν προσεδόχασα; Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἐμοί. Καὶ γνωρίζεται Υἱὸς διὰ Πατρός, καὶ Πατήρ διὰ Υἱοῦ. Πῶς σὺ λέγεις, δεῖξον ἡμῖν, ὡς ἄλλον παρ' ἐμὲ ζητῶν ἰδεῖν τὸν Πατέρα; Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἐμοί· οὐχ ὡς τῆς φύσεως συγκεχυμένης, οὐδὲ ὡς φιάλης ἐν φιάλῃ ἀποκειμένης. Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἐμοί. Οὐ σώμάτων λέγει συνθήκην, ἀλλὰ νοημάτων θεωρίαν. Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ· Πατήρ γὰρ ἀνευ Υἱοῦ οὐ γνωρίζεται. Καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἐμοί· Υἱὸς γὰρ ἀνευ Πατρός οὐ φαίνεται· ὡσπερ ὁ νοῦς ἐν τῇ λέγῃ, καὶ ὁ λόγος ἐν τῷ νῷ ἢ θεωρεῖται. Πόθεν δυνάμει τὴν ἐννοίαν σου εἰδέναι, ἢ δι' ὧν φθέγγῃ; Παριστᾷ σου ὁ λόγος τὸν νοῦν· ὁ νοῦς ὁ σὸς πάλιν ἐρμηνεύει σου τὸν λόγον. Ἐστίν ἰδεῖν λόγον, μὴ τὴν ἐννοίαν, καταμαθόντα, ὅτε τὴν ἐννοίαν καταλαβείν, μὴ τοῦ λόγου ἐρμηνευθέντος. Διὰ τοῦτο ὁ Εὐαγγ-

<sup>a</sup> Unus ms. et Bibl. οἱ ἐπιβλέποντες.  
<sup>b</sup> Duo mss. γράφοντες, πῶς λέγει.  
<sup>c</sup> Omnes mss. πρώτον θῆς, sed θῆς Editionum quadrat ad seriem.  
<sup>d</sup> Tres mss. εἰ ἀνόμοιος, τὸ ἀνόμοιον πῶς.

γελιστής. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, ἵνα τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως δείξῃ. Ὅπερ ἐστὶν ὁ λόγος πρὸς τὸν Πατέρα· καὶ τὸ θαυμαστόν (ἐπαναλήφωμαι γὰρ τινα τῶν προειρημένων), πρῶν ἡμῖν ἦν ὁ λόγος, ὅτι ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς μαθήσεις εἶπεν. Ὁ λόγος ὁ ἡμετέρος ἔσω μετὰ τοῦ γεννησαντος αὐτὸν ἐστὶ νοῦ. Μὴ ὁρατὸς ἐστὶ μετὰ ὁρατός; Ἀόρατος ἐστὶ μετὰ ἀοράτου, νοητὸς μετὰ νοητοῦ, ἀσώματος μετὰ σώματος. Ὅταν δὲ μέλλῃ προερχεσθαι ὁ λόγος, χωρεῖ ἐπὶ τὸ στόμα, κάκειθεν αὐτῷ ἔνδύεται φωνή, οὐχ ἕτερας αὐτῷ φύσεως τὴν φωνὴν παρεχούσης, ἀλλ' αὐτοῦ τοῦ λόγου αὐτῷ τὴν λέξιν ὑφαίνοντος. Καὶ ἀόρατος τὴν φύσιν μετὰ τοῦ πατρὸς ἦν, τοῦ νοῦ λέγω, τὴν φωνὴν ἔνδυσάμενος προέρχεται, καὶ γίνεταί πᾶσι δηλὸς ὁ πρὸ τούτου ἀδελγός. Εἶτα προσελθὼν καὶ πάντα πληροῖ, καὶ τῷ γεννησαντῷ αὐτὸν νοῦ οὐκ ἀφίσταται. Τίς γὰρ ἀνθρώπων, ἐπειδὴν λαλήσῃ λόγον καὶ ἄλλους διδάξῃ, αὐτὸν κενὸν τοῦ λόγου; Ἀρα ἐάν τι φθέγγωμαι, καὶ προέλθῃ εἰς ἄλλων ἀκοάς, τὸν ἐμὸν νοῦν ἔρημον κατέλιπον<sup>α</sup>; ἄρα οὐ προήλθεν ἔξω ὁ λόγος, καὶ ἔμεινεν ἔσω; οὐ μυρία ἀκόως ἐπλήρωσε, καὶ τοῦ γεννησαντος νοῦ οὐκ ἀνεχώρησεν; Εἶτα ὁ μὲν ἀνθρώπινος λόγος παρὰ τοῦ γεννησαντος νοῦ ἀποστελλόμενος, καὶ ἔξω προέρχεται, καὶ τὸν γεννησαντῷ οὐ καταλιμπάνει· ὁ δὲ Θεὸς, Λόγος, ἐπειδὴ δι' ἡμᾶς ἐφάνη εἰς τὸν κόσμον, τοὺς πατρώους κόλπους ἐρήμους κατέλιπεν; Οὐδαμῶς· ἀλλὰ καὶ τὸ θαυμαστόν, μυριάδες ἀκούουσιν ἔνδον αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ εἰς τοσοῦτους χωρῶν οὐ μερίζεται, ἀλλ' ὅλος ἐστὶ μεθ' ἐκάστου ἡμῶν τῶν ἀκουόντων, ὅλος μετὰ πάντων. Καὶ εἰ ὁ Πατὴρ ἐγέννησεν κατὰ ρεῦσιν καὶ τμήτιν, καὶ ἐμερίσθη καὶ διηρέθη, ὡς λέγουσι, λέγεται πρὸς αὐτοῦς ὁ Σωτὴρ· Ἐρευνάτε τὰς Γραφάς. Ἐρευνάτε, μὴ παραφθείρετε. Ἐρευνάτε, μὴ ἀπλῶς ἀναγινώσκοντες, ἀλλὰ τὰ βᾶθρ<sup>β</sup> τῶν νοημάτων ἐξιχνιάζοντες. Ὁ Θεὸς τὰς Γραφάς ἔδωκε, τὰς δὲ θεωρίας οὐκ ἐγύμνωσεν, ἀλλὰ κατέλιπε τῷ δρόμῳ τῷ σῶ, ἵνα σοὺ τὴν εὐγνωμοσύνην πείραξῃ, καὶ τὴν σπουδὴν ἰδῇ, ἵνα ἰδῇ σε, εἰ δουλεύεις Γραφαί; ἢ βιάξῃ Γραφάς. Ὅσπερ γὰρ τὴν φύσιν τῶν [573] πραγμάτων προέβηκεν ὁ Θεός, τὰς δὲ τέχνας ἐκρυψε· καὶ πάντα μὲν προεβλήθη ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, τέχνη δὲ ἐξ ἀνθρωπίνης ἐνοίας ἀπετέχθη· οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν Γραφῶν. Ἄλλ' ἵνα σαφηνίσω, ἔδωκεν ὁ Θεὸς λίθους, ἔδωκεν ὁ Θεὸς λίθων φύσιν, οὐκ οἰκοδομὴν ἔτοιμον· ἔδωκε σίτον, οὐκ ἄρτον· ἔδωκε βότρυ, οὐκ οἶνον· ἔδωκε τὴν τῶν ἑρίων φύσιν, οὐκ ἱμάτιον· ἔδωκε γῆν γεωργούσαν χρυσόν, ἀλλ' οὐ χρυσόν. Διὰ τί; Ἐπειδὴ ἐν εἰκόني Θεοῦ ποιεῖ τὸν ἀνθρωπον, μερίζεται τὴν δημιουργίαν· αὐτὸς κτίζει, κάκεινου τῆ τέχνῃ ρυθμίζει τὴν δημιουργίαν. Ἐπειδὴ κατ' εἰκόνα αὐτοῦ ποιεῖ τὸν ἀνθρωπον, μερίζεται πρὸς αὐτὸν τὸν γενόμενον τὴν εὐγένειαν<sup>δ</sup>. Αὐτὸς ἐργάζεται ὡς δημιουργὸς καὶ ὡς Θεός, ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα παραγαγών· αὐτὸς ἐπάγει τὴν φύσιν τὴν μὴ οὖσαν· παραχωρεῖ δὲ τῆ εἰκόني κοσμεῖν τὰ γεγεννημένα. Ἐννόησον τίς ἦν ὁ ἀνθρωπος ὁ πρῶτον ἀροτρον πηξάμενος, πῶς ἐνενόησε ταμεῖν ἔξωλον, παρεμβαλεῖν μέσον σιδηρον, τῆ ἄρμονιζ σφίγγει, ζυγὸν ἐπινοήσαι, ῥυθμὸν εὐθύναι, βόας συναγαγεῖν. Ὑψίλον ἦν, σιδηρον ἦν, ἀλλ' ἡ τέχνη οὐ παρῆν. Τίς σοι εἶπεν, ἄνθρωπε, ὅτι ἀροτρον οὕτω πήγνυται; τίς ὑπέβαλε σοὶ τὴν ἀβάμαστον φύσιν τοῦ σιδηρου πυρὶ μαλάττειν; τίς ὑπέδειξέ σοι ἐκ τοσαύτης παχύτητος ραφίδα μικρὰν ἐργάσασθαι; τίς ἐπενόησεν ἐν τῆ διανοίᾳ ἐκ λίθων κατασκευάσαι θυρῶν κατασκευὴν; ὁρῶσιν ἐπίνοιαν πόθεν ἐμπέδεις, εἰπέ μοι, ἄνθρωπε; Πολύ, φωνῆν, ὡς ἀπειρος, ξενίην. Εἰκόνα Θεοῦ ὄρας, καὶ ἐρωτᾷς μανθάνειν; Διὰ τοῦτο, ἀδελφε, πανταχοῦ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις τὸν αὐτῆς Δεσπότην μιμουμένην, τῆ τέχνῃ τὴν φύσιν κοσμεῖ. Ἄλλ' ἔως μὲν τῷ μέτρῳ μετρεῖται, καλῆ· ἐκβαίνουσα δὲ τὰ μέτρα, ἐκ τῆς ἀμετρίας ὑβρίζεται. Οἶον, ἐπενόησε πῶς ὑποτάξει βουὸν καὶ ἵππον καὶ κάμηλον, καὶ ὅσα τῶν ἀλόγων εἰς ὑπηρεσίαν ἐδόθη· ἀπὸ δὲ πλεονεξίας ἐπενόησε μίξαι τὰ παρὰ φύσιν. Ἐμίξεν δὲν ἵππου, τοῦ Θεοῦ τοῦτο μὴ θελήσαντος, ἀλλ' ἀπ' ἀρχῆς εἰρηκότος· Ἐξαιργάτω ἡ γῆ τετράποδα καὶ ἑρπετὰ κατὰ γένος. Ἡ πλεονεξία ἐμίξε τὰ παρὰ φύσιν. Ὁ Θεὸς κολάζων τὴν ἀμετρίαν, ἀγονον ἐποίησε τὴν ἐπί-

<sup>α</sup> Savil. conj. αὐτῷ.

<sup>β</sup> Duo κατέλιπεν.

<sup>γ</sup> Sic duo recte. In editis τῷ βάθει.

<sup>δ</sup> Sic unus recte. Editi εὐγενέσιαν.

νοειαν. Ὅθεν ἡμίονος οὐ τίττει, διότι οὐκ ἐστὶν ἐξ ἐκείνων τῶν τότε γενομένων, τῶν ἀκουσάντων, Αὐθένεσθε, καὶ πληρώσατε τὴν γῆν. Ὅμως καὶ πρὶν ποίησιν, συγχαρεῖ τῆ εἰκόني ἃ βούλεται, ἵνα τὴν δύναμιν αὐτῆς δείξῃ καὶ τὴν ἀμετρίαν αὐτῆς καλῶσῃ.

δ. Πάλιν ἡ ἀμετρία τῆς ἐπιθυμίας ἐπεβάλετο ποιῆσαι ἀνθρώπου μορφήν, μιμουμένην, ψησί. Θεὸν ἐργάζομενον· καὶ ποιεῖ σώματος εἰκόνα, καὶ βιάζεται τῆ τέχνῃ τὴν φύσιν, καὶ ἐπειδὴ ἤκουσεν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀπὸ γῆς ἐποίησε τὸν ἀνθρωπον, καὶ ἔπλασεν, ἀπορούσα ἡ τέχνη μιμησασθαι τὸν αὐτῆς Δεσπότην κατὰ τὴν ἀλήθειαν, ταῖς ἐπινοίαις πορίζεται τὸ ἀμύχανον, καὶ συνάγει βίβας, καὶ κινᾷ τὰ χρώματα, καὶ μιμεῖται ὀφθαλμὸν βλέποντα, καὶ μὴ βλέποντα, ἀνεμυγμένον, ἀκοὴν ἀναπαταμένην, ἀλλ' οὐκ ἀκούουσαν, βίβας ἐπ' εὐθείας ἐπιτεταμένας, ἀλλὰ πνοὴν ἔλκειν μὴ δυναμένας, στόμα διατετατωμένον, ἀλλὰ τῆς φωνῆς ἐσθημένον, πόδας καλῶς ἐρρυθμισμένους, ἀλλὰ πρὸς δρόμον οὐκ ἔχοντας ἐπιτηδειότητα· ἵνα δείξῃ, ὅ, τι συνέχωρσε τῆ εἰκόني, ἵνα δειγθῇ ἡ τοῦ Θεοῦ ἐνέργεια. Πάντων δὲ ἀψάσθαι οὐ συνεχώρησεν, ἵνα μὴ εἰσελθοῦσα εἰς ἀλαζονείαν, αὐτῆς ἀπογῆν καὶ τῆς αὐτῆς σωτηρίας. Ὅμως συνεχώρησεν ἀπὸ τῆς γῆς ζωγράφος ποιεῖν, ἵνα ἐντρέψῃ τοὺς ἀρνούμενους, ὅτι ἀπὸ γῆς ἔπλασεν ὁ Θεὸς ἀνθρωπον. Ἄλλ' ἡ τέχνη ἐμίχθη τὸν δημιουργόν. Εἶδε σῶμα καταμηθὸν σιδήρῳ· οἶον, ἀπεκόπη τῷ σιδήρῳ μέρος τῆς σαρκός· δὲ ἀναπληρωθῆναι τὸ κοιλανθῆν, δεῖ οἰκοδομηθῆναι τὴν βρωθίμειαν σάρκα· δημιουργὸς οὐκ ἐστὶν, ἵνα σάρκα κλάσῃ. Τί οὖν; Ἡ τέχνη τῆς εἰκόνης τὴν φύσιν τοῦ Δεσπότη μιμουμένη, ἔδραμεν ἐπὶ τὴν γῆν, ἐξ ἧς τὸ σῶμα, κατασκευάζει φάρμακα, ποιεῖ τὰς ἐμπλάστρους, καὶ ἡ μὲν καθαίρει, ἡ δὲ οἰκοδομεῖ. Καὶ ὅρα τὸ θαυμαστόν. Ὁ Θεὸς καθάηται ὡσπερ πατὴρ καὶ παιδευτής, ὁρῶν τῆς αὐτοῦ εἰκόνας [574] τὰ ἔργα. Καὶ ὡσπερ πατὴρ ἐρωτᾷ τὸν υἱόν, τὸδε τὸ νόημα τί βούλεται; οὐχ ἵνα μάθῃ, ἀλλ' ἵνα δοκιμάσῃ· οὕτως αἰεὶ ἡ πηγὴ τῶν ἀγαθῶν τὴν αὐτῆς εἰκόνα παιδεύουσα, προσάγει αὐτῆ ζητήματα. Πρόσῃγαγε τῷ Ἀδὰμ τὰ ζῶα τὰ ἄλογα, τὰ πετεινά, ἵδεν τέ καὶ αὐτά, οὐχ ἵνα μάθῃ ὁ πάντα προῖδων, ἀλλ' ἵνα δοκιμάσῃ τὴν εἰκόνα, εἰ ἐπιτηδεῖα τῶν κατανοήσων. Εἰσῆλθεν οἰκοδομικὴ, ἤλθε τεκτονικὴ, ναυτικὴ, χαλκευτικὴ<sup>ε</sup>, κατανοήσις ἄστρων, οὐχ ἡ περιέργου, ἀλλ' ἡ τὴν θέσιν ὁρῶσα, ἡ τοῖς πλείουσιν ἐπιτηδεῖα, ἡ παρατηρουμένη ἄστρων ἀνατολὰς, καὶ τὸν καιρὸν τῆς εὐπλοίας γνωρίζουσα, οὐχὶ γένεσιν πλάττουσα, καὶ εἰμαρμένην μυθολογούσα, ἀλλ' ἡ ἀκολουθοῦσα τῆ φωνῇ τοῦ Δεσπότη· Ποιήσωμεν φωστῆρας ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἔστωσαν εἰς σημεῖα καὶ εἰς ἡμέρας καὶ εἰς καιρούς. Προήλθον ἡ εἰκὼν, καὶ ἐξιχνιάζει τὴν φύσιν· ζητεῖ βοτάνας, εὐρίσκει· ζητεῖ βίβας, καταλαμβάνει· πάντων ἐνδύσεται τεχνίτης, καὶ πάντων ἐπινοητής. Ἄλλ' ἵνα μὴ νομίσῃ, ὅτι αὐτὴ εὐρεν ἐξ αὐτῆς, καὶ οὐ παρὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἐνθέντος τῆ φύσεως τὴν δύναμιν, δι' ἔνδον λόγου δεικνυσίον, ὅτι πάντων τούτων διδάσκαλος τῆς ἡμετέρας φύσεως ὁ Θεός. Προήλθεν ὁ μακάριος Σολομὸν λέγων· Αὐτὸς γὰρ μοι δέδωκε τῶν ὄντων τὴν γῆσιν ἀψευδῆ, εἰδέναι σύστασιν κόσμου, καὶ ἐνέργειαν στοιχείων, ἀρχὰς καὶ τέλη καὶ μεσότητα χρόνων, ἐνιαυτοῦ κύκλους, καὶ ἀστέρων θέσεις, φύσεις ζῶων καὶ θυμῶν θηρίων, διαφορὰς φωτῶν καὶ δυνάμεις ριζῶν, ὅσα τέ ἐστιν ἀφανῆ καὶ ἐμφανῆ, ἔγνω ἐγὼ ὁ ἀνθρωπος. Ἡ εἰκὼν πῶς ἔγνω; Ὁ γὰρ πάντων τεχνίτης εἰδίδασξέ με σοφίαν. Ἐδίδαξέ σε τὰ μέτρα, οὐ τὰ ἀμετρα. Ὅρα γὰρ πῶς εἰς πολλὰς ἀμετρίας ἐξεχύθη ἡ τέχνη ἡ ἀνθρωπίνη, καὶ ἦν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. Ἐνενόησε πῶς τὸ τῆς φωνῆς ὄργανον ἀποδίδουσι, καὶ κατανοοῦσα τὴν φύσιν, μιμεῖται τῆ τέχνῃ τὴν φύσιν. Ἐπινοεῖ τὴν τοῦ ὄργάνου φύσιν, τοῦτο τοῦ πολυδύναμου ὄργάνου, τοῦ ἐκ πολλῶν καλάμων ὑφασμένου. Καὶ ὅρα τί ποιεῖ, πῶς ἡ τέχνη πρὸς τὴν φύσιν αὐτῆν ἠκριβώσεν. Ἐπενόησεν ἀσκούς, οὐκ ἐξ αὐτῶν προφέροντας τὸ πνεῦμα, ἀλλὰ ἀναπτυσσόμενους καὶ δανεϊζόμενους πνεῦμα ἀλλότριον. Εἶτα ἀπὸ τῶν δύο ἀσκῶν εἰς σωληνοδογεῖον τὸ πνεῦμα, εἰς πάντας τοὺς καλάμους παραπέμπων τὸ πνεῦμα, καὶ ἐκπενόησε καὶ τὸ πνεῦμα βεῖν, καὶ φωνὴν μὴ εἶναι. ἔως ἂν ὁ δάκτυλος σχηματίσῃ τὸν φθόγγον. Καὶ πόθεν τοῦτο, ἄνθρωπε; πόθεν κατασκευάσας ὄργανον, καὶ δοχεῖον πνεύματος; διὰ τί βέον τὸ πνεῦμα ἤχον οὐκ ἀποτελεῖ

<sup>ε</sup> Post χαλκευτικὴ duo addunt βαρπτικὴ.

ham erga Patrem : quodque mirum est (quædam enim jam præmissa repetam), nuper dicebamus, ex iis quæ ad nos spectant, ea quæ supra nos sunt ediscere et loqui possumus. Sermo noster intus est cum mente, quæ ipsum generavit. Num visibilis est cum visibili? Invisibilis est cum invisibili, intelligibilis cum intelligibili, incorporeus cum incorporeo. Cum proditurus est sermo, in os venit, ibique voce induitur; non alia natura vocem ipsi suppeditante, sed ipse sermo sibi dictionem textit. Et invisibilis natura cum patre, cum mente dico, indutus voce exit, et omnibus sit notus qui ante ignotus erat. Deinde cum prodiit, et omnia implet, et a mente quæ ipsum genuit non separatur. Quis enim hominum, cum loquutus fuerit verbum, aliosque docuerit, seipsum sermone vacuum reddit? An si quid loquar quod in aliorum aures perveniat, mentem meam desertam reliqui? an non sermo exiit et intus mansit? annon sexcentas aures implevit, et a generante mente non abscessit? Jam vero humanus sermo a generante mente emissus, et foras prodiit, et generantem non relinquit? Deus autem Verbum, quia propter nos in mundo apparuit, paternus sinus vacuos reliquerit? nequaquam: sed quod admirabile est, innumeri unum ipsum Deum Verbum audiunt, et cum ipsum ad tot tantosque pervadat, non tamen dividitur, sed est totum in singulis nostrum audientium, totum cum omnibus, et si Pater fluxu quodam et sectione genuit, ac divisus sectusque est, ut aiunt, dicat illis Servator: *Scrutamini Scripturas* (Joan. 5. 39). *Scrutamini*, ne corrumpatis. *Scrutamini*, non simpliciter legentes, sed profundum sententiarum investigantes. Deus Scripturas dedit, sed altam earum mentem non patefecit, verum meditationis tuæ cursui reliquit, ut probitatem tuam exploraret, et diligentiam perspiceret, videretque an Scripturis inservias, an vni ipsis inferas. Quemadmodum etiam naturas rerum proposuit Deus, artes vero occultavit: et omnia a Deo in medio posita sunt, ars vero ab humana mente originem duxit: sic et in Scripturis evenit. Rem planius declaro. Dedit Deus lapides, dedit Deus lapidum naturam, non ædificia parata: dedit frumentum, non panem; dedit uvam, non vinum; dedit lanæ naturam, non vestimentum; dedit terram auro fecundam, non aurum. Quare? Quia ad iraginem Dei fecit hominem, creationis opus partitur: ipse creat, et illius arte creaturam concinnat et ornat. Quoniam ad imaginem suam fecit hominem, opificiorum nobilitatem cum ipso communicat. Ipse operatur ut Creator et Deus, ex non exstantibus omnia producat; ille naturam educit, quæ non exsistebat: imagini vero suæ id concedit, ut opificia exornet. Cogita quis primus homo aratum compegit, quomodo excogitaverit lignum secare, ferrum medium immittere, concinne constringere, jugum adinvenire, tensionem dirigere, boves jungere. Lignum jam erat, ferrum erat, sed ars non aderat. Quis tibi dixit, o homo, aratum hoc modo confici? quis suggestit tibi indomitam ferri naturam igne enolliri? quis monstravit tibi ex tanta crassitudine exiguum acum fabricari? quis excogitavit ex lapidibus januarum apparatus construere? dic mihi, homo, tectorum inventum unde edidicisti? Multum stupes, inquiet, utpote imperitus. Imaginem Dei vides, et sciscitaris? Ideo, frater, natura humana Dominum imitatur suum, et arte naturam exornat. Verum quamdiu modum servat, pulchra est, ubi autem modum excedit, immoderati usus causa contumeliæ est obnoxia. Exempli causa, excogitavit quomodo subjiceret bovem, equum, camelum, et quæcumque alia animalia ad ministerium data sunt: ex avaritia autem excogitavit illa miscere quæ natura diversa erant. Miscuit asinum equo præter Dei voluntatem, qui ab initio dixerat: *Educat terra quadrupedes et reptilia secundum genus* (Gen. 1. 24). Avaritia miscuit ea quæ natura diversa erant. Deus autem immoderatam illam concupiscentiam castigans, commentum infecundum reddidit. Ideo mula non parit, quia non est ex numero eorum quæ tunc facta sunt, et audie-

runt, *Crescite et replete terram* (Gen. 1. 28). Attamen prius quam faciat, imagini concedit ut ea faciat quæ velit, ut ejus potentiam ostendat, et immoderatum usum castiget.

4. Rursus immoderata cupiditas suggestit homini ut formam effligeret hominis, Deum, ut ait, operantem imitans imaginem corporis efficit, et arte sua vim naturæ infert. Et quia audivit Deum e terra fecisse formasseque hominem, cum non possit ars illa secundum rei veritatem Dominum suum imitari, solertia sua rem, quæ fieri nequeat, quodammodo exprimit: radices colligit, colores miscet, imitaturque oculum videntem, e: non videntem, licet apertum, aures apertas, et non audientes: nares rectas, sed quæ respirare non possint, os efformatum, sed voce privatum, pedes recte concinnatos, sed ad cursum inhábiles: ut demonstret quid ille imagini concesserit, et hinc divina vis ostendatur. Non permisit autem, ut omnia aggredere tur, ne in arrogantiam elata de se suaque salute postea desperaret. Attamen permisit ut pictores de terra id exprimerent, ut pudore affligeret eos qui negarent Deum de terra hominem efformasse. Attamen ars imitata est Creatorem. Vidit corpus ferro sectum; exempli causa, amputata ferro fuit carnis aliqua pars: oportet impleri excavatum illud, oportet ædificari consumptam carnem: Creator non adest, qui carnes efformet. Quid igitur? Imaginis ars Domini naturam imitata, ad terram cucurrit, ex qua corpus, medicamenta parat, emplastra conficit: et illa quidem expurgat, hæc autem ædificat. Et vide rem mirabilem. Deus sedet quasi pater et magister, imaginis suæ opera videns. Ac quemadmodum pater interrogat filium, Quid sibi vult hæc cogitatio? non ut discat, sed ut exploret: ita quoque semper fons ille bonorum, imaginem suam instituens, questionibus ipsi proponit. Adduxit ad Adamum bruta animalia et volatilia, ut videret quid vocaret ea (Gen. 2. 19), non ut edisceret is qui omnia prospicit, sed ut probaret imaginem nun apta esset ad excogitandum. Ingressa est ars ædificandi domos, ingressa est architectonica, nautica, æraria<sup>1</sup>, scientia astrorum, non illa curiosa, sed quæ eorum positionem explorat, quæ navigantibus utilis est, quæ observat stellarum ortus, et tempus navigationis indicat, non quæ genesim fingit: et fatum fabulatur, sed quæ sequitur vocem Domini, *Faciamus luminaria in cælo, et sint in signa et in dies et in tempora* (Gen. 1. 14). Prodiit imago illa, et naturam investigat: quærit herbas, invenit: quærit radices, deprehendit, omnium artifex atque inventor deprehenditur. Verum ne putet se ex seipsis invenisse, non autem virtute ejus qui naturæ virtutem indiderat, uno verbo demonstrat natura: nostræ unum doctorem fuisse Deum. Prodiit beatus Salomon dicens: *Ipsæ enim dedit mihi rerum cognitionem certam, ad sciendam constitutionem mundi, et elementorum effraciam, fines, principia et media temporum, anni circulos, et stellarum positiones, naturas animalium, et furoros ferarum, differentias plantarum et virtutes radicum, quæ sunt aperta et occulta, novi ego homo* (Sap. 7. 17-21). Imago quomodo cognovit? Omnium enim Opifex docuit me sapientiam. Docuit te quæ secundum mensuram erant, non quæ secus. Attende enim in quantum modum excedentia effudit se ars humana, quæ erat imago Dei. Excogitavit quomodo vocis organum datum sit, et intellecta natura arte naturam imitatur. Excogitavit organi naturam, organi, inquam, multis tibiis, multis fistulis instructi. Et vide mihi quid faciat, quomodo ars ad naturam exprimendam sese comparet. Invenit utres, qui non ex seipsis spiritum et sonum ederent, sed qui explicati externum accipiant flatum. Deinde ex duobus utribus in flatus canalem, inque omnes calamos flatum emittens, excogitavit ut flatu etiam procedente nulla vox esset, donec digitus sonum efformaret. Et unde hoc, mi homo? unde concinnasti organum et receptaculum spiritus? cur effluens flatus

<sup>1</sup> Post, æraria, duc aklunt, ars suendi.

sonum non emittit apertis tibiis? Multum inquit, obstupescis, quia imperitus es. Paulo ante dicebam: Imago sum, naturam meam perspexi, et imitatus sum meipsum. Quomodo teipsum imitatus es? Vidi etiam in meipso flatum illum, quem mutuo accepi: sæpe namque thorax expansus et compressus aeris flatum accipit. Video arterias duas flatum emittentes, per os quasi per canalem. Video flatum prodire, neque verbum proferri, nisi lingua sonum conformaverit. Meipsum, inquam, vidi, et æmulatus sum, ex meipso artem Domini deprehendi, ut ait David: *Mirabilis acta est scientia tua ex me (Psal. 138. 6)*. Meipsum vidi, et Artificem laudavi: imitatus sum Dominum meum: arte naturam expressi. Neque enim organum turpe est, nisi cum turpium cantilenarum instrumentum efficitur: quemadmodum divina olim emittentur; non erant profana, nisi cum postea talia adinventata sunt ad voluptatem; attamen si sacra fuissent, ut ab initio, profana non essent. Quamobrem David, *Laudate eum in psalterio et cithara, in chordis et organo, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis jubilationis, in tympano et choro (Psal. 150. 3. 4)*. Utinam ergo inventum illud non in voluptatem et lasciviam versum esset, neque in idolorum cultum! Sed si eorum, quæ excogitaverat homo, fructum Deo obtulisset, non reprehensa fuisset artis solertia, si ad Domini notitiam usurpata fuisset. Non reprehensa fuisset cithara, si Deus per citharam prædicatus fuisset. Ideo beatus David, cum citharam compingisset, nec per citharam turpes hymnos caneret, sed sacros cantus modularetur, id consequutus est ut ejus cithara Deo consecrata, dæmonas fugaret. Cum enim Saulem regem dæmon exagitaret, cæderet, prosterneret, quando, inquit, beatus David citharam pulsabat, bene se habebat Saül, et allevabatur (1. Reg. 16. 23). Viden' artem omnem, si ad Dei placitum concinnetur, nihil habere mali, imo sic omnia nobis secundum lubitum processura fuisse?

5. Sed quo consilio ex theologia in artem et imaginis imitationem progressus sum? Ut dominicam vocem contra hæreticos (contra Anomæos) usurpemus. Quamnam? *Hypocrite, faciem cali et terræ nostis judicare (Luc. 12. 56)*: artes invenistis, inventa multa protulistis, et omnium Dominum Opificemque contumelia afficitis? Tu per artem tuam imitatus es Dominum, et similis ipsi renuntiatus es secundum imaginem et similitudinem, et me Creatorem dissimilem Genitori prædicas? Ego vos peccato subjectos liberavi, et me omnium Dominum in subjectionem vocatis? Etiam, inquit, scriptum est, quod *Filius subjiçietur (1. Cor. 15. 28)*. Dictum quidem est, sed secundum Dei potestatem. Neque nostra illa dicta, sed a Deo prædicata sunt. Jam vero, ut dictum illud sequar, concedo iis qui audierunt, ut illud ipsum intelligant. Ut itaque dictum illud sequar, num in futura illa creatione, in resurrectione subjiçietur? At tunc tu angelis eris æqualis. Nam ait Servator, *In resurrectione neque nubunt, neque nubunt, sed sunt ut angeli Dei (Math. 12. 25)*. Tu ex ordine tuo in altioem es erigendus, et Filius ex dominatu in subjectionem veniet? Non audisti Paulum dicentem: *Vanitati enim creatura subjecta est, quia et ipsa creatura simul ingemiscit et parurit usque nunc (Rom. 8. 20. 22)*. Creatura, cælum, terra et cætera omnia. *Vanitati enim creatura subjecta est, non volens*. Cui vanitati? Humanæ. Cur ipsum vocat vanitatem? Quia ex illa imagine in similitudinem brutorum degeneravit. Nam *Vanitas vanitatum, omnia vanitas (Eccle. 1. 2)*. Et David: *Veruntamen universa vanitas, omnis homo vivens (Psal. 38. 6)*. Huic ergo vanitati, homini corrupto creatura subjecta est. Quomodo subjecta? Oritur sol indignis, scaturiunt fontes ingratis, terra fructus suos profert improbis. Subjecta ergo est creatura vanitati non volens. Si enim ex ejus arbitrio, non lubens subjiçeretur indignis; sed propter eum qui se subjiçit subjiçitur. Quo scopo? Spe. Qua spe? *Quia, teste Paulo, liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (Rom.*

8. 21). Creaturam tunc liberatur, et Filius in servitute redigitur? *Scrutamini Scripturas (Joan. 5. 39)*, ne calumniemini; scrutamini ne curiosius perquiratis; scrutamini credentes, non contradicentes. Unde hæc dicere didicisti, Qui erat genitus est, an qui non erat? unde dicere didicisti, Gignere et creare apud Deum idipsum est? num Petrus hæc te docuit? num Paulus suggestit? At Servator, inquit, hæc nobis tradidit. Lege Scripturam, et legem reverere. Cæterum neque in dictis suis sibi constat. Cum enim interrogat, Cum esset, genitus est, an cum non esset? mentitur. Nam id quod non confitetur examinat, Primo consistere, quod genitus sit, et tunc interroga, Qui erat, an qui non erat? Rem negas, et verba exploras? Quem non confiteris genitum esse, cur de illo quæstionem moves? Qui erat, genitus est, an qui non erat? Primum pone genitum esse, et tunc quære. Naturam negas, et verba exploras? Creare et gignere idipsum est? Undenam Filius? dicat aliquis eorum. Nisi prius duorum ordo constitutus palam sit, mensque consonet, non possum dicere, quod cernere et videre unum sit: unum namque dixi. Si autem dixerò, audire et videre unum esse, tunc videor disparata dicere, quantum ad visum, consentanea vero, quantum ad auditum: quoniam apud Deum idipsum est. Unde nosti creare et gignere idipsum esse? Si enim genuit et creavit, probe dicis idipsum esse. Si vero secundum te numquam genuit, sed creavit, quomodo gignere et creare idipsum sit? Verba futilia, verba vana, rerum veritas constat. Cur circa illud gignere et creare arguantur? Deus, inquit, simplex est, et non sicut nos, qui per partem aliam gignimus, per aliam condimus; verbi gratia, genitalibus membris gignimus, manu condimus. Sed non ita Deus: simplex enim est et figuræ expers: at quo modo gignit, eodem condit. Cum de invisibilibus edisseras, importuna illa et vana philosophia inflatus, vel una ex rebus quæ sub aspectum cadunt, rem tibi persuadeat: nempe eodem plane modo, non pulchrum fore, si quæ facta sunt eandem habent virtutem. Accipe manum meam quæ sub aspectum cadit, ut ex visibilibus ad invisibilia argumentum ducatur. Manus hæc cum per seipsam una sit, et diversa operetur, non potest ea quæ perficiuntur sub uno cogitandi genere exhibere. Exempli causa, eadem manu efficio et destruo; ergone quia ejusdem manus est efficere et destruere, utrumque idipsum est? Atqui non idipsum est. Quandoquidem dicunt illi, nos alio modo gignere, alio operari: dicam et ego, eodem modo, eadem manu condo, eadem destruo, et verbero, et curo. Eritne igitur verberare et curare idipsum? Eadem manu stantem impello, et lapsum erigo, eadem manu calculum pono, eadem resolvo. Eritne ergo calculum ponere et resolvere idem? Annon hæc omnem insaniam superant? annon hæc fabulæ et ineptiæ? Annon Pauli animus ingemiscit? annon Petrus indignatur, cum tot verbis contra divinam doctrinam debacchentur? Christum repudiasti, et aliorum doctrinam amplexus es. Annon audisti Christum dicentem, *Qui me erubuerit et sermones meos (Marc. 8. 38)*? Multi sæpe Christum confitentur, quos tamen pudet doctrinæ ejus. Confitetur Christum hæreticus, sermonem autem movet de Patre et Filio, et pudet illum dicti, atque: Num genuit, qui passionis est expers? Ergo per effluxum, ergo per operationem.

6. Viden' quam ipsum verbi pudeat? O stultitiam! Verba ancupantur, et virtutem non accurate examinant: omnia quippe labefactavit vanitas. Quod vero sæpe dixi, hæreticorum hæc principia, hi fontes manifesti sunt. Hanc hæreticam doctrinam Ecclesia habet, inquit, dic, quis existimaverit genitum esse. Quis hujusce, quam tu putas hæresin esse, auctor est? A principio apostoli prædicarunt; post apostolos Nicæna synodus confirmavit. Ut autem palam esset hanc totius orbis esse fidem, ex tot congregatis septem tantum dissenserunt, qui etiam abdicati sunt. Totus orbis consensus, quia ex massa apostolica erat.



των ἀλλῶν ἡνεωγμένον; Πολύ, φησι. ξενίζη, ὡς ἀπειροῖ. Εἶπον προλέγων· εἰκὼν εἰμι, τὴν ἑαυτοῦ οὖσιν εἶδον, καὶ ἐμμησάμην ἑαυτόν. Πῶς ἐμμήσω ἑαυτόν; Εἶδον καὶ ἐν ἑαυτῷ τὸ πνεῦμα τοῦτο δεδανεισμένον· συνεχῶς γὰρ ὁ θῶραξ ἀναπτυσσόμενος καὶ συμπτυσσόμενος δέχεται τὴν εἰσορῆν τοῦ πνεύματος. Βλέπω δύο ἀρτηρίας πεμπούσας τὸ πνεῦμα παραχωρεῖν ὡς ἐν σωλῆνι τῷ στόματι. Ὅρω δὲ τὸ πνεῦμα προχωρεῖ, καὶ ὁ λόγος οὐ γίνεται, ἐὰν μὴ ἡ γλῶσσα τὸν φθόγγον σχηματίσῃ. Εἶδον ἑαυτόν, καὶ ἐξήλωσα ἑαυτόν, ἐξ ἐμοῦ κατέλαθον τὴν τέχνην τοῦ Δεσπότη. ὡς λέγει Δαυὶδ· *Ἐθαυμαστώθῃ ἡ γνώσις σου ἐξ ἐμοῦ*. Ἐμαυτὸν εἶδον, καὶ τὸν τεχνίτην ἐπήνεσα· ἐμμησάμην τὸν ἑαυτοῦ Δεσπότην· τῆ τέχνην τὴν φύσιν παρέττησα. Οὐδὲ γὰρ φαῦλον τὸ ὄργανον, ἀλλ' ἐπειδὴν αἰσχυρῶν ἁμαρτιῶν γένηται ὄργανον· ὡσεὶ θεῖα ἐλέγετο ἀπ' ἀρχῆς· οὐκ ἦν βέβηλα, εἰ καὶ τῆ ἀμετρίας ἐπενοήθη εἰς τρυφήν· ἀλλ' ἤμωσ εἰ καθιέρωτο, ὡσπερ ἀπ' ἀρχῆς, οὐκ ἦν βέβηλα. Διδ καὶ ὁ Δαυὶδ, *Αἰνεῖτε αὐτόν ἐν ψαλτῆρι, καὶ κιθάρῃ, ἐν χορδαῖς καὶ ὄργανῳ, ἐν κυμβάλις εὐήχοις, ἐν κυμβάλις ἀλαλαγμοῦ, ἐν τυμπάνῳ καὶ χορῷ*. Εἴθε οὖν ἡ ἐπίνοια μὴ πρὸς τρυφήν ἀκολασίας ἐπάρατη, μὴ εἰς προσκύνησιν εἰδώλων. Ἄλλ' ἔν ἂν ἐπενοήσε. τῶντων τοὺς καρπούς εἰ ἀπειδίτου τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἐμμέμφθη ἡ ἐπίνοια τῆς τέχνης, εἰ τὴν Δεσπότην ἐκνώρισε. Οὐκ ἂν ἐμμέμφθη ἡ κιθάρα, εἰ θεὸς διὰ τῆς κιθάρης ἐκηρύττετο. Διὰ τοῦτο ὁ μακάριος Δαυὶδ, [575] ἐπειδὴ κιθάραν ἐπέψατο, διὰ δὲ τῆς κιθάρης οὐκ αἰσχυρῶς θύναος ἦσεν, ἀλλ' ἰερῶς ἐμμελεῖ λόγους, ἐγένετο ἡ κιθάρα καὶ Θεῷ καθοσιωμένη, καὶ δαιμονίων φυγαδευτήριον. Ὅτε γὰρ τὸν Σαοὺλ τὸν βασιλεῖα δαίμων κατέρουε, καὶ ἐρράπειτο, καὶ καταστρόνυεν, ἤνικα, φησὶν, ὁ μακάριος Δαυὶδ ἀνέκρουε τὴν κιθάραν, καλῶς ἐγένετο τῷ Σαοὺλ, καὶ ἐκουφίζετο. Ὅρα δὲ πᾶσα τέχνη, εἰ πρὸς ἀρεσκίαν ἤρμωσται Θεοῦ, οὐδὲν ἂν ἦν φαῦλον, ἀλλὰ πάντα κατὰ γκώμην ἂν ἦμιν ἀπήνησεν;

ε'. Ἄλλα τί βουλόμενος ἦλθον ἀπὸ θεολογίας εἰς τέχνην καὶ μίμησιν εἰκόνας; Ἰνα τὴν Δεσποτικὴν φωνὴν κατὰ τῶν αἰρετικῶν ἀποδώσωμεν. Ποίαν; Ἰποκριταί, τὸ πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς οὐδὲς δοκίμαζεν· τέχνας εὐρατε, ἐπινοίας πολλὰς ἐπενοήσατε, καὶ τὸν πάντων Δεσπότην καὶ τεχνίτην ὑβρίζετε; Σὺ τῆ τέχνη ἐμμήσω τὸν Δεσπότην, καὶ ἄμωσ ἀπηγγέλης κατ' εἰκόνα καὶ ὁμολώσιν, καμὲ τὸν δημιουργὸν ἀνόμιον τῷ γεννήσαντι κηρύττεται; Ἐγὼ ὑμᾶς ὑποπεταγμένους τῆ ἀμαρτίας ἡλευθέρωσα, καμὲ τὸν ἀπάντων Δεσπότην εἰς ὑποταγὴν καλεῖτε; Να, φησὶ, γέγραπται, *ὅτι Καὶ ὁ Υἱὸς ὑποταγήσεται*. Εἰρηται μὲν, κατὰ δύναμιν Θεοῦ. Οὐδὲ γὰρ ἡμέτεροι τὰ λεγόμενα, ἀλλὰ Θεοῦ τὰ κηρυττόμενα. Εἶτα ἵνα τῆ λέξει ἀκολουθήσω, συγχωρῶ τοῖς ἀκούσασιν εἰδῆναι τὰ λεγόμενα. Ἰν' οὖν τῆ λέξει ἀκολουθήσω, ἐν τῆ μελλούσῃ δημιουργίᾳ, ἐν τῇ ἀναστάσει ὑποταγήσεται τότε; Σὺ δὲ γίνῃ τότε ἰσάγγελος. Ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει τῶν νεκρῶν, λέγει ὁ Σωτὴρ, *οὐτε γαμοῦσιν, οὐτε γαμιζοῦνται, ἀλλ' οἰοῦν ὡς ἄγγελοι Θεοῦ*. Σὺ ἀπὸ τῆς σεαντοῦ τάξεως ἀνάγη, καὶ ὁ Υἱὸς ἀπὸ δεσποτείας εἰς ὑποταγὴν ἔρχεται; Οὐκ ἤκουσας Παύλου λέγοντος, *τῆ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις συστεινάει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν; Ἡ κτίσις, οὐρανῶ, γῆ, καὶ τὰ ἄλλα πάντα. τῆ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐκ ἐκούσα*. Ποία ματαιότητι; τῆ ἀνθρωπίνῃ. Ματαιότητα αὐτὸν διὰ τὴ καλεῖ; Ἐκτραπέντα τῆς εἰκόνας εἰς δημιουργοῦ τὰ ἀλόγων. Ματαιότης γὰρ ματαιοτήτων, τὰ πάντα ματαιότης. Καὶ ὁ Δαυὶδ· *Πλὴν τὰ πάντα ματαιότης, πᾶς ἀνθρώπος ὢν*. Τῆ οὖν ματαιότητι ταύτῃ, τῷ ἀνθρώπῳ τῷ παραφθαρέντῃ ὑπετάγη ἡ κτίσις. Πῶς ὑπετάγη; Ἀνατέλλει ὁ ἥλιος τοῖς ἀναξίοις, βρῦουσιν αἱ πηγάι τοῖς ἀχαρίστοις, φέρει ἡ γῆ τοὺς καρπούς τοῖς ἀγκυμοῖσι. Ὑπετάγη οὖν ἡ κτίσις τῇ Ματαιότητι, οὐκ ἐκούσα. Εἰ γὰρ κατὰ γκώμην, οὐκ ἂν ὑπετάγη τοῖς ἀναξίοις ἐκούσα· ἀλλὰ διὰ τὴν ὑποτάξαντα καὶ ὑποτάσσεται. Ποιῶ σκοπῷ; Ἐπιβίβι. Ποία ἐπιβίβι; Ὅτι καὶ αὐτῇ κτίσις (ταῦτὰ φησὶ Παῦλος) ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Ἡ κτίσις τότε ἐλευθεροῦται, καὶ ὁ Υἱὸς καταδουλοῦται; Ἐρευνᾶτε τὰς Γραφάς, μὴ συκοφαντεῖτε· ἐρευνᾶτε, μὴ πολυπραγμο-

νεῖτε· ἐρευνᾶτε πιστεύοντες, μὴ ἀντιλέγοντες. Πόθεν ἔμαθες λέγειν, ὡς ἐγεννήθη, ἢ οὐκ ἂν; πῶθεν ἔμαθες λέγειν, τὸ γεννησάμεν καὶ τὸ κτίσαι παρὰ Θεοῦ ταυτόν ἐστι; Πέτρος σε ταῦτα ἐδίδαξε; Παῦλος ὑπέθετο; Ἄλλ' ὁ Σωτὴρ ταῦτα ἡμῖν παρέδουκεν. Ἀνάγνωθι τὴν Γραφήν, καὶ δυσωποῦ τὸν νόμον. Πλὴν οὐδὲ οὗς λέγει ἐμμένει. Ὅταν γὰρ ἐρωτήσῃ, Ἄν ἐγεννήθη, ἢ οὐκ ὦν; φέουεται. Ὅ γὰρ μὴ ὁμολογεῖ, ἐξετάζει. Πρῶτον ὁμολογήσων, ὅτι ἐγεννήθη, καὶ τότε ἐρώτα, ὡς, ἢ μὴ ὦν. Τὸ πρᾶγμα ἀρνήθῃ, τὸ ρῆμα βασιλεύσει; Ὅν μὴ δίδως γεγεννησθαι, τοῦτο τὴν ἐρευναν τί ζητεῖς. Ἄν ἐγεννήθη ἢ μὴ ὦν; Ἄς ὅτι ἐγεννήθη· πρῶτον στήσων ὅτι ἐγεννήθη, καὶ τότε ζητεῖ. Ἀρνήθῃ τὴν φύσιν, καὶ τὴν λέξιν ἐξετάζει; Τὸ κτίσαι καὶ τὸ γεννησάμεν ταυτόν; Πόθεν ὁ Υἱὸς; λεγέτω τις αὐτῶν. Ἐὰν μὴ ἢ πρῶτον φανερὰ ἢ τάξις τῶν δύο, καὶ τότε ἡ διάνοια συμφωνῆ, οὐ δύναμαι εἰπεῖν τὸ ἰδεῖν καὶ τὸ βλέπειν ταυτόν· ἐν γὰρ εἶπον. Ἐὰν δὲ εἶπω, τὸ ἀκούσαι καὶ ἰδεῖν ταυτόν ἐστι, τότε δοκῶ τὰ διαφέροντα, οὐ μὴν καὶ τῆ ὄψε, συμφωνοῦντα δὲ τῇ ἀκοῇ λέγειν, ὅτι ταυτόν ἐστι παρὰ Θεῷ. Πόθεν οἶδας ὅτι τὸ κτίσαι [576] καὶ τὸ γεννησάμεν ταυτόν; Εἰ μὲν γὰρ ἐγέννησε καὶ ἐκτίσε, καλῶς λέγεις ταυτόν. Εἰ δὲ μηδέποτε ἐγέννησε, κατὰ σὲ, ἀλλ' ἐκτίσε, πού τὸ γεννησάμεν καὶ κτίσαι ταυτόν; Ῥημάτων κενοδοξία, ῥήματα κενά, πραγμάτων ἀλήθεια. Διὰ τί δὲ τὸ γεννησάμεν καὶ τὸ κτίσαι σοφίζονται; Ὁ Θεός, φησὶν, ἀπλούς ἐστι, καὶ οὐκ ὡσπερ ἡμεῖς· μέρει μὲν γεννώμεν, μέρει δὲ κτίζομεν· οἶον, τοῖς μὲν γεννητικοῖς γεννώμεν, τῆ δὲ χειρὶ κτίζομεν. Οὐχ οὕτω δὲ ὁ Θεός, φησὶν· ἀπλούς γὰρ καὶ ἀσημμάτιστος· ἀλλ' ὡς τῶν πρώτων γεννᾷ, τοῦτω καὶ κτίζει. Ἐπειδὴ περὶ ἀοράτων ἐπαγγέλλῃ, πεφουσιωμένος ὑπὸ τῆς ἀκαίρου ταύτης καὶ ματαίας φιλοσοφίας, ἐν τῶν ὀρωμένων σε πεισάτω, ὅτι τῷ αὐτῷ τρόπῳ τὰ γενόμενα μὴ καλὸν τὴν αὐτὴν ἔχειν δύναμιν. Λάβε χεῖρα τὴν ἐμὴν τὴν φαινομένην, ἵνα ἀπὸ τῶν φαινομένων ὁ ἐλεγχος δράμῃ τῶν ἀοράτων. Ἡ χεῖρ αὐτῆ μετὰ οὐσα καθ' ἑαυτήν, καὶ ἐργαζομένη διάφορα, οὐ δύναται τὰ αποτελούμενα εἰς μίαν θεωρίαν δεῖξαι. Οἶον, τῆ αὐτῆ χειρὶ κτίζω καὶ καταστρέφω· οὐκ οὖν, ἐπειδὴ τῆ αὐτῆ ἐστι τὸ κτίσαι καὶ τὸ καταστρέφαι, ταῦτον ἔρα; Ἄλλ' οὐ ταυτόν. Ἐπειδὴ λέγουσιν, ὅτι ἡμεῖς ἄλλως γεννώμεν, καὶ ἄλλως κτίζομεν· λέγω καγῶ, τῷ αὐτῷ τρόπῳ κτίζω, τῆ αὐτῆ χειρὶ, καὶ καθαίρω τῆ αὐτῆ χειρὶ, καὶ τῷ αὐτῷ καὶ θεραπεύω. Ἔσται οὖν τὸ τυφᾶν καὶ τὸ θεραπεύσαι ταυτόν; τῆ αὐτῆ χειρὶ καὶ ὡθῶ τὸν στήχοντα, καὶ ἐγείρω τὸν πεσόντα· τῆ αὐτῆ χειρὶ καὶ ψηφίζω, καὶ λύω τὴν ψῆφον. Ἔσται οὖν καὶ τὸ ψηφίσαι καὶ τὸ λύσαι τὴν ψῆφον ταυτόν; Ταῦτα οὖν οὐκ ἐστι μωρολογίας ἐπέκεινα; ταῦτα οὐ μῦθοι, καὶ ἀκαίρια; Ἄρα οὐ στένει ἡ ψυχὴ Παύλου; οὐκ ἀγανακτεῖ Πέτρος, τοιοῦτων ῥημάτων κωμαζόντων κατὰ τῆς θείας διδασκαλίας; Ἀπέγνωσ τὸν Χριστὸν<sup>b</sup>, καὶ ἔμαθες τὰ ἔτερον. Οὐκ ἤκουσας τοῦ Κυρίου λέγοντος; *Ὅς ἂν ἀσχυρῆθῃ με, καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους*. Πολλοὶ πολλάκις Χριστὸν ὁμολογοῦσι, τοὺς δὲ λόγους αὐτοῦ αἰσχύνονται. Ὅμολογεῖ Χριστὸν αἰρετικὸς, ἔρχεται δὲ εἰς τὸν λόγον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, καὶ αἰσχύνοται τὸ ρῆμα, καὶ λέγει· Ἐγέννησε γὰρ ὁ ἀπαθής; Οὐκ οὖν κατὰ βεῦσιν, οὐκ οὖν κατὰ ποίσι.

ς'. Ὅρα δὲ αἰσχύνη τὸ ρῆμα; Ὡς τῆς ἀνοίας! Ἐγένετο λέξων θηράται, καὶ οὐ τῆς δυνάμεως ἀκριβεῖς ἐξεταστὴ· πάντα γὰρ ἐρθεῖεν ἡ ματαιότης. Ὁ δὲ πολλάκις εἶπον, τῶν αἰρετικῶν ἀρχαί· αὐτὰ καὶ αἱ πηγάι ὄηλαι. Ἡ Ἐκκλησία αἰρετικῶν ἔχει διδασκαλίαν. εἰπέ τὸν ἡγησάμενον γεγεννησθαι τοῦ προεξηρημένου. Τίς ἐστὶν ὁ ταύτην καθ' ἡμᾶς, ἦν σὺ καλεῖς αἰρεσιν, γεννήσας; Ἀπ' ἀρχῆς ὁ ἀπόστολος ἐκθροῦσάν· μετὰ τοῖς ἀποστόλοις ἦ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος ἐθεσάλωσε. Καὶ ἔρα δειχθῆ, ὅτι οἰκουμένης ἦν ἡ πίστις, τοιοῦτων συναχθέντων, ἐπὶ τὰ μόνον διεφώνησαν, οἱ καὶ ἀπεκηρύχθησαν. Πᾶσα ἡ οἰκουμένη συνεφωνήσεν, ἐπειδὴ τοῦ φωράματος ἦν τοῦ ἀποστολικοῦ. Καὶ ὄρα τὸ θαυμαστόν· καὶ ἐμμησάτο ἡ Νέα δι' οἰκονομίας τὴν Παλαιάν· Ὅτε οἱ βασιλεῖς Ἀσσυρίων ἐπῆλθον ἐπὶ τὴν γῆν τῆς Παλαιστίνης, ἐξῆλθεν Ἀβραάμ κατὰ τῶν ἀλλοφύλων, κατὰ πάντες βασιλείων· ἐξῆλθε μόνος, ὁ πιστός. Καὶ πόσους στρατεύει κατ' αὐτῶν; Δούλους τριακοσίους οἰκογενεῖς καὶ δεκαοκτώ-

<sup>b</sup> Duo mss. ἀπέγνωσ τὰ τοῦ Χριστοῦ.

<sup>c</sup> Hæc omnino corrupta esse videntur: et tamen omnes mss. sic habent.



Ὅσους ἐστράτευεν Ἀβραάμ κατὰ ἀλλοφύλων, ἐστράτευσε Χριστὸς κατὰ τῶν αἰρέσεων· ὅσους ἐστράτευεν Ἀβραάμ κατὰ ἀλλοφύλων, μάλλον δὲ ὅσους ἐαυτῷ συνεστράτευσε, τοσοῦτους ὁ Χριστὸς μεθ' ἐαυτοῦ ὤπλισε κατὰ τῶν αἰρέσεων. Τριακόσιοι δεκαοκτὼ ἐπίσκοποι ἐν Νικαίᾳ· κακεὶ τριακόσιοι δεκαοκτὼ οἰκεῖται τοῦ Ἀβραάμ οἰκογενεῖς. Διὰ τί οἰκογενεῖς εἶπεν; Εἶχε γὰρ καὶ ἀργυρωνήτους· ἀλλὰ τὸ γνήσιον ἔδειξε τῆς οἰκίας. Καὶ νῦν Χριστὸς ἐστράτευεν οὐχ ἀπλῶς πάντας, ἀλλὰ τοὺς οἰκογενεῖς, τοὺς κηρύττοντας τὸν ὄντα τὸν ἐξ ὄντος, τὸν ζῶντα τὸν ἐκ ζῶντος, τὸ φῶς τὸ ἐκ φωτός. Τί λέγεις φῶς καὶ φῶς; ποῖα διαφορὰ ζωῆ καὶ ζωῆ; ποῖον τὸ διάφορον; Καὶ τὸ θαυμαστὸν, ὁ Πατὴρ φῶς ἐλέγη, ὁ δὲ Υἱὸς μετὰ προσθήκης. Λέγει Ἰωάννης· Ὁ Θεὸς φῶς ἐστίν· περὶ δὲ τοῦ Υἱοῦ· Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν. Ὁ Πατὴρ ἀπολελυμένος ἐκλήθη φῶς. [577] Ἐπειδὴ γὰρ κατὰ τῆς τοῦ Πατρὸς θεότητος οὐ ταχέως στρατεύονται αἰρετικὰ τόλμα, εἰ καὶ τὰ μάλιστα κατὰ Χριστοῦ τοιμώμενα εἰς Πατέρα ἀναφέρει τὴν ὕβριν, ἀλλ' ὁμως τὸ ὁμοιοῦν ἀπλῶς κατασκευάζει λόγῳ ἢ Γραφῇ, τὸ ἀμφιβαλλόμενον ὁχυροὶ τῆ ἀληθείας. Φῶς ὁ Πατὴρ, καὶ οὐ μετὰ προσθήκης· ἀρκεῖ γὰρ κηρυχθεὶς γνωροῦσθαι. Φῶς ὁ Υἱός. Ἴνα μὴ τις εἴπῃ, ὅτι φῶς μὲν νοερὸν ἐκεῖνο, τὸ δὲ ἔτερον νόον, φῶς ἀληθινόν. Πάλιν ἵνα μὴ τις εἴπῃ, ὡς περ φῶς ὁ ἥλιος, καὶ φῶς ἡ σελήνη, ἀλλὰ τὸ μὲν μέγα φῶς, τὸ δὲ μικρόν φῶς· οὕτω καὶ ὁ Πατὴρ φῶς, ἀλλὰ μέγα· οὕτω καὶ Υἱός φῶς, ἀλλὰ μικρόν· ἵνα μὴ ταῦτα λέγῃ, Ἡσίας προλάθοντι· Ἰῆ Ζαβούλων, καὶ γῆ Νεφθαλείμ, ὁδὸς θαλάσσης, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, ὁ λαὸς, ὁ καθήμενος ἐν σκότει, φῶς εἶδε μέγα. Εἰ ὁ Θεὸς φῶς ἐστίν, καὶ φῶς μέγα, ὁ Θεὸς μέγας. Εἰ ὁ Θεὸς φῶς ἐστίν, καὶ φῶς μέγα, ὁ Θεὸς μέγας, ὅτι Ὁ Θεὸς φῶς ἐστίν· εἰ ὁ Θεὸς τὸ φῶς μέγα, Θεὸς μέγας. Μέγα; γὰρ ὁ γεννησας, καὶ μέγας ὁ γεννηθεὶς· μεγάλη ἡ ῥίζα, μέγας ὁ καρπός· μέγα τὸ φῶς, μέγα τὸ ἀπαύασμα. Οὐκ οἶδα μικρόν καὶ μέγα, ἀλλὰ μέγα οἶδα ἕνα Θεόν, Τριάδα. Μέγας ὁ Θεός· Ὁ Θεὸς μέγας, ὁ αἰώνιος, φησὶν Ἡσίας· ὁ δὲ Παῦλος, Ἀπεκδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Μέγας ὁ Θεὸς, μέγας Κύριος, ὡς φησὶ Δαυὶδ· Μέγας ὁ Κύριος ἡμῶν, καὶ μεγάλη ἡ ἰσχύς αὐτοῦ. Ἄλλ' ἐπειδὴ ἰσχύς καὶ δύναμις ταῦτων (Χριστὸς γὰρ Θεοῦ δύναμις), Μέγας ὁ Κύριος ἡμῶν· ὡς εἶλεγε· Μέγας ὁ Πατὴρ, μεγάλη καὶ ἡ δύναμις αὐτοῦ. Μέγας ὁ Κύριος ἡμῶν, καὶ μεγάλη ἡ ἰσχύς αὐτοῦ. Μεγάλη ἰσχύς ὁ Υἱός, ἐπειδὴ μεγάλη δύναμις καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς φησὶν ὁ Σωτὴρ τοῖς ἀποστόλοις· Καθίστατε εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους. Ἄλλ' ὅρα τί σοφίζονται τὴν δύναμιν. Ἔστι, φησὶν, ἡ δύναμις, ὡς πλῆθος ἔχουσα ἐπαγγελίαν. Τὸ γὰρ Πνεῦμα οὐκ εἰρτῆται, φησὶ, Θεός, ἀλλὰ ἀβραάων Θεοῦ· καὶ πῶς ἄκουε· Ὁ ἀβραάων μέρος ἐστὶ δώρου, οὐδὲ ὀλοκλήρον δῶρον, ἀλλὰ μέρος τοῦ ὄλου. Γέγραπται γὰρ, φησὶ, περὶ τῶν ἀποστόλων· Σφραγισθέντες ἐν Πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὁ ἐστὶν ἀβραάων τῆς κληρονομίας ἡμῶν. Ὅρα, φησὶν, ὅτι δῶρον ἐστὶ Θεοῦ, καὶ οὐ Θεός. Ὅστε οὖν δῶρον καὶ ἀβραάων μέρος ἐκ τοῦ ὄλου. Ἐάν οὖν ἴδῃς καὶ τὸν Θεὸν μέρος λεγόμενον, καὶ οὐχ ὄλον· καὶ δῶρον, καὶ οὐχ ὄλον· τί λέγει γὰρ; Ὁ δὲ ἀβραάων τῆς κληρονομίας. Τίς ὁ ἀβραάων; τίς ἡ κληρονομία; τίς ὁ ἀβραάων τῆς κληρονομίας; Ἡ κληρονομία δῶρον ἐστὶ τοῦ τὴν κληρονομίαν δεδωκότος, οὐκ αὐτὸς ὁ κληρονομούμενος. Λέγει τοίνυν· Ὁ ἀβραάων τῆς κληρονομίας ἡμῶν τὸ Πνεῦμα. Εἰ τὸ κληθῆναι τὸ Πνεῦμα ἀβραάων σκανδαλίζει σου τὴν ψυχὴν, ἐάν ἴδῃς καὶ τὸν Θεὸν κληρονομίαν λεγόμενον, τί ποιεῖς; Πρόσεχε ἀκριδῶς, πῶς οὐ μόνον κληρονομούμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν κληρονομίαν λεγόμενον. Ἄκουε τὸν Δαυὶδ λέγοντος, Κύριος μέρος τῆς κληρονομίας μου. Ὁ Θεὸς μέρος; κληρονομίας· τὸ Πνεῦμα ἀβραάων κληρονομίας. Εἰ ποιεῖς ἐλάτωνα τὸν Υἱὸν ἢ τὸν Πατέρα τὸ λέγεσθαι μερίδα κληρονομίας, ἐλαττοὶ καὶ τοῦ Πνεύματος τὴν ἀξίαν τὸ κλεισθῆναι ἀβραάων κληρονομίας. Λέγει Δαυὶδ ἀλλαγοῦ· Κύριος μέρος μου ἐν γῆ ζῶντων. Μερὶς μου, τίνος μερίσαντος; Εἰ γὰρ εἷς, οὐχ ὄλος. Εἰ λέξων εἰ θρησκείας, καὶ οὐ νοημάτων ἐξεταστή; οὐδὲν κωλύει σε καὶ τὸν Πατέρα Θεὸν βλασφημῆσαι, ὃν δοκεῖς σέβασθαι. Κύριος μέρος τῆς κληρονομίας μου· καὶ, μέρος μου εἰ ἐν

γῆ ζῶντων. Διὰ τί δὲ λέγεται ἡ αὐτογενῆς δύναμις μέρος; καὶ κληρονομία; Ἐπειδὴ τὸν Θεὸν αἰρέσει οἰκεία δεχόμεθα, καὶ ἔκαστος, ὁ μὲν τὴν πλάνην αἰρεῖται, ὁ δὲ τὸν Θεὸν δεχεται, καὶ γίνεται μέρος τοῦ πιστοῦ ὁ αἰρεθεὶς Θεός. Οἶόν τι λέγω· Γέγραπται τοῖς Λευίταις· Οὐκ ἔσται σοι μέρος ἐπὶ τῆς γῆς· Κύριος γὰρ μέρος αὐτῶν. Εἰ ὁ Θεὸς λεγόμενος μέρος οὐ σκανδαλίζει σε, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀβραάων λεγόμενον διὰ τί σκανδαλίζει σε;

Ζ'. Περιέλωμεν πᾶσαν σύγχυσιν ἀπιστίας, καὶ δεξώμεθα τὴν ἀσύγχυτον πίστιν. Ἔως πότε βαρυνεῖς σου τὴν καρδίαν, αἰρετικῆ, ὡς Φαραῶ; ἕως πότε οὐ [578] ζυγοστατεῖς τὰ οὐρα ῥήματα; Ἐχρῖς λογισμὸν ζυγὸν ἐν ἐαυτῷ· ζυγοστατεῖ τὰ ῥήματα τοῦ Σωτῆρος· νοεῖ ποῖά ἐστι τὰ περὶ σαρκὸς, ποῖα τὰ περὶ θεότητος· νοεῖ τὰ περὶ τῆς ἀξίας, νοεῖ τὰ περὶ τῆς οἰκονομίας, ἵνα μὴ λεχθῆ καὶ περὶ σοῦ τὰ ἐν τῷ προφήτῃ περὶ τοῦ Καναάν λεγόμενα· Χυραῖν, ἐν χειρὶ αὐτοῦ ζυγὸς ἀδικίας, ἠγάπησε καταδυναστεύειν. Καὶ Δαυὶδ, Πλήν μᾶταιοι οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων· τῶν αἰρετικῶν ἐν ζυγῷ τῶν ἀδικησάντων. Κατέχεις ζυγόν, καὶ φθείρεις τὸ δίκαιον; Βλέπε τὸν ζυγὸν τοῦ Σωτῆρος· Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἑσμῃ. Πῶς τὸ ἄνισον; Βλέπε τὰς πλάστιγγας τοῦ θεοῦ λόγου· Ὁ ἐωρακῶς ἐμέ, ἐώρακε τὸν Πατέρα μου. Πῶς τὸ κατ' ἄγον, πῶς τὸ ἀνάγον; Βλέπε τὸν Πατέρα ἐλευθεροῦντα, καὶ τὸν Υἱὸν ἐλευθεροῦντα, ὡς αὐτὸς λέγει· Ἐάν μὴ ὁ Υἱὸς ὄμας ἐλευθερώσῃ, δοῦλοι ἔσθε· καὶ Παύλος λέγοντος· Ὁ νόμος τοῦ Πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἠλευθέρωσε με. Εἰ Πατὴρ ἐλευθερῶ, εἰ Υἱὸς ἐλευθερῶ, εἰ τὸ Πνεῦμα ἐλευθερῶ, πῶς τὸ δούλον; Ἄλλὰ γένοιτο ἡμᾶς πάντας ζυγὸν ἀμαρτίας καὶ ζυγὸν αἰρέσεως ἀποζυγόντας. ἔχεν τὴν πίστιν ἀκίνητη. Μὴ ἄγνοεῖταισαν δὲ αἰρετικοὶ τὰ λεγόμενα. Πολλῶν γὰρ ἤκουσα λεγόντων, ὅτι διὰ τί μὴ τὰ ἠθικὰ ἡμῖν δικαιέται; διὰ τί μὴ περὶ τρώων καὶ κοσμιότητος; Οὐ τοῦτο δὲ ποθοῦντες λέγουσιν, ἀλλὰ τὸν ἔλεγον φευγόντες. Ἀληθῆ διόρθωσιν θέλεις; Ἦκουσας πολλακίς τῆς μεγάλης διδασκαλίας; ἤκουσας περὶ ἠθῶν διώρθωσά σου τὸ ἦθος· ἤκουσας περὶ τρώων· ἐβρόθυμιά σου τὸν τρώον· ἀλλὰ τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ Κυρίου· Ἠλθε Ἰωάννης, μήτε ἐσθίω, μήτε πίνω· λέγουσι, Δαιμόνιον ἔχει· ἤλθεν ὁ Υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίω καὶ πίνω· λέγουσιν, Ἀθροῦσθε σφόδρα καὶ οἰκοδομήτε· οὐδὲν ἀρῆσκει τῆ χάρις. Ἐάν εἴπῃς περὶ ἦθους, λέγει, Ἐγὼ περὶ πίστεως ἐκείτω σε· ἐάν εἴπῃς περὶ τῆς πίστεως, λέγει, Ἐγὼ ἤθελον περὶ τρώων ἀκούσαι. Διὰ τοῦτο τὸ παιδιῶδες τῆς κακίας βαπτίζων ὁ Σωτὴρ ἔλεγον· Ἠυλόησαμε ὕμιν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνησαμεν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. Ἠυλόησαμεν· λόγῳ ἁγίῳ, λόγῳ φωτεινῷ τὴν τὴν ἠθῶν κατὰστασιν ἤκουσατε· Ἐθρηνησαμεν· λόγῳ ἐπιπόνῳ, ὀδυνωμένῳ, θρηγνόντι ὕμῶν τὴν ἀπιστίαν· καὶ οὐκ ἤκουσατε, ὅτε τὰ περὶ ὕμῶν ἀκούσαντες, ὠρχήσασθε, ὅτε τὰ καθ' αἰρέσεων ἀκούσαντες, ἐπενθήσατε. Ἠλθεν ὁ Βαπτιστής· λέγουσι· Δαιμόνιον ἔχει· καὶ οὐκ ἀγαπητέ· ὁ Βαπτιστής, ἀλλὰ τὸ ἔργον ἔχειται. Ὅρα γὰρ αὐτὸν καὶ τὰ αὐτὰ πάσχοντα τῷ Σωτῆρι. Περὶ τοῦ Σωτῆρος ἔλεγον οἱ Ἰουδαῖοι· Δαιμόνιον ἔχει, καὶ μαλατῆα· τί αὐτοῦ ἀκούετε; Οὐχὶ μακάριός ἐστιν ὁ Χριστιανός ἐκεῖνος, ὁ τῆ ἰσῆ ὕβρι ὑποπίπτων τῆ δεσποτικῇ; Παῦλος κηρύττει ἀληθείαν, καὶ λέγει αὐτῷ Φηστος· Ματῆν, Παῦλε, τὰ πολλὰ σε γράμματα εἰς ματῆαν περιτρέπει. Ματῆα γὰρ φαίνεται τοῖς μὴ καθεστηκόσι τὰ σωφρονα. Ὁ δὲ, Ὁ μὲν γὰρ νομίζω, φησὶ, κρητιστικὸς φησὶ, ἀλλὰ ῥήματα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης φθέττωμι. Ὅρα τὴν ἔνθεον παρρησίαν, τὴν ματῆαν μὲν νομισθεῖσαν, σωφροσύνης δὲ λαμπροτέραν; Ἄκουε· Ἰωάννης ὁ Βαπτιστής, ὅτι δαιμόνιον ἔχει, ὡς ἤκουσαν οἱ ἀργαῖοι προφῆται δαιμονίων. Ἀπίστευτέ τι ποτε Ἐλισσαῖος ὁ προφήτης ἴδιον μαθητὴν προφήτην, καὶ λέγει αὐτῷ· Ἀτελεθε καὶ εὐρήσεις Ἰησοῦ τὸν ἄρχοντα· Ἄδθε αὐτὸν ἴδω, καὶ εἰπέ αὐτῷ· Τάδε λέγει Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ· Ἴδου ἡλικία σου εἰς βασιλεῖα· καὶ πῆξες ἐπ' αὐτὸν τὸ κέρας τοῦ ἐλαίου, καὶ χρίσων αὐτὸν εἰς βασιλεῖα. Ἀποστέλλει προφήτης μαθητὴν προφήτην· λαμβάνει τὸν ἄρχοντα τότε γὰρ οὐκ ἦν βασιλεὺς Ἰησοῦ, ἀλλ' ἄρχων τοῦ βασιλεύοντος· λέγει αὐτῷ· Ἐλθέ ἴδω· καὶ λαβὼν αὐτὸν ἴδω, καὶ τὰ ῥήματα λέγει, καὶ τῷ κέραι χρίει· καὶ ὡς ἔχρισεν, ἐφυγεν, ἀνεχώρησε. Λέγουσιν οἱ συνάρχοντες τῷ Ἰησοῦ πρὸς αὐτὸν· Τί ἤλθεσθε σὺ πρὸς σὲ ὁ ἐπίληπτος; ἀπ' αὐτοῦ, Ὁ δαιμονιζόμενος;

Ac vide rem mirabilem. Divina dispensatione factum est, ut Novum Testamentum Vetus imitaretur. Cum reges Assyriorum in Palaestinam irruerunt, exiit Abraham contra alienigenas, contra quinque reges; exiit solus fidelis. Quot adversus eos educit? Servos trecentos et octodecim, ipsosque vernas. Quot Abraham educit contra alienigenas, tot eduxit Christus contra hæreses: quot contra allophylos produxit, imo secum eduxit Abraham, tot Christus secum armavit contra hæreses. Trecenti decem et octo episcopi Nicææ erant, et illic trecenti decem et octo famuli vernaculi Abraham. Cur vernas vocavit? Habuerit enim etiam emptitios: sed fidem familiæ ostendere voluit. Nunc quoque Christus in bellum educit non omnes, sed vernas, qui predicabant eum qui est ex eo qui est; viventem ex vivente, lumen de lumine. Quid ais, lumen de lumine? quæ differentia vitam inter et vitam? quod discrimen? Quodque mirum est, Pater lumen dictus est, Filius vero cum addito. Ait Joannes, *Dens lux est* (1. Joan. 1. 5): de Filio autem, *Erat lux vera* (Joan. 1. 9). Pater absolute lumen vocatur. Quia enim hæretici contra Patris divinitatem non facile pugnant, etsi ea quæ contra Christum moventur, in Patris maxime contumeliam vergant, tamen Scriptura quod in confesso est simplici oratione construit, quod autem controvertitur, veritate communit. Lumen est Pater, sine ullo additamento: nam si cognoscatur, sufficit ut predicetur. Lumen est Filius. Ne quis dicat lumen illud intelligibile esse, hoc autem adulterinum: *Lux vera*. Rursum ne quis dicat, quemadmodum sol lux est, et luna quoque lux, sed alia magna, alia exigua: ita et Pater lumen, sed magnum; ita et Filius lumen, sed parvum; ne id dicatur, præoccupat Isaias: «Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (Isai. 9. 1. 2). Si Deus lux est, et lux magna, Deus magnus est. Si Deus lux est, ut scriptum est a Joanne: *Deus lux est* (1. Joan. 1. 5); si Deus lux est magna, Deus magnus est. Magnus quippe est genitor, magnus et genitus: magna radix, magnus fructus: magna lux, magnus splendor. Non novi parvum et magnum, sed magnum novi unum Deum, Trinitatem. Magnus Deus: *Deus magnus æternus* (Isai. 26. 4), ait Isaias; Paulus vero: *Expectantes beatam sperem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi* (Tit. 2. 13). Magnus Deus, magnus Dominus, ut ait David: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus* (Psal. 146. 5). Verum quoniam fortitudo et virtus idem est (Christus enim Dei virtus), *Magnus Dominus noster*; ac si diceret, Magnus Pater, et magna virtus ejus. *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus* (1. Cor. 1. 24). Magna fortitudo Filius, quoniam magna virtus Spiritus sanctus, ut ait Servator apostolis: *Sedete Jerosolymis, donec induamini virtute ex alto* (Luc. 24. 49). Sed vide quomodo de illa virtute arguuntur. Est, inquit, virtus utpote quæ divitarum promissionem obtineat. Spiritus enim, aiunt, non est appellatus Deus, sed pignus Dei: idque quomodo, accipe. Pignus pars est doni, neque totum donum, sed pars iotius. Scriptum est enim de apostolis: *Obsegnati in Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ* (Ephes. 1. 13. 14). Vide, inquit hæreticus, donum esse Dei, non Deum. Itaque donum et pignus pars est totius. Quid ergo si videris Deum quoque partem vocari, et non totum, ac donum, et non totum? Quid enim ait? *Et pignus hereditatis*. Quod pignus? quæ hereditas? quod pignus hereditatis? Hereditas donum est ejus qui hereditatem dedit, non ille ipse in hereditatem accipitur. Ait igitur, *Pignus hereditatis nostræ Spiritus*. Si quod Spiritus vocetur pignus, id animæ tuæ offenculo est, si videris Deum hereditatem appellatum, quid facies? Attende diligenter, quomodo non tantum hereditate acceptus, sed etiam ipsa hereditas appelletur. Audi Davidem dicentem, *Dominus pars hereditatis meæ* (Psal. 15. 5). Deus pars hereditatis: Spiritus

ignus hereditatis. Si id Filium aut Patrem minorem facit, quod dicatur pars hereditatis, id Spiritus dignitatem minuit, quod vocetur pignus hereditatis. Ait David alibi: *Dominus portio mea in terra viventium*. Portio mea, quo partiente? Si enim unus, non totus. Si voces acciparis, nec sensum exploras, nihil obstat, quominus etiam in Deum Patrem blasphemiam utaris, quem colere videris. *Dominus pars hereditatis meæ*; et, *Portio mea es in terra viventium* (Psal. 141. 6). Cur vero illa ex se genita virtus portio et hereditas vocatur? Quia Deum arbitrio nostro accipimus, et ex singulis aliis errorum deligit, alius Deum accipit, efficiturque Deus sic electus fidelis hominis portio. Exempli causa: præscriptum fuit Levitis, *Non erit tibi portio super terram* (Num. 18. 20): Dominus portio illorum erat. Si absque offensione audis Deum vocari portionem, cur offenderis audiendo Spiritum sanctum vocari pignus?

7. Auferamus itaque omnem incredulitatis confusionem, et sinceram fidem amplectamur. Quosque cor tuum aggravas, hæretice, ut Pharaos? quosque divina dicta non ponderas? Rationem in te habes ut libram; expende verba Servatoris; intellige quæ de carne dicantur, quæ de divinitate, quæ de dignitate, quæ de dispensatione, ne de te dicatur id quod in propheta de Chanaan dicitur: *In manu Chanaan statera iniquitatis, dilecti dominatum ad opprimendum* (Osee 12. 7). Et David, *Verumtamen vani filii hominum* (Psal. 61. 40). Hæreticorum est in statera fraudare. Tenes stateram, et justitiam opprimis? Vide libram Servatoris: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. 10. 30). Ubinam inæqualitas? Vide lanceas divini Verbi: *Qui vidit me, vidit et Patrem meum* (Joan. 14. 9). Ubinam lic descendens, ubi ascendens? Vide Patrem liberantem, et Filium liberantem, ut ipse ait: *Nisi Filius vos liberaverit, servi estis* (Joan. 8. 36); et Paulum dicentem, *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me* (Rom. 8. 2). Si Pater liberat, si Filius liberat, si Spiritus liberat, ubi servus in illis? Verum utinam omnes jugum peccati, jugum hæresis effugientes, fidem habeamus firmam. Ne ignorent porro hæretici ea quæ dicta sunt. Multos audivi dicentes, Cur non de morum institutione nos alloquitur? cur non de decoro et honestate? Illud porro dicunt non ex harum rerum studio, sed quod se redargui formident. Veram emendationem expetis? Audisti sæpe magnam doctrinam, de moribus audisti; commendavi mores tuos; audisti de moribus; vitam tuam concinnavi; sed ut ait Dominus: *Venit Joannes non manducans, neque bibens; dicunt, Dæmonium habet; venit Filius hominis manducans et bibens; dicunt, Homo vorax et vini potor* (Matth. 11. 18. 19). Nequitia nihil placet. Si de moribus loquaris, ait: Ego de fide te interrogo, si de fide dicas, ait: Volebam de moribus audire. Ideo hæc puerilia nequitia dicta exagitant Servator dicebat: *Tibia vobis cecinimus, et non saltastis; lamentati sumus, et non luxistis* (Matth. 11. 17). *Tibia cecinimus*: concione sancta, concione conspicua morum institutionem audistis, *Lamentati sumus* laboriosa oratione, dolore plena, lugente vestram incredulitatem; et non audistis, neque ea, quæ ad vos spectabant, audientes saltastis, neque ea, quæ adversus hæreses dicta sunt audientes, luxistis. Venit Baptista; dicunt, *Dæmonium habet*; neque indignatur Baptista, sed in suscepto munere pergit. Vides enim eadem illi accidisse, quæ Servatori. De Servatore dicebant Judæi, *Dæmonium habet, et insanus est; cur illum auditis* (Joan. 10. 20)? Annon beatus est ille Christianus, qui iisdem atque Dominus contumeliis afficitur? Paulus veritatem predicat, et ait illi Festus: *Insanus, Paule, multæ te litteræ ad insaniam reducunt* (Act. 26. 24); insaniam quippe videntur esse iis, qui inconsiderate agunt, illa quæ sunt sagacitatis plena. Ille vero, *Non insanio*, inquit, *optime Feste, sed temperantiæ justitiæque verba profero* (Ibid. v. 25). Vides divinam loquendi libertatem, quæ insaniam reputabatur, sapientia splendidiorem esse? Audii Joannes Baptista, quod dæmonium hæ-

beat, quemadmodum prisci illi prophetae dæmoniaci sunt appellati. Misit aliquando Elisæus propheta discipulum suum prophetam, his verbis: *Vade, et invenies Jehu principem: abduc eum seorsim, et dic illi: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce unxi te in regem; et effunde super illum cornu olei, et unge eum in regem* (4. Reg. 9. 2. 5). Mittit propheta discipulum prophetam; principem adit. Tunc enim rex non erat Jehu, sed sub rege princeps. At illi: *Veni seorsum, et abductum his alloquutus est, et ex cornu unxit: postquam unxerat, aufugit, secessit. Dicunt ad Jehu crateri principes: Qua de causa lymphatus ille te adiit* (Ibid. v. 41)? ac si dixissent, *Cur venit hic dæmoniacus? Cur te lymphatus ille adiit?* Sic ab initio prophetæ contumeliis afficiebantur, sic et apostoli. *Cur ad te venit ille lymphatus?* Ille metuens ne de regno verba facienti sibi periculum esset (rege enim solium occupante, non sine periculo regnum in alium transferatur), respondit: *Vos scitis ejus garrulitatem et nugacitatem* (Ibid.). Assentiebatur ille non sententiæ, sed voci. Nostis ejus garrulitatem. Deinde illi intelligentes, veritatem nunquam irrideri, qui irriserant,

veritatem ediscere satagunt: *Non æquum est, aiabant, id nobiscum non communicari. Injuria alicuius amicos, arcanum illud perperam celas. Si lymphatus est, cur quæris lymphati dicta? Inique agis, Jehu, nisi nobis id renunties. Malitia virtutem despicit, et anxie persequitur illam. Ut dæmoniacum damnaverant, ita dicta ejus ut vera explorabant. Quid tibi indicavit, dicit. Abduxit me seorsum, et effudit in me cornu olei. Veritatis vim advertit, quomodo gloria, quæ prius irridebatur, ad sui adorationem traxerit: quomodo propheta ille lymphatus ipsis legibus fortior fuerit. Dicit, Abduxit me seorsum, et effudit super me cornu olei: altaque voce principes dixerunt, Vivat rex, Viden' quomodo illi simul prophetiam irriserint, et admirati sint: damnaverint et crederint? Dæmoniacum vocabas, et a dæmoniacum unctum regem appellas? Sic neque nos, neque patres nostros, neque posteros obstupescere par est, si quid contumeliosum ab hæreticis audire contingat. Utinam nos pro Christo glorificemur, ut cum Christo glorificemur, cui gloria et imperium in sæcula. Amen.*

## MONITUM

« Hisce quatuor in Jobum orationibus perineptis, inquit Savilius, quæ tamen per omnes fere bibliothecas reperiuntur, Lælius Tifernas interpres quintam addit, quæ nihil aliud est quam ἀπάνθισμα περί ὀππομονῆς, suo denum loco representandum. » Ineptas jure dicit Savilius, nec est quod plurimus demon-

### IN JUSTUM ET BEATUM JOB, SERMO PRIMUS (a).

1. Annus nobis hodie venit orbis athleta, venit nobis stupendus ille angelisque par certator, qui multas a diabolo plagas, multa a Deo testimonia accepit, multisque præmiis a spectatoribus angelis donatus est, qui multis vulneribus affectus ab inimico, magnifice coronatus a Deo in orbe ostensus est. Ita enim ipsum alloquitur: *Putas me aliter tibi responsum dedisse, quam ut justus appareres* (Job 40. 8)? Quis ergo bellatorem hujusmodi pro merito laudare possit? quis paria gestis ejus bravia neclere audeat? quis tentabit immensum laudum pelagus ingredi? Quemadmodum enim nemo sanæ mentis tentaverit pelagus gressibus humanis trajicere, sic nemo sapiens etiam inter doctores ausit unquam tentare promeritas generose beatissimæque illius animæ laudes auditoribus esferre. Illius enim gesta humanam omnem exsuperant sapientiam: illius certamina omnes coronas superant. Angelica ergo regem lingua, quo summis, ut ita dicam, digitis vas unguentarium illud tangentes, totam simul ecclesiam repleamus. Nam si vas illud Jobi vel tangere aggredimur, vel paulisper moveamus, statim ex unguento odoris fragrantia impletur ecclesia. Audiamus igitur historiam de illo dicentem: *In omnibus his quæ ipsi acciderunt nihil peccavit Job labiis contra Dominum* (Job. 1. 22). Vidistin' testimonium angelorum laudes excitans? vidistin' testimonium diabolum cum conatibus ejus confundens? *In omnibus his quæ ipsi contigerunt nihil peccavit.* Huc Dei testimonium per omnem ecclesiam, quasi unguentum pretiosum, auditores lætificant. O vas pretiosum in uno Arabiæ loco reconditum, ac per totum orbem bonum unguenti odorem emittens! o vas sextantis lapidibus, et plagis et telis a diabolo impetitum, non effuso unguento!

Plurimus fuit diabolo labor, ut vas illud contereret, unguentumque pietatis perderet: curavit nempe per tetrum ulcerum odorem unguenti fragrantiam obscurare. Nam et illius corpus ex sanie vulnerum tetrum emittebat odorem; sed mansit vas vulneratum, nec amisit unguentum, ut et nos opportune illi dicamus: *Unguentum effusum nomen tuum* (Cant. 4. 2). Operæ pretium ergo est nudum athletam, ut certavit, ostendere, ut in admirabilem illam imaginem respicientes, ex ipsa rerum natura intelligamus, Deum, ut ostenderet se in terra homines justos habere, qui non jam per adulationem sicut Adam seducerentur, sed per mille cruciatus et verbera coronarentur, hoc spectaculum permisisse. Apostata, inquit, altum sapis, quia Adamum deceptum, et mulierem blanditiis seductam ex paradiso ejecisti: ecce hominem, qui sine Scripture mandatis vixit, et non scriptam naturæ legem ex animi vi servavit. Adhibe mille blandimenta, adulationes mille, tormenta totidem, non poteris optimam hanc animam dimovere. Ecce primum hominem ejecisti ex paradiso. Vide nunc, tenta si potes, vel a sterquilinio athletam supplantare. Sed paulo altius, si placet, repetamus historiam. *Vir quidam erat in regione Austide, nomine Job. Et erat vir ille irreprehensibilis, justus, pius, verax, abstinentes ab omni re mala* (Job 1. 1). Talis erat Adam antequam mulieri obtemperaret. Ideo hic uxori non morem gerit, ne in parem incidat casum. Ille indutus erat incorruptione, ut noverat is qui formavit illum, et quia uxori morem gessit, nudus, et damnatus fuit. Hic nudus erat, et non credidit uxori, et quia uxori non credidit, angelicis coronis vestibusque indutus est. Ille quia uxori morem gessit, ex paradisi deliciis excidit, terram spinas parientem effecit, mortemque in hereditatem accepit; hic quia uxori non obtemperavit, et a sterquilinio et a plagis liberatus est, regnumque cælorum

(a) Hic sermo et tres sequentes collati sunt cum Codicibus regis 1819, 1965, 1964, Colbertino 974.

οὗτος τί ἤλθε; *Τί ἤλθε πρὸς σὲ ὁ ἐπίληπτος οὗτος*; Οὕτως ἀπ' ἀρχῆς ὑβρίζοντο οἱ προφῆται, οὕτως οἱ ἀπόστολοι. *Τί ἤλθεν ὁ ἐπίληπτος ἐκείνος πρὸς σὲ*; Φοβούμενος μὴ ἐξάκουστον ποιῆσῃ τὸ ὄνομα τῆς βασιλείας, καὶ κινδυνεύσῃ (βασιλεὺς γὰρ βασιλεύοντος ἐπικίνδυνον τὸ εἰς ἕτερον μετενεχθῆναι [579] τὴν ἀρχὴν), λέγει· *Ἔμεις οἴδατε τὴν ἀδολεσχίαν αὐτοῦ καὶ τὴν φλυαρίαν αὐτοῦ*. Συνέθετο οὐ τῇ γνώμῃ, ἀλλὰ τῇ φωνῇ. Οἶδατε αὐτοῦ τὴν ἀδολεσχίαν. Εἶτα ἐκείνοι συνιέντες, οἷοι οὐδέποτε ἡ ἀλήθεια γελάται, αὐτοὶ οἱ καταγελάσαντες σπουδάξουσι μαθεῖν τὴν ἀλήθειαν· *Ἄδικόν ἐστιν, Ἰηοῦ, εἶναι μὴ ἀπαγγέλλης ἡμῖν*. Ἄδικεῖς τὰ τῶν φίλων· κακῶς ποιεῖς κρύπτων τὸ μυστήριον. Εἰ ἐπίληπτός ἐστι, τί ζῆτεῖς τὰ τοῦ ἐπιλήπτου; Ἄδικεῖς, Ἰηοῦ, εἶναι μὴ ἀπαγγέλλης ἡμῖν. Ἡ κακία καταφρονεῖ τῆς ἀρετῆς, καὶ ἀγωνιᾷ αὐτήν. Καὶ ὡς δαιμονιώντος κατεψηφίσαντο, καὶ

ὡς ἀληθεύοντος τὰς λέξεις ἐβασάνισαν. *Τί ἀπήγγειλέ σοι, λέγε*. Ἐλαβέ με ἰδίᾳ. Βλέπε ἰσχύιν τῆς ἀληθείας, πῶς ἡ γελασθεῖσα προσεκυνήθη δόξα, πῶς ὁ προφήτης ὁ ἐπίληπτος, καὶ νόμων ἰσχυρότερος ἐγένετο. Λέγει· *Ἐλαβέ με ἰδίᾳ, καὶ ἐπέχε μοι τὸ κέρας τοῦ ἐλαίου*· καὶ ἐπῆραν φωνὴν οἱ ἄρχοντες, λέγοντες· Ζήτην ὁ βασιλεὺς. Ὅρας πῶς κατὰ τὸ αὐτὸ ἐτέλεσαν τὴν προφητείαν καὶ ἐθαύμασαν, καὶ κατεψηφίσαντο καὶ ἐπίστευσαν; Δαιμονιώντα ἔλεγες, καὶ τὸν ὑπὸ τοῦ δαιμονιώντος χειροτονηθέντα βασιλέα καλεῖς; Οὕτως οὐ δεῖ ξενίζεσθαι οὐδὲ ἡμᾶς, οὐδὲ τοὺς ἡμῶν πατέρας, οὐδὲ τοὺς μεθ' ἡμᾶς, εἴαν παρ' αἰρετικῆς γλώσσης ἀκούσωμέν τι τῶν εἰς ὕβριν συντεινόντων. Ἰένοιτο δὲ ἡμᾶς ὑπὲρ Χριστοῦ δοξάζεσθαι, ἵνα ἐν Χριστῷ δοξασθῶμεν, ἢ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοῦ; αἰῶνα. Ἀμήν.

### AD QUATUOR HOMILIAS IN JOBUM.

stremus esse illas spurias, et Joanne nostro indignas. Interpretationem tamen Latinam Lælii Tiferiatis, quod ea intricata esset, rejecimus, novamque paravimus.

#### *Εἰς τὸν δίκαιον καὶ μακάριον Ἰώβ, Λόγος α'.*

α'. Ἦκεν ἡμῖν ἐνιαύσιος σήμερον ὁ τῆς οἰκουμένης ἀθλητῆς· ἦκεν ἡμῖν ὁ ξένος καὶ τῶν ἀγγέλων ὁμότιμος ἀγωνιστής, ὁ πολλὰ παρὰ τοῦ διαδόλου τυπτόμενος, καὶ πολλὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ μαρτυρούμενος· ὁ πολλὰ παρὰ τοῦ διαδόλου πληττόμενος, καὶ πολλὰ βραβεῖα παρὰ τῶν θεατῶν ἀγγέλων ὑποδεχόμενος· ὁ πολλὰ ὑπὸ τοῦ Ἐχθροῦ μαστιζόμενος, καὶ μέγας στεφανίτης ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς τὴν οἰκουμένην ἀναδειχθείς. Οὕτως γὰρ αὐτὸς αὐτῷ διαλεγόμενος ἔλεγεν· *Οἶσε δέ με ἄλλως σοι κερχοματικῆναι, ἀλλ' ἢ ἵνα ἀναφανῆς δίκαιος*; Τί; οὐν τὸν τοιοῦτον ἀρίστηα κατ' ἀλίαν εὐφημησάσαι δύναται; τίς ἀντάξια τῶν ἀνδραγαθημάτων αὐτοῦ βραβεῖα πλέξαι κατατολήσει; τίς ἐπιχειρήσει πρὸς ἀπειρον πέλαιος ἐγκωμίων ἀναβῆναι; Ὅ; γὰρ οὐκ ἂν τις τῶν νοῦν ἐχόντων κατατολήσειε ποτε τῆς θαλάσσης τὸ πέλαιος βήμασιν ἀνθρωπίνους διαπεράσαι, οὕτως οὐδὲ τις τῶν σοφῶν καὶ λίαν διδασκάλων ἐπιχειρήσει ποτε τοὺς κατ' ἀλίαν ἐπαύου τῆς γενναίας ἐκείνης καὶ τρισολβίου ψυχῆς τοῖς [580] ἀκροαταῖς διηγέσασθαι. Πᾶσαν γὰρ ἀνθρωπίνην ὑπερβάλλει στεφανηφορίαν τὰ τούτου παλαίσματα. Οὐκ οὖν ἀγγελικῆς ἐπιδεδόμηθα γλώσσης, ἵνα ἄχοιρος, ὡς εἰπεῖν, τοῖς δακτύλοις ἐφαψάμενοι τῆς μυροθῆκης ἐκείνης, πᾶσαν ὁμοῦ τὴν ἐκκλησίαν πληρώσωμεν. Μόνον γὰρ εἶναι ἐπιχειρήσωμεν ἀψασθαι τοῦ ἀγγέλου τοῦ Ἰώβ, καὶ μικρόν αὐτὸ διασαλεύσωμεν, εὐθύς τῆς εὐωδίας τοῦ μύρου ἡ ἐκκλησία πληροῦται. Ἀκούσωμεν τοίνυν τῆς ἱστορίας περὶ αὐτοῦ λεγούσης· *Ἐν πᾶσι τούτοις τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ οὐδὲν ἤμαρτεν Ἰώβ τοῖς χεῖλεσιν ἐναντίον Κυρίου*. Εἶδες μαρτυρίαν τὴν εὐφημίαν τῶν ἀγγέλων διεγειροῦσαν; εἶδες μαρτυρίαν τὸν διάβολον μετὰ τῶν ἐπιχειρημάτων αὐτοῦ καταγιγνώσκουσαν; *Ἐν πᾶσι τούτοις τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ οὐδὲν ἤμαρτεν*. Αὕτη ἡ τοῦ Θεοῦ μαρτυρία κατὰ πᾶσαν ἐκκλησίαν. Ὡς μύρον πολυτίμητον, τοὺς ἀκούοντας εὐφραίνει. Ὡ ἀγγέλου πολυτίμου εἰς ἕνα τόπον κατὰ τὴν Ἀραβίαν ἀποκειμένου, καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὴν εὐωδίαν τοῦ μύρου διαπεμπομένου ἢ ἀγγέλου μυρῖαις λίθους καὶ πηλαγὰς καὶ βέλεις παρὰ τοῦ διαδόλου τυφθέντος, καὶ τὸ μύρον μὴ ἐκχάνοντος ἢ Πολὺς ἐγένετο τῷ δια-

δόλῳ κήματος, ἵνα τὸ ἀγγεῖον συντρίβῃ, καὶ τὸ μύρον τῆς εὐσεβείας ἀφανίσῃ· καὶ ἐσπούδαζε διὰ τῆς δυσωδίας τῶν τραυμάτων ἀμαυρῶσαι τοῦ μύρου τὴν εὐωδίαν. Καὶ γὰρ καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπώζεσεν ἀπὸ τῆς ἐλκώσεως τῶν τραυμάτων· ἀλλ' ἔμεινε καὶ τὸ ἀγγεῖον τραυματιζόμενον, καὶ τὸ μύρον μὴ ἀπολλύμενον, ἵνα καὶ ἡμεῖς προσφύρωσιν εἴπωμεν αὐτῷ· *Μύρον ἐκκετωθὲν δρομῶ σοι*. Δέον οὖν αὐτὸν γυμνόν, ὡς ἐπάλασιν, ἀναστήσαι τὸν ἀθλητὴν, ἵνα εἰς ἐκείνην τὴν εἰκόνα τὴν θαυμασίαν ὀρῶντες, πληροφορηθῶμεν διὰ τῆς φύσεως τῶν πραγμάτων, ὅτι ὁ Θεὸς δεῖξαι βουλόμενος τῷ διαδόλῳ, ὅτι ἐπὶ τῆς γῆς ἀνθρώπου δίκαιος ἔχει, οὐκέτι διὰ κολακείας κατὰ τὸν Ἀδὰμ ἀπατημένους, ἀλλὰ διὰ μυρῶν βασιάνων καὶ μαστίγων στεφανουμένων, ταύτην συνεχώρησε γενέσθαι τὴν δραματουργίαν. Ἀποστάτα, ψοῖ, μεγαλοφρονεῖς, ὅτι τὸν Ἀδὰμ ἀπατήσας, καὶ τὴν γυναῖκα κολακεύσας, ἐξέβαλες τοῦ παραδείσου· ἰδοὺ ἀνθρώπου δίχα προσταγμάτων Γραφῆς βιώσας, καὶ τὸν ἀγραφον τῆς φύσεως νόμον διανοῖα κατορθώσας Προσάγαγε μυρῖα; θωπείας, μυρῖα; κολακαίας, μυρῖα; βασιάνους, εἰ δύνασαι τὴν ἀρίστην ταύτην παρασαλεύσαι ψυχῆν. Ἰδοὺ, τὸν πρῶτον ἀνθρώπων ἐξέβαλες τοῦ παραδείσου. Βλέπε νῦν, ἐπιγέλησον, εἰ δύνασαι, κἂν ἀπὸ κορμίας τὸν ἀθλητὴν ὑποσκελίσαι. Ἄλλ', εἰ δοκεῖ, ἀνωθεν ὀλίγον εἰς αὐτὴν τὴν ἱστορίαν ἀναδράμωμεν· *Ἀνθρώπος τις ἦν ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσιτιδι, ὃ ὄνομα Ἰώβ. Καὶ ἦν ὁ ἀνθρώπος ἐκείνος, ἀμειμπτος, δίκαιος, θεοσεβής, ἀληθινός, ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς κοιτηροῦ πρᾶγματος*. Τοιοῦτος ἦν καὶ ὁ Ἀδὰμ πρὸ τοῦ πεισθῆναι τῇ γυναίκα! Διὰ τοῦτο οὗτος οὐ πείθεται τῇ γυναίκα, ἵνα μὴ γέννηται κατ' ἐκείνον. Ἐκείνος ἐνδεδυμένος ἦν ἀφθαρσίαν, ὡς οἶδεν ὁ πλάσας αὐτόν, καὶ ἵνα πεισθῆται τῇ γυναίκα, γυμνὸς ἐγένετο, καὶ κατεκρίθη. Οὕτος γυμνὸς ἦν, καὶ οὐκ ἐπεισθῆ τῇ γυναίκα, καὶ ἵνα μὴ πεισθῆ τῇ γυναίκα, τὴν τῶν ἀγγέλων στεφανηφορίαν ἐνεδύσατο. Ἐκείνος ἵνα πεισθῆ τῇ γυναίκα, καὶ τῆς τοῦ παραδείσου τρυφῆς ἐξέπεσε, καὶ τὴν γῆν μητέραν ἀκανθῶν ἐποίησε, καὶ θάνατον ἐκληρονόμησεν· οὗτος ἵνα μὴ πεισθῆ τῇ γυναίκα, καὶ τῆς κορμίας καὶ τῶν πληγῶν τὴν ἐλευθερίαν ἔλαβε, καὶ τὴν τὸν οὐρανῶν ἐκληρονόμησε βασιλείαν. Ἐκείνος ἀπολογούμενος;

τῷ Θεῷ ἔλεγεν· Ἡ γῆ, ἦν ἔδωκάς μοι, αὐτὴ μοι ἔδωκε, καὶ ἔφαγον. Ὁ ἀπολόγιας συγγνώμην οὐκ ἔχου-  
σες! Ἐκεῖν εἶπε, Φάγε· ἐγὼ εἶπον, Μὴ φάγε. Διὰ τί οὖν  
τῆς γυναικὸς ἤκουσας, καὶ τοῦ Θεοῦ παρήκουσας; Ἄλλ'  
οὐχ οὕτως ἦν ὁ μακάριος Ἰώβ. Ἄλλα πῶς; Μετ' ἐπι-  
πλήξεως ἔλεγεν· Ὅσοι μετὰ τῶν ἀφρόνων γυναικῶν  
ἐλάλησας. Ἄνθρωπος ἦν ἐν χώρᾳ τῇ Αὐστειδί, φ  
δρομῆ Ἰώβ. Διὰ τί δὲ τὴν χώραν ὠνόμασε; Διὰ σέ, ἵνα  
μάθῃς, ὅτι οὐχ ἡ συνουσία τῶν ἀμαρτωλῶν τὸν δικαίον  
δύναται ποιῆσαι ἀμαρτῆσαι, ἀλλ' ἡ προαίρεσις τῶν εὐ-  
σεβούντων ὀφείλει στάσιμον καὶ βεβαίαν ἔχειν τὴν γνῶ-  
μην. Αὕτη γὰρ ἡ χώρα τῆς [581] Ἀραβίας ἐστὶ μοχθηρῶν  
καὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων οἰκητήριον. Πάντες ἦσαν  
παράνομοι, πάντες θεοστυγεῖς, πάντες βέβηλοι, πάντες  
ὑπερήφανοι, καὶ τοῦ Ἡσαῦ ἀπόγονοι, καὶ ταῖς ἀμαρ-  
ταιῖς κομῶντες· ἀλλὰ τοσοῦτον πέλαιος τῆς ἀσεβείας  
οὐκ ἠδυνήθη κατασβεῖσαι τὸν λαμπτήρα τῆς εὐσεβείας·  
ἡ τοσαύτη χώρα τῶν κακίων οὐκ ἠδυνήθη τὸ ὦρατον ἀπο-  
πνίξαι ἢ τῆς καρτερίας. Ὅθεν τοῦτοι προστάλαται ὁ  
διάβολος ἐπεχειρήσας. Διὰ τί; Ἐπειδὴ περ ἔδωκεν αὐτὸν  
ταῖς ἐλεημοσύναις μᾶλλον ἢ τοῖς χρήμασι πλουτοῦντα.  
Ἄκουσον γὰρ αὐτοῦ λέγοντος ἀψευδῶς· Ὁφθαλμὸς  
ἤμην τῶν τυφλῶν, ποῦς δὲ γαλῶν καὶ αὔθις, Ἐγὼ  
ἐπὶ ἀδυνατίῳ ἔκλυσα, ἐστράταξά δὲ ἰδῶν ἄνδρα ἐν  
ἀνὰ κρῆσιν. Καὶ οὐ μόνον διὰ τῶν λόγων, ἀλλὰ καὶ διὰ  
τῶν ἔργων ὑπερπελοῦται, θησαυρὸς ὅλος εὐποιᾶς τοῖς  
δεομένοις εὐρισκόμενος. Τί γὰρ φησὶν ἀλλαγῶ; Οὐκ  
ἐπὶ ἡλθεῖν ἐκ τοῦ οἴκου μου ἐπίδοξοι κολῶν κενῶν  
στῆμα χίρας εὐλόγησέ με· ἀπὸ δὲ κορυφῆς τῶν προ-  
βάτων μου ἐθερμάνθησαν ὡμοὶ πενήτων. Ὅστε δὴλον,  
ὅτι διὰ πάντων ἐπλούτει θησαυρὸς ὅλος, καὶ διὰ τῶν  
λόγων, καὶ διὰ τῶν ἔργων, καὶ διὰ τῆς ἐλεημοσύνης,  
καὶ διὰ τῆς προστασίας τῶν πενήτων, καὶ διὰ τῆς ἐπι-  
κουρίας τῶν δεομένων. Ἄλλ' ὅρα τί ποιεῖ ὁ διάβολος.  
Αφαρπάξει πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ πρό-  
τερον, καὶ τελευταῖον τὰ τέκνα λαμβάνει. Ἔλαβε πρώτον  
τὰς ἀγέλας τῶν καμήλων, ἔλαβε τὰ ποιμνία τῶν προβά-  
των, τὸν πολὺν ἀριθμὸν τῶν βουῶν, τὴν μεγίστην ἀγέλην  
τῶν βοῶν πάντα ἀφέλετο, καὶ τὸ τελευταῖον τὰ τέκνα.  
Διὰ τί; Πρόσχε λοιπὸν μετὰ πάσης ἀκριβείας· Πρῶτον  
ἔλαβεν αὐτοῦ πάντα τὰ ὑπάρχοντα, ἔπειτα τὰ τέκνα·  
ἔλαβε τὰ κληρονομία πρᾶγματα, ἔπειτα τοὺς κληρονό-  
μους ἠφάνισεν, ἵνα παντοίως αὐτὸν καὶ διὰ τῶν τέκνων  
πλήξῃ. Πρῶτον ἤρξατο τὴν ὑπαρξίν ἀφανίζειν, πρῶτον  
ἤρξατο τὰ κληρονομία πρᾶγματα ζώντων τῶν κληρο-  
νομίων ἀρπάξαι, ἵνα τὸν υἱὸν καὶ τὸν θυγατέραν ἐστη-  
κότων, διὰ τὴν ἀπώλειαν τῶν κτημάτων καιρῶν λάθῃ ὁ  
οἰκίος τῆς ἀθυμίας πληγῆν. Ἐνεῖθεν γὰρ ὁ πονηρὸς  
δαίμων, μήποτε, τῶν τέκνων προσπολλυμένων, μὴδὲ εἰς  
αἰσθήσιν ἔλθῃ τῆς ἀπωλείας τῶν κτημάτων, Ἄλλ' ὁ  
ὄντως ἀδάμας καὶ γενναῖος ἀθλητής, ὁ πολλὰ τυπόμε-  
νος, καὶ διὰ πάντων στεφανωμένος, ὁ πολλὰ βέλη δεχό-  
μενος, καὶ δι' αὐτῶν τῶν βελῶν τὸν διάβολον κατακον-  
τίων, ὁ δὲ τὸν ὄπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ  
ἀριστερῶν καθοπλιζόμενος, οὐκ ἐσθόνῃσεν, οὐκ ἐδάκρυ-  
σεν, οὐκ ἐσαλεύθη, ἀλλ' οὔτε πρὸς τὴν ἀπώλειαν τῶν  
κτημάτων ἐκάμπετο, οὐδὲ πρὸς τὸν θάνατον τῶν τέκνων  
τὴν εὐσέβειαν ἐσάλατο, ἀλλ' ἔμενον ὡς περ πύργος ἀτί-  
νακτος, κάτωθεν ἐπὶ τῆς ἐβρίχουμένου καὶ θεμελιω-  
μένου, καὶ μέχρι αὐτῶν τῶν οὐρανίων ἀψίλων ἠσφα-  
λισμένος. Ἦλθε πρῶτος ἄγγελος, καὶ λέγει τῷ Ἰώβ·  
Τὰ ζεύγη τῶν βοῶν ἠροτρία, καὶ ἐλθόντες οἱ αἰγμυ-  
λωτῆστές, ἠχμυλώτευσαν αὐτά, καὶ τοὺς πιδίς  
ἀπέκτειναν ἐν μαχαίραις. Ἐτι τοῦτον λαλοῦντος,  
ἦλθεν ἕτερος ἄγγελος, καὶ λέγει τῷ Ἰώβ· Ἦν ἔπεσον  
ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ κατέκτανον τὰ πρόβατά σου, καὶ  
τοὺς ποιμένας κατέφαγεν ὁμοίως.

β'. Βλέπε τί ποιεῖ ὁ διάβολος. Ἐπειδὴ γὰρ εἶδεν αὐτὸν  
εἰς τὴν πρώτην καὶ δευτέραν πληγὴν γενναίως ἐστηκότα,  
καὶ μὴδ' ὄλω; ἐκ τῶν βαζάνων αὐτοῦ διαταλευθέντα,  
τολεμούμενον, καὶ μὴ τι τρωσκόμονον, μηχανάται τι  
τοιούτων ποιῆσαι· Ἐπιβάλλει πῦρ ἐξ ἀέρος, ἵνα δόξῃ  
τὸ πῦρ ἐξ οὐρανοῦ καταπέμπεσθαι, καὶ ἵνα νομίσας, ὅτι ὁ  
Θεὸς ἐξ οὐρανῶν αὐτὸν πολεμεῖ, βλαφημησῇ τὸν Θεόν,  
τὸν οὕτω οἶχα τινὸς ἀμαρτήματος; ἄδικως; αὐτὸν πολε-  
μούντα· Πῦρ, φησὶν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσε, καὶ κατέ-  
καυσε τὰ πρόβατά σου καὶ τοὺς ποιμένας. Ἐτι τοῦτον  
λαλοῦντος, ἦλθεν ἕτερος ἄγγελος, καὶ εἶπεν τῷ Ἰώβ·

α. Ὑπὸ τὸ ὦρατον ἄθος ἀποπ.

Οἱ ἱππεῖς ἐποίησαν ἡμῖν κεφαλὰς τρεῖς, καὶ ἐκί-  
κλωσαν τὰς καμήλους, καὶ ἠχμυλώτευσαν αὐτάς,  
καὶ τοὺς παιδῶν ἀπέκτειναν μαχαίραις. Ἄλλα καὶ ἐν  
πᾶσι τούτοις ἔμενον ὁ μακάριος Ἰώβ, ὡς περ στῦλος  
ἀσάλευτος, ὡς περ πύργος ἀσειστός, ὡς περ ἀγωνιστῆς  
ἀήτητος, ἀκαμπῆς, ἀνένδοτος, βάλλων μᾶλλον, ἢ βαλλό-  
μενος. Ὅταν γὰρ [582] τις ἀνόνητα κάμνη, πολλὰ πολε-  
μῶν, καὶ μὴδὲν ὑπερῶν, πολλάκις μαχόμενος, καὶ μὴδ'  
ὄλωις περιγινομένος, αὐτὸς μᾶλλον ἐστὶν ὁ τὰς μάστιγας  
κατὰ τῶν ματαίων αὐτοῦ πόνων ὑποδεχόμενος. Ἐτι τοῦ-  
τον λαλοῦντος, ἦλθεν ἕτερος ἄγγελος. Συνεχῆς ὁ πό-  
λεμος, ἀλλὰ μάταιος τῷ κάμοντι· πυκνότερα τὰ βέλη,  
ἀλλὰ φαυρότερα τὰ βραβεία. Οὐκ ἀφίησιν αὐτὸν οὐδὲ  
πρὸς ὦραν ἀναπνεῦσαι, ἵνα μὴ τί κατὰ τὴν ἐμφυτὸν  
εὐσέβειαν τοῦ παλαιστοῦ σοφῶν τι λογισθῆται. Ἐπεμψεν  
δὲ τὰ βέλη, καὶ οὐκ ἐνίκησεν τὸν ἀθλητῆν· ἐκένωσεν  
αὐτοῦ τὴν φαρέτρην, καὶ οὐκ ἐκένωθη τῆς ἀληθινοῦς.  
Αἰσχυνθήτωσαν οἱ ἀνομούντες διὰ κενῆν. Ἐπεὶ οὖν  
κάκεινος ἂ ἀπεστράφη τεταπεινωμένος, κατησχυμένος,  
ὁ πολλὰ παλαίσας, καὶ διὰ πάντων ἠττηθείς. Ἐπειμὲ  
γὰρ κατὰ ποιμένον, κατὰ βουκόλῳν, κατὰ τὸν προβά-  
των, κατὰ τῶν καμήλων, κατὰ τῶν υἱῶν, κατὰ τῶν θυ-  
γατέραν, κατὰ τῆς οἰκίας, κατὰ τοῦ σώματος, διὰ τῶν  
φίλων, διὰ τῶν οἰκετιῶν, διὰ τῶν σκωλήκων, διὰ τῶν  
τραυματίων, διὰ τῶν ἰσχυρῶν. Πάντα ἐξεκένωσε, καὶ τὴν  
εὐσέβειαν οὐκ ἔλυσε. Τὸν τοῖχον διώρυξε, καὶ τὸν θη-  
σαυρὸν οὐκ ἐξεκένωσεν. Ὅσας εἶχεν ὁ τῆς οἰκουμένης  
τύραννος ῥομφαλῶς ἐκίνησε, διὰ πυρὸς, διὰ ξυφῶν, διὰ  
χωματός, δι' αἰγμυλωτίας, δι' αἰμάτων. Πάντα διέπεινε,  
καὶ τὸν ἀθλητῆν μᾶλλον ἀνδριότερον ἐποίησε. Δι' ὅ δὴ  
καὶ ὁ προφήτης ἀνεβόα λέγων· Τοῦ Ἐχθροῦ ἐξέλειπον  
αἱ ῥομφαλαὶ εἰς τέλος. Τάχα δὲ καὶ πρὸς αὐτὸν λέγει·  
Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίσειν. Ἔλαβε πάντα τὰ  
χρήματα, τὰ κτήματα, τὴν ὑπαρξίν. Καὶ τί ὁ τελευταῖος  
ἄγγελος; Τῶν υἱῶν σου καὶ τῶν θυγατέραν σου  
ἐσθόντων καὶ πινόντων εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀδελφοῦ  
αὐτῶν τοῦ προσθυτέρου, ἐξάλειψις ἦλθε πνεῦμα ἐκ  
τῆς ἐρήμου, καὶ ἦψατο τῶν τεσσάρων γωνιῶν τῆς  
οἰκίας, καὶ κατέπεσε ἡ οἰκία ἐπὶ τὰ παιδία σου,  
καὶ ἀπέθανον. Καὶ ἵνα μάθῃς, ἀγαπῆτε, ὅτι οὐκ ἦν  
ἀνθρωπος ὁ ταῦτα διαγορεύων τῷ Ἰώβ, ἀλλ' αὐτὸς ἦν ὁ  
διάβολος ἐσχηματισμένος ἐν ἀνθρώπῳ μορφῇ, μάθε  
μετὰ πάσης ἀκριβείας· Τῶν υἱῶν σου καὶ τῶν θυγα-  
τέραν σου ἐσθόντων καὶ πινόντων παρὰ τῷ ἀδελφῷ  
αὐτῶν τῷ προσθυτέρῳ, ἐξάλειψις ἦλθε πνεῦμα ἐκ τῆς  
ἐρήμου, καὶ ἦψατο τῶν τεσσάρων γωνιῶν τῆς οἰκίας,  
καὶ ἔπεσον ἡ οἰκία ἐπὶ τὰ παιδία σου, καὶ ἀπέθανον.  
Πόθεν οἶδας, εἰπέ μοι, ὅτι ἦλθεν ἐκ τῆς ἐρήμου, καὶ  
ἦψατο τῶν τεσσάρων γωνιῶν τῆς οἰκίας; Ἀνθρωπος εἶ,  
καὶ πῶς εἶδες τὸ πνεῦμα; ποιοί; ὀφθαλμοῖς ἐθεάσω αὐτό;  
πῶς δὲ καὶ ἦψατο τῶν τεσσάρων γωνιῶν τὸ πνεῦμα; Εἰ  
ἀνθρωπος εἶ, καὶ ἔνδον ἦς ἐν τῇ οἰκίᾳ, πάντως ὅτι καὶ  
σὲ περιελάμβανεν ἡ οἰκία· εἰ δὲ ἔξω ἦς, πῶς ἔδωκες τὰ  
ἔσω γιγνόμενα; Εἰ δὲ πνεῦμα εἶ, δεῖξον ὅστις εἶ, μὴ  
σχηματίξου εἰς ἀνθρώπου μορφήν. Τῶν υἱῶν σου, φησὶ,  
καὶ τῶν θυγατέραν σου ἐσθόντων καὶ πινόντων παρὰ  
τῷ ἀδελφῷ αὐτῶν τῷ προσθυτέρῳ. Βλέπε πῶς πάσης  
συνέσεως; καὶ σοφίας πεπληρωμένος ἦν ὁ μακάριος Ἰώβ,  
καὶ πῶς ἠσφαλίστετο τὴν φιλίαν τῶν τέκνων. Ἐλογίσατο  
γὰρ, ὅτι Κάιν καὶ Ἀβελ δύο ἦσαν ἀδελφοί, μόνοι κατὰ  
τὴν οἰκουμένην τυγχάνοντες, οὐδεμίαν ἔχοντες ἀφορμὴν  
πολέμου· πᾶσα γὰρ ἡ γῆ κοινὴς ἀμοφοτέροις ἐπὶ ἔξου-  
σία; προέκειτο· καὶ οὕτω διὰ τὴν τιμὴν τοῦ Ἀβελ φθα-  
νήσας; ὁ Κάιν, ἀναστάς ἀφόνευσεν τὸν ἀδελφόν. Διὰ τοῦτο  
ὁ μακάριος Ἰώβ περὶ μὲν τῶν ἀδελφῶν θυσίαν καθ' ἐκά-  
στην ἡμέραν προσέφερε τῷ Θεῷ, ἀνίστάμενος τὸ πρωῒ,  
καὶ λέγων· Μήποτε κακὰ ἐνεσθόνται οἱ υἱοὶ μου ἐν τῇ  
καρδίᾳ αὐτῶν πρὸς τὸν Θεόν· περὶ δὲ τῶν συμβαίνον-  
των αὐτοῖς, ἢ εἰς λόγον, ἢ εἰς φιλονεικίαν, ἐποίει αὐτοῖς  
καθ' ἐκάστην ἡμέραν μετ' ἀλλήλων ἐσθίειν, ἐνθυμούμε-  
νος, ὅτι κἄν τινα πρὸς ἀλλήλους ἔχωσι μικροφυλίαν, ἢ  
τράπεζα καὶ ἡ διάθεσις τῶν ἄρτων ποιεῖ αὐτοῖς εἰς φι-  
λίαν μεταποιηθῆναι, καὶ τὴν κακίαν τὴν προσπεσοῦσαν  
ἐξορῶσαι, εἰδὼς ὅτι διὰ τῆς τραπέζης τῆς συνεχῆς πάντα  
λύεται αὐτοῖς τὰ προσπεσόντα μοχθηρά. Ἄλλ' ἔ μισό-  
καλος διάβολος ἐν τοιούτῳ καιρῷ παρετήρει ἀπολέσαι  
τὸ μὴδὲν ἡμαρτηκότα παιδί· ἐν καιρῷ τῆς μεσημερίας.

† Sic tres mss. recte. Morel. ἐπεὶ γὰρ κάκεινος. Savil. τε  
καὶ γὰρ οὖν.

in hereditatem consequutus est. Ille apud Deum sese purgans dicebat, *Mulier quam dediisti mihi, hæc mihi dedit, et comedi* (Gen. 3. 12). O defensionem veniam non habentem! Illa dixit: Comede; ego dixi, Ne comedas. Cur mulierem audisti, Deumque despexisti? Sed non talis fuit beatus Job. Qualis ergo? Cum increpatione dixit: *Quasi una ex insipientibus mulieribus loquuta es. Vir erat in terra Ausitide, nomine Job* (Job 2. 10). Cur etiam regionem nominavit? Propter te, ut discas, ne peccatorum quidem contubernium justum posse ad peccatum deducere, sed plorum propositum firmum stabilemque animum postulare. Est enim hæc Arabiæ regio plena incolis improbis et corruptis. Omnes iniqui erant, omnes Dei hostes, omnes profani, omnes superbi, ab Esau orti, peccatis scatenes; sed tantum impietatis pelagus pietatis faciem non potuit extinguere: regio improborum non potuit perseverantiæ decorem suffocare. Ideo ad hunc accedere diabolus tentavit. Quare? Quia videbat eum elemosynis magis quam divitiis abundare. Audi enim eum sine mendacio dicentem: *Oculus sui cæcorum, et pes claudorum* (Job 29. 15); et iterum: *Ego super impotentem fieri, ingenui autem virum videns in necessitatibus* (Job 30. 25). Nec modo verbis, sed etiam operibus dicebat, thesaurus beneficentiae deprehensus erga egenos. Quid enim alibi ait? *Non exivit de domo mea egenus sine vacuo: os viduæ benedixit mihi: de vellere autem ovium meorum calefacti sunt humeri pauperum* (Ibid. 31. 34. et 29. 15. et 51. 20). Manifestum itaque est ipsum omnino divitem fuisse, thesaurum totum, verbis, operibus, elemosyna, patrocinio pauperum, auxilio egenorum. Sed vide quid faciat diabolus. Primo omnes illius facultates abripit, ac demum liberos auferit. Camelorum greges primo sustulit, secundo greges ovium, asinos magno numero, boum maximam armentum; omnia abstulit, demumque liberos. Quare? Diligenter attende. Primo abstulit ei omnes facultates, postmodum liberos; hereditaria bona, et postea heredes ipsos sustulit, ut omni ratione ipsum etiamque per filios affligeret. Primo facultates abstulit, primo hereditaria bona heredibus viventibus abripuit; ut filiis filiabusque superstitibus, per possessionum jacturam, letale acciperet justus moestitiæ vulnus. Cogitabat enim malignus dæmon, ne, si liberi periissent antea, de jactura facultatum nullum sensum haberet. Sed ille vere adamus et generosus athleta, qui multum cersus, in omnibus coronatus est, qui multa accepit in se tela, et per eadem ipsa tela diabolum confodit, qui armis justitiæ a dextris et a sinistris instructus, non doluit, non lacrymas fudit, non commotus est; sed neque de honorum pernicie fractus est, neque in liberorum morte pietatis jacturam fecit, sed mansit quasi turris firma, altis nixa fundamentis, atque ad ipsos firmiter attingens cælestes fornices. Venit prior nuntius et dixit Jobo: *Juga buum arabant, et venerunt prædones, et tulerunt ea, et pueros interfecerunt gladio. Adhuc eo loquente venit alius nuntius, et dicit ei: Ignis cecidit de cælo, et oves tuas pastoresque consumpsit* (Job 1. 14-16).

2. Vide quid faciat diabolus. Ut enim vidit eum ad primam et secundam plagam fortiter stantem, neque omnino cruciatibus dimotum; oppugnatum, nec vulneratum: tale quid machinatur. Ignem ex aere jacit, ut opimetur is ignem de cælo mitti, et putans Deum se de cælo impugnare, in ipsum blasphemaret, qui se sine ullo peccato suo sic injuste oppugnaret. *Ignis, inquit, de cælo cecidit, et oves tuas pastoresque consumpsit. Adhuc eo loquente venit alius nuntius, et dixit Jobo: Equites fecerunt tres turmas, et circumdederunt camelos, ceperuntque illos, et pueros occiderunt gladiis* (Job 1. 17). Sed in his etiam omnibus perstitit beatus Job quasi columna immobilis, quasi turris firma, quasi athleta invictus, immotus, firmus, magis percutiens, quam percussus. Cum quis enim inutiliter laborat, sæpe pugnans nullo fructu, sæpe dimicans, nunquam superans, ipse est qui flagella magis contra irritos conatus suos excipit. *Adhuc eo loquente venit*

*alius nuntius. Assiduum bellum, sed vanum inferenti; frequentiora tela, sed splendidiora præmia. Non sinit eum vel usque ad horam respirare, ne quid pro insita pietate luctator sapienter excoget. Immisit omnia tela, neque athletam vicit: evacuavit pharetram suam, nec ipse dolore evacuatus est. Confundantur iniqua agentes superbae* (Psal. 24. 4). Quandoquidem ille aversus est, humiliatus, pudefactus, qui multum dimicavit, et in omnibus victus est. Misit enim adversus pastores, adversus bucolia, adversus oves, adversus camelos, adversus filios, adversus filias, adversus domum, adversus corpus; per amicos, per famulos, per vermes, per ulcera, per saniem. Omnia evacuavit, nec tamen pietatem læsit. Murum perfodit, nec thesaurum abstulit. Quotquot habuit mundi tyrannus jacula emisit, per ignem, per gladios, per ruinam, per captivitatem, per sanguinem. Omnia tetendit, et pugilem fortiozem reddidit. Quamobrem propheta exclamavit dicens: *Inimici defecerunt frumæe in finem* (Psal. 9. 6). Fortassis et ad ipsum dicitur: *Durum tibi contra stimulum calcitrare* (Act. 9. 5). Diripuit omnes pecunias et facultates, substantiamque. Et quid ultimus nuntius? *Filiis et filiabus tuis comedentibus et bibentibus in domo fratris sui senioris, repente ventus venit ex deserto, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt* (Job 1. 18. 19). Et ut discas, dilecte, hominem non fuisse eum, qui hæc Jobo narrabat, sed ipsum diabolum in hominis speciem transformatum, diligenter adverte quod dicitur. *Filiis tuis et filiabus tuis comedentibus et bibentibus apud fratrem suum seniore, derepente venit ventus ex deserto, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt.* Unde nosti, dic mihi, ventum venisse ex deserto, et concussisse quatuor angulos domus? Homo es, et quomodo vidisti ventum? quibus oculis percepisti? quomodo quatuor angulos concussit ventus? Si homo es, et intra domum eras, omnino te domus cum aliis oppressisset: quod si foris eras, quomodo ea quæ intus sunt, gesta vidisti? Si autem spiritus es, quisnam sis indica, neque hominis formam præ te feras. *Filiis, inquit, et filiabus tuis comedentibus et bibentibus apud fratrem suum seniore.* Vide quomodo omni sapientia intelligentiaque repletus erat beatus Job, et quo pacto filiorum amicitiam stabiliebat. Cogitabat enim Cainum et Abelem duos fuisse fratres, solos in orbe existentes, nullas habentes belli causas: omnis enim terra communiter in utriusque potestate erat: et tamen honori Abelis Cain invidens, interfecit fratrem. Idcirco beatus Job pro occultis filiorum Deo sacrificium quotidie offerebat, mane surgens ac dicens: *Ne forte cogitaverint mala filii mei adversus Deum in cordibus suis* (Job 1. 5); pro iis vero, quæ vel contentione verborum vel rixa contingerent, quotidie simul epulari curabat, existimans, si quid simultatis enatum esset, fore ut mensæ ciborumque consortium inter illos amicitiam conciliaret, dissidiaque eliminaret, gnarus frequenti mensæ consortio similitates deponi. Verum boni osor diabolus in hujusmodi tempore pueros nulli peccato obnoxios perdere moliebatur: tempore scilicet meridiano, cum omnes simul congregati erant, quando pace mutua fruebantur, tunc implacabile contra eos bellum excitat. Illi amicitiam, hic gladium acuebat: illi caritatem ædificabant, hic domum subvertebat. Factaque est eadem hora domus sepulcrum, mensa calamitatis cymba, et pastoralis caula naufragium, ovesque cunctæ a feris captæ sunt. Quid ergo strenuus ille? Non confusus est, non concidit. Quod ejus farinus laudabo? qualis sermo sufficiet, qualis sufficiet ad hæc recensenda cunatus? O generosam et beatam animam! o patientiam ingentem! Vere, dilecti, confundor spiritu, conscientia turbor, coronatum videns Jobum. Sed magis confundor eum videns coronatum, quam tunc ille cum filiorum casum respiceret: confundor anima; puto autem et vos itidem affectos esse. Quomodo ergo talem tantamque



tragediam explicem non novi, etiamsi laudum cultum in ore feram. Parentes secundum carnem, cum filium habent extremum halitum emittentem, ipsi assident, ultima verba excipiunt, manus complectuntur, constitutiones de rebus inexpectatis concinnant, et deosculantur ultimo parentum osculo. Exinde cum filius animam efflaverit, jussu ejus qui dederat, parentes illum componunt, manus extendunt, oculos standunt, caput concinnant, pedes extendunt, lavant, signis funeralibus amiciunt, atque propriam calamitatem solantur. Sed quid simile generoso huic athleta? Abiit ad domum quæ ipsis una eademque hora domus et sepulcrum, convivium et tumulus, festum et fletus facta est. Circumfodit et quæsit liberorum membra, et invenit vinum et sanguinem, panem et manum, oculum et pulverem. Et excepit, modo manum, modo pedem, mox caput cum rudibus, lapidibus et lignis: modo ventris, mox intestinorum partem, viscera cum macerie confusa. Sedebat autem athleta, virtute ad caelum usque assurgens, dispersa liberorum membra videns. Sedebat coaptans membra membris, manum brachio, caput pectori, genu femori. Neque enim vulgaris erat calamitas, sed diabolica operatione et tyrannide omnem sermonem excedens vicissitudo. Sedebat ergo beatus Job, vere fortis adamas, discernens liberorum suorum membra, cavens ne masculinis membris feminea conjungeret, ne formam virilem femineis membris coaptaret. O generosam animam angelorum laudes superantem! Quare? Quia in omnibus sibi accidentibus nihil peccavit Job in conspectu Domini. Sed pro his omnibus perfectam gratiarum actionem sacrificii loco obtulit Deo dicens: *Sit nomen Domini benedictum (Job 1. 21)*, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*In justum et beatum Job, sermo secundus.*

1. Res magnæ magnis opus habent narrationibus, splendidæque justorum historiarum splendidam linguam mentemque postulant; mentem divinas Scripturas sincere contemplantem, linguam divina interpretantem, illic potissimum in præsentem sermone de beati Jobi laboribus, quorum fama universum orbem peragravit, et exemplum patientiæ splendidum offert. Cæterum tametsi argumentum nostram vincit infirmitatem, bene novi Dei gratiam verbum nobis præbituram esse, non ob dicentis dignitatem, sed ob patrum intercessionem. Verum ad rei narrationem veniamus. *Vir erat in regione Ausitide (Job 1. 1)*. Operæ pretium est primo explorare quæ sit vis hujus exordii, et cur historiae scriptor ab hoc dicto sit orsus, *Vir quidam erat*. Quia vitam virtute insignitam narraturus erat, quæ nostrum vitæ institutum longe antecelleret, ne quis ad certaminum sublimitatem respiciens, putaret insolitam quandam esse naturam, non humanam, primo naturam declarat, ut admireris propositum, quod nempe homo cum esset, institutum homines excedens suscepit, ac communi omnium natura instructus, universo mundo superiorem animam effecerit. *Vir erat in regione Ausitide*. Prædicat eum a natura, prædicat et a regione, ut, quenadmodum hominem ipsum audiens, miraris quod supra hominem vixerit, sic et si discas regionem unde talis fructus exortus est, reipsa admireris qualis rosa in medio spinarum pullulaverit. Animum diligenter adhibe. Ausitis regio Esau erat: nam ab Esau Ausitis. Nominat autem profani et improbi Esau regionem, ut ait Apostolus, *Ne quis fornicator aut profanus ut Esau (Hebr. 12. 16)*, ut mireris ex quibus nequitiae ludis qualis veritatis fructus effloruerit. Sed non modo ipsum tulit Esau regio, verum etiam ejus radix erat Esau: abnepos enim erat illius in amati hominis. Narrat enim Scriptura Jobum esse quintum ab Abrahamo. Quo autem pacto, audi. Abraham genuit Isaacum, Isaac Esau, Esau Raguelem, Raguelem Zaram, Zaram Jobum (*Gen. 35. 35*). Successionem ergo ab Abrahamo habuit per Esau, ex quo originem duxit. Ostendit itaque radicem, ut fructum mireris. Quis autem erat Esau? Fornicator et profanus.

τοῦ τὰ νοήματα ἀγνοοῦμεν. Ὡς οὖν ἀπήγγειλεν αὐτῷ, ὅτι· Τὰ ζεύγη τῶν βῶων ἤροτρα, καὶ αἱ θήλειαι θνοὶ ἐγένοντο, καὶ ἦλθον οἱ αἰχμάλωτοι ὄντες, εἶδε δὲ τὸν Ἰῶβ ψυχῇ γενναίᾳ φέροντα τὴν ἀγγελίαν, μετεμελήθη ὅτι κακῶς ἀπήγγειλε, καὶ μονοουχὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν ὁ διάβολος· Κακῶς ἀπήγγειλα. εἰπὼν αὐτῷ ὅτι ἄνθρωποι αὐτῷ ἐπολέμησαν· δύναται λογισασθαι, ὅτι εἰ ἄνθρωποι ἐπολέμησαν καὶ με ἠδίκησαν, τί πρὸς τὸν Θεόν; Κακῶς, φησὶν, ἐτόξευσα. οὐ κατὰ σκοποῦ ἔβαλον, ἀπέτυχον τῆς τοξείας, ἀπεπλανήθη τὰ βέλη. Εἶπον ὅτι ἄνθρωποι ἠχμάλωτουςαν· δύναται οὕτως εἰπεῖν· Τί οὖν τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀδικίαν Θεῷ ἐπιγράψω; Ἄλλοι οἱ ἠδίκηκότες, καὶ ἄλλοι ἔσται ὁ βλασφημούμενος; Ἰνα οὖν μεταγάρῃ αὐτοῦ τὴν διάνοιαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων εἰς Θεόν, καὶ δεῖξῃ αὐτῷ οὐκ ἀνθρώπους καταδράκτοντας, ἀλλὰ Θεὸν πολεμοῦντα, λέγει αὐτῷ· Πῦρ ἐπεσον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Μὴ δύνῃ εἰπεῖν, ὅτι ἐχθροὶ ἐβρίψαν ἀνωθεν; Ὑβρίσων τὸν ἀδικήσαντα, βλασφήμησων τὸν πολεμήσαντα. Πῦρ ἐπεσον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Διὰ τί λατρευεῖς τῷ ἀδικήσαντι, διὰ τί προσκυνεῖς τὸν ἀναλίσκοντά σου τὰ κτήματα; Πῦρ ἐπεσον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Ἦκουσεν ὁ Ἰῶβ, καὶ πάλιν ἤνεγκε γενναίως. Ἦ γὰρ ὑπομονὴ ἐκεῖνου ἀληθῶς ὑπομονὴ ἦν, μέχρι τέλους παρατεταμένη, περὶ ἧς φησὶν ὁ Σωτὴρ· Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. Πῦρ ἐπεσον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Καθ' ἡμέραν ἔκαμνε προσφέρων θυσίας ὑπὲρ τῶν τέκνων· ἂ καλ' ἡμέραν κάρων προσέφερεν, ἀθρόως ὁ Θεός εἰς θυσίαν ἔλαβε. Πῦρ ἐπεσον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Εἰ ἐγὼ μόνος ἐνεδουμήν, δικαίως ἦλθον· εἰ δὲ πένθητος ἐνεδουόσθ, [591] μὴ δύναται ὁ Δεσπότης ἀμελήσαι τῶν πτωχῶν; Οἶδα ὅτι ἂ ἔλαθεν εἰς θυσίαν, ἀποδίδωσιν εἰς τὸ πενταπλάσιον. Μὴ γὰρ ἐξ ἀδικίας συντήχθη τὰ κτήματα; μὴ γὰρ ἀπὸ πλεονεξίας ἐκτησάμην τὰ πρόβατα; Ἐκ τῆς κουρᾶς τῶν προβάτων μου ἐθερμάνθησαν ὡμοὶ πενήτω, καὶ στέμα χήρις ἐνλόγησέ με. Οἶδε τί ποιεῖ ὁ Θεός. Νῦν ἐλαδέ μου τὴν ὑπάρειν, ὡς θυσίαν· πολλοπλάσιάζει δέ μου τὴν οὐσίαν εἰς πλεονασμὸν ἀρετῆς. Οὐ σαλεύει με τὰ ἐξωθεν βέλη τοῖς ἔσωθεν θυροῦμένον· στήριζει δέ με μάλλον ἐνδοθεν τὰ τοῦ Θεοῦ βέλη. Τὰ γὰρ βέλη τοῦ δυνατοῦ ἠκοιμημένα· περὶ ὧν ἔλεγε Δαυὶδ, ὅτι· Τὰ βέλη σου ἐνεπάγησάν μοι· Τὰ βέλη, ποῖα; Βέλος εὐσεβείας, βέλος δικαιοσύνης, βέλος πόθου πρὸς Θεόν, βέλος ζήλου ἀρετῆς· τοῦτοις τοῖς θεοῖς βέλεσιν ἡ ψυχὴ τιτρώσκεται. Ὡς οὖν πᾶσαν πείραν προσαγαγὼν ὁ διάβολος, καὶ τῶν κτημάτων γυμνώσας, τῆς ἀρετῆς οὐκ ἐγύνωσε, χερεῖ λοιπὸν ἐπὶ τὴν φύσιν, καὶ τὴν γεωργίαν τῆς φύσεως βιάζεται, καὶ ἀποσπᾷ τοὺς κλάδους ἀπὸ τῆς ρίζης, καὶ συντρίβει τοὺς παῖδας τοῦ καλοῦ ἀγωνιστοῦ· περιαιρεῖ τὸν καρπὸν, ἵνα λυπηθῇ τὸν γεννηθέντα. Καὶ τί ποιεῖ; Βλέπε καὶ τὴν ἀγγελίαν τοῦ Πονηροῦ, πῶς μεστὴ μὲν ἔστιν εἰρηνείας, καὶ εἰς γοητείαν βέπουσα, καὶ κατακλίσασιν τὴν ψυχὴν τοῦ γενναίου δυναμένη. Λέγει οὖν αὐτῷ· Τῶν υἱῶν σου καὶ τῶν θυγατέρων σου ἐσθιόντων καὶ πινόντων ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πρεσβυτέρου σου υἱοῦ, ἦλθε πνεῦμα μέγα ἐκ τῆς ἐρήμου, καὶ συνέσεισε τὸν οἶκόν, καὶ ἐπεσον ἐπὶ τὰ παιδία σου, καὶ ἐτελεύτησαν. Καὶ τὸ βῆμα ὑποκοριτικὸν, δυνάμενον ἐγχεῖται κένθος. Οὐκ εἶπαν, Ἐπὶ τὰ τέκνα σου, ἀλλὰ, Ἐπὶ τὰ παιδία, ἵνα τῶν παιδῶν ἀκούσας, εἰς οἶκτον ἔλθῃ, ἵνα καμθῆ πρὸς συμπάθειαν. Ἦλθε πνεῦμα μέγα ἐκ τῆς ἐρήμου. Πάλιν τὸν κριτὴν διαβάλλει· πνεῦμα γὰρ οὐκ ἀνθρώποις ὑπακούει, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. Ἐπεσον ἐπὶ τὰ παιδία σου, καὶ ἐτελεύτησαν. Τότε Ἰῶβ ἀνέστη· οὕτω γὰρ γέγραπται. Καλὸν τὸ, Ἀνέστη· οὐ γὰρ κατέπεσε τῆ πληγῇ, ἀλλ' ἀνέστη τῆ δυνάμει τῆς εὐσεβείας· Ἀνέστη, καὶ προσεκύνησε. Μισθὸς συμφορᾶς ἢ προσκύνησις. Τυπτόμενος εὐλόγει· συμφοραῖς βελλόμενος εὐχαριστεῖ. Καὶ περιεκέρατο τὴν κόμην. Νῦν ἐφ' ἡμῶν τῶν πενθούντων πολλοὶ τρέφουσι κόμην, ἐκεῖνος δὲ περιήρει. Διὰ τί; Τῷ πενθόντι τὸ σπουδαζόμενον, εἰς τὸ ἐναντίον στήμῃ περιστάσει τὴν κατάστασιν. Ὅπου οὖν τιμᾶται κόμην, σημεῖον πένθους τὸ μὴ κείρεσθαι. Πανταχοῦ γὰρ τὸ ἐναντίον ζητεῖται στήμα ἀπὸ τῶν πενθούντων. Καὶ διέβηξες τὰ ἰμάτια· τῷ μὲν στήματι πρὸς τὸ κάθος ἀποσυρόμενος, τῷ δὲ πράγματι πρὸς τὴν ἀρετὴν ἀποδυόμενος. Ἀποδύεται τὸ ἰμάτιον, ἵνα εἰς γυμνὸς ἀθλήτῃς περιπλακῆ τῷ ἀντιπάλῳ, καὶ εἰς ἀναντήρῳ τῳ παλῆς βραβεύσῃ τὴν δικαιοσύνην. Ἀπεδύσατο τὸ ἰμάτιον ὁ ἐνδεδυμένος τὴν δικαιοσύνην· καὶ φησὶν ὁ μέγας λαμ-

Quia igitur vidit Deus justum hæc illius suspicione injuria affectum, aufert facultates, ut suspicionem illam tolleret, nudamque pietatem ostenderet. Et vide maligni demonis propositum. *Dixit, inquit, Dominus diabolo, Unde venis (Job 1. 7)?* Deinde superbus illis et arrogans, qui ne ordinem quidem suum noverat, neque interrogantis dignitatem, dicit: *Postquam circumivi terram, et perambulavi orbem, adsum (Ibidem);* quasi clamaret ac vellet ostendere, se omnibus quæ sub cælo sunt imperare, omnia terrena ab se calcari, sequi omnes homines sub pedibus habere. *Postquam circumivi, inquit, terram, et perambulavi orbem, adsum.* Rescinditur diaboli superbia. Quia enim putavit se imagini Dei imperare, ejicitur ex terra, ut non jam illam perambulet; eliminatque illum omnium Dominus. Ipse enim est qui promisit: *Inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus (Levit. 26. 12).*

3. Antea perambulabat diabolus. Quando enim idololatria diffusa erat, cum impietas obtinebat, quanto omnia ad nequitiam spectantia florebat, diabolus perambulabat; cum autem sanctimonia est et justitia et veritas apud eos qui custodiunt veritatem, tunc Deus inhabitat et inambulabo. *Attendistine, inquit, mente tua, servum meum Job, quod non ei similis sit super terram, irreprehensibilis, justus, verax, abstinens ab omni re mala (Job 1. 8)?* Quia dicebat, *Totum circumivi orbem, et arrogantem agebat, quasi omnibus imperaret, arrogantiam ejus solvens veritatis verbum, ait ad illum: Vidistin' hominem a te minime calcatum, quia omnibus, ut ait, imperas? vidistin' hominem qui totam malitiam tuam vicerit? vidistin' qui te calcavit, qui calcas omnes? vidistin' qui tuam solvat tyrannidem, et injustitiam justitia, impietatem pietate eliminat? Hic autem Deo contradicit, et ait: Non gratis colit te.* Proponit possessiones, ut et ejus mores et virtutem vituperet, ut suspicionibus spuriam ostendat virtutem. Tu dedisti, inquit, illi abundantiam; aufert abundantiam, et nudatur hypocrisis. Dicit ei Deus: *Tange universa quæ habet (Job 1. 11).* Sciebat enim Deus ipsum insatiabile propositum circa avaritiam habere, aitque: *Ecce omnium do tibi potestatem, tantum eum ne tangas. Terminis circumscribit malitiam diaboli. Vide deinceps qualem tendat arcum adversus justum, quæ vibret tela. Exiit, et primo ipse malorum artifex in varias se figuras transformat, ipse sese malorum nuntium præbet, ipse percussit jumenta, ipse plagam nuntiat. Dixit, inquit, diabolus Jobo: Juga boum tuorum arabant, et asinæ pascebantur, et venerunt qui ea abducerent, et occiderunt pueros tuos, et relictus sum ego solus, et vni tibi nuntiaturus (Ibid. v. 14. 15).* Prima diaboli tentatio, primum telum contra strenuum athletam. Sed opposuit Job ex adverso fidei clypeum, qui posset ignita omnia maligni tela restringere. Juga boum periere, et anima dissecta non est. Asinæ perierunt, pullusque ille nobilis frenum pietatis non negavit. Vidit nuntium acerbum perditarum possessionum, mansitque ut turris firma et inexpugnabilis. Diabolum nequitia acerbam amarumque animo pœnituit sic nuntiasse. Animadvertit, queso, diligenter, ne te fugiat maligni consilium, quod cum recte prospiceret Apostolus ait: *Non enim ejus consilia ignoramus (2. Cor. 2. 11).* Ubi ergo nuntiavit illi: *Juga boum arabant, et asinæ pascebantur, et venerunt qui abducerent, viditque Jobum strenuo animo nuntium ferentem, pœnituit eum quod male nuntiasset, et in seipso hæc propemodum dixit diabolus: Male nuntiavi, quando dixi homines ipsum impugnare: potest ille cogitare: Si homines impugnarunt et injuste læserunt, quid hoc ad Deum? Male, inquit, jaculatus sum, non scopum attigi, sagittas frustra emisit, aberrarunt tela. Dixi homines abduxisse: potest hic dicere: Cur hominum iniquitatem Deo ascribam? Alii sunt qui læserunt, et a ius erit qui blasphemabitur? Ut itaque ejus animum et iram ab hominibus ad Deum transferret, et ostenderet illi non homines sed Deum ipsi d. m. n. intulisse, ait illi: *Ignis decedit de cælo (Job 1. 16).* Num poteris dicere ini-*

micos illum superne immisisse? Contumeliam infer ei qui te læsit, blasphema in eum qui te oppugnat. *Ignis decedit de cælo:* Cur te lædentem colis? cur adoras eum qui tibi facultates abstulit? *Ignis decedit de cælo.* Audivit Job, et rursus fortiter tulit. Patientia enim illius vere patientia erat, ad finem usque perdurans, de qua Servator ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Math. 10. 22).* *Ignis decedit de cælo.* Quotidie laborabat offerens sacrificia pro filiis: quæ quotidie laborans offerebat, ea Deus conferit in sacrificium accepit. *Ignis decedit de cælo.* Si ego solus indutus essem, jure dolerem; si autem pauperes inducebantur, an poterit Dominus pauperes negligere? Novi eum, illorum quæ in sacrificium accepit, centuplum redditurum. Num ex iniquitate paræ sunt opes? Num per avaritiam oves acquisivi? *Ex vellerebus ovium nearum calefacti sunt humeri pauperum, et os viduus benedixit mihi (Job 51. 20. et 29. 13).* Scit quid faciat Deus. Nunc accepit meam substantiam, ut sacrificium: eandem mihi multiplicabit per virtutis augmentum. Non me movent exteriora tela, interius munitum; imo vero me magis interius confirmat Dei sagittæ; nam *Sagittæ potentis acutæ (Psal. 119. 4);* de quibus ait David: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi (Psal. 57. 5).* Sagittæ quæ? Sagitta pietatis, sagitta justitiæ, sagitta amoris Dei, sagitta studii erga virtutem: his divinis sagittis anima vulneratur. Cum ergo diabolus experimentum omne sumpsisset, et facultatibus nudatum, virtute non nudasset, naturam demum aggreditur, in naturæ culturam violentiam inferi, ramos avellit a radice, optimi athletæ filios opprimit: aufert fructum, ut genitorem dolore afficeret. Et quid facit? Vide maligni nuntiationem, quam sit plena ironia et præstigiis proxima, quæ possit strenui viri animum frangere. Ait igitur illi: *Filiis tuis et filiabus tuis comedentibus et bibentibus in domo primogeniti tui, venit ventus vehemens ex deserto, et concussit domum, quæ corruens oppressit pueros tuos et mortui sunt (Job 1. 18. 19).* Verbum diminutivum, quod possit luctum excitare. Non dixit, super filios tuos, sed, *Super pueros,* ut pueros audiens, misericordia commotus esset. *Veni ventus vehemens ex deserto.* Iterum judicem calumniatur; ventus enim non hominibus, sed Deo obsequitur. *Cecidit super pueros tuos, et mortui sunt. Tunc Job surrexit (Job 1. 20):* sic enim scriptum est. Bonum verbum, *Surrexit,* non enim ex plaga concidit; sed surrexit vi pietatis: *Surrexit, et adoravit.* Merces calamitatum, adoratio. Percussus benedixit, calamitatis impetitus gratias egit. *Et comam totondit.* Nunc inter nos lugentes multi comam nutriunt, ille autem abstulit. Quare? Id nimirum curat is, quem luctus opprimit, ut in contrarium formam cultum nuntet. Nam ubi coma colitur, signum luctus tonsio est. Semper enim lugentes contrarium quarunt habitum. *Et scidit vestimenta:* figura quidem ad dolorem tractus, re autem ad virtutem expeditus. Exiit vestimentum, ut nudus luctator adversarium circumplectatur, et ex conspicua lucta justitiam in præmium accipiat. Exiit vestimentum quia induerat justitiam: aitque magna illa pietatis lucerna: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum in sæcula (Ibid. v. 21).* O strenuam animam! Hæc vox telum fuit contra diabolum: hæc vox tela emisit in dæmones, fregit hostium phalanges. *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, et nudus revertar (Ibid.).* Apostolica vox ante apostolica tempora, eaque virilis: *Nudus egressus sum ex utero matris, et nudus revertar:* quemadmodum Apostolus: *Nihil utilitatis in hunc mundum, manifestum quod nihil possumus efferre. Dominus dedit, Dominus abstulit (1. Tim. 6. 7).*

4. Omnibus, ut paucis dicam, privatus est, solaque uxor relicta est, antiquum illud diaboli instrumentum. Uxor relicta est, non parente diabolo, sed telum sibi reservante. Quia enim sciebat, se per mulierem primum hominem expugnasse, mulierem reservat, ut eadem utatur armis ad insidias. Sed illic invenit Ada-



mum; hic Adamum non reperit. Illic Adamum et Evam invenit; hic Evam invenit, sed non Adamum. Ait illi uxor: *Quousque sustinebis (Job 2. 9)?* Verba vere diabolica. Illud enim, *Quousque*, vox erat ejus qui torqueretur. Ego torqueor, et tu dicis, *Quousque?* Ego verberor, et tu ad plagas verberati obtorpescis. Quousque sedes expectans de die in diem salutem? Invitus diabolus virtutem justi celebrat: prædicat ejus patientiam, quoniam cum spe decertabat. *Quousque?* Illic vide scriptoris sapientiam. *Et prospiciens in eam*, inquit, *Job dixit (Ibid. v. 10)*. Non dixit, Attendens ipsam, sed, *Prospiciens*. *Prospiciens*, quare? ignorabatne uxorem? nonne cum ea vixerat? nonne ex ea liberus susceperat? quare ergo prospexit? Illud, *Prospexit*, declarat eum non illam vilis esse, sed eum qui in illa erat. Respiciebat diabolus Job; noverat eum qui in serpente loquutus fuerat, et qui nunc in muliere loquebatur, et ait: *Ut una ex insipientibus loquuta es*. Cur non dixit, *Ut una ex impiis*, ut una ex atheis? Sciebat illam non impiam esse, sed insipientiam abreptam. Alioquin vero, fratres, ei, qui Deum abnegaverit, insipientis nomen datur. Nam, *Dixit insipiens in corde, Non est Deus (Psal. 15. 4)*. *Quasi una ex insipientibus*: ac si quis diceret, Sicut Eva loquuta es. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? O strenuam animam! Illic mihi ejus animum explora*. Nesciebat Job se pro virtute certare: nesciebat se pro patientia coronari: sed solum existimabat calamitatem esse a Deo immisissam: mala esse putabat, neque ideo quasi de immisissis malis blasphemabat. Si autem cum mala existimaret esse ita certavit, si novisset coronam, annon multo magis certasset? Sed cur Deus non ante monuit illum dicens, *Vide quid facturus sis*. Futurum est ut diabolus aciem contra te instruat, adversumque te arma sumat: decerta, strenue age, ne mentem tuam evertat, ne tuos diripiatur cogitatus, ne animam tuam obsideat: confortare, neque alicui Deo putes certamen athletæ nuntiare. Petro namque dicit Dominus: *Petre, ecce satanas expellit vos, ut cribraret tanquam triticum (Luc. 22. 31)*. Apostolis tentationes prænuntiat; Jobo autem non prædicat tentationes et certamina. *Num injustitia apud Deum est? Absit (Rom. 9. 14)*. Nam his animum addit, hos vero relinquit. Cur non ei prædicit, ut apostolis? Sciebat Deus diaboli vafritiem, sciebat invidiam, sciebat calliditatem qua posset virtutem obtundere. Si dixisset ei Deus, *Attende tibi*, et decerta; si usque in finem sustinueris, duplicatas tibi facultates restituan, regnum cælorum hereditate consequeris, coronas immortalitatis accipies, orbis totus plenus erit laudibus tuis: si hæc dixisset, concertasset utique justus; sed diabolus hinc occasionem arripisset: ac, si ita decertans vicisset, dixisset Deo, *Num gratis decertavi?* Promisisti ei immortalitatem, promisisti regnum, promisisti coronas. Si itaque cum temporalium fructum accepisset, in suspicionem vocatus est non quasi justus, sed quasi mercenarius: si æternorum bonorum promissionem accepisset, annon multo magis hinc diabolus occasionem arripisset? Sed occultat coronas, ut certamina patefaciat: occultat bravium, ut athletam ostendat. Cur ego, dices, etiam apostolis non occultavi? si enim ea de causa Jobo non prædixit, cur non eodem modo apostolis præmium tacuit? Job solus decertabat, pro semetipso laborabat, pro semetipso pugnabat: apostoli vero præcones terræ erant et doctores orbis. Ipsis certe occultare poterat, sed mundo res detrimentum fuisset. Poterat Paulus sine coronarum promissione certare; poterat Petrus sine promissione viriliter agere; poterant apostoli non accepta bonorum promissione pro virtute pugnare: sed non ubique Paulus, non ubique Petrus; multorum animæ imbecillæ sunt, multorum mentes vacillant. Si enim hodie, postquam regnum promissum est, futurorumque bonorum possessio, atque angelorum consortium, et paradisi voluptas, multi promissa contemnunt, presentibus inhiantibus: si omnino silentium de iis fuisset, quis ad pietatem accurreret? Jure ergo, fratres, Jobo non

ostendit futura, ut firmiter illius propositum exhibeat; apostolis vero futura promittit, ut auditorum animos excitet, ut orbis terrarum mentem confirmet. Multi nunc regnum audiunt, et contemnunt; multi Christum expectant, et malitiam induunt; multi a nequitia non recedunt; multi hodie jejunia honorant, et dicunt: *Hodie adversario meo nihil dico: transeat passionis Christi dies, et litem agam, ulciscar injurias, multa faciam*. Ergo frater es illius Esaü qui talia cogites: hæc profers quæ dixit Esaü. Etenim Esaü fratrem occidere voluit, sed patrem reverebatur. Et quid dixit? *Appropinquant dies luctus patris mei, et tunc occidam fratrem meum (Gen. 27. 41)*: prætereat mors patris mei, et tunc occidam. Et tu quid dicis? *Transeat Christi passio, et tunc contra hostem meum litigabo*. Vide ne frater Esaü sis. Audi quid dicat Paulus: *Ne quis fornicator, nec profanus, ut Esaü: ne per eum multi contaminentur (Hebr. 12. 16. 15)*. Hæc a me dicta sunt, non ad iram concitandam, sed ad operam et salutem fratribus ferendam. Contingat autem nobis et verbo instructis, et historiarum exemplo institutis, sanctorum Patrum et prophetarum certamine roboratis, gloriam semper Deo referre, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*In justum et beatum Job, sermo quartus.*

4. Ubique et in omnibus fere divinis narrationibus inferiora rebus sunt verba, et materia inferiores dictiones; præcipue vero in præclaris beati Jobi gestis. Nemo unquam potest huic argumento tenuitatis suæ sermonem æquare. Etiam si enim sexcenta de illo quis dicat, a dignitate rei longe retro relinquitur. Quoniam igitur pro virili, etsi medioeriter, diximus, nihil velat quominus hodie eidem argumento hæreamus. Nemoque arbitretur rem tractatam injuria afflicti, si narrationem præscindamus. Neque enim Job incisus dolet: nam si inciso corpore non dolebat, an incisa narratione dolebit? Novimus ex præmissis narrationibus, ipsum omnia amisisse, imo potius omnia invenisse. Cum enim lacta omnia amisisset, lætitiæ radicem non amisit. Perdidit lyram, sed mansit artifex; perdidit ubertatis fructus, sed mansit agricola abundantię auctor: nudatus est omnibus facultatibus, sed non nudatus est virtute. Abiecit diabolo opes, abiecit vitæ commodis, quemadmodum Joseph pallium impudicæ mulieri. Patiendi non patiebatur. Oportet enim et naturæ passionem fateri, et animi virtutem celebrare. Exhibita sunt naturæ indicia, et virtutis magnitudo apparuit. Audivit filiorum calamitatem, et scidit vestimenta, ut naturæ ostenderet commiserationem. Nisi enim passus esset, non ut virtutis cultor admirationi habitus fuisset, sed velut insensilis damnatus fuisset. Sed passus est ut homo, et ut Dei amans sustinuit, naturæque infirmitatem vicit, piosque mores non prodidit. Discidit vestimenta, sed adoravit. Igitur diabolus non tam percussit, quam percussus est; non tam vulneravit, quam vulneratus est. Sed postquam in primo agone bene certavit Job, rursus illi alium agonem offert Deus, ut splendidiorem ipsi neciat patientiæ coronam. Rursus enim adstant angeli, et diabolus in medio interrogatur ab eo qui omnia noverat, *Unde venis (Job 2. 2)?* Vide sapientiam Dei, vide vafritiem diaboli. Deus quidem sciebat unde veniret, quodque superatus a justo veniret: vult autem Deus videre, num ingenue se victum fateatur. *Unde venis?* Diabolus vero se victum esse non confitens, pudore enim arcebat, eadem usus est, qua prius, voce: *Postquam circumivi terram et perambulavi orbem, adsum*. Num ea de causa exivisti? an hoc postulasti? nonne tu dixisti: *Da mihi ea quæ Job possidet?* cur certamen laces, ut victoris coronam auferas? Dic certamen, maledicte, narra luctum, ut prædices victoriam. Sed quod per invidiam diabolus occultavit, id in honorem eximie philosophiæ celebrat omnium Dominus. *Animo intentus fuisti contra famulum meum (Ibid. v. 3)?* Quod tu celas, ego palam facio. Sepe namque Deus interrogat, non ut discat, sed ut eorum qui interrogantur propositum exploret, num in-

πήρ τῆς εὐσεβείας· Ὁ Κύριος ἔδωκεν, ὁ Κύριος ἀφείλετο· ὡς τῷ Κυρίῳ ἔδοξεν, οὕτω καὶ ἐγένετο· εἴη τὸ δογμα Κυρίου εὐλογημένον εἰς τοὺς αἰῶνας. Ὡ γενναίας ψυχῆς! Αὐτῆ ἡ φωνὴ βέλος ἐγένετο κατὰ τοῦ διαβόλου, αὐτῆ ἡ φωνὴ βέλη κατὰ τῶν δαιμόνων ἀπέστειλεν, ἔρρηξε τὴν φάλαγγα τῶν ἀναντιῶν. Γυμνός ἐξῆλθον ἐκ κοιλίας μητρὸς μου, γυμνός καὶ ἀπελεύσομαι. Ἀποστολικὴ ἡ φωνὴ πρὸ τῶν ἀποστολικῶν χρόνων ἀνδριζομένη· Γυμνός ἐξῆλθον ἐκ κοιλίας μητρὸς, γυμνός καὶ ἀπελεύσομαι· ὡς ὁ Ἀπόστολος· Οὐδὲν ἐπηγάγαμεν εἰς τὸν κόσμον· δῆλον, δεῖ οὐδὲ ἐστραγγίσει τὴν δυνάμεια. Ὁ Κύριος ἔδωκεν, ὁ Κύριος ἀφείλετο.

δ. Πάντων περιηρέθη, ἵνα συντέμω, καὶ ἡ γυνὴ μόνη ὑπελείπετο, τὸ ἀρχαῖον ὄργανον τοῦ διαβόλου. Ἡ γυνὴ ὑπελείπετο, οὐ φεισάμενον τοῦ διαβόλου, ἀλλ' ἑαυτὴ τὸ ὄπλον τήρῃσεν. Ἐπειδὴ γὰρ ἦδει, ὅτι διὰ γυναικὸς τὸν πρῶτον ἄνθρωπον κατηγωνίσαστο, φυλάττει τὴν γυναῖκα, ἵνα τῷ ὁμοίῳ ὄπλῳ χρήσται πρὸς τὴν ἐπιβουλήν. Ἄλλ' ἔκει μὲν εὖρε τὸν Ἀδὰμ, ὡδὲ δὲ τὸν Ἐῶαν, οὐχ εὖρεσκε. Ἐκεί τὸν Ἀδὰμ εὖρε καὶ τὴν Ἐῶαν· ὡδὲ δὲ τὴν μὲν Ἐῶαν εὖρε, τὸν δὲ Ἀδὰμ οὐχ εὖρε. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ· Ἔως τίνος καρτερήσεις; Τὰ ῥήματα ἀληθῶς τοῦ διαβόλου. Τὸ γὰρ, Ἔως τίνος, βασανίζομένου ἦν ἡ φωνή. Ἐγὼ βασανίζομαι, καὶ σὺ λέγεις, Ἔως τίνος; Ἐγὼ τύπτομαι, καὶ σὺ ναρκᾷς πρὸς τὰς πληγὰς τοῦ βασανιζομένου; Ἔως τίνος [592] κἀθήσαι περιμενῶν ἡμέραν ἐξ ἡμέρας τὴν σωτηρίαν; Ἄκων ὁ διάβολος τὴν ἀρετὴν τοῦ δικαίου ἀνυμνεῖ, κηρύττει αὐτοῦ τὴν ὑπομονήν, ὅτι ἐλπιδὶ ἠγωνίζετο. Ἔως τίνος; Εἶτα βλέπει τὸ σὸφόν τοῦ συγγραφέως. Καὶ ἐμβλέψας αὐτῇ, φησὶν, Ἰὼβ εἶπεν. Οὐκ εἶπε, προσγῶν αὐτῇ, ἀλλ', ἐμβλέψας· Ἐμβλέψας, διὰ τί; ἠγνοεῖ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα; οὐκ αὐτῇ συνέζησεν; οὐκ ἐξ αὐτῆς ἐτεκνήσαστο; διὰ τί οὖν ἐνέβλεψε; Τὸ Ἐμβλέψας δεικνύσιν, ὅτι οὐκ αὐτὴν βλέπει, ἀλλὰ τὸν ἐν αὐτῇ. Ἐνέβλεψε τῷ διαβόλῳ ὁ Ἰὼβ· εἶδε τὸν ἐν τῷ ὄρει λαλῆσαντα, καὶ νῦν ἐν τῇ γυναικὶ λαλοῦντα. Καὶ λέγει· Ὡς μία τῶν ἀφρόνων ἐλάλησας. Διὰ τί οὐκ εἶπεν, Ὡς μία τῶν ἀσεβῶν; ὡς μία τῶν ἀθῶν; Ἥδει αὐτὴν οὐκ ἄθεον οὖσαν, ἀλλ' ὑπ' ἀφροσύνης συναρπασθεῖσαν. Ἄλλως δὲ, ἀδελφοί, κυρίως τῷ τὸν Θεὸν ἀρνούμεν ἢ τοῦ ἀφρονος δίδοται φωνῇ. Εἶπας γὰρ, φησὶν, ἀφρων ἐν τῇ καρδίᾳ· Οὐκ ἐστὶ Θεός. Ὡς μία τῶν ἀφρόνων· ὡς εἶπες ἔλεγεν· Ὡς ἡ Εῶα ἐλάλησας. Εἰ τὰ ἀγαθὰ ἐδεξάμην ἐκ χειρὸς Κυρίου, τὰ κακὰ οὐχ ὑπόισομεν; Ὡ γενναίας ψυχῆς! Ἐνταῦθ' αἰ μοι δοκίμασον αὐτοῦ τὴν ψυχὴν. Οὐκ ἦδει Ἰὼβ, ὅτι ὑπὲρ ἀρετῆς ἠγωνίζετο· οὐκ ἦδει ὅτι ὑπὲρ ὑπομονῆς στέφεται· ἀλλ' ἐνόμιζεν ἀπίως συμφορὰν εἶναι θετήσαστο· κακὰ εἶναι ἐνόμισας, καὶ κακὰ νομίσας, οὐχ ὡς ὑπὲρ κακῶν ἐδιασφίμησεν. Εἰ δὲ κακὰ νομίσας οὕτως ἠγωνίσαστο, εἰ ἦδει τὸν στέφανον, οὐ πολλῷ μᾶλλον ἠγωνίζετο; Ἀλλὰ διὰ τί οὐ προλαβὼν εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεός, Ὅρα τί ποιεῖς; Ὁ διάβολος μέλλει παρατάττεσθαι σοι, μέλλει κατὰ σοῦ ὀπλίσεσθαι· ἀγωνίζου, ἰσχυε, ἵνα μὴ σου παραπερήθῃ τὴν διάνοιαν, ἵνα μὴ σου συλῆσῃ τοὺς λογισμοὺς, ἵνα μὴ σου πολιορκήσῃ τὴν ψυχὴν· ἰσχυε, καὶ μὴ νομίσης, ὅτι ἀνοικεῖον Θεῷ τὸ παραγγεῖλαι τῷ ἀληθεῖ τὴν πάλιν. Τῷ γὰρ Πέτρος λέγει ὁ Κύριος· Πέτρε, Ἰδοὺ ὁ Σατανᾶς ἐξητήσατο ὑμᾶς, τοῦ σιτωθῆαι ὡς τὸν σίτον. Τοῖς ἀποστόλοις προλέγει τοὺς πειρασμούς· τῷ δὲ Ἰὼβ οὐ προλέγει τοὺς πειρασμούς, οὐδὲ τὴν ἀθλήσιν. Μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ; Μὴ γένοιτο. Τοὺς μὲν παραθάρσυνει, τοὺς δὲ καταλιμπάνει. Διὰ τί μὴ λέγει αὐτῷ, ὡς τοῖς ἀποστόλοις; Ἥθει ὁ Θεὸς τοῦ διαβόλου τὴν κακοურγίαν, ἦδει τὸν φθόνον, ἦδει τὴν ὑπόνοιαν δυναμένην ἀμβλῦναι τὴν ἀρετὴν. Εἰ εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεός, Πρόσεχε σεαυτῷ, καὶ ἀγωνίσαι· ἐάν ὑπομείνης εἰς τέλος, τὰ ὑπάρχοντά σοι εἰς τὸ δικαίον ἀποδοίωσι, βασιλείαν οὐρανῶν κληρονομήσεις, στεφάνους ἀθανασίας δέξου, μεστὴ τῶν ἐγκωμίων τῶν σῶν καὶ τῶν ἐπαίνων ἡ οἰκουμένη πᾶσα γενήσεται· εἰ ταῦτα εἶπεν, ἠγωνίζετο μὲν ἂν ὁ δίκαιος· ὁ δὲ διάβολος πάλιν ἀφορμὴν ἐλάμβανε· καὶ εἰ μὲν ἀγωνισάμενος οὕτως ἐνίκησεν, ἔλεγε τῷ Θεῷ· Μὴ γὰρ δωρεὰν ἠγωνίσαστο; Ἐπηγγεῖλω αὐτῷ ἀθανασίαν, ἐπηγγεῖλω βασιλείαν, ἐπηγγεῖλω στεφάνους. Εἰ τοίνυν τῶν προσκαίρων λαβὼν τὴν ἀπόλαυσιν, ὑπενοήθη οὐχ ὡς δίκαιος, ἀλλ' ὡς ὑπομίσθιος· εἰ ἔλαβε τῶν αἰωνίων τὴν ὑπόσχεσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὁ διάβολος ἀφορμὴν ἐλάμβανεν; Ἀλλὰ κρύπτει τοὺς στεφάνους, ἵνα γυμνώσῃ τοὺς

ἀθλους· κρύπτει τὸ βραβεῖον. ἵνα δείξῃ τὸν ἀθλητὴν. Διὰ τί οὖν, φησὶ, καὶ τοῖς ἀποστόλοις οὐκ ἐκρυψεν; εἰ γὰρ διὰ τοῦτο οὐκ εἶπε τῷ Ἰὼβ, διὰ τί μὴ τῷ αὐτῷ τρόπῳ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποστόλων ἐσιώπησεν τὸν ἀθλον; Ἰὼβ μόνος ἠγωνίζετο, ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἔκαμνον, ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἠγωνίζετο· οἱ δὲ ἀπόστολοι, κήρυκες ἦσαν τῆς γῆς καὶ διδάσκαλοι τῆς οἰκουμένης. Αὐτοῖς μὲν οὐκ κρύψαι ἔδύνατο, ἀλλὰ τῷ κόσμῳ ζημίαι τὸ πρᾶγμα ἐγένοντο. Ἠδύνατο Παῦλος ἄνευ στεφάνων ἐπαγγελίας ἀγωνισασθαι· ἔδύνατο Πέτρος ἄνευ ἐπαγγελίας ἀνδρῖσασθαι, ἔδύνατο οἱ ἀπόστολοι μὴ δεξάμενοι ἐπαγγεῖλαι ἀγαθὸν ὑπὲρ ἀρετῆς ἀγωνισασθαι· ἀλλ' οὐ πανταχοῦ Παῦλος, οὐ πανταχοῦ Πέτρος· πολλῶν ἀσθενούσιν αἱ ψυχαί, πολλῶν οὐκ ἀκούουσιν αἱ διανοίαι. Εἰ γὰρ σήμερον βασιλεὺς κηρυττομένης, μελλόντων ἀγαθῶν ἀπολαύσεως, συνδιαιτησεως ἀγγελικῆς, τῆς ἐν παραδείσῳ τρυφῆς, καταφρονουσι τῶν ἐπηγγελλέντων πολλοί, προστετηχότες πρὸς τὰ παρόντα· εἰ πάντως ἐσιωπήθη, τίς ἂν προσέδραμε τῇ εὐσεβείᾳ; Εἰκότως οὖν, ἀδελφοί, τῷ μὲν Ἰὼβ [593] οὐ δεικνύσι τὰ μέλλοντα, ἵνα στερεωτέραν δείξῃ τὴν πρόθεσιν τοῖς δὲ ἀποστόλοις ἐπαγγέλλεται τὰ μέλλοντα, ἵνα τῶν ἀκροατῶν διεγείρῃ τὰς ψυχὰς, ἵνα τῆς οἰκουμένης νευρώσῃ τὴν διάνοιν. Πολλοὶ νῦν ἀκούουσιν ἐπὶ βασιλείας, καὶ καταφρονουσι· πολλοὶ Χριστὸν δεχόμενοι, καὶ πονηρίαν ἐνδύονται· πολλοὶ κακίας οὐκ ἀναχωροῦσι· τιμῶσι πολλοὶ σήμερον τὰς νηστείας, καὶ λέγουσι· Σήμερον οὐδὲν λέγω τῷ ἀντιδίκῳ μου· παρελθὶ ἡ ἡμέρα τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ, καὶ γυμνάσω τὴν δίχην, ἐκδικῶ τὴν ὄσβριν, ποιῶ πολλά. Οὐκ οὖν ἀδελφός εἰ τοῦ Ἡσαῦ, ταῦτα ἐνθυμούμενος ταῦτα λέγει, ἀ εἶπεν Ἡσαῦ. Καὶ γὰρ Ἡσαῦ ἠθέλησε φονεῦσαι τὸν ἀδελφόν, ἀλλὰ τὸν πατέρα ἦδειτο. Καὶ τί εἶπεν; Ἐργισάτωσαν αἱ ἡμέραι τοῦ πένθους τοῦ πατρὸς μου, καὶ τότε φονεύσω τὸν ἀδελφόν μου· παρελθὲ ὁ θάνατός τοῦ πατρὸς μου, καὶ τότε ἀναίρω. Καὶ σὺ τί λέγεις; Παρέλθῃ τὸ πάθος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τότε στρατεύσομαι κατὰ τοῦ ἐχθροῦ μου. Βλέπε μὴ ἀδελφός εἰ τοῦ Ἡσαῦ. Ἀκούουσιν τί λέγει ὁ Παῦλος· Μὴ τις πόρνος, μὴ βέβηλος, ὡς Ἡσαῦ· ἵνα μὴ δι' αὐτοῦ μαρθῶσιν οἱ πολλοί. Ταῦτα εἰρηγαί μοι, οὐκ εἰς παροφθυσμὸν, ἀλλ' εἰς ἀνελιψίν τῶν ἀδελφῶν καὶ σωτηρίαν. Γένοιτο δὲ ἡμᾶς καὶ λόγῳ παιδευόμενων, καὶ ἱστορίαις παιδαγωγουμένων, ταῖς τῶν ἀγίων Πατέρων καὶ προφητῶν ἀθλήσει κατορθοῦντας, δόξαν πάντοτε τῷ Θεῷ ἀναπέμπειν, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Εἰς τὸν δίκαιον καὶ μακάριον Ἰὼβ, λόγος δ'.

α'. Πανταχοῦ μὲν καὶ ἐπὶ πάντων, ὡς εἶπεν, τὸν θεῖον διηγημάτων κατώτεροι τῶν πραγμάτων οἱ λόγοι, καὶ ἀσθενέστεραι αἱ λέξεις τῶν ὑποθέσεων· ἐξαιρέτως δὲ ἐπὶ τῶν τῷ μακαρίῳ Ἰὼβ κατορθωμένων. Οὐδεὶς οὐδέποτε δύναται τῷ λόγῳ τῆς ὑποθέσεως παρισῶσαι τὸν λόγον τῆς ἑαυτοῦ εὐτελείας. Κἂν γὰρ μυρία περὶ αὐτοῦ λέγηται, τῆς κατ' ἀξίαν δυνάμεως ὁ λόγος ἀπολιμπάνεται. Ἐπεὶ οὖν εἰρηται ἡμῖν τὰ κατὰ δύνανται μετρίως, οὐδὲν καλοῦσι καὶ σήμερον τῶν αὐτῶν ἀψάσθαι διηγημάτων. Καὶ μηδεὶς νομιζέτω ὑβρίζεσθαι τὴν ὑπόθεσιν, εἰ κατατέμνωμεν τὸ διηγημα. Οὐ γὰρ ἀλγεῖ Ἰὼβ τεμνόμενος· εἰ γὰρ τὸ σῶμα τεμνόμενος οὐκ ἤλεγε, τί διηγηματι τεμνόμενος ἀλγήσει; Ἐγνωμεν ἀπὸ τῶν προειρημένων διηγημάτων, ὡς ἀπώλεσεν ἅπαντα, μᾶλλον δὲ ἔβρεν ἅπαντα. Πάντα γὰρ τὰ φαειρὰ ἀπολέσας, τὴν βίβραν τῆς φαειρότητος οὐκ ἀπώλεσεν. Ἀπώλεσε τὴν λύραν, ἀλλ' ἔμενον ὁ τεχνίτης· ἀπώλεσε τοὺς καρπούς τῆς εὐθηνίας, ἀλλ' ἔμενον ὁ γεωργὸς τῆς εὐπραγίας· ἐγυμνώθη πάντων τῶν κτημάτων, καὶ οὐκ ἐγυμνώθη τῆς ἀρετῆς. Προέβρυχε τῷ διαβόλῳ τὰ κτήματα, ἀπορρίψαμενος τὸν βίον, ὡσπερ ὁ Ἰωσήφ τὸ ἱμάτιον τῇ ἀτίμῳ. Ἐν τῷ πάσχειν οὐκ ἐπάσχει. Δεῖ γὰρ καὶ τῆς φύσεως ὁμολογεῖν τὸ πάθος, καὶ τῆς ψυχῆς ἀνυμνεῖν τὴν ἀνδρείαν. Ἐδείχθη τῆς φύσεως τὰ γυνωρίσματα, εἰδείχθη καὶ τῆς ἀρετῆς τὰ πλουνοκτήματα. ἤκουσε τῶν παιδῶν τὴν συμφορὰν, καὶ διέβρυχε τὰ ἱμάτια, ἵνα τῆς φύσεως δείξῃ τὴν συμπάθειαν. Εἰ μὴ γὰρ ἔπαθεν, οὐκ ἂν ἐθαυμάζετο ὡς φιλάρετος, ἀλλὰ κατεγινώσκετο ὡς ἀναισθητός. Ἄλλ' ἔπαθε μὲν ὡς ἄνθρωπος, ὑπέμεινε δὲ ὡς φιλόθεος· καὶ τῆς φύσεως τὴν ἀσθένειαν ἤλεγξε, καὶ τῆς εὐσεβείας τὸν τρόπον οὐ προέδωκε. Διέβρυχε τὰ ἱμάτια, ἀλλὰ προσεκνήθησεν. Οὐ τοσοῦτον οὖν ἐπλήξεν ὁ διάβολος, ὅσον ἐπλάγη· οὐ τοσοῦτον ἐτριωσεν, ὅσον ἐτρώθη. Ἀλλὰ τὸν πρῶτον ἀγῶνα καλῶς διαθλήσαντα τὸν Ἰὼβ καὶν εἰς ἕτερον ἀγῶνα δίδωσιν ὁ Θεός, ἵνα λαμπρότερον αὐτῷ

πάλη τῆς ὑπομονῆς τὸν στέφανον. Πάλιν γὰρ ἐκ δευτέρου παρίστανται οἱ ἀγγέλοι, καὶ ὁ διάβολος εἰς τὸ μέσον ἐρωτᾷται παρὰ τοῦ πάντα εἰδότες. *Πόθεν σὺ ἔρχῃ;* Βλέπε τοῦ Θεοῦ τὴν σοφίαν· βλέπε τοῦ διαβόλου τὴν πανουργίαν. Ὁ μὲν Θεὸς ἔδει πόδεν ἔλθεν, ὅτι ἠττηθεὶς παρὰ τοῦ δικαίου ἤλθε· βούλεται δὲ ὁ Θεὸς ἰδεῖν, εἰ εὐγνωστικὸς ὁμολογεῖ τὴν ἧτταν. *Πόθεν σὺ παραγέγονας;* Ὁ διάβολος κρύβας τὴν ἧτταν, ἠσχύνετο γὰρ, τῇ αὐτῇ κέχρηται φωνῇ τῇ πρώτῃ· *Περὶελθὼν τὴν γῆν, καὶ ἐμπεριπατήσας* [594] *τὴν ὑπ' οὐρανὸν, πάρειμι.* Εἰς τοῦτο γὰρ ἐξῆλθες; τοῦτο ἤστεις; οὐ οὐ εἶπας, "Ἐκδοσ μοι τὰ ὑπάρχοντα τοῦ Ἰωβ; διὰ τί κρύπτεις τὸν ἀγῶνα, ἵνα ἀφανίσῃς τὸν στέφανον τῆς νίκης; Εἶπε δὲ τὸν ἀγῶνα, καθηραμένε, εἰπέ καὶ τὴν πάλιν, ἵνα κηρύξῃς τὴν νίκην. Ἄλλ' ὁ ἐκρυψέ φθονῶν ὁ διάβολος, ἀνυμνεῖ τῇ ἐναρέτῃ φιλοσοφία ὁ πάντων δεσπότης. *Προσέσχες τῇ διανοίᾳ σου κατὰ τοῦ θεράποντός μου;* Ὁ κρύπτεις, ἐγὼ γνωρίζω. Ἐρωτᾷ γὰρ ὁ Θεὸς πολλάκις, οὐχ ἵνα μάθῃ, ἀλλ' ἵνα τῶν ἐρωτωμένων γυμνάσῃ τὴν πρόθεσιν, εἰ εὐγνωμόνως ὁμολογοῦσιν. Οὕτως ἠρώτησε τὸν Κάιν· *Ποῦ Ἄβελ ὁ ἀδελφός σου;* Ἡβουλήθη αὐτὸν τὸν τὸ κακὸν δράσαντα κἂν κατήγορον ἐξυτο στήναι, ἵνα ἡ αὐτοῦ κατηγορία ἀμείλιχῃ τὸ μέγεθος τοῦ ἐγκλήματος. Πᾶ; γὰρ εαυτοῦ κατηγορῶν πρᾶναι τοῦ δικαστοῦ τὴν ἀγανάκτησιν. Ὅσπερ οὖν τότε ἠρώτα τὸν Κάιν· *Ποῦ Ἄβελ ὁ ἀδελφός σου;* ὁ δὲ νομίσας τὴν ἐρώτησιν ἀπὸ ἀγνοίας εἶναι, λέγει, *Οὐκ οἶδα· μή φύλαξ τοῦ ἀδελφοῦ μου εἰμι;* καὶ ὅτε ἐδοκίμασε τὴν πρόθεσιν, τότε ἤλεγξε τὴν ἀνοσιουργίαν λέγων· *Φωνὴ αἵματος τοῦ ἀδελφοῦ σου βοᾷ πρός με ἐκ τῆς γῆς;* οὕτως ἐάν ἐρωτήσας ἰδῇ ἀγνωμονίαν, ἐλέγχει κακούργουσα. Καὶ νῦν ἐπιτιθεῖ ἐρωτῶν τὸν διάβολον οὐ μανθάνει παρ' αὐτοῦ τὴν ἧτταν, ἦν ὑπέστη, αὐτὸς σπηλιτεύει αὐτοῦ τὴν ἧτταν, καὶ ἀνυμνεῖ τοῦ δικαίου τὴν νίκην. *Προσέσχες τῇ διανοίᾳ σου κατὰ τοῦ θεράποντός μου Ἰωβ, ὅτι οὐκ ἔστιν κατ' αὐτὸν ἄδικος ἐπὶ τῆς γῆς;* Ἐναύθα πρόσχε ἀκριδῶς, παρακαλῶ, καὶ μὴ παρεργῶν τὰ ῥήματα τῶν θεῶν Γραφῶν. Ἐν τῇ πρώτῃ μαρτυρία οὐδαμοῦ ἐλέγχθη τὸ, "Ἄδικος, ἀλλ' ἐν τῇ δευτέρῃ. Ἐν τῇ πρώτῃ ὁ Θεός· *Προσέσχες τῇ διανοίᾳ σου κατὰ τοῦ θεράποντός μου Ἰωβ, ὅτι οὐκ ἔστι κατ' αὐτὸν ἐπὶ τῆς γῆς, ἀνθρώπος ἀμειψτός, δίκαιος, ἀληθινός, ἀπεχόμενος ἀπὸ πικρῶς πονηρῶν πρῶντων;* Τὸ, "Ἄδικος, ἐκεῖ οὐ προσέθηκε· μετὰ δὲ τὴν νίκην καὶ τὸν ἀγῶνα προστίθησιν αὐτῷ ὡσπερ στέφανον τὴν εὐφημίαν συζάδουσαν αὐτοῦ τοῖς ἀγωνισμασίν. Ἐπειδὴ γὰρ μυρία πάσχων, ἀνάγκης ἤνεγκε τὴν συμφορὰν, μὴ βλασφημήσας κατὰ τοῦ δεσπότη, ἀλλ' ἀγαθότητι κρινάς, τὰ πάντα, καὶ εἰρηκώς· *Εἰ τὰ ἀγαθὰ ἐδεξάμεθα ἐκ χειρὸς Κυρίου, τὰ κακά οὐχ ὑπόλοιπον;* ἐπειδὴ ἀκαχία; ἦν τὸ ῥῆμα, ἀκαχίας αὐτοῦ πλέκει τὸν στέφανον, ὅτι *Οὐκ ἔστι τῶν κατ' αὐτὸν ἀνθρώπος ἄδικος.* Σὺ δὲ διὰ τί εἶπας ἀπολείπει τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ διὰ κενῆς; ἀντὶ τοῦ, Μάτην αὐτοῦ τῇ περιουσίᾳ ἐφθόνυσας; εἶπε; πράσσει τῶν χρημάτων εὐσεβεῖν τὸν ἄνδρα· ἐγυμνώθη τῶν κτημάτων, καὶ οὐκ ἐγυμνώθη τῆς ἀληθείας. Σὺ οὖν, διάβολε, εἶπε; ἀπολείπει τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ διὰ κενῆς. Οὐκ ἀπορεῖ ἡ καχία τῆς ἐαυτῆς πονηρίας. Εὐρίσκει πάλιν ὑπόνοιαν ἄλλην δυναμένην σβέσαι τοῦ ἐναρέτου τὴν ἀνδρείαν. Λέγει οὖν τῷ Θεῷ· *Δέρμα ὑπὲρ δερμάτος, καὶ πάντα, ὅσα ἔχει ἀνθρώπος, δώσει ὑπὲρ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ.* Οὐδὲν, φησὶ, μέγα, εἰ ἀπώλεσε κτήματα· ἤδεδωκε πάντων κατεφθόνον, ἵνα ἐαυτὸν σώσῃ. Ἄλλ' εἰ βούλει δοκιμάσαι αὐτὸν, *Τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ἀβύται· ἢ μὴν εἰς πρόσωπόν σε εὐλογῆσει.* Τὸ, *Εὐλογῆσει, ἀντὶ τοῦ,* Καταράσεται. Ἡ γὰρ Γραφή τῇ εὐφημίᾳ τὴν δυσφημίαν ἐκάλυψε.

β. Καὶ διὰ τί ταῦτα γέγραπται; Ἴνα σὺ ὁ πιστὸς μάθη, ὅτε τῶν ἀλλοτρίων κακῶν διηγῆ τὰ ἀισχρὰ, καλύπτειν αὐτὰ τῇ σεμνότητι τῶν λέξεων. Μὴ σεμνύνου ἀισχρὰ πράττων, ἀλλὰ σεμνύνου ὅταν τῶν αἰσχρῶν διαφύγῃς τὴν ὁμίλιαν. Διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Ἀπόστολος· *Πᾶν ῥῆμα αἰσχρὸν μὴ ἐκπορεύεσθω ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν.* Εἶτα ὁ Θεὸς παραδίδωσιν εἰς δευτέραν πείραν τὸν ἀγωνιστὴν, οὐκ αὐτὸς· ἐκ τῆς πείρας μανθάνων εἰς ἦν ὁ ἀγωνιστῆς, ἀλλὰ τὸν διάβολον κατασχύνων· ἐκ τῆς πείρας. Θεὸς γὰρ πρὸ τῶν ἀπάντων οἶδε τὰ πάντα. *Ἐξῆλθε δὲ ὁ διάβολος ἀπὸ προσώπου Κυρίου, καὶ ἔκασσε τὸν Ἰωβ ἕλκει πονηρῶ ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς.* Ὅλον αὐτοῦ τὸ σῶμα ἐν τραύμα ἐποίησεν, ἵνα

μῶλωπα. "Ἐδει γὰρ ὅλον δι' ὅλου στεφανωθῆναι αὐτὸν ἀγωνιστῆν. Ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς τὸ τραῦμα τὸ αὐτῆριον, τὸ ἔλκος τὸ ἐπιπικνιον, ἔλκος κατὰ μὲν τὸ φαινόμενον ἰχώρας βέον, κατὰ δὲ τὸ νοούμενον εὐφημίας γέμον. Οἱ ἰχώρες τοῦ ἔλκος ἐν ὀλίγοις χρόνοις ἐγενοντο, αἱ δὲ εὐφημίαι, [595] ἄς ἀπέτεκεν ἡ ἀθλιότης, εἰς πάντα τὸν αἰῶνα οὐκ ἀναλίσκονται. *Ἐπαισεν αὐτὸν ἕλκει πονηρῶ ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς, ἵνα ὅλος δι' ὅλου τῶν μελῶν στεφανίτης ἀναδειχθῇ.* Εἶτα ἐπιτιθεῖ τὸν οὕτω δυσπραγῆσαντα τῷ σώματι τόπος ἐντέλιος οὐκ ἐδέγτο, ἀλλὰ πᾶσα ἡ οἰκία ἐξωθεῖτο τοῦτον, ὡς λελωθμῆνον (οὐ γὰρ ἦν τι ἕτερον τὸ τραῦμα τοῦ Ἰωβ, εἰ μὴ λύθησι), ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως ὁ τοῦ κόσμου ἀλλότριος· ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως καὶ ἐκάθητο ἐπὶ κοπρίας· ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως, οὐ κοσμικῶν ἔχων τὸν ἀγῶνα, ἀλλ' ὑπερβαίνοντα τὴν παρούσαν κατάστασιν. Τὸ γὰρ ἔξω τῆς πόλεως εἶναι καὶ τοῦ τεύχους, εἰκὼν ἦν τῷ σταυρῶ τοῦ Χριστοῦ. Διὰ τοῦτο ὁ Παῦλος λέγει· *Ὅν δὲ εἰσφέρειται ζῶων τὸ αἷμα εἰς τὰ ἄγια, τοῦτων τὰ σώματα κατακαίεται ἔξω τῆς παρεμβολῆς.* Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Ἰησοῦς, ἵνα ἀγιάσῃ τὸν λαόν, ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε. Χριστὸς ἔξω τῆς πύλης· Ἰωβ ἔξω τῆς πόλεως ἐκάθειεν ἐπὶ κοπρίας· ὁ τῆς εὐσεβείας σπῆρος, ὁ σπῆρος τῆς ὑπομονῆς, ἐπὶ τῶν θλίψεων κοπριζόμενος, ἐκάθειεν ἐπὶ κοπρίας, ἀναμένων τὸν ἔγειροντα ἀπὸ τῆς πτωχῶν, καὶ ἀπὸ κοπρίας ἀνίσταντα τὸν πένθητα. Ἐδίδει, ἀδελφοί, τὸ σῶμα διαβρῶν, τὴν δὲ ψυχὴν ἐστηραγμένην· ἔβλεπε τὸ σῶμα σκώληκας φέρον, τὴν δὲ ψυχὴν εὐσεβείαν ἀποτίκτουςαν· ἔβλεπε τὸ γῆινον σκευὸς φθειρόμενον, καὶ ἐμῆμνητο πρὸ τοῦ Παύλου τὸν τοῦ Παύλου ῥημάτων· ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ λέγειν· *Ὅσον ὁ ἐξωθεν ἡμῶν ἀνθρώπος διασθίρεται, τοσοῦτον ὁ ἐσωθεν ἀνακινεῖται ἡμέραν καθ' ἡμέραν.* Ἐλαβεν δστρακον, ἵνα τὸν ἰχώρα ξέσῃ, τῷ ὄστρακον τὸν ἰχώρα ἀποξείων, τῇ ὑπομονῇ τὸν ἀνταγωνιστὴν ἐκλύων. Ἐπρεπε καὶ αὐτῷ λέγειν κατέχοντι τὸ δστρακον· *Ἐχομεν δὲ τὸν ἰθυσαντὸν τοῦτον ἐν ὄστρακῶν σκευῇ.* Ἐκάθει ἐπὶ κοπρίας ὁ πολλὸς ἀπὸ κοπρίας ἐγείρας· Ἐλαβεν δστρακον, ἵνα τὸν ἰχώρα ξέσῃ· τῷ νεκρῷ πηλῶ τὸ ζῶντα πηλὸν ἔξεν. Ἥλιθον οἱ τρεῖς φίλοι· καλοῦν γὰρ αἱ συμφοραὶ τοὺς φίλους εἰς παραμυθίαν· ἦλθεν Ἐλιφάθ, Σοφάρ, καὶ Βαλδὰδ, τρεῖς βασιλεῖς· πρὸς ἕνα βασιλεῖα. Βασιλεῖς γὰρ ἦν πρὸ τούτου ὁ λέγων· *Ἥμῃν δὲ ἐν αὐτοῖς ὡς βασιλεῖς ἐν μονοζώνοις. Καὶ ἐκάθεισαν,* ῥῆσιν, *ἐναντίον τοῦ Ἰωβ ἐκτὰ ἡμέρας καὶ ἐκτὰ νύκτας, καὶ οὐδεὶς ἐλάλησεν.* Αἱ μὲν γὰρ μέτρια συμφορὰ δέχονται παραμυθίαν· τὰ δὲ μεγέθη τῶν συμφορῶν τῇ σιωπῇ τιμᾶται. Ἔστι γὰρ, ἀδελφοί, ὅτε νικᾷ παραμυθίαν τὸ πάθος· καὶ ὡσπερ τὰ νοστήματα ἐν ἀκμῇ πᾶσαν θεραπεῖαν ἀποπέμπεται, οὕτω καὶ τὰ πάθη ἐν τῇ ἀκμῇ τῶν συμφορῶν πᾶσαν νοθεύσιν ἐκβάλλει. Ἐσιώπησαν, τῇ σιωπῇ κοινωνοῦντες τῷ πάθει. Καὶ τί ποιεῖ; Ἐπειδὴ ἐκείνους ἐνίκησεν ἡ συμφορὰ, καὶ οὐδεὶς ἐτόλμησε ῥῆσαι φωνὴν παραμυθίας, πρῶτος ἀρεταί τῶν λόγων· Ἰωβ· ἀνοίγει ἕρπῶν τὰς μὴ πάσχουσιν ὁ πάσχων. Ἰσμεν γὰρ, ἀδελφοί, ὅτι ἐν ταῖς συμφοραῖς, ἢ ἐν τοῖς πένθεσιν, ἢ ἐν ἄλλῃ τινὶ κατηφείας πράγματι, ἕκαστος αἰδεῖται· πρῶτος ῥῆσαι φωνήν, ἵνα μὴ δόξῃ ἄδικός τις εἶναι ἀρετῆς ἡττημένος· εἰσηγητῆς· ἐάν δὲ ἰδῇ ἄλλον ἀρέματον, ἀκαχθεῖ ἀκινδύνως. Τοῦτο, ἀδελφοί, καὶ ἡ πείρα διδάσκει, καὶ τὰ πράγματα ὑποτίθεται. Ὡς οὖν, εἶδεν ἀπρηξίσαν τὸ πάθος τὴν παραμυθίαν τῶν φίλων, ἀνοίγει ἕρπῶν ὁ πάσχων, καὶ ἀρεταί. εὐθέως ἐκτραγυθεῖν τὴν συμφορὰν, καταγοῦ βλασφημίας φεύγων τὴν ὑπόνοιαν. Πρῶτῃ φωνῇ τοῦ Ἰωβ· *Ἐπικατάρατος ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ ἐγενήθη, καὶ ἡ νύξ ἐκείνη σὴ σκότος.* Οὐκ ἀσέβην ταῦτα λέγει, ἀλλὰ πάσχων. Καὶ βλέπει τί ποιεῖ; Ὅσπερ ἐπειδὴν τις δεινῷ ἀποστήματι περιεχόμενος τέμνηται σιδηρῶ παρὰ τοῦ λατροῦ, οὐκ ἔχων πῶς ἀντισητῇ τὸ τέμνοντι, τῶν περισσώτων ἄπτεται, καὶ δάκνει τοῖς παρεστώτας, ἐκείνους μὲν ἐγκαλεῖν οὐδὲν ἔχων, πρὸς δὲ λατρὸν ἐκτείνει τὴν χεῖρα οὐκ ἰσχυρῶν· οὕτω καὶ ὁ Ἰωβ φοβούμενος τῆς βλασφημίας τὸ μέγεθος, ὑβρίζει τὰ ἄμυχα, καὶ πληροῖ τοῦ πάθους τὴν πληροφορίαν, οὐ τοῦ Θεοῦ καταπαλῶν, ἀλλ' ἐαυτὸν καὶ τῆς ἡμέρας κατηγοῦ ῶν· *καταρῶμαι γὰρ, οὐ τὴν κτίσιν, ἀλλὰ τὴν ἐαυτοῦ ἡμέραν.* Ἐξωσάσαν γὰρ ἔχω, φησὶ, τῆς ἡμέρας· οὐ καταρῶμαι τὴν δημιουργίαν, τὴν ἐμαυτοῦ ἡμέραν καταρῶμαι. *Ἐπικατάρατος ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ ἐγενήθη*

genue lateantur. Sic Cainum interrogavit, *Ubi est Abel frater tuus (Gen. 4. 9)?* Volebat eum qui scelus perpetraverat sui accusatorem constituere, ut sui accusatione criminis magnitudinem minueret. Quisquis enim semetipsum accusat, iudicis iram mitigat. Quemadmodum igitur tunc interrogabat Cainum, *Ubi est Abel frater tuus?* Ille vero putans interrogationem ex ignorantia proficisci, respondit, *Nescio: num custos fratris mei sum ego?* et cum animi propositum exploravit, tunc facinus redarguit dicens: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (Ibid. v. 10):* ita si, postquam interrogavit, videat non latentem, tunc facinorosum redarguit. Nunc quoque ubi diabolum sciscitatus, non discit ab eo ipsum esse victum, cladem ejus ipse traducit celebratque justis victorian. *Attendisti mente tua super servum meum Job, quod non sit ei similis super terram, innocensque ut ipse? Hic, quæso, animum diligenter adhibe, neque prætercurras verba divinarum Scripturarum. In primo testimonio non dicitur Innocens: sed in secundo dicitur. In primo dicebat Deus: Numquid considerasti mente tua servum meum Job, quod non sit ei similis super terram, vir irreprehensibilis, justus, verax, abstinens ab omni re mala (Job 1. 8). Illud, Innocens, ibi non addidit, post victoriam autem atque certamen adjicit ei quasi coronam, laudem scilicet ejus certaminibus consonam. Quia enim sexcenta passus mala, innocenter calamitatem tulit, nec blasphemum quid contra Dominum dixit, sed bono animo omnia dijudicavit et dixit: Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus (Job 2. 10)? quia id innocentia verbum erat, innocentia ipsi coronam necit, quod nempe non esset vir innocens ut ipse. Tu autem cur dixisti ut perderem facultates ejus frustra (Ibid. v. 5)? Ac si diceret, Frustra ejus substantia invidisti? Dixisti, virum pecuniarum causa pie vivere; nudatus est facultatibus, nec nudatus est veritate. Tu vero, diabole, frustra dixisti ut perderem facultates ejus. Non destituitur malitia sua pravitae. Invenit rursus alium modum, quo arbitrabatur se posse viri virtutem extinguere: dicit itaque Deo: *Pellem pro pelle, et uncia, quæ habet homo, dabit pro anima sua (Ibid. v. 4).* Nihil, inquit, magnum, si possessiones perdidit: libenter omnia sprevit. ut seipsum servaret. Sed si vis ipsum prubare, *Curnes ejus tange: certe in faciem benedicet tibi. Illud, Benedicet, hic significat, maledicet. Nam Scriptura benedictionem maledictionem adumbravit.**

2. Et cur hæc scripta sunt? Ut tu fidelis discas, cum alieni mali turpia narraveris, eadem verborum honestate velare. Ne glorieris dum turpia perpetras, sed dum turpium colloquia fugis. Ideo ait Apostolus: *Omne verbum turpe ne exeat ex ore vestro (Ephes. 4. 29).* Hinc Deus athletam secundæ tentationi tradidit, non ut ipse experientia disceret qualis certator esset, sed ut diabolum experientia pudificeret. Deus enim ante omnes omnia novit. *Egressus est porro diabolus a facie Domini, et percussit Job ulcere pessimo a pedibus usque ad caput (Job 2. 7).* Totum ejus corpus unum ulcus effecit, unum livorem. Oportebat enim totum omnino coronari luctatorem. A pedibus usque ad caput ulcus salutare, ulcus triumphale, ulcus, ut quidem videbatur, saniem emittens, ut intelligebatur autem, benedictione plenum. Sanies ulceris parvo tempore fluebat, laudes, quas certamen peperit, per omne sæculum non deficient. *Percussit eum ulcere pessimo a pedibus usque ad caput, ut totus per omnia membra coronatus ostenderetur. Deinde quia hominem corpore tam male habentem nullus locus muro cinctus capiebat, sed quævis domus eum depellebat, ut tabe affectum (nihil enim aliud erat ulcus Jobi quam tabes), egressus est extra civitatem, qui a mundo alienus erat; egressus est extra civitatem, et sedebat in sterquilinio; egressus est extra civitatem is qui non mundanum suscipiebat certamen, sed quod præsentem statum excederet. Nam quod extra civitatem et muros esset, imago erat crucis Christi. Ideo Paulus dicit: *Quorum autem animalium sanguis infertur in**

*sancta, horum corpora cremantur extra castra (Hebr. 13. 11).* Ideo Jesus, ut sanctificaret populum, extra portam passus est. Christus extra portam; Job extra urbem sedebat in sterquilinio. Pietatis semen, patientia semen in ærumnis limo conditum sedebat in sterquilinio, manens eum qui nasciat de terra pauperem, et de stercore erigit inopem (*Psalm. 112. 7*). Videbat, fratres, corpus defluens, animam vero stabilitam; videbat corpus vermibus scatens, animam vero pietatis parentem; videbat vas figlinum corruptum, et ante Paulum recordatus est verborum Pauli: par erat enim ut ille diceret: *Quantum externus noster homo corrumpitur, tantum internus renovatur de die in diem (2. Cor. 4. 16).* Accepit testam, ut saniem abraderet: testa saniem abradebat, patientia vero hostem profligabat. Par erat ut ipse testam tenens diceret: *Habemus autem thesaurum hunc in vase fictili (Ibid. v. 7).* Sedebat in stercore qui multos de stercore erexerat: accepit testam, qua saniem abraderet: mortuo luto vivens lutum abradebat. Venerunt tres amici; calamitates enim amicos ad consolationem trahunt: venerunt Eliphaz, Sophar, et Baldad, tres reges ad unum regem. Rex enim antea erat qui dicit: *Eram autem in eis sicut rex in accinctis (Job 29. 25).* Et sederunt, inquit, in conspectu Job septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur (*Job 2. 13*). Mediocres enim calamitates consolationem accipiunt: ingentes vero calamitates silentio honorantur. Accidit enim, fratres, ut ærumna consolationem vincat: ac quemadmodum morbi in suo vigore omnem medicinam respiciunt, sic etiam dolores in vi calamitatum omnem admonitionem eiciunt. Siluerunt, silentio suo doloris participes. Ecquid facit? Quia illos vicit calamitas, nemoque ausus est in vocem consolationis erumpere; primus Job sermonem orditur; januam aperit patiens non patientibus. Scimus enim, fratres, in calamitatibus, aut in luctibus, aut in alio quopiam tristi negotio, singulos vereri sermonem primos emittere, ne videantur virtutis aut consilii importuni esse magistri; si quis vero viderit alium exortum esse, sine periculo sequetur. Hoc, fratres, et experientia docet, et res ipsa suggerunt. Ut ergo vidit ærumnæ magnitudinem anicorum consolationem excludere, qui patiebatur fores aperit, et statim incipit calamitatem tragice describere, ubique blasphemiam suspicionem fugiens. Prima vox Jobi: *Maledicta dies, in qua natus sum, et nox illa sit tenebræ (Job 3. 3).* Hæc non impie dicit, sed præ dolore. Et vide quid faciat. Quemadmodum si quis diro apostemate detentus, ferro scindatur a medico, non valens scindentem abigere, circumstantes aggreditur, mordeique præsentem, non habens causam illos incusandi, sed non valens in medicum extendere manum: ita et Job magnitudinem blasphemiam metuens, inanimata afficit contumelia, atque ita dolorem explet, non contra Deum audens, sed se et diem natalem accusans: maledicit enim non creaturæ, sed dici suæ. Dies, inquit, mea, in potestate mea sita est: non maledico creaturæ, diei meæ maledico. *Maledicta dies in qua natus sum, et nox illa sit tenebræ. Hæc dicit etiam Jeremias: Væ mihi, o mater, ut quid me talem genuisti virum judicatum et damnatum? Maledicta dies in qua natus sum (Jer. 15. 10. et 20. 14).* Hæc porro omnia tragico more efferunt sancti, ut tu postea discas, eos non in deliciis vitam duxisse, sed sexcenta mala passos certamina persolvisse. Luxit ergo etiam Jeremias dicens: *Væ mihi, o mater, ut quid me genuisti? et passus quidem est ut homo, ut autem Dei amator sustinuit. Moyses similiter, magnus ille et divinus Dei legislator, qui tabulas sacras accepit, qui primus magister fuit in iis quæ ad vitam instituendam spectant, calamitatum multitudine oppressus dicit Deo: Domine, tu dixisti: Invenisti gratiam apud me, et novi te super omnes. Et si inveni gratiam in conspectu tuo, aufer animam meam a me: non enim possum ferre onus populi hujus (Exod. 33. 12. 13). Brevis lapidabunt me (Ibid. 17. 4).*

*Num ego illos parturivi? num ego illos peperivi, quia dicis mihi, Cesta eos, quemadmodum nutrix gestat puerum? Non possum ferre populi defectus (Num. 11. 12. 14). Tamen ingemiscens et fletus ut homo, non blasphemavit ut impius, sed naturæ affectus ostendebat, ab ipsis affectibus permotus. Similiter ex prophetis quisque ingemiscit, atque Habacuc: Ut quid mihi labores ostendisti et dolores, ut inspicerem miserius hominum (Hab. 1. 3)? Videbat enim propheticus elorus iniquitatem, nec ferebat, sed clamabat Habacuc dicens: Ut quid ostendisti mihi labores et dolores? In conspectu meo factum est iudicium, et iudex accipit, et ideo egreditur iudicium perversum (Ibid. v. 4). Princeps postulat (Mich. 7. 3), et iudex accipit, et contemnitur lex.*

3. Sic patiebantur omnes justii, et indigne ferebant mundi difficultates. Verum hæc ne ad arbitrii tui commodum trabas; neque dicas, Num ego melior sum Jeremia contra mundum clamante? ne medela verba vulnera tibi fiant. Hæc autem scripta sunt, ut ediscas quantum certamen certaverint, quantis periculis plenam vitam duxerint. Vis discere qualis esse debeas? Disce ea quæ post gratiam fuere. Passi sunt prophetæ, passi sunt apostoli: sed illi dum patenter dolebant, hi contra gloriabantur. Venit Paulus in medium; patiens, sed non ingemiscens; verberatus, sed non dolens; tortus, sed glorians. Quid vero dicit? *Non solum autem, sed gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (Rom. 5. 3-5).* Ac rursus verberati apostoli *habent gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati (Act. 5. 41).* Ne itaque illa quæ ante gratiam fuere, in serio gratiæ accipias. Hæc quippe nobis dicta sunt ut ex laboribus spem ediscas. Ita et Job maledicisti diei, et animo patitur, neque animam torquet impietate, sed vulnera tolerat, nec animam blasphemia vulnerat. Deinde, quia compendio dicendum est, breviter argumentum repetemus. In certamine Jobi omnes, præter Deum, certaminis scopum ignorabant. Job ignorabat quia de causa certaret: ignorabat certamina sibi ad exercitationem esse proposita. Amici scopum Dei nesciebant, diabolus futurum ignorabat. Si enim scivisset fore ut vinceretur, non rem tentasset. Job nesciebat quid ex certamine eventurum esset. Quod enim id ex Dei permissione accideret, sciebat Job, non præsciens, sed a Deo eductus. Diabolus autem ignorabat qui futurus esset certaminis finis. Si enim scivisset, utique non tentavisset, ne majorem inde sibi turpitudinem pertraheret: sed id quod in martyribus, id ipsum in Jobo passus est. Occidit martyres, ut extingueret Ecclesiam, nesciens futurum, ut post martyres floreret Ecclesia. Omnes itaque rem ignorabant præter Deum. Amici scopum Dei ignorantes, ignorantæ et Jobi probationem, malebant comparatione per ignorantiam facta damnare Jobum, ut digna patientem, quam damnare Deum, ut injuste iudicantem. Diligenter attende. Malebant damnare hominem, ut qui peccato promerita pateretur, quam dicere Deum injuste iudicasse. Et secundum unam partem recte agebant Deum injustitia vacuum dicentes; secundum alteram autem aberrabant, innocentem damnantes. Ignorantia porro ignorantem excusat, quia ignoranter philosophantur, neque contra Dei justitiam calculum ferunt. Jobi justitiam reprobant, Dei justitiam deprædicant. Hinc Job ab amicis reprehenditur, qui dicunt ei: *Quandonam veraces radicibus perierunt (Job 4. 7)? quandonam vidisti justos funditus pereuntis? Nisi peccasses, inquit, et digna supplicio fecisses, non te injuste læsisset qui justus est. Multa sunt peccata tua. Si vero non peccasti, unde hoc, nisi filii tui peccaverint? Sæpe viduam læsisti, pupillos oppressisti. Si autem hæc facta sint, juste Deus hanc in te sententiam tulit. Job sibi conscius erat se nihil hujusmodi unquam fecisse, sciebat Deum non injuste iudicare. Quia igitur vidit Job se ab hominibus da-*

της ἀκολασίας κακία καὶ συκοφαντία, τῆς δὲ μακαρίας Σουσάνης ἡ ἕως θανάτου ἐνστασις τῆς σωφροσύνης. Ὁρᾷ ἕως πότε ὁ Θεὸς ἐγκαταλιμπάνει; Ἐγκαταλιμπάνει δὲ ὡς χροστὸν ἐν χωνευτηρίῳ δοκιμάζων ἐν τοῖς πειρατμοῖς τοὺς δικαίους· ὡσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἀβραάμ πεποιήκεν. Ἀπήγετο ὁ Ἰσαάκ εἰς ὀλοκάρπωσιν, τὸ θυσιαστήριον ὑποδόμητο, τὰ ξύλα ἐπετέθη, καὶ οὐδαμοῦ τὸ πρόβατον. Λαμβάνει τὴν μάχαιραν πατῆρ, καὶ οὐδαμοῦ πρόβατον· ὤρμησε τοῦ σφάζαι, καὶ τότε ὁ Θεὸς τῆ φωνῇ τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐγαλίνωσε. Ταῦτα δὲ εἶπον, ἵνα ἕκαστος ὑμῶν ὅταν πειράζεται, κἂν ἐγγὺς τοῦ θανάτου γένηται, μὴ ἀπελπίσῃ τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀντίληψιν, ἀλλ' ἕως τέλους ἀπεκδέξῃται. Ἀπήγετο γοῦν ἡ Σουσάνα θανεῖν· οὐδεὶς ἦν ὁ βοηθῶν. Ὅτε λοιπὸν εἶδε τὴν ἀνθρώπων ἀντίληψιν μὴ ὑπάρχουσαν, ἀνατρέχει τῆ διανοίᾳ πρὸς τὸν ἐν οὐρανῷ πιστὸν μάρτυρα, πρὸς τὸν ἀκσίμητον ὀφθαλμὸν, καὶ λέγει μετὰ φωνῆς· Ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ τῶν κρυπτῶν γινώστης, ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, σὺ ἐπίστυσαι, ὅτι ψευδὴ μου καταμαρτυροῦσιν· καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποθνήσκω μηδὲν πράξασα, ὧν οὗτοι κατ' ἐμοῦ ἐπονηρεύσαντο. Καὶ εἰσέχρυσεν αὐτῆς ὁ εἰρηκὼς· Ἐτι σοῦ λαλοῦντος ἐγὼ πάρεμι. Καὶ ἀπαγομένης αὐτῆς ἀπολέσθαι, ἐξήγειρεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα παιδαρίου νεωτέρου, ᾧ ὄνομα Δαυιδ. Καὶ ἐβόησε φωνῇ μεγάλῃ· Καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος ταύτης. Ἐπέστρεψε δὲ πᾶς ὁ λαὸς, καὶ εἶπε· Τίς ὁ λόγος οὗτος, ὃν λελάληκας; Ὁ δὲ σιάς ἐν μέσῳ αὐτῶν ἔζη· Ὅτως μοῖροι υἱοὶ Ἰσραὴλ, οὐκ ἀνακρίνυντες, οὐδὲ τὸ σαφὲς ἐπιγνόντες κατεκρίνατε θυγατέρα Ἰσραὴλ; Ἀναστρέψατε εἰς τὸ κριτήριον· [611] ψευδὴ γὰρ οὗτοι καταμαρτύρησαν αὐτῆς. Καὶ ἀνέστρεψε πᾶς ὁ λαὸς μετὰ σπουδῆς. Καὶ εἶπε Δαυιδ· Διαγωρισάτε ἀνοὺς ἀπ' ἀλλήλων. Καὶ ἐπερώτησε τὸν ἕνα, λέγων· Πεπυλαιωμέτε ἡμερῶν κακῶν, νῦν ἦκασιν αἱ ἀμαρτίαι σου, ἃς ἐποίησες. Εἰπέ οὖν μοι, ὑπὸ ποῖον δένδρον εἶδες αὐτοὺς ὁμι-

\* E Bibl. adde μεγάλῃς.

λοῦντας ἀλλήλοις; Ὁ δὲ εἶπεν· Ὑπὸ σχοῖνον. Καὶ εἶπε Δαυιδ· Ὁρθὸς ἐψέσω εἰς τὴν ἑαυτοῦ κεφαλὴν· μέλλει γάρ ὁ ἄγγελος τοῦ Θεοῦ τὴν μάχαιραν ἔχων σχίσει σε μέσον. Καὶ μεταστῆσας τούτον, καλεῖ τὸν ἕτερον, καὶ λέγει· Σπέρμα Χαναάν, καὶ οὐχ Ἰούδα, τὸ κάλλος ἐξηπάτησέ σε, καὶ ἐπιθυμία τῶν ἐφωλιμῶν διέστρεψε τὴν καρδίαν σου. Εἰπέ τοίνυν, ὑπὸ ποῖον δένδρον εἶδες αὐτοὺς ὁμιλοῦντας; Ὁ δὲ εἶπεν· Ὑπὸ πρίνον. Ὁ δὲ Δαυιδ πρὸς αὐτόν· Ὁρθὸς καὶ σὺ ἐψέσω εἰς τὴν σεαυτοῦ κεφαλὴν· μέλλει γάρ ὁ ἄγγελος τοῦ Θεοῦ ἔχων τὴν βουβαλίαν κρίσει σε μέσον. Καὶ ἀνέβησεν πᾶς ὁ λαὸς φωνῇ μεγάλῃ λέγων· Ἐβλόγητός Κύριος ὁ σώων πάντας τοὺς ἐλαλιζοτάς ἐπ' αὐτόν. Καὶ ἐσώθη ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ αἷμα δίκαιον. Καὶ ἐπληρώθη τὸ ὑπὸ τοῦ Δαυὶδ εἰρημὸν ἐκ προσώπου Σουσάνης· Ἐμοῦ δὲ ἀντελάβετο ἡ δεξιὰ σου· αὐτοὶ δὲ εἰς μάτην ἐζήτησαν τὴν ψυχὴν μου, οἱ παράνομοι πρεσβύτεροι· εἰσελεύσονται εἰς τὰ κατώτατα τῆς γῆς· παραδοθήσονται εἰς χεῖρα βουβαλίας· μέλλει γάρ ὁ ἄγγελος τοῦ Θεοῦ ἔχων τὴν βουβαλίαν σπαράττειν αὐτούς· Μερίδες ἀλωιέκων ἔσονται. Ὁ δὲ βασιλεὺς εὐφρανθήσεται ἐπὶ τῷ Θεῷ· ὁ ἀνὴρ τῆς Σουσάνης. Ἐλευνηθήσεται πᾶς ὁ ὄμιλος ἐν αὐτῷ, τουτέστιν, ὁ πιστεύων αὐτῷ· ὅτι ἐνεργήσῃ στέμα λαλοῦντων ἀδικῶν· τὰ τῶν παρανόμων πρεσβυτέρων ἀδικὰ στέματα. Τότε μετεστρέφετο τὸ πένθος τῶν γονέων αὐτῆς εἰς χαρὰν· ὁ ἀνὴρ ἠγαλλιάτο δοξάζων τὸν Θεόν· οἱ συγγενεῖς ἔχαρον· οἱ γείτονες εὐθύμουν· πᾶς ὁ οἶκος αὐτῆς εὐφρανέτο, καὶ ἀπαξάπλως πάνδημος ἦν ἑορτὴ Θεοῦ, ἀγγέλων, ἀνθρώπων. Εἶδες ἐν γυναικείῳ σώματι ἀνδρείαν ψυχὴν; εἶδες γυναικῆς σωφροσύνην, ἧς ἡ μνήμη μένει ἀθάνατος μετὰ νίκης; Αὕτη παρὰ ἀνθρώπων ἐδοξάσθη, παρὰ ἀγγέλων ἐμεγαλύνθη, παρὰ Θεῷ ἐστεφανώθη· ταύτην ζηλώσατε, γυναῖκες, ἵνα τῆς αὐτῆς καὶ ὑμεῖς τιμῆς ἀξιώθητε παρὰ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

MONITUM

[612] Jure hanc homiliam Savilius in ἀμφιβαλλομένοις, sive dubiis, posuit : inter spuria vero Fronto Ducæus, cujus hæc sunt verba : « Quam frequenter B. Joannes Chrysostomus et quam libenter in laudes trium puerorum Babylone in ignem missorum digrediat, ex Homil. 18 in Epistolam 1 ad Corinthios, 8 in Epist. ad Ephesios, 4 ad populum Antiochenum, et in dictum illud, Quod nemo læditur nisi a seipso, aliisque pluribus cognosci potest. Quo minus lectori mirum videri debet hunc etiamnum tractatum ab antiquariis præfixo ejus nomine inter ipsius opera descriptum reperiri, quæ uberem Cantici trium puerorum continet explicationem ab aliis ejus homiliis nonnihil discedentem, sed veteris tamen alicujus aucto-

Εἰς τοὺς τρεῖς παῖδας, καὶ εἰς τὴν Βαβυλωνίαν κάμνον, λόγος \*.

α'. Καίνον, ὡς ἀληθῶς, καὶ μέγιστον εὐσεβείας θέατρον ἡ τῶν τριῶν παίδων συνεστήσατο χορεία, ἐν Βαβυλῶνι μὲν τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγωνισμένη, κατὰ πᾶσαν δὲ τὴν οἰκουμένην συγκροτούσα τὸ θαῦμα τοῦ μαρτυρίου. Οὐ γὰρ περιγράφεται τόπω ἡ τῶν ἁγίων δόξα, οὐδὲ περιρίζεται χρόνιος ἡ τῶν δικαίων μνήμη· *Ἔτις μνημόσυνον γὰρ αἰώνιον ἔσται δικαίος*. Ὅθεν εἰ καὶ ἐν τοῖς παλαιωτάτοις χρόνοις ἐτελειώθη τὸ μαρτύριον, ἀλλ' εἰς πάντα τὴν αἰῶνα τῆς ὑπομονῆς ἄδεται <sup>b</sup> τὸ στρατήγημα. Οἶδαμεν διὰ τῶν ἀναγνωσμάτων τὰ πράγματα, οἶδαμεν διὰ τῆς μνήμης τὴν ἱστορίαν, οἶδαμεν ὡς ἐν εἰκόνι τῷ λόγῳ καὶ τοῦ τυράννου τὴν παρανομίαν, καὶ τῶν ἁγίων

\* Cotelerius in Notis ad Homilias Chrysostomi anno 1661 casus, hanc orationem cum codice quopiam Scorialensi contulit. Varias hic lectiones damus.  
 b Codex noster ὀδετα; mendose.

τὴν ὁμολογίαν, καὶ φλεγομένην μὲν τῷ πυρὶ τὴν κάμνον, ἀντιλάμπουσαν δὲ τῷ θυμῷ τοῦ τυράννου, καὶ τῇ ἀπειλῇ τοῦ πυρὸς ἄσθετος· ἐτὴ τῶν μαρτύρων ἐμοῦ γίαν ἐπιδεικνυμένην· μάλλον δὲ τί το κωλύσον ἀναθεῖν ἀναλαβόντας τῶν θεοφίλων ὡς ἀληθῶς καὶ τρισμακαρίων τοὺς ἀγῶνας εἰπεῖν; Ναβουχοδονόσορ ὁ βασιλεὺς, μάλιστα δὲ ὁ τυράννος (τούτου γὰρ οἰκτεῖον ὄνομα τῷ παρανόμῳ, ἐκράτει μὲν τῆς Βαβυλωνίας· ἦν δὲ καὶ τῆ ψυχῆ βάρβαρος, καὶ τὸν τρόπον ἀνήμερος. Οὗτος ἀδικία [613] πολλῇ καὶ πλοῦτῳ καὶ ἀσθελεῖ μεθύων ἠγνόησε μὲν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, καὶ οὐδὲ ἀνθρώπον ἑαυτὸν ὑπονοήσας, ὡς Θεὸς προσκυνεῖσθαι προσεδόκησεν. Ἐθρεψαν δὲ αὐτὴν τὴν ὑπέροχον ἀλαζονείαν ἣ τε σύντροφος αὐτοῦ ἦν·  
 \* Cod. τοῦ ἀσθείου. Μοx in eodem ἐπιδεικνυμένην ἐστὶ Paulo post ante ἀναλαβόντας codex præponit τὸν λόγον·  
 \* Cod. τὴν ψυχὴν. Infra cod. θρεψαν (sic) δὲ αὐτὴν τὴν

ducebatur Susanna ad mortem, nec ullus erat veritatis defensor ac testis, nisi solus Deus, qui fieri sinebat quod fiebat, ut utrorumque perfecta innotesceret actio, tum improborum intemperantiæ scelus et calumniam, tum beate Susannæ in tuenda ad mortem usque castitate constantia. Vides quousque Deus derelinquat? Derelinquit autem, dum ut aurum in fornace justos in tentationibus probat, sicut erga Abrahamum se gessit. Abducebatur in holocaustum Isaac, jam constructum erat altare, imposita ligna erant, nec uspiam pecus apparebat: arripit gladium pater, nec uspiam pecus apparet: jam eadem aggrediebatur, tum Deus manum ejus voce refrenavit. Hæc autem eo dixi, ut unusquisque vestrum, cum tentatus fuerit, licet ad mortem appropinquet, de divino auxilio non desperet, sed ad finem usque præstoletur. Abducebatur igitur ad mortem Susanna, nec ullus erat qui opem ferret. Cum nusquam humanum occurrere vidit auxilium, tum mente ad fidelem in celo testem recurrat, ad insomnem illum oculum, et elata voce dixit: *Deus æternæ, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum contra me tulerunt testimonium: et ecce ego morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me (Dan. 13. 42. 43). Et exaudivit eam, qui dixit, Et adhuc loquente te, ecce adsum (Isai. 58. 9). Cumque duce-retur ad mortem, suscitavit Deus spiritum pueri junioris, cui nomen Daniel. Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine hujus. Conversus est autem omnis populus, et dixit: Quis est iste sermo quem loquutus es? Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic futuri filii Israel, non judicantes, neque quod manifestum est cognoscentes, condemnastis filium Israel? Revertimini ad iudicium, quia falsum testimonium loquuti sunt isti adversus eam. Et reversus est omnis populus cum festinatione. Et dixit Daniel: Separate illos ab invicem. Et interro-*

*gavit unum dicens: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operaberis. Dic igitur mihi, sub qua arbore videris eos congregantes inter se. Qui ait, Sub schino. Dixitque Daniel: Recte mentitus es in caput tuum: angelus enim Dei gladium habens scissurus est te medium. Et amoto eo vocat alterum, et ait: Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia oculorum pervertit cor tuum. Dic ergo sub qua arbore videris eos coeuntes. Qui ait, Sub primo. Dixitque ad eum Daniel: Recte mentitus es et tu in caput tuum: angelus enim Domini gladium habens jam secabit te medium. Et exclamavit omnis populus voce magna dicens: Benedictus Dominus qui salvat omnes sperantes in se. Et salvatus est sanguis innocuus in die illa (Dan. 45-62). Et adimpletum est quod a Davide dictum erat ex persona Susannæ: Me suscepit dextera tua; ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, nefarii seniores: introibunt in inferiora terræ: tradentur in manum gladii: angelus enim Dei gladium habens dissecurus est eos: partes vulpium erunt. Rex vero lætabitur in Deo: Susannæ maritus. Laudabitur omnis qui jurat in eo, hoc est, qui credit ipsi: quia obstructum est os loquentium iniqua (Psal. 62. 9 12); nefariorum seniorum iniqua scilicet ora. Tum conversus est parentum ejus luctus in gaudium: maritus Deum collaudans exultabat, consanguinei gaudebant, vicini lætabantur, domus ejus omnis hilaris erat, communis denique festivitas Dei, angelorum et hominum. Vidisti in corpore muliebri virilem animum? vidisti mulieris castitatem, cujus memoria cum victoria vivet immortalis? Hæc ab hominibus collaudata est, ab angelis celebrata est, a Deo coronata est: hæc imitandam, mulieres, ut eodem vos etiam Deus honore dignetur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

## AD HOMILIAM DE TRIBUS PUERIS.

ris et Chrysostomo coævi titulo dignam. Exscriptus fuit ex Codicibus mss. Monasterii Græcorum Cryptæ Ferratæ in agro Romano, atque ad nos ab illustrissimo Card. Baronio missus; ex cujus in Martyrologium Romanum XVII Decembris doctissimis annotationibus discimus, ab Athanasio tres pueros illos martyres Babylonios appellari; ne mirentur hic eos dici martyrium esse passos. »

Hanc etiam Dupinius Severiano adscripsit: at licet cujusdam sit veteris scriptoris Chrysostomo vel æqualis vel supparis ætate, stylum hic Severiani non deprehendo.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

## DE TRIBUS PUERIS, ET DE FORNACE BABYLONICA, ORATIO.

1. Novum plane ac permagnum pietatis spectaculum trium puerorum nobis choris exhibuit, qui Babylone quidem præclaro certamine decertavit, sed in universo terrarum orbe martyrii miraculum excitavit. Non enim loco circumscribitur sanctorum gloria, nec temporibus justorum memoria terminatur: *In memoria quidem æterna erit justus (Psal. 111. 7)*. Quamobrem licet antiquissimis temporibus martyrium fuerit consummatum, præclarum tamen illud patientiæ faciinus sæculorum omnium laude celebratur. Cognovimus ex lectione rem gestam, cognovimus ex commemoratione historiam, cognovimus tanquam in imagine, in oratione tyranni iniquitatem, sanctorum-

que confessionem, et accensam quidem igne fornacem, oppositam autem iracundiæ tyranni nimisque flammaram inextinctam martyrum confessionem æmulo fulgore rutilantem: imo vero quid obstat, quominus altius repetito sermone Dei amantium vere, beatissimorumque agones enarremus? Nabuchodonosor rex, vel potius tyrannus (hæc enim iniquo illi nomen est proprium), Babyloniæ quidem imperabat; porro et animo barbarus erat, et moribus inhumanus. Hic nimia improbitate, divitiis, et impietate temulentus, cum naturam suam ignoraret, neque se hominem esse arbitraretur, tanquam Deus voluit adorari. Hanc autem ejus tumidam arrogantiam cum



innata illi fovit insania, tum Dei longanimitas, quæ patienter impios tolerat, et ad exercendos pios fieri cuncta permittit. Auream porro imaginem iniquus ille conflat, hoc est statuum auream, et eos qui ad imaginem Dei formati erant, effictam a se imaginem adorare cogebat. Multam vero magnificentiam ut ostentaret, altitudinem ei tribuit sexaginta cubitorum, latitudinem sex cubitorum: et concinnam elegantemque imaginem conficit, ut vel figuræ magnitudine, vel compositionis pulchritudine mendacium superaret, ac veritati vim afferret. Splendebat igitur artificium, fulgebat aurum, clamabat præco, tyrannus minabatur, incendebatur fornax, tum præter hæc omnia, musica quæ vocantur instrumenta, vi magna insipientibus impietatis furorem immittebant, omnium denique spectatorum mentes, eorum quæ oculis observabantur, pompa rapiebat. At impietatis mandato nequaquam erant sancti quoque cessuri: sed cum omnes propemodum velut a torrente quodam vehementique imposturæ fluctu, in idololatriæ præcipitium devolverentur, tres isti præclari juvenes, cum, tamquam petra quadam, pietate fideliter inniterentur, ab iniquitatis fluctu minime sunt abrepti. Conveniebat enim illis ut dicerent: *Nisi quia Dominus erat in nobis, forte vivos deglutissent nos. Cum iraseretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransiit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem* (Psal. 123. 2-5). At neque fluctu sunt absorpti, neque laqueis capti, sed cum ad pietatem optime ecurrissent, altisque fidei pennis subvecti essent, incolumes evaserunt: secundum illud Proverbiorum auctoris, *Quasi caprea de cassibus, et quasi avis de laqueo* (Prov. 6. 5). Cumque diaboli retia adversus humanum genus universum expansa propemodum cernerent, piam illam vocem cum auctore Psalmorum iterabant, *Cadent in reitculo suo peccatores* (Psal. 140. 10). Neque suam paucitatem tres respexere captivi, quamquam a tam multis vexati, sed probe noverant vel minimam pietatis scintillam ad omnem impietatem exurendam ac defendendam sufficere. Quapropter licet tres tantum essent, sese mutuo corroborabant ac firmabant. Sciebant enim augustam et arctam viam quæ ducit ad vitam, et paucos esse qui inveniunt eam (Matth. 7. 14). Recordabantur Abrahamæ patriarchæ, qui cum solus in toto terrarum orbe Dei cultor esset, impiorum turbam sequutus non est, sed sibi ipsi lex pietatis ac justitiæ præmium fuit: unde merito ex ipso tamquam ex optima radice hi pietatis fructus pulularunt. Ex ipso namque patriarchæ, legislator Moyses, et prophetae, omnesque theologi prægnati sunt, præcipue vero ex ipso salutaris ille immortalisque flos justitiæ, Salvatoris nostri humanitas: ex ipso etiam orti tres isti pueri nobilitatem non abnegarunt: recordabantur et Lot, qui apud Sodomitas habitabat, sed moribus ab eis longe dissidebat: observabatur eorum animis Joseph, qui solus in Ægypto continentiam amplectebatur, ac pietatis exemplar erat. Quapropter hi quoque tot millibus circumsessi cum multis cernerent, cogitabant latam esse atque spatiosam viam quæ ducit ad perditionem, et multos esse qui inveniunt eam (Matth. 7. 13): cum autem rursus in seipsos converterent oculos, et in fornacem, sapientiæ recordabantur sic utrumque dicentis: *Sicut probatur aurum in fornace, sic corda seligit Deus* (Prov. 17. 3). Idcirco neque hellicum sonans carmen eos tuba terruit, neque demulcens aures lyra pietatis robor infregit, neque adeo reliqua omnis musicæ symphonia præclarum et concinnum pietatis concentum dissolvit, sed præclare symphonie præclaram confessionem opposuerunt. At malignus et impius ille tyrannus, ut Ananiæ socios renuntiatum est iniquitatis mandato non parere, urgente diabolico fastu mentem ejus, ipsumque prope dixerim vultum nequitiae principis induens, accersitis illis ait, *Verene, Sidrach, Misach, et Abdenago, deos meos non colitis, et imaginem auream quam erexi, non adoratis* (Dan. 5.

14)? Arbitrabatur simulationem quamdam et tarvam esse pietatem, ac sciscitatur, verene regis mandatis resistere audeant, qui pietatem profiterentur: porro ab ipsa experientia docendus erat, Dei homines non tyranni tantum minas contemnere, sed ipsum etiam vaporem ignis pietatis virtute superare. *Nunc igitur cum audieritis sonitum tubæ, fistulæque et citharæ, sambucæque et psalterii, ac symphonie, et omnis generis musicorum, cadentes adorare statuum auream quam erexi* (Dan. 3. 15).

2. Præclare demonum adorationem descripsit, *Cadentes adorare*. Fieri nequit, ut qui demones adorant, in interitum non cadant, et excidant a veritate. *Quod si non adoraveritis*, inquit, *eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis*. Plane si fornax est, ignem etiam esse liquet: quod si ignis sit, liquet etiam ardentem esse: verum amplificat et exaggerat minas, ut propositum pietatis inflectat: *Eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentem*. Ac tolerabilis quidem huc usque foret arrogantia; sed vide quid post hæc subijciat: *Et quis est deus, qui eripiet vos de manibus meis?* Alter Pharaon est iste, nam et ille ad Moysen ait, *Quis est deus, quem audiam?* Non novi, inquit impius, *Dominum, et populum non dimittam* (Exod. 5. 2). O ingentem hominum arrogantiam! o magnam Dei longanimitatem! Vociferatur homo! et sustinet Deus. loquitur lutum, et patienter ferri Figulus: verba facit lingua carnea, et miseretur incorporeorum Dominus angelorum. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis* (Psal. 103. 4). Opportunum jam fuerit hoc loco recordari Iaiæ dicentis, *Quid superbit terra et cinis* (Eccli. 10. 9)? Vis longanimitatem Dei mirari? Illatam tibi contumeliam cogita, quomodo intolerabilis tibi soleat videri. Sæpenumero quis a famulo contumelia afficitur, et continuo se hominem liberum affectum esse contumelia obijciens, pœnas facinoris repetit perpetrati, atque inevitabili mortis supplicio contumeliæ auctorem punit: affectus est rursus contumelia quispiam a vilis ac private conditionis homine, cum ipse unus ex eorum sit numero, qui in reipublice administratione versantur: tum repente contumelia irritatus ad vindictam præceps fertur, neque communem naturam aut parem omnium conditionem spectat, sed eam, qua præditus est, respicit dignitatem, qua sublata unam et eandem esse generis conditionem videre possumus: quoniam omnes ex terra formati sumus, et in terram dissolvemur: una vero est ad vitam via, et egressus equalis. Ex luto, inquit, compactus es, ut et ego. Verumtamen lutum quidem tantam ab iis qui æquali conditione sunt, exigit prærogativam honoris: Deus autem qui omnibus antecellit, et natura, et lege, quique tanto superior est, quanto creaturis Creatorem sublimiorem censi par est, blasphemiam offensus ac despectus ab ingratis, non exardescit ille quidem: quippe in quem perturbatio non cadat: sed paulo post tamen eos qui in insipientia perseverant, castigat, propterea quod disceptator veritatis est et inexorabilis iudex. Ne confestim omnes, qui peccant, deleantur, supplicium differt, et patientiam offert, ut alliciat ad penitentiam. Sed ad propositum redeamus. Ausus est dicere carue circumdatus homo, *Quis est deus, qui eripiet vos de manibus meis?* At beatissimi pueri his auditis ob blasphemiam non exarserunt: familiares quippe erant et ipsi longanimitatis divinæ: sed adversus verba perfidiæ usurpata fidei voce tyranno responderunt, iniquitatem lege dissolverunt, et justitiæ libertate iniustitiæ minas superarunt: *Notum sit tibi, rex, inquit, quia deos tuos non colimus, et statuum auream, quam erexisti, non adoramus* (Dan. 3. 18). Desine ab hac insipientia, o homo: pudeat te ignominiosæ adorationis imaginis istius. Si enim tu imaginem erexisti, quomodo ea, quæ fecisti, adoras? quoniam aliorum opifices esse debent, hominesne Dei, an hominum Deus? Si enim vere dii sunt, illis opificis ac creationis dignitas convenit: sed, ut sæpenumero diximus antea, nisi artem



καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία, φέρουσα μὲν ἀνεξικακῶς τοὺς ἀσεβοῦντας, συγγωροῦσα δὲ πάντα γενέσθαι πρὸς γυμνασίαν τῶν εὐσεβοῦντων. Ἐποίησε δὲ ὁ παράνομος εἰκόνα χρυσῆν, τοῦτέστι ἀνδράνα χρυσοῦν, καὶ τοὺς κατ' εἰκόνα Θεοῦ γενόμενον προσκυνεῖν ἠνάγκαζεν ἦν ἐποίησεν εἰκόνα. Πολλῆ δὲ τῆ φιλοτιμία χρησάμενος, ὅπως μὲν αὐτῆ δίδωσι πηχῶν ἑξήκοντα, εὐρὸς δὲ πηχῶν ἕξ· εὐάρμοστον δὲ καὶ εὐρυθμὸν α τὸ ἀγαλμα κατασκευάζει, ἵνα ἡ τῶ μεγέθει, ἡ τῶ κάλλει τῆς συνθέσεως ἐκνικήσῃ τὸ ψεῦδος, βιασάμενον τὴν ἀλήθειαν. Ἔστι δὲ μὲν οὖν ἡ τέχνη, ἔλαμπεν ὁ χρυσοῦς, ὁ κήρυξ ἔθθα, ὁ τῶν δόξων ἠπειλεῖ, ἡ κἀμίνος ἐφλέγετο, καὶ πρὸς τοῦτοιας πᾶσι τὰ λεγόμενα τῆς μουσικῆς ὄργανα τοὺς ἄφρονας δεινῶς εἰς ἀβελαν ἐξεθάχευε, καὶ ὅλους πάντων ἔκλεπτε τῶν ὀρνύων τὴν ἔνοιαν ἢ φαντασία τῶν ὀρωμένων. Ἄλλ' οὐκ ἔμελλε καὶ τῶν ἁγίων ἐπικρατέστερον εἶναι τὸ τῆς ἀσεβείας πρόσταγμα· πάντων δὲ, ὡς εἰπεῖν, ὡσπερ ὑπὸ τίνος χειμάρρου τοῦ σφοδροῦ τῆς ἀπάτης ρεύματος εἰς τὸν τῆς εἰδωλοκατείας κρημνὸν κατασυρομένων, οἱ τρεῖς οὗτοι καὶ καλοὶ ἢ νεανία ὡσπερ ἐπὶ τινα πέτραν τὴν εὐσέβειαν πιστῶς ἑαυτοὺς ἐπερείσαντες, οὐχ ὑπεσῆσαν ἢ ἰσ. ὑπεσῆσαντο ἢ τῶ ρεύματι τῆς ἀδικίας. Ἐπρεπε γὰρ λέγειν αὐτοῖς· *Εἰ μὴ εἶ Κύριος ἦν ἐν ἡμῖν, ἄρα ζῶντας ἂν κατέπιον ἡμᾶς. Ἐν τῷ ὀργισθῆναι τὸν θυμὸν αὐτῶν ἐπ' ἡμᾶς, ἄρα τὸ ὕδωρ ἂν κατέπιοντες ἡμᾶς. Χειμάρρον διήλθεν ἡ ψυχὴ ἡμῶν· ἄρα διήλθεν ἡ ψυχὴ ἡμῶν τὸ ὕδωρ τὸ ἀνεπιότατον.* Ἄλλ' οὐτε τῶ ρεύματι κατεποντίσθησαν, οὐτε τοῖς βρόχοις ἐάλωσαν, ἀλλὰ καλῶς δραμόντες εἰς εὐσέβειαν, καὶ ὑψηλῶ τῶ περὶ τῆς πίστεως καχημένοι διεσώζοντο, κατὰ τὸν παροιματικόν, *Ὁσπερ δορκὰς ἐκ βρόχων, καὶ ὡσπερ ὄρνειον ἐκ πατρίδος.* Καὶ μονοουχὶ τὰ τοῦ διαβόλου δίκτυα κατὰ πάσης ἠλωμένα τῆς ἀνθρωπότητος ὀρνύοντες, τὴν εὐσεβῆ φωνὴν ἐδευτέροισιν κατὰ τοῦ ὀνογράφου λέγοντες· *Προσπίπτει ἐν ἀμυρ-ελήστρω αὐτῶν οἱ ἀμυσταλοὶ.* Καὶ οὐκ ἀπέβλεψαν εἰς τὴν ἑαυτῶν βραχυτέτα οἱ τρεῖς· ἀγαμάλωτοι, καὶ ὑπὸ τοσοῦτων ἑλαυνόμενοι, ἀλλ' ἤδισαν ἀκριδῶς, ὅτι καὶ ὁ βραχυτάτος τῆς εὐσεβείας σπινθήρ ἱκανὸς ἔστιν ἅπασαν τὴν ἀσέβειαν καταφλέξει καὶ ἀφανίσει. Διὰ τοῦτο καί τοι τρεῖς ὄντες, ἀλλήλοισ ἐστερεοῦντο καὶ συνεσφίγγοντο. *Ἦδισαν γὰρ, οἱ Στεγὴ καὶ ἐσθλιμμένη ἡ ὁδὸς ἢ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωὴν, καὶ ὀλίγοι εἰσιν οἱ εὐρίσκοντες αὐτήν.* Ἐμέμνητον τοῦ πατριάρχου Ἀδραμά, οἱ μόνος ὢν ἐν πάσῃ τῇ γῆ προσκυνήτης τοῦ Θεοῦ, οὐκ ἠκολούθησε τῶ πληθῆσι τῶν ἀσεβούντων, ἀλλὰ νόμος ἦν αὐτῶ εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ἐπαθλόν· ὅθεν εἰκότως ἐξ αὐτοῦ τε οἰον ἐκ τίνος ρίζης ἀγαθῆς ἐβλάστησαν οὗτοι οἱ τῆς εὐσεβείας καρποί. Ἐξ αὐτοῦ γὰρ καὶ πατριάρχαι, καὶ ὁ νομοθέτης Μωϋσῆς<sup>d</sup>, καὶ οἱ προφῆται, καὶ πάντες οἱ θεολόγοι· ἐξ αὐτοῦ δὲ προηγούμενος καὶ τὸ σωτήριον ἔκεινο καὶ ἀθάνατον τῆς δικαιοσύνης ἄνθος, ἡ τοῦ Σωτήρος ἀναστροφῆς· ἐξ ἐκείνης καὶ οἱ τρεῖς παῖδες οὗτοι οὐκ ἠρῆθησαν τὴν εὐγένειαν· ἐμμένοντο καὶ τοῦ Λωτ παροικούντος μὲν ἐν Σοδόμοις, μακρὰν δὲ τοῖς τρόποις ἀπικρισμένου· ἐλάμβανον ἐν νῆϊ καὶ τὸν Ἰωσήφ μόνον ἐν Αἰγύπτῳ σωφροσύνης ἀντιποιούμενον, καὶ εὐσεβείας ὄντα φροντιστήριον<sup>e</sup>. Ὅθεν καὶ οὗτοι ἐν τοσαύταις γυμνασίαις ἀπειλημένοι τοὺς πολλοὺς μὲν ὀρνύοντες ἐλογίζοντο, οἱ Πλατῆσι καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς ἢ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀλώλειαν, καὶ πολλοὶ εἰσιν οἱ εὐρίσκοντες αὐτήν· πρὸς ἑαυτοὺς δὲ πάλιν βλέποντες καὶ τὴν κάμινον, ἐμμένοντο<sup>f</sup> καὶ τῆς σοφίας ὡδέ που λεγοῦσης, ὅτι *Ὁσπερ δοκιμάζεται ἐν καμίνῳ χρυσοῦς, οὕτως ἐκλέγεται καρδία· ὁ Θεός.* [614] Διὰ τοῦτο οὐτε ἑσπλιγῆ αὐτοὺς τὸ πολεμικὸν ἠχούσα μέλος ἐφόδησεν, οὐτε λύρα τὰς ἀκάθας θέλγουσα τοὺς τόνους τῆς εὐσεβείας διέλυσεν, οὐτε μὴν ἡ λοιπὴ πᾶσα συμφωνία τῆς μουσικῆς τὴν καλὴν καὶ ἐναρμόνιον τῆς εὐσεβείας συμφωνίαν διέλυσεν, ἀλλ' ἀντέστησαν τῇ καλῇ συμφωνίᾳ ἢ τὴν καλὴν ὁμολογίαν. Ὁ δὲ κακῶρων ἐκεῖνος καὶ δυσσεβῆς τύραννος, ὡς προηγγέλησαν οἱ περὶ τὸν Ἀνανίαν ἀπειθοῦντες τῶ

<sup>a</sup> Cod. εὐάρμοστον.

<sup>b</sup> Cod. οἱ τρεῖς οὗτοι μόνου.

<sup>c</sup> Cod. ὡς τρεῖς.

<sup>d</sup> Μωϋσῆς deest in cod. illo Scorial.

<sup>e</sup> Εὐσεβείας φροντίζοντι. Sic Scorial. et Savil.

<sup>f</sup> Ἐμνοῦντο Scorial.

<sup>g</sup> Scorial. κακῇ σοφίᾳ. Forte κακῇ συμφωνίᾳ, quod Savil. habet in textu.

προστάγματι τῆς ἀνομίας, διαβολικῶ τύφῳ τὴν ψυχὴν πεπιστομένος, καὶ αὐτὴν, ὡς εἰπεῖν, τοῦ ἀρχοντος τῆς κακίας τὴν ἔψιν ἀναλαβῶν, προσκαλεσάμενος αὐτοὺς φησιν· *Εἰ ἀληθῶς, Σιδράχ, Μισάχ, καὶ Ἀβδουαρά, τοῖς θεοῖς μου οὐ λατρεύετε, καὶ τῇ εἰκόνι τῆ χρυσοῦ ἢ ἔστησα οὐ προσκυνεῖτε;* Ἐνόμισε σῆμα εἶναι τὴν εὐσέβειαν, καὶ ἐρωτᾷ εἰ ἀληθῶς βασιλικῶς προσταγμάτων ἀντιπίπτειν τολμῶσιν οἱ τὴν εὐσέβειαν ἐπαγγελῶμενοι· ἔμελλε δὲ παρ' αὐτῆς τῆς πείρας διδάσκεισθαι, ὅτι οἱ τοῦ Θεοῦ ἀνθρώποι οὐ μόνον τοῦ τυράννου τὰς ἀπειλάς διαπτύουσιν, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ πυρὸς τὴν ἀκμὴν τῆ δυνάμει τῆς εὐσεβείας καταπατήσονται. *Νιν οὖν ὡς ἂν ἀκούσητε τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος, σύριγγος τε καὶ κινάρας, σαμβύλης τε καὶ ψαλτηρίου, καὶ συμφωνίας, καὶ παντὸς ῥήτους μουσικῆ<sup>h</sup>, κί-προντες προσκυνεῖτε τῇ εἰκόνι χρυσοῦ ἢ ἔστησα.*

β'. Καλῶς ἠρμήνευσε τὴν τῶν δαιμόνων προσκύνειαν, *Προσόντες προσκυνεῖτε.* Ἀμήχανον τοὺς δαιμόνας προσκυνούντας μὴ πεσεῖν μὲν εἰς βλαβὸν, ἐκπαιεῖν δὲ τῆς ἀληθείας. *Ἐὰν δὲ μὴ, φησί, προσκυνήσητε, αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐμβληθῆσθε εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς τῆν καιομένην.* Πάντως εἰ καμίνος ἔστι, ὅλον ὅτι πῦρ ἔστιν· εἰ δὲ πῦρ ἔστιν, ὅλον καὶ καιομένη· ἀλλὰ μεγαλύνει καὶ πλατύνει τὴν ἀπειλήν, ἵνα κάμινον τῆς γνώμης τῆς εὐσεβείας· αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐμβληθῆσθε εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς τῆν καιομένην. Καὶ φορητὰ μὲν μέχρι τούτου τὰ τῆς ἀλαζονείας· ὅρα δὲ τί μετὰ ταῦτα προστίθεται· *Και τίς ἐστὶ θεός, ὃς ἐξελεῖται ὑμᾶς ἐκ τῶν χειρῶν μου;* Ἄλλος οὗτος Φαραῶ· καὶ γὰρ ἐκεῖνος πρὸς τὸν Μωϋσῆν φησὶ· *Τίς ἐστὶ θεός, ὃς ἐπακούσομαι; Οὐκ οἶδα, φησὶ ὁ δυσσεβῆς, τὸν Κύριον, καὶ τὸν λαόν οὐκ ἐξαποσταλῶ.* Ὡ τῆς πολλῆς τῶν ἀνθρώπων ἀλαζονείας! ὡ τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ μακροθυμίας! Φθέγγεται ἄνθρωπος, καὶ ἀνεχεται θεός· λαλεῖ ὁ πηλῶς, καὶ μακροθυμεῖ ὁ πλαστοουργός· ὁ φθέγγεται γλώσσα σαρκίνη, καὶ σπλαγχνίζεται ὁ τῶν ἀσωμάτων ἀγγέλων Δεσπότης, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγακ. Εὐκαίρον ἐπὶ τούτου μνησθῆναι τοῦ Ἡσαίου λέγοντος, *Τὶ ἀλαζονεύεται γῆ καὶ σποδός;* θέλεις θανατάσαι Θεοῦ μακροθυμίαν; Ἐνόνησον τὴν εἰς σὲ γενόμεν ὑβριν· πῶς ἀφορητός σου εἶναι νομιμάται. Ἐθρίξεται τις πολλάκις ὑπὸ οἰκέτου, καὶ εὐθέως τῆς ἐλευθερίας τὴν ὑβριν προβαλλόμενος, δίκην ἀπαιτεῖ τοῦ τολμηματοῦ, ἀπαραιτήτῳ θανάτῳ κολάων τὸν ὑβρίζοντα· ὑβρίζεται· πάλιν τις ὑπὸ εὐτελοῦς καὶ ἰδιώτου, αὐτὸς ἐν ταῖς τοῦ κόσμου πολιτείαις ἐξεταζόμενος· καὶ εὐθέως ὑπὸ τῆς ὑβρεως δακνόμενος ἐπὶ τιμωρίαν σπεύδει· εἰς μὲν τὴν κοινήν φύσιν καὶ τὸ πάντων ἰσότημον οὐκ ἀφορῶν, εἰς δὲ τὴν περιειμένην ἀξίαν ἀποδιδέπων, ἥς περιαιρηθείσας μίαν ἔστιν ἰδεῖν τὴν τῶ τοῦ γένους ἰσότητιαν, ὅτι πάντες ἐκ γῆς ἐπάσθησαν, καὶ εἰς γῆν διαλυόμεθα· ἡ δὲ ἡ ὁδὸς ἡ εἰς τὸν βίον, ἔξοδος τε ἴση. Ἐκ πηλοῦ, φησὶ, κτήρησαι σὺ, ὡς κάρω. Ἄλλ' ὁ μὲν πηλὸς τοιαύτην ἀπαιτεῖ παρὰ τῶν ὀμοιωμὴν τὴν ὑπεροχὴν· ὁ δὲ θεὸς πάντων ὑπερέχων, καὶ φύσει, καὶ νόμῳ, καὶ τοσοῦτον ἀνώτερος ὢν, ὅσον ὑψηλότερον δεῖ νοεῖν τὸν ποιητὴν τῶν ποιημάτων, [615] βλασφημούμενος καὶ ἐξουθενούμενος παρὰ τῶν ἀγνωμόνων, οὐ παροξύνεται μὲν· ἀκαθῆς γάρ· τιμωρεῖται δὲ μικρὸν ὑστερον τοὺς ἐπιμένοντας τῇ ἀφροσύνῃ, διότι δικαστῆς ἔστιν ἀληθείας καὶ κριτῆς ἀδυσώπητος. Ἴνα μὴ ἰ ἀθρώπος ἅπαντες οἱ ἀμαρτάνοντες ἐξολοθρευῶνται, ὑπερτίθεται τὴν τιμωρίαν, καὶ προσφέρει τὴν ἀνεξικακίαν, ἵνα ἐφελευσθῶσι πρὸς μέτανοιν. Ἄλλ' ἐπὶ τὸ προκειμένον ἐπανέλωμεν. Ἐτέλωμεν εἰπεῖν ἄνθρωπος σάρκα περιειόμενος. *Τίς ἐστὶ θεός, ὃς ἐξελεῖται ὑμᾶς ἐκ τῶν χειρῶν μου;* Οἱ δὲ τρισυμαχάριοι παῖδες τούτων ἀκούσαντες οὐκ ἐξανέστησαν ἐν τῇ βλασφημίᾳ· σύντροφοι γὰρ ἦσαν καὶ αὐτοὶ τῆς Θεοῦ μακροθυμίας· ἀλλὰ πρὸς τὰ τῆς ἀπίστεως ῥήματα πίστεως φωνὴν ἀναλαβόντες ἀντεφθέγγοντο τῶ τυράννω, νόμῳ τὴν ἀνομίαν ἐκλύοντες, καὶ ἐλευθερίᾳ δικαιοσύνης τὴν ἀπειλήν τῆς ἀδικίας ἐκνικῶντες, *Γνωστὸν σοι ἔστω, βασιλεῦ, λέγοντες, ὅτι τοῖς θεοῖς σου οὐ λατρεύομεν, καὶ τῇ εἰκόνι τῆ χρυσοῦ ἢ ἔστησας, οὐ*

<sup>h</sup> Scorial. μουσικῶ.

<sup>i</sup> Φέρε... τὰς ἀλαζονείας Scorial.

<sup>j</sup> Scorial. πλάστης pro πλαστοουργός.

<sup>k</sup> Scorial. πῦρ φλόγον.

<sup>l</sup> Scorial. καὶ ἵνα μὴ.

προσκυνούμεν. Παῦσαι τῆς ἀνοίας, ἄνθρωπε· αἰδέσθητι τὴν ἐφύδριστον τῆς εἰκόνης προσκυνήσιν. Εἰ γὰρ σὺ τὴν εἰκόνα ἔστησας, πῶς προσκυνεῖς οἷς ἐποίησας; τίνες τίῳν ὀφείλουσι εἶναι ἠμιουργοί; ἄνθρωποι Θεοῦ, ἢ Θεοὶ ἀνθρώπων; Εἰ γὰρ ἀληθεὶς θεοί, αὐτοὶς ἀρμόττει τὸ τῆς δημιουργίας ἀξίωμα· ἀλλ' ὅπερ πολλαῖς ἐφθημεν εἰπόντες, εἰ τέχνη μὴ προστῆν τοῖς ἀνθρώποις, Ἐλληνες θεοὺς οὐκ ἂν εἶχον· μάλλον δὲ κάκεινι προσχώμεν, ὅτι εἰ τις ἀσθησις ἦν ταῖς εἰδώλοις, αὐτοὶς ἐπρέπε προσκυνεῖν τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἐργαζομένους αὐτά. Νόμοι ἂ γὰρ φύσεως, τὸ ποίημα προσκυνεῖν τὸν πεποιηκότα, οὐ τὸν δημιουργὸν ὑποκύπτειν τῇ ἑαυτοῦ δημιουργίᾳ. Διὰ τοῦτο ἤμεῖς οἱ σύντροφοι τῆς εὐσεβείας θειῶ νόμῳ ἐπόμειν, *Τοῖς θεοῖς σου οὐ λατρεύομεν, καὶ τῇ εἰκόνι τῆ χρυσοῦ ἢ ἑσθησας, οὐ προσκυνούμεν*· ἀλλ' ἔστιν ὁ Θεὸς ἐν οὐρανῷ, ὃς ἐξείλεται ἡμᾶς ἐκ τῶν χειρῶν σου. Εἶτα ἵνα μὴ δόξωσιν ἢ τὸν Θεὸν πειράζειν, ἢ ἐλπίδι τοῦ βουθήσεσθαι καταβαῖρειν τοῦ πυρὸς, εὐθέως ἐπάγουσι· *Καὶ εἰν μὴ*, τούτεστι, κἂν μὴ ῥύσῃται, ἀλλὰ συγχωρήσῃ κατακαῖσαι τὰ σίματα ἡμῶν τῷ πυρὶ, οὐδὲ οὕτως ἀφιστάμεθα τῆς εὐσεβείας· οὐ γὰρ ἐπὶ μισθῷ θεοσεβούμεν, ἀλλ' εὐγνωμόνως τὴν ἀλήθειαν ὁμολογοῦμεν. Ὡς δὲ ταύτης ἤκουσε τῆς πίστεως τὴν ἐπαγγελίαν, πυροῦται μάλλον ὁ τύραννος, καὶ κελεύει τὴν κάμινον ἐπταπλασιῶς ἐξαφθῆναι· ἔδει γὰρ τὸ ἀργύριον τὸ δοκιμώτατον ἐπταπλασιῶς καθαρθῆναι· *Τὰ γὰρ Λόγια Κυρίου λόγια ἀγία, ἀργύριον πεπυρωμένον δοκιμῶν τῇ γῆ, καὶ κεκαθαρισμένον ἐπταπλασιῶς*· διὸ ἐπταπλασιῶς ἡ κάμινος ἐξεκαῦθη, ἵνα ἐπταπλασιῶς οἱ ἅγιοι καθαρθῶσιν. Ὅτι δὲ ἀργύριον κέκληνται οἱ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι, μνημόνευε τῆς Σοφίας λεγούσης· *Ἀργυρος πεπυρωμένος γλώσσο δικαίου*· καὶ τοῦ προφήτου Ἰερεμίου ἄκουσον, λέγοντος περὶ τὸν ἀποδοκιμαζόμενον ἀπὸ τῆς εὐσεβείας· *Ἀργύριον ἀποδοκιμαζόμενον καλέσατε αὐτούς, ὅτι ἀπεδοκιμασεν αὐτοὺς ὁ Θεός*. Εἰ δὲ οἱ ἀτελεῖς ἀργύριον ἀδόκιμον, οἱ δὲ τετελειωμένοι δηλονότι ἀργύριον εἶσι δοκιμώτατοι· ὅσον γὰρ ἡ κάμινος ἐξήπτετο, τοσοῦτον ὁ τοῦ μαρτυρίου πόθος ἐλαμπρύνετο. Εἰσελθόντες γὰρ οἱ ἅγιοι τρεῖς οὗτοι παῖδες μετὰ πίστεως κατεπάτουν τὴν φλόγα, λεπτὸν ἄερα καὶ ἔνδρῳσον ἐν αὐταῖς μέσαις ταῖς ἀχμαῖς τοῦ πυρὸς ἀναπνόντες. Ὁ γὰρ πάντα ποιῶν καὶ μετασκευάζων ἡμίλυτε τὸ πυρὸς τὴν θερμότητα, καὶ τὴν καυστικὴν αὐτοῦ ἐνέργειαν περιέκοψεν. Ἐπαληθεύουσης τῷ θαύματι τῆς ὑμνωδίας ἐκείνης· *Φωνὴ Κυρίου διακόπτορος φλόγα πυρὸς*. Κεκοιμιστοὶ μὲν τὸ πῦρ ἐνδὸν ἡρεμῶν, οἱ δὲ ἅγιοι παῖδες ἐχόμενον, μονοουχὶ τῆς ἐπαγγελίας ἐκαίνης ἀπολαύοντες, ἦν διὰ τοῦ προφήτου ὁ Θεός *Ἡσαίου ἐπαγγέλλεται* πάση ψυχῇ εὐσεβείας γεμούση καὶ πίστει, ὅτι *Κἂν διαβίῃης, φησί, διὰ πυρὸς, μετὰ σου εἰμι, καὶ φλόξ οὐ κατακαύσει σε*. Καὶ ἦν ἰδεῖν τὴν ἐπαγγελίαν δι' ἔργων προχωρούσαν. Οὐ γὰρ ἤφατο τῶν μελῶν τῶν ἁγίων τὸ πῦρ· οὐκ ἐφλέξεν ὀφθαλμοῦς, τοὺς ὀρθῶς βλέποντας πρὸς εὐσεβείαν, καὶ διὰ τῆς εὐκοσμίας τῶν ὀρμμένων τὸν κοσμοποιὸν ἐπιγνόντας· οὐκ [616] ἠδίκησεν ἀκοὰς τὰς θείου νόμου πεπληρωμένας· οὐ προσῆθε τῷ στήματι, οὐδὲ τῶν χειλέων ἤφατο, τὰς ὑμνωδοὺς ἢ αὐτῶν καὶ ὑμνογράφους γλώσσας δυσωποῦμενον. Ἐκαστον τῶν ἁγίων μέλος εἶχε τὸ ἑαυτοῦ φυλακτήριον· αἱ χεῖρες τὴν τῶν εὐχῶν ἔκστασιν, καὶ τὴν τῆς ἐλεημοσύνης μετάδοσιν· τὰ στήθη τὴν ἐνοικοῦσαν αὐτοῖς δυνάμιν τῆς εὐσεβείας· κοιλία καὶ τὰ ὑπογάστρια μέλη τὴν τῆς σωφροσύνης ἀσκήσιν· οἱ πόδες τὸν τῆς ἀρετῆς δρόμον. Καὶ τί δεῖ τὰ καθ' ἕκαστον λέγοντα διατρίβειν; Οὐδὲ γὰρ τριχῶν κατετόλμησε τὸ πῦρ, διὰ τὸ μάλλον αὐτὰς εὐσεβεία κεκαλύφθαι τάραις· ἐφείσατο δὲ ἄρα καὶ τῆς ἐσθότης διὰ τὴν τῶν ἁγίων εὐσημοσύνην. Τί οὖν; Ἐπὶ τοῖσιν παρακελεύεται ὁ Θεὸς τῶν Χαλδαίων ἐπιλαθῆσθαι τὸ πῦρ, καὶ ἵνα μὴ μαγείαν νομίσαντες ἀμαυροῦσθαι τοῦ πυρὸς τὴν ἐνέργειαν, ἀμβλύνωσι τὴν δόξαν τῶν μαρτύρων, καὶ συκοφαντήσωσι τὸ θαῦμα τῆς ἀληθείας, διὰ τοῦτο οἱ μὲν ἐνδὸν ἡρέμουν, τὸ δὲ πῦρ ἔξω τῶν Χαλδαίων προσηνέμετο, ἵνα ἀσφαλῶς πεῖθῃ τοὺς ὀρμντας, ὅτι ἐπὶ τῶν ἁγίων οὐ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἠγνόησεν, ἀλλὰ τὴν εὐσεβείαν ἐτίμησεν· ὥσπερ οἱ λέοντες ἐπὶ τοῦ λάκκου τὸν Δανιήλ. Οὕτως ἐντεῖθεν ἀγγελικὴν χορείαν ἀληθῶς συνεστήσαντο, καὶ τὸν Θεὸν ὕμνον οἱ τρισμακάριοι παῖδες, καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν, τὴν τε ὑπερκόσμιον,

<sup>a</sup> Scorial. νόμος.

<sup>b</sup> Scorial. ὑμνωδίας.

καὶ τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς θεωρουμένην, εἰς ἓνα χορὸν ὑμνωδίας συνήγαγον.

γ'. Αναγκαῖον δὲ μὴδ' ἐκεῖνο παραλιπεῖν ἀνεξέταστον, τίνος ἔνεκεν μὴ πᾶσαν ὁμοίως ἐμήνυσαν τὴν κτίσιν, ἀλλὰ κατὰ μέρος ἐξέθετον τὴν δημιουργίαν. Ἦρκα γὰρ οὐκ εἰπεῖν ὅσον εἰς ἀλήθειαν· *Εὐλογεῖτε, πάντα τὰ ἔργα Κυρίου, τὸν Θεόν*· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν χώρᾳ τῶν ἀσθεῶν τὸ μέγα τοῦτο θέατρον τῆς εὐσεβείας συνεκροτεῖτο, ἔδει παιδευθῆναι τοὺς Βαβυλωνίους, τίνα μὲν εἶσι τὰ ποιήματα, τίς δὲ ὁ ποιητὴς τῶν ἀπάντων. Καὶ ἄρχονται μὲν ἀπὸ ἀγγέλων, καταλήγουσι δὲ εἰς ἀνθρώπους. Ἐνομήθησαν ἄγγελοι θεοί· καὶ παρ' Ἑλλήσι μυθεύεται, ὅτι τοῦτους, φησὶν, οὐδὲ προσκυνούμεν θεοὺς, ἄγγελοι εἶσι τοῦ μεγάλου Θεοῦ. Ἴνα γὰρ ἔ παιδευθῶσιν οἱ ἄφρονες, ὅτι οὐ τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων εἶσι οἱ ἄγγελοι, διὰ τοῦτο βοῶσιν· *Εὐλογεῖτε, ἄγγελοι Κυρίου, τὸν Κύριον*. Προσεκνήθη ἥλιος καὶ σελήνη καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀστέρων χορὸς. Διὰ τοῦτο καὶ τοῦτους παραλαμβάνουσιν εἰς τὴν τῶν ὕμνων προσκύνησιν. *Εὐλογεῖτε, φησὶν, ἥλιος, καὶ σελήνη· εὐλογεῖτε, ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ, τὸν Κύριον*. Εἶτα μετὰ ταῦτα, *Πᾶς ὄμβρος καὶ δρόσος τὸν Κύριον*. Τί οὖν βούλεται τὸ, *Πᾶς ὄμβρος καὶ δρόσος, καὶ πάντα τὰ πνεύματα, καὶ ἅπαντες οἱ εἰς τὴν σκωπήσαν*. Γίνονται πολλαῖς ἀνομβρίαι καὶ πνευμάτων βίαι ἄκτιροι· φιλοῦσι δὲ αἰεὶ οἱ τοῦ ψεύδους εὐρέται, καὶ τῇ ματαιότητι χαίροντες, ὕψι τινὶ καὶ κακίᾳ ἀταξίας πάντα ἐπιγράφειν, οὐκ εἰδότες ὅτι οὐδὲν ἀέσποτον, οὐδὲ ματαίως γεγεννημένον, ἀλλ' ὅτι ταῦτα πάντα οἰκονομεῖ ὁ Θεός, καὶ πρὸς παιδείαν ἀνθρώπων καὶ πρὸς ἀποφυγὴν ἀσεβείας. Ἦ μὲν γὰρ εὐταξία τῶν ποιημάτων τὸν δημιουργὸν εἰώθε κηρύττειν, ἢ δὲ ἀταξία τὴν προσκύνησιν τῶν κτισμάτων ἀπαιτεῖ. Εἰ γὰρ ἦν θεῖον τι καὶ σεβάσιμον ὁ ὄμβρος, ἢ τὰ πνεύματα, οὐκ ἂν ἠτάσσον· τὸ γὰρ θεῖον ἀταξίαν οὐκ ἐπιδέχεται. Διὰ τοῦτο λέγουσι· *Πᾶς ὄμβρος, καὶ δρόσος, καὶ πάντα τὰ πνεύματα τὸν Κύριον*. Προσεκνήθησαν καὶ ὄμβροι, καὶ ἄνεμοι, οἱ μὲν ὡς τροφεῖς, οἱ δὲ ὡς γεωργοὶ τῆς γῆς τῶν καρπῶν· προσεκνήθη δὲ ἡ γῆ, καὶ οἱ ταύτης καρποὶ διαφόροι δαίμοσι προσεκλήρωσαν· τὴν μὲν ἄμπελον εἰπόντες δάρον Διονύσου, τὴν δὲ ἐλαίαν τῆς Ἀθηναῶν· καὶ ἄλλω ἄλλοι καρποὶ ἴ. Καὶ τοῦτο ὁ αὐτὸς λόγος τῆς ἀληθείας ἀσφαλιζόμενός φησιν, *Εὐλογεῖτε, πάντα τὰ φρούμενα [617] ἐν τῇ γῇ, τὸν Κύριον*. Αὐτὸς γὰρ ἐστι πάντων τῶν φρούτων καὶ τῶν φρούμενων δημιουργὸς καὶ Δεσπότης. Εἶτα μετὰ τοῦτο, *ὄρη καὶ βουνοί*. Ἄρ' οὐν ἐκτός εἶσι τὰ ὄρη καὶ οἱ βουνοί; Οὐδαμῶς· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τοῖς βουνοῖς τὰ τῶν δαιμόνων μιμρὰ κατεσκευάστο, κάκει τὰ ἀγάλλματα προσκυνοῦντο, διὰ τοῦτο φησιν· *Εὐλογεῖτε, ὄρη καὶ βουνοί, τὸν Κύριον*. Ἄλλ' ὅμως μνημονεύσας τῶν βουνῶν, μέμνηται καὶ τῶν πηγῶν καὶ ποταμῶν καὶ θάλασσαν· καὶ γὰρ καὶ αὐτὰ ἐθεοποιήθησαν καὶ Νύμφας ἐκάλεσαν τὰς πηγὰς, Ποσειδῶνα τὴν θάλασσαν, Σεϋρήνας τινὰς καὶ Νηρηίδας· ὅτι δὲ καὶ ποταμοὶ προσεκνήθησαν, μαρτυρεῖ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μέχρι τῆς δευροῦ· ἔθουν τῇ ἀναστάσει τοῦ Νείλου, οὐ θεὸν αὐτὸν ἐπὶ τῇ φύσει θαυμάζοντες, ἀλλ' αὐτὸ τὸ ὕδωρ ὡς θεὸν θεραπεύοντες. Διὰ τοῦτο καὶ ποταμοὺς καὶ πηγὰς καὶ θάλασσαν εἰς τὴν ὑμνωδίαν καταύσιν. Εἶτα τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὰ κτήνη· οὐδὲ γὰρ ταῦτα θεοποιίας ἐκτός· καὶ γὰρ ἀετὸς προσκυνοῦντο, καὶ ἰερεῖς· καὶ τὰ θηρία καὶ τὰ κτήνη καὶ τῇ τῶν θεῶν προσηγορίᾳ τιμηθήσασιν Αἰγύπτια· καὶ τοσοῦτον Ἰσχυοῦν ἡ πλάνη, ὅτι καὶ ἀπὸ τῶν προσκυνουμένων ζώων καὶ τὰς πόλεις ἐνόμασαν· καὶ λέγεται παρ' αὐτοῖς Κυνῶν καὶ Προβάτων καὶ Λύκων καὶ Ἀσόντων. Ἄλλὰ μετὰ ταῦτα πάντα παράγεται λοιπὸν τὸ ἀνθρώπινον γένος. *Εὐλογεῖτε, φησὶν, υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, τὸν Κύριον*. Τελευταῖον τάσσει τὸ ἀνθρώπινον γένος, οὐ κατὰ τὴν ἄξιαν, ἀλλὰ διὰ τὴν δημιουργίαν. *Εὐλογεῖτε, Ἰσραὴλ, τὸν Κύριον*. Ὅπερ ἦν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἀνθρώπων ἐξαίρετον γένος, τοῦτο τοῖνυν παρὰ ε, καὶ τὸ τινικαῦτα ἐν τῷ ἔθνει πολλάς ἐκτίθειαι διαφοράς, καὶ παράγει τοὺς ἰερεῖς· τοῦ Κυρίου εἰς Ἐλεγχον τῶν ἱερέων τῶν ψευδυνύμων θεῶν. Εἰτά φησι· Ἀε-

<sup>c</sup> Conj. Sav. ἴνα γούν.

<sup>d</sup> Scorial. addit καὶ πάντα τὰ πνεύματα. Cotelier.

<sup>e</sup> Scorial. πνεύματα βίαια ἄκτιρα.

<sup>f</sup> Scorial. καὶ ἄλλω ἄλλον καρπὸν. Legendum putat Cotelier. καὶ ἄλλου ἄλλον καρπὸν. Iulfa Scorial. δημιουργός καὶ δοτήρ. Εἶτα.

<sup>g</sup> Scorial. τοῦτο πρῶτον παρ.

homines advenissent, deos gentiles non habuissent : imo vero illud etiam attendamus : si quis idolis sensus inesset, ipsa homines, qui ea fabricati sunt, adorare convenirent. Hoc enim leges naturæ jubent, ut opificem suum opus adoret, non ut artifex rem a se confectam veneretur. Idcirco nos alumni pietatis, divinæ legi obsequentes, *Deos tuos non colimus, et statuan auream, quam erexit, non adoramus* : sed est Deus in cælo, qui eripiet nos de manibus tuis. Deinde ne Deum tentare viderentur, aut quod se liberatum iri sperarent, audacter ignem subire, continuo adiungunt : *Et si non, hoc est, Etsi non liberaverit, sed corpora nostra permiserit igne comburi, ne hoc quidem pacto a pietate discederemus* : non enim mercede conducti Deum colimus, sed æquitalis studio veritatem confitemur. Ut autem hanc fidei professionem audivit, inflammatur acrius tyrannus, et fornacem septuplo succendi jubet : oportebat enim probatissimum argentum purgari septuplum : *Eloquia nempe Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, et purgatum septuplum* ( *Psal. 11. 7* ) : idcirco septuplo succensa est fornax, ut septuplo sancti purgarentur. Cæterum argentum appellatos esse Dei homines ut intelligas, sapientiæ recordare dicentis, *Argentum igne examinatum lingua iusti* ( *Prov. 10. 20* ) : et Jeremiam dicentem audi, de iis qui a pietate reprobatii sunt, *Argentum reprobum vocate eos, quia reprobavit eos Deus* ( *Jer. 6. 30* ). Quod si imperfecti argentum sunt reprobum, haud dubium quin perfecti argentum sint probatissimum : quantum enim fornax succendebatur, tantum martyrii desiderium exardescibat. Ingressi enim tres hi pueri cum fide flammam calcabant, ac tenuem roscidumque aerem in mediis ipsis vaporibus ignis respirabant. Etenim is, qui cuncta condit et immutat, calorem ignis refundebat, ejusque vim urendi frangebat, ut veram illam esse psalmi vocem miraculum declararet : *Vox Domini intercidentis flammam ignis* ( *Psal. 28. 7* ). Atque ignis quidem intus sopitus erat et quietus, sancti vero pueri choreas agebant, illam propinodum promissionem adepti, quam per Isaiam omni animæ pietate fideque plenè promittit : *Etsi transieris per ignem, tecum sum, et flamma non exuret te* ( *Isai. 43. 2* ). Ac videre erat ad effectum perductam promissionem. Non enim sanctorum membra tangebatur ignis; non oculos, qui pietatem recta videbant, incendebat, quique ex eorum quæ cernebant ornatu mundi Opificem agnoscebant : non aures divina lege completas violavit; non ad os accessit, neque labra contigit, quod eorum linguas hymnos concinentes hymnosque componentes revereretur. Singula membra sanctorum suo præsidio munita erant : manus inter orandum, extensione et elemosynarum distributione; pectora, insidente illis pietatis virtute; venter, et ea quæ sub ventre sunt membra, exercitatione continentis; pedes, cursu virtutis. Et quid singulis commemorandis opus est immorari? Ne capillos quidem ausus est ignis contingere, quod illi pietate magis quam tiara tecti essent : vestibus demum ob sanctorum honestatem pepercit. Itaque post hæc igni jubet Deus ut Chaldæos invadat : et ne magicas præstigias arbitantes efficacitatem ignis debilitasse, martyrum gloriam obscurarent et veritatis miraculum calumniando traducerent, idcirco illi quidem intus quiescebant, ignis autem foris Chaldæos absumebat, ut cernentibus certo persuaderet se in sanctis non suam ignorasse naturam, sed religionem esse veneratum : quemadmodum in lacu Daniele m leones. Sic angelicam inde choream instituerunt, Deumque beatissimi pueri collaudarunt, et omnem creaturam, tum eam quæ supra mundum sita est, tum eam quæ oculis cernitur, ad unius hymni chorique consortium invitarunt.

3. Sed ne illud quidem indiscussum prætermitti par est, qua de causa non universam simul creaturam expresserint, sed per partes res creatas indicarint. Sufficiebat sane, quantum ad rei veritatem atti-

net, dixisse, *Benedicite, omnia opera Domini, Domino* ( *Dan. 3. 57* ) ; sed quoniam in regione impiorum magnum hoc pietatis theatrum erat congregatum, edoceri Babylonios oportebat quænam creaturæ sint, et quis universorum Creator. Atque ab angelis quidem incipiunt, in homines autem desinunt. Æstinati sunt dii angeli : et fabulis proditum est apud Græcos, hos quos adoramus, inquit, deos, angelos esse magni Dei. Ut enim docerentur insipientes, non inter eos qui adorantur, sed inter eos qui adorant, angelos esse numerandos, propterea clamant, *Benedicite, angeli Domini, Domino* ( *Ibid. v. 58* ). Adoratus est sol et luna, et omnis turba stellarum, propterea illas quoque ad hymnorum adorationem assumunt. *Benedicite, inquit, sol et luna, benedicite, stellæ cæli, Domino* ( *Ibid. v. 62. 63* ). Deinde post hæc, *Omnis imber et ros, Domino*. Quid ergo sibi velit illud, *Omnis imber et ros, et omnis spiritus, operæ pretium fuerit expendisse*. Sæpenumero accidunt siccitates, ac ventorum impetus intempestivi : solent autem auctores mendacii, et qui vanitate delectantur, materiæ cuiquam, et confusionis vitio cuncta ascribere, nescientes nihil absque certa causa vel temere fieri, sed hæc omnia Deum moderari, tum ut homines erudiantur, tum ut impietatem evitent. Nam creaturarum quidem aptus ordo Creatorem solet prædicare, confusio vero adorationem creaturarum secum trahit. Si enim imber aut spiritus divinum quid aut veneratione dignum essent, inordinata non essent : numen quippe ordinis perturbationem non admittit. Propterea dicunt, *Omnis imber et ros, et omnes spiritus, Domino*. Adorati sunt etiam imbres et venti, illi quidem ut alumni, hi vero ut terræ fructuum cultores : adorata est terra, ipsiusque fructus diversis dæmonibus sunt attributi : ac vitem quidem Bacchi donum, oleam autem Minervæ, et alios fructus alterius esse dicebant. Et hoc ipsum idem sermo veritatis confirmans ait, *Benedicite, omnia germinantia in terra, Domino* ( *Ibid. v. 76* ). Ipse enim omnium quæ producta sunt, quæque germinant, Creator est et Dominus. Deinde post istud, montes et colles. Num igitur extra terram sunt montes et colles? Minime vero; sed quoniam in montibus collibusque dæmonum abominations perpetrabantur, ibique simulacra colebantur, propterea dicit, *Benedicite, montes et colles, Domino* ( *Ibid. v. 75* ). Verumtamen facta collium mentione, fontium quoque ac fluviorum et maris meminit : nam et ipsi deorum in numerum sunt relati, et nymphas appellatur fontes, Neptunum mare, Sirenas quasdam et Nereidas; fluvios autem adoratos esse, res Ægyptiorum in hunc usque diem testantur : ascensui Nili sacrificabant, non quod Deum ipsum propter rem creatam laudarent, sed quod aquam ipsam tamquam Deum venerarentur. Idcirco et fluvios, et fontes, et mare ad canendum invitant. Deinde volucres cæli et feras, et iumenta; nam ne hæc quidem extra numerum fuerunt eorum quæ in deos relata sunt : siquidem aquila colebatur et accipiter; et feras ac iumenta Ægyptii deorum etiam appellatione decorarunt : tantumque invaluit error ac superstitio, ut ab animalibus etiam, quæ colebantur, civitatibus nomen imponerent : et nominatur apud ipsos Cynon, Probaton, Lycon et Leonton. Verum post hæc omnia profertur in medium deinceps genus humanum. *Benedicite, inquit, filii hominum, Domino* ( *Ibid. v. 82* ). Postremo loco ponitur humanum genus, non dignitatis ordine, sed creationis. *Benedicite, Israel, Domino* ( *Ibid. v. 83* ). Quod erat hominum genus peculiare, qui in terris versabantur, hoc igitur profert in medium, tumque multas in hac natione subjicit hominum varietates; et Domini sacerdotes profert, ad eorum qui falso dii appellantur, arguendos sacerdotes. Deinde ait, *Servi Domini* ( *Ibid. v. 85* ). Tum ne illi qui ante discesserant, ab hoc alieni esse choro viderentur, cum vivis eos enumerant apud Deum, dum inquit, *Benedicite, spiritus et animæ iustorum, Domino* : deinde, *Sancti et humiles corde, Domino* ( *Ibid. v. 86. 87* ). Quid ita san-

ctorum et humilium meminit? Ut superbis resistere Deum ostendat, humilibus autem gratiam dare (*Prov. 3. 34*), atque arrogantes extra fornacem exussisse, sanctos et humiles ignis in medio conservasse. Quapropter cum sanctis ignis exsultavit: nam ipse quoque cum omnibus Creatorem jussus est collaudare: *Benedicite, ignis et arsus, Domino (Dan. 3. 67)*: ut doceantur Babylonii magi<sup>1</sup>, apud quos colitur ignis, non eum ex numero eorum esse quæ adorantur, sed quæ adorant. Verumenimvero ad extremum gradu facto finem dicendi faciamus. *Benedicite*, inquit, *Anania, Azaria, Misael, Domino (Ibid. v. 88)*. Quid igitur prodest, quod tot ordinibus enumeratis in postremum ipsi nomine proprio sint relati? num enim inter filios Israel erant, qui benedicerent? num inter Domini servos numerati erant, cum dicerent, *Benedicite, servi Domini, Domino?* vel cum, *Sancti et humiles corde*, nonne inter sanctos recensiti? quid ergo sibi vult illud additamenti, *Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino?* At enim quia supra naturam erat res illa, quia naturam humanam excedebat (siquidem

in corpore fornacem ingressi calcaverant), ne quis eorum qui seducti erant, propter miraculi novitatem appellare deos ipsos auderet, et adorare multo justius, utpote a quibus superatus ignis fuisset, ut ne quid tale spectatoribus eveniret, idcirco suam indicant servitutem, seque adorare confitentur dicentes, *Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino*. Fertur etiam Danielem propterea minime sivilisse Deum ad hoc martyrium assumi. Nam quia somnium regis exposuerat, et ab ipso rege divinis honoribus affectus erat, ac Baltasar dei nomine appellatus, qui apud Persas colebatur, ne propter impositum illi Baltasaris nomen repressa vis ignis censeretur, providit Deus, ut ne Daniel in medium produceretur, ut sincerum esset miraculum pietatis. Atque hæc quidem hæcenus; nobis autem contingat, precibus et patrocinio eorum qui martyrium sunt passi, ut eodem zelo saccenti, iisdem laudibus affici mereamur, idemque regnum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Scorial., *Pabylonii et Magi*.

λοι Κυρίου. Ἔϊτα ἵνα μὴ δόξωσιν οἱ προελθόντες ταύτης τῆς χορείας ἀλλότριοι εἶναι, μετὰ τῶν ζώντων αὐτοὺς ἀριθμοῦσι παρὰ τῷ Θεῷ, λέγοντες· *Εὐλογεῖτε, πνεύματα καὶ ψυχαὶ τῶν δικαίων, τὸν Κύριον*· εἶτα, *Ὅσοιοι καὶ ταπεινοὶ τῇ καρδίᾳ, τὸν Κύριον*. Διὰ τὴν δόξωσιν καὶ ταπεινῶν μύμνηται; Ἴνα δείξῃ, ὅτι Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτίθεται, τοῖς δὲ ταπεινοῖς χάριν δίδωσι, τοὺς ἀλαζόνας ἔξω ἢ τῆς καμίνου κατέφλεγε, τοὺς ὁσίουσιν καὶ ταπεινοῖς ἐν μέσῳ τοῦ πυρὸς διεφύλαξεν. Διὸ καὶ συνεχόρευσε τοῖς ἁγίοις τὸ πῦρ· μετὰ γὰρ πάντων καὶ ἂ αὐτὸ ὑμνεῖν προσετάχθη τὸν Δημιουργόν· *Εὐλογεῖτε, πῦρ καὶ κἀνυμν, τὸν Κύριον*· ἵνα παιδεύωνται οἱ Βαβυλώνιοι μάγοι, παρ' οἷς τιμᾶται τὸ πῦρ, ὅτι τοῦτο οὐκ ἔστι τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων. Ἄλλ' ὁμως ἐπὶ τὸ τελευταῖον ἐλθόντες καταπαύσωμεν τὸν λόγον. *Εὐλογεῖτε*, φησὶν, *Ἀνανία, Ἀζαρία, Μισαήλ, τὸν Κύριον*. Τίς ἦν χρῆσις τοσοῦτων ταγμάτων ἠριθμημένων τῷ τελευταίῳ αὐτοῦσιν ὀνόματι προστεθῆναι; αὐτοὶ γὰρ οὐκ ἦσαν ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ εὐλογήσαντες; αὐτοὶ οὐκ ἦσαν τοῖς δούλοις τοῦ Κυρίου συνηριθμημένοι, ὅτε ἔλεγον, *Εὐλογεῖτε, δούλοι Κυρίου, τὸν Κύριον*; ἢ ὅτε, *Ὅσοιοι καὶ ταπεινοὶ τῇ καρδίᾳ, οὐκ ἦσαν ἐν τοῖς ἰσίοις ἠριθμημένοι*; εἰ οὖν βούλεται τὸ ἐκ προσ-

<sup>a</sup> Scorial. τοὺς ἀλαζόνας τὸ πῦρ ἔξω.

<sup>b</sup> Scorial μετὰ γὰρ ταῦτα καὶ. Infra idem οἱ Βαβυλώνιοι καὶ οἱ μάγοι.

θήκης, *Εὐλογεῖτε*. *Ἀνανία, Ἀζαρία, Μισαήλ, τὸν Κύριον*; Ἄλλ' ἐπειδὴ ὑπερφυῶς ἦν θαῦμα, ἐπειδὴ παρὰ φύσιν ἀνθρωπίνην (ἐν σώματι γὰρ τὴν κάμεινον εἰσελθόντες κατεπάτησαν), ἵνα μὴ τις τῶν πεπλανημένων διὰ τὸ ξένον τοῦ θαύματος θεοῦ αὐτοὺς προσειπεῖν τολμήσει, καὶ προσκυνεῖν οὕτω μᾶλλον δικαίως, ἢ τὸ πῦρ, τοὺς τοῦ πυρὸς περιγεγονότας. ἵνα μηδὲν τοιοῦτο πάθωσιν οἱ βλέποντες, διὰ τοῦτο μνηύουσι τὴν ἑαυτῶν δουλείαν, καὶ ὁμολογοῦσι τὴν προσκύνησιν, λέγοντες, *Εὐλογεῖτε, Ἀνανία, Ἀζαρία, Μισαήλ, τὸν Κύριον*. Λέγεται δὲ, ὅτι τὸν Δανιὴλ ὁ Θεὸς διὰ τοῦτο οὐ συνεχώρησεν εἰς τὸ μαρτύριον τοῦτο παραληφθῆναι. Ἐπειδὴ γὰρ τὸ θναρ τοῦ βασιλέως ἠρμήνευσε, καὶ ὡς θεὸς ὑπ' αὐτοῦ τοῦ βασιλέως προσεκυνήθη, καὶ ἐκλήθη Βαλτασάρ τῷ ὀνόματι τοῦ [618] θεοῦ τοῦ παρὰ Πέρσας, ἵνα μὴ νομισθῇ διὰ τὸ ἐνεγκάμενον ἢ αὐτῷ ὄνομα τοῦ Βαλτασάρ πεπαύσθαι τοῦ πυρὸς τὴν ἐνέργειαν, οἰκονομεῖ Θεὸς μὴ προσχθῆναι τὸν Δανιὴλ εἰς μέσον, ἵνα ἀκέραιον ἦ τῆς εὐσεβείας τὸ θαῦμα. Καὶ ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον· εἴη δ' ἡμᾶς, εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις τῶν μαρτυρησάντων, τὸν αὐτὸν ζῆλον ἀναλαβόντας, τῶν αὐτῶν ἐπαίνων ἀξιοθῆναι, καὶ τῆς αὐτῆς βασιλείας τυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

<sup>c</sup> Scorial. et Sav. ἐπισκίμενον.

# DIATRIBA

## AD OPUS IMPERFECTUM

IN MATTHÆUM,

QUOD CHRYSOSTOMI NOMINE CIRCUMFERTUR.

Hunc librum in fine hujusce Tomi sexti publicare compellimur, quia sequens, nempe septimus Tomus, verum Chrysostomi in Matthæum Commentarium complectitur, qui verus Commentarius ita amplus est, vix ut possit uno in volumine comprehendi totus. Quamobrem ne, quod Morellus fecit, in octavum Tomum, ante Commentarium in Joannem, hoc imperfectum Opus amandare cogamur, e re putavimus fore, si illum in fine hujus sexti Tomi locaremus. Nacti sumus Codicem Carthusianorum Vallis Dei, quem sponte sua obtulerat mihi D. Innocentius Le Tellier ejusdem Carthusiæ Prior, quo non ita pridem defuncto ejus successor D. Joannes Baptista Soucanye perhumaniter ejus mihi copiam fecit. Etsi porro Codex non tantæ sit vetustatis, est tamen accurate descriptus, nobisque admodum utilis fuit.

Ingentem controversiarum ansam dedit hic Commentarius, quem idcirco vocant Opus imperfectum in Matthæum; quia non est plenus perfectusque commentarius; sed multa desiderantur in medio et fine. Disputatum autem est præcipue, an vere Chrysostomi esset, necne: et an hic quisquis sit Interpres, catholicus, an hæreticus, Arianusve esset. Ea autem de re hoc nobis agendum incumbit; referendum nempe, quid Erasmus de hoc Opere senserit, quid Joannes Mahusius ex ordine Fratrum Minorum, quid Sixtus Senensis, Baronius, Tillemontius. Deinde disquiretur an hic quisquis sit scriptor possit ab hæresi purgari: an sit Chrysostomus, necne: de tempore quoque agetur, de stylo, et de apocryphis libris ab ipso laudatis, etc. Primo autem Erasmi hac de re judicium afferimus, quale habetur in Editione Chrysostomi Basileensi anni 1530, Tomo tertio, p. 473, ubi quorundam etiam, qui præcesserant, sententiam refert.

§ I. — *Erasmi opinio circa Opus imperfectum in Matthæum.*

Primum nulla dubitatio est hoc opus non esse Chrysostomi, quod quoniam hactenus illius titulo frequenter excusum est, nolimus prætermittere, præsertim cum sit hominis eruditi et facundi et in divinis literis sic exercitati, ut mea quidem senten-

tia hac in parte non cedit Chrysostomo. Suspicio illum Latine scripsisse, licet et Græce noverit. Sermo, quod ad voces attinet, impurus est. Is tum erat stylus ecclesiasticus, et populo ut communis, ita gratus. Cætera sunt hominis disertis. Itaque placulum fuisset, si hoc opus intercidisset, quod tamen in vetustis exemplaribus et varium hactenus habebatur, nec uno modo mutilum. Nos proximam Editionem, quæ fuit optima, sequuti sumus, sed cum vetustis exemplaribus collatam. Quis fuerit auctor, quibusve temporibus vixerit, divinare nihil refert. Ipse testatur se scripsisse, posteaquam Ecclesia, sub Christianis Cæsaribus, innumeris hæresibus concuteretur. Cæterum præterquam quod interdum in enarrandis Scripturis habet non nihil Origenice libertatis, dispersæ sunt aliquot sententiæ, quæ non multum abhorrent a dogmatibus improbatis. Quorum aliquot indicabo lectori, quo sit in legendo cautior. Non sunt homiliæ, sed nescio quis ita dissevit opus. Homilia 1, quod legimus, *Spiritus sanctus superveniet in te*, vult intelligi de Christo, non de Paraclete: quamquam locus mihi videtur corruptus. Eadem, *Non cognovit eam*, id est, non cognovit illius dignitatem ante partum, post partum cognovit illius eminentiam, coacte interpretatur. Homilia 3 circa finem dicit, incredulos non esse per naturam peccatis, sed propria voluntate, quasi fides esset in nostra voluntate ac non potius donum Dei, aut quasi non sine gratia nascamur omnes filii iræ. Hoc tamen excusari potest. Homilia 4 circa finem (*Sic: sed non habetur in hac homilia*) aperte negat æqualitatem Filii et Spiritus sancti, quem Filii ministrum appellat. Hoc, opinor, Origenicum est. In quibusdam Codicibus hunc locum nescio quis tentarat emendare; sed frustra, cum in aliis locis idem pronuntiat aperte, velut Homilia 20, ut fatetur distinctionem personarum, ita palam negat illarum æqualitatem: idque paulo post repetit. Item Homilia 48 Homoousianos recenset inter hæreticos. Et Homilia 45 ita loquitur de hæreticis: *Quando vides hæreticos, tres per omnia æquales dicentes ejusdem esse substantiæ, ejusdem esse auctoritatis, sine princi-*

« pio omnes hos, aliqua parte distantes a se, ne mire-  
 « ris; implent enim mensuram patrum suorum, etc.  
 « Quidam conatus fuerat hunc locum emendare, ad-  
 « jecta bis syllaba non, non ejusdem esse substantiæ,  
 « non ejusdem esse auctoritatis. Atqui hæc lectio se-  
 « cum ipsa pugnat. Qui possunt enim per omnia esse  
 « æquales, si non sint ejusdem auctoritatis? Codex,  
 « ad quem contuli, non habebat negationem. Homi-  
 « lia 22 videtur Filium facere minorem Patre, cum  
 « Christo loquitur centurio: Sic et tu quamvis sub  
 « potestate Patris sis, habes tamen potestatem jubendi  
 « angelis tuis. Et hunc locum aliquis tentavit emen-  
 « dare in hunc modum: *Quamvis sub potestate Patris*  
 « *sis, secundum quod homo es;* verum hæc adjectio  
 « non habebatur in vetustissima Editione. Homilia  
 « 11 negare videtur in Eucharistia esse verum corpus  
 « Christi, sed tantum mysterium corporis. Eadem de  
 « re suspecte loquitur Homilia 19, Eucharistiam ap-  
 « pellans sacrificium panis et vini. Homilia 12 da-  
 « mnare videtur omne jusjurandum, minitans etiam  
 « diacono qui Codicem Evangelicum porrigit iura-  
 « turo. Homilia 18 suggillare videtur matrimonium, lo-  
 « quens de via lata quæ ducit ad mortem, in qua am-  
 « bulant viri cum uxoribus, atque etiam adulteri, et  
 « tamen Homilia 19 matrimonium appellat secundum  
 « castitatis gradum. Unde latam viam sensisse vide-  
 « tur viam indulgentiæ. Item Homilia 42 ambigue lo-  
 « quitur de coitu conjugum. Homilia 19 ambigue lo-  
 « quitur de baptismo hæreticorum, quasi ab illis docti  
 « perverse, nihilo plus accipiant per baptismum illo-  
 « rum, quam ex doctrina: hoc tamen excusabile est.  
 « Eadem manifeste damnat digamiam, cum Tertulliano  
 « sentiens. Homilia 21 damnat negotiationem, et  
 « mercatores ejiciendos censet ex Ecclesia. At hi  
 « nunc extrudunt canonicos. Locus qui putabatur esse  
 « depravatus a Lutheranis, est Homilia 19. In Codice  
 « vetusto, quo sum usus in collatione, aberant hæc  
 « verba, *Licet impossibile sit alterum absque altero re-*  
 « *periri. Nam sicut ignem absque calore ardere inaudi-*  
 « *tum est, sic et fidem absque bonis operibus esse.* An in  
 « alia quapiam Editione reperta sint nescio. Jam fieri  
 « potest, ut sint alia quoque nonnulla: nos quod forte  
 « occurrit indicavimus. Dixerit aliqua, cur quod scie-  
 « bas non esse Chrysostomi, illius operibus miscuisti?  
 « Utinam hoc tantum esset *verbum spurium!* sed quem-  
 « admodium in Hieronymo et Augustino nihil præter-  
 « misimus, non ignari quanta sit judiciorum varietas,  
 « ita hic visum est facere. Sententias improbatas aut  
 « suspectas annotavimus, non ut rejiciatur liber, sed  
 « ut tutius legatur, si legatur cum judicio; quemad-  
 « modum legitur Tertullianum et Origenem. Quod si  
 « rejicimus omnes in quibus est aliquid quod dissi-  
 « deat ab horum temporum dogmatibus, nec Cypria-  
 « nus legetur, nec Ambrosius, nec Chrysostomus,  
 « nec Augustinus, nec Hieronymus. Bene vale. »

Hæc liberius dicta sunt, qualia non pauca apud  
 Erasmus: qui expertus docet non paucos huic Operi  
 medicam manum admovere voluisse, ut loca fidei  
 contraria, qualia multa hic esse deprehenduntur, ad  
 sanam mentem reducerent. Verum frustra cessit con-  
 natus et illis et aliis, qui post Erasinum fuerunt, ex  
 quorum numero exstitit frater Joannes Mahusius Al-  
 dernardensis ex ordine Fratrum Minorum regularis  
 observantiæ, sacrarum literarum Antuerpiæ prælec-  
 tor, qui ad Editionem in urbe ista publicandam præ-  
 fationem emisit anno 1537, ubi de emendato ab se  
 Joannis Chrysostomi, sic ille putabat, Opere, sibi  
 plaudere videtur: ex qua præfatione quæ ad nostrum  
 pertinent institutum hic proferimus.

§. II. — *Ex præfatione Joannis Mahusii Franciscani  
 in Opus imperfectum in Matthæum.*

« Aureum illud Divi Chrysostomi inscriptum hactenus  
 « Opus imperfectum, quamquam nuper sub incerti  
 « auctoris titulo (quod etiam sequens superscriptio  
 « testatur) in lucem exiit. Haud aliam ob rem, opinor,  
 « nisi quod in ignoti Arianae hærescos viri manus

« olim inciderit, qui suis fæcibus tantum opus tam  
 « misere ac turpiter inquinavit, ut perosque Chri-  
 « stianæ pietatis amatores, qui hoc opus legerint,  
 « non Chrysostomi, sed suum esse, id est Ariani,  
 « censere coegerit. Quod equidem duplici colligo ar-  
 « gumento. Priori nactus duo exemplaria vetustissima,  
 « id quod videbatur antiquius, ne iota quidem erro-  
 « rum ipsum continebat, sed alia manu omnia adscri-  
 « pta in marginibus. Alterum, quod nobis Anglia præ-  
 « stitit, errorum quædam habebat, quædam vero mi-  
 « nime; posteriori, quidquid Ariannum esset, si atten-  
 « das, per illationis notam assuitur; ita ut si reseces,  
 « ne pili quidem mutetur sententia, quod meo quidem  
 « judicio nequiquam fieri possit, si ab ipso genuina  
 « auctore ingenue fuisset intextum. Quemadmodum  
 « nec ex humano corpore aliquid auferri absque cor-  
 « poris mutilatione, quod superfluum non fuerit atque  
 « monstruosum (sic). Hoc igitur Opus, candidissime  
 « lector, nunc ab illius pestilentissimi viri vomitibus  
 « mundum ac torsum diligentiorique cura purgatum  
 « habes, ut vel infans possit per illa florentissima  
 « optimarum sententiarum præspatiari, omni peri-  
 « culo et angue procul semoto. Nam si adeo dubii  
 « aliquid alicui fortassis reliquum videbitur, id nos ex  
 « margine velut indice cavendum monstramus, ubique  
 « affigentes aut verbum illud, *cave*, aut aliud quiddam  
 « æquivalens. Ad hæc ratio fuit, cur minori formula  
 « sit excusum quale dubio procul hoc cum primis  
 « (Opus est Chrysostomi imperfectum,) etc.

Sic Joannes Mahusius Opus illud imperfectum emen-  
 dare conatus est, sed perinde cessit illi conatus, at-  
 que aliis de quibus supra Erasinus. Nam virus Aria-  
 nae hærescos etiam in sua sic emendata Editione,  
 cum aliis non paucis erroribus, superest, ut infra  
 videbitur. Jam ad Sixtum Senensem veniamus, cujus  
 locus in prius Editis Parisinis affertur.

§. III. — *Ex libro quarto Bibliothecæ sanctæ Sixtæ  
 Senensis.*

« In Matthæum exstat incerti auctoris imperfectum  
 « Opus, in homilias quinquaginta quatuor divisum:  
 « tametsi nullas habeat homilias, sed perpetuus sit  
 « commentarius, continens continuatam expositionem  
 « Evangelistæ ab initio videlicet usque ad dimidium  
 « decimi tertii capitis et rursus a principio capitis  
 « 19 usque ad finem capitis vigesimi quinti. Cujus  
 « exordium est, *Sicut referunt Matthæum,* etc. De  
 « quo quidem opere diversa feruntur judicia: sunt  
 « qui ipsum negent esse Chrysostomum, cum ob Vulga-  
 « tam Latinæ Ecclesiæ translationem, quæ in eo dis-  
 « seritur, tum ob frequentes allegorias et alligationses  
 « apocryphorum scriptorum, quibus auctor utitur, cin-  
 « tans Scripturam Seth, Apocryphum Ezechiae, Itine-  
 « rarium Clementis, et alia his similia, a Chrysostomi  
 « usu remotissima. Ad hæc addunt commentariorum  
 « phrasin, expositiones et dogmata, Chrysostomianæ  
 « linguæ et menti magis contraria, quam ignem, et  
 « aquam. Nam et dictionis character, et schemata  
 « quædam, ad Græcam orationem minime responden-  
 « tia, indicant scriptorem fuisse Latinum; hæretica  
 « vero dogmata, toto passim Operi inspersa, palam  
 « arguunt eundem fuisse hæreticum, non uni tantum  
 « sectæ addictum, sed variis Montani, Manichæi,  
 « Arii, Donati, ac Pelagii hæresibus implicitum, et  
 « propter eas hæreses merito ab Ecclesia damnatum,  
 « et a Paulo Papa IV in catalogo scriptorum suspi-  
 « citæ fidei annumeratum.

« Sunt ex opposito qui hoc ipsum opus contendunt  
 « esse Chrysostomi, adducti non solum auctoritate  
 « Apostolicæ Ecclesiæ, quæ publice inter divinas lau-  
 « des legit Homilias ex his commentariis sub nomine  
 « Joannis Chrysostomi; sed etiam permoti pondere  
 « et gravitate sententiarum et propositionum hujus  
 « Operis: quæ ad confirmationem Christianorum,  
 « dogmatum sub titulo, testimonio et auctoritate  
 « Chrysostomi inducuntur in Glossis authenticis,  
 « et quas vocant Ordinarias, in Catenis evangelicarum.



explanationum, in Decretis summorum Pontificum, et in Summis theologicis magni nominis theologorum: in quibus multæ ex his sententiis, diligentissime expensæ, ab omni erroris suspitione vindicantur.

Neque his quicquam obest recens edictum Pauli Papæ quarti, quippe quod non simpliciter et omnino rejectit universum hoc opus, tot jam sæculis communi Ecclesiæ assensu comprobatum; sed ea dumtaxat hujus operis exemplaria interdicit, quæ præter auctoris mentem ab hæreticis vitata inveniuntur, et his, quibus nunc scaten, facibus inquinata. Has autem fæces et sordes non auctoris culpa, sed hæreticorum fraude in hos commentarios irrepisse, triplici iudicio persuadent, primo, quod exemplaria quædam vetustissima nihil continent hujusmodi errorum, sed alia manè omnia habent adscripta in marginibus. Secundo, quod quidquid hæreticum est, ita per illationem sit germanæ lectioni assutum, ut, si resecetur, ne latum quidem unguem mutetur sententia: quod sane fieri non posset, si ab ipso auctore ingenue fuisset intextum: quemadmodum nec humano corpori membrum aliquod auferri potest absque deformi totius structuræ mutilatione. Tertio, quod credibile non sit, auctorem, qui nec amens, nec obliviosus fuerit, iisdem de rebus, et iisdem pene locis scribentem sibiipsi contraria sensisse et dixisse, præsertim vero in his, de quibus ut Arianus accusatur. Quomodo enim verisimile fuerit eum cum Ariano de inæqualitate et diversa Patris et Filii substantia convenisse, qui adversus Arianos unitatem et æqualitatem utriusque multis locis defendit? præcipue vero Hom. 44, super illis verbis, *VÆ VOBIS, SCRIBÆ ET PHARISÆI, QUI CLAUDITIS REGNUM CÆLORUM*. Ubi hæc scribit: *Sic et modo hæretici sacerdotes claudunt januam veritatis. Ideo, quando legunt in populo suo aliquid tale, qui me misit MAJOR ME EST, perversa interpretatione claudunt januam veritatis, dicentes Filium minorem Patre: cum tamen secundum dispensationem carnis dicatur minor. Et Hom. 28, in expositione illius sententiæ, OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO, proponens ac dissolvens argumentum eorum, qui ex his verbis adstruebant Filium Patre minorem, sic inquit: *A quo illi tradita sunt omnia, si unus est Pater et Filius: aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia Patri suo erat æqualis? Nam significatio traditionis tam unitatis rationem, quam æqualitatis excludit. Respondeo, Tradita sunt ei secundum quod minoratus est paulominus ab angelis: nam secundum illud, quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, Deus unus et æqualis est ei, qui tradidit omnia. Et Homilia 45, exponens illud Matthæi 23, ET VOS IMplete MENSURAM PATRUM VESTRORUM, ait: *Quando vides hæreticos, tres per omnia æquales dicentes, non ejusdem esse substantiæ, non ejusdem esse auctoritatis, sine principio omnes hos, aliqua parte distantes a se, ne mireris: implent enim mensuram patrum suorum gentiliolum, quoniam illi similiter multos deos colebant.* Quibus quidem verbis quid apertius dici potuit adversus Arianam sententiam, quæ huic auctori adscribitur? Hæc igitur est super his commentariis controversia: de qua judicent me doctiores: ego, quid addam, nihil habeo, nisi hoc ipsum Opus disertum et doctum esse, ac dignum quod assidue legatur, si tamen prius diligentissime expurgatum fuerit ab iis erroribus, quos in sexto libro in censuris super Matthæi expositoribus annotavimus. Floruit auctor hic, ut ex 55 et 39 ejus Homiliis colligitur, post tempora Theodosii Augusti: scripsitque etiam in alios evangelistas consimilis industria commentarios.**

Hic aliqua habes ex iis quæ Joannes Mahusius supra dixerat; sed stylo paulum elegantiore. Mahusii porro sententiam nihil fecisse videntur Baronius et alii

non pauci, qui hunc scriptorem pro Ariano ex hæretico habuerunt.

§. IV. — *Baronii sententia de Opere imperfecto in Matthæum, Hist. Eccl. T. V, ad annum 407. Tillemontii eadem de re opinio.*

Haud æquo animo pati possumus adscriptas fuisse sanctissimo viro ejus titulo hactenus consignatas quinquaginta quatuor Homilias, quas Opus imperfectum nominant, ut distinguant a consummate in eundem evangelistam Commentario, nonaginta et unam homilias complectente. Quis enim non jure commoveatur, cum videat adscribi sanctissimo viro ab incerto auctore, sed certo hæretico, hæreticorumque deterrimo, compositas homilias illas purulentas, hæresum scatentes vermibus, quæ ne pilum quidem Chrysostomi vel in dictione, vel in sententiis, vel in dogmatibus, habent: sed sparsas hæreses Manichæorum, Montanistarum, Arianorum, ac Donatistarum continent: atque plane in omnibus se prodat auctor longe longius ab Ecclesia Catholica alienum: qui Catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ sæpe detrahat, et vix in paucis veritatem reperiri contendat? Hactenus Baronius.

Tillemontius porro de Opere imperfecto hæc habet, quæ nos Latine convertimus: *Non diu disserendum puto de Opere illo imperfecto. Putatur certe potius Latine scriptum fuisse, quam ex Græco Latine translatum. At certum omnino est, quantumvis contra disceptetur, fuisse Arianum, Arianicæ hæresi additissimum. Diuturna ac forte non ita utili perquisitione opus esset ad explorandum quo tempore iller vixerit. Certum utique est scripsisse post Theodosium Magnum, qui Arianismum everterat, ut hic scriptor conqueritur. Quod autem ille de decimis fructuum habet ad postrema Arianismi tempora, ad septimum circiter sæculum, ablegandum ipsum esse suadet, quandoquidem hæc hæresis ad usque finem sexti sæculi in Hispania substitit regnavitque: hic vero scriptor sæpe conqueritur Ecclesiam suam operi primi atque vexari. Et sane ex cogitandi modo, ex imaginandi vi, et insolita disserendi ratione, Hispanus esse facile crederetur. Ex aliis tamen locis antiquior fuisse credatur. Videtur porro episcopus fuisse; sed ex Ecclesia sua pulsus, commentariosque etiam in Marcum et Lucam fecisse deprehenditur.*

Putavere quidam hæreses illas omnes, quæ passim in hoc opere occurrunt, ab hæreticis insertas fuisse, demptisque illis additamentis, perfectam adhuc et planam manere sententiam, manuscriptosque adhuc haberi Codices, ubi illa additamenta in margine et altera manu descripta sunt. Si res ita se habeat, miror nullam ad istorum Codicum fidem factam fuisse editionem. In ecclesiasticæ rei commodum auctor hujusmodi ad Catholicas partes accederet; auctor, inquam, qui in aliqua existimatione habetur, et forte majore, quam mereatur. Nisi enim hujusmodi editio a viris fide dignis emissa prodeat, vix lectoribus suadeatur posse hujusmodi scriptorem ad Catholicas partes reduci. Facilius certe credatur de industria vel inserta vel mutata fuisse: quæ etiam rudi incautoque modo addita sunt. Narratur Editionem esse Antuerpiæ anno 1545 emissam, quæ de novo Lutetiæ cussa fuerit, ex qua Franciscanus quispian loca Arianismo faventia sustulerit; sed dicunt ipsum multa etiam Catholica abstulisse. Verum hæc Editio eruditus non placuerit oportet, quando omnes quæ postea emissa sunt Editiones, cum erroribus solitis prodierunt, Explorandum esset num diversa simul opera juncta fuerint, ut ex locis aliquot subindicari fortasse videatur.

Putat autem P. Vastelius hoc opus esse Joannis episcopi Jerosolymitani in fine quarti sæculi scriptum; sed præter alias bene multas difficultates quæ contra hanc opinionem sese statim offerunt, vel hoc uno ar-

gumento repudiatur, quod credi nequeat, episcopum Jerosolymitanum Jerosolymam posuisse ad occidentem Galilææ.

§. V. — *Hoc Opus non potest Chrysostomi esse: cuius sit scriptoris, et quo tempore scriptum, disquiritur.*

Imperfectum illud Opus nec esse, nec esse posse Chrysostomi, certum est; omnia hic spurcatis signa adsunt, stylus perplexus, rudis atque strigosus, mirum quantum a Chrysostomi stylo differat, dictionis forma, tropi, ordiendi et claudendi ratio: ita ut ne cogitaverit quidem hoc sancto doctore adscribere quisquis ejus scripta vel mediocriter frequentaverit; ut taceam hæresim Arianam passim in his Homiliis occurrentem, aliosque errores, de quibus omnibus mox dicetur. Ad hæc autem hic scriptor haud dubie Latine scripsit, ut patet tum ex styli ratione ipsa, tum ex Scripturæ sacræ locis, quorum pars maxima ex Bibliis Latinis excerpta fuit; sed quod nullam dubitandi ansam relinquit, hic quisquis sit auctor, Græci Biblici textum, ut a suo diversum, aliquando adhibet.

Jure quæretur an ille ipse scriptor, ut hæresi suæ auctoritatem conciliaret, nomen Chrysostomi operi suo præposuerit, an vero anonymum opus ediderit, cui postea nomen Chrysostomi a quopiam præmissum fuerit. Certum quidem est jam a priscis temporibus Chrysostomi nomine insignitum opus fuisse, ut arguitur ex loco Nicolai I Papæ in responsis ad consulta Bulgarorum, Tom. 8 Concil. Labbæi p. 548, num. 31, ubi dicitur: « Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur; Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. » Quem locum habes in homilia 32 circa medium. Quamobrem forte credatur ipsum auctorem operi suo nomen Joannis Constantinopolitani præmississe, ut errores suos tanti doctoris auctoritate firmaret. Verum illud non sua vacat difficultate.

Si porro Chrysostomi nomen eminentius sit hic scriptor, non ideo inferendum erit ipsum episcopum fuisse, quod dicat Homil. 8 paulo post initium: *Nos autem qui sumus uniuscujusque regionis pastores*; sed si eminentius sit Chrysostomum, eminentius etiam fuerit episcopum. Cum autem dixit initio Homiliæ 32 se corpore absentem esse, sese fingere potuit Chrysostomum exulem, quod fecit et ille qui Epistolam ad Cæsarium Monachum Chrysostomo descripsit, ut Eutychianam hæresim tanti doctoris testimonio confirmaret. Hinc liquet non posse ex allatis verbis argui hunc auctorem episcopum fuisse; si tamen ille nomen Joannis operi suo prælixerit, id quod certe verisimile non est.

Atenim quomodo potuit se Chrysostomum esse fingere ille, qui ait Homil. 52 circa medium: « Nam si consideremus ex quo Christus in caelum ascendit, et quantum vivebant homines ante diluivum, et prope tantum spatium est, quanto tempore erat vita uniuscujusque eorum. » Id est, tot fere anni erant a Christi ascensione, quot annis vivere solebant viri antediluvianii; atqui ante diluivum vita hominum erat non-gentorum, imo plurium annorum; unde sequi videtur eum, qui hanc temporis notam posuit, non potuisse se Chrysostomum esse fingere, vel nomen suum huic operi præmittere. Neque tamen potest hæc nota ut verba sonant, accipi; nam præterquam quod id significat vox *prope* hic adhibita, certum est hunc librum nono sæculo, quasi Chrysostomi esset, jam diu in usu fuisse. Ad hæc autem illa quæ de Theodosio Magno et de tempore subsequenti, de gentiliū religione quasi adhuc vigente, deque Arianismo Ecclesiæ, episcopos, atque presbyteros passim habente; hæc, inquam, omnia, non ad nonum vel octavum, imo vix ad septimum sæculum referri posse videntur: quare illa annorum computatio oscitanter haud dubie facta fuerit.

Nota vero in qua de Theodosio agitur hæc habet Homil. 49 paulo post initium: « Et nos quidem ex-

posuimus hic auditiones præliorum, et fames, et terræ motus, et pestilentias, auditiones hæresum, et inopias verbi, et concussiones Christianorum, et corruptiones morum, quæ ante præcesserunt a tempore Constantini usque ad tempus Theodosii. Abominationem autem desolationis diximus esse hanc ipsam hæresim, quæ occupavit sanctæ Ecclesiæ loca, et multos desolavit a fide, et ipsum exercitum Antichristi, et cæteras hæreses, quæ cœperunt publice habere Ecclesiæ, locum obtinentes Ecclesiæ sanctum. Si quis autem auditiones quidem præliorum, fames et tumultus, et pestilentias intelligat esse omnia hæc mala spiritualia, quæ facta sunt tempore Constantini simul et Theodosii usque nunc: abominationem autem desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, et obtinere loca Ecclesiarum sancta sub specie Christi, ea multos fidelium desolare, non irrationabiliter dicit. »

Sic ille afflictas res Arianorum deplorat, quæ sub Constantino per Nicænam fidem depulsæ, sub Theodosio autem Magno prostratæ sunt, ita ut ab illo tempore *usque nunc*, sive usque ad auctoris tempus illæ pessum semper ierint. Hoc autem decantat ille fere per totum librum: nam vere Arianus erat, ut mox probabitur. Idipsum etiam ait in Homil. 49 paulo ante medium, nempe tempore Theodosii *expugnatum fuisse Ecclesiam*, scilicet Arianismum, quem ipse unam veram Ecclesiam esse pugnavat; quod in eadem Homilia indicat infra: *Hæresis Homoousianorum*, inquit, *non solum Christi Ecclesiæ adversatur, sed et omnibus hæresim non similiter sapientibus*. Hoc plurimis in locis repetit. His perpensis opinor vel circa finem sexti, vel septimo sæculo scriptum hoc opus fuisse. Tillemontius autem, qui illam priorem temporis notam non animadverterat, hæc circa tempus scripsit: « Certum utique est illum scripsisse post Theodosium Magnum, qui Arianismum everterat, ut hic scriptor conqueritur. Quod autem ille de decimis fructuum habet, ad postrema Arianismi tempora, ad septimum circiter sæculum ablegandum ipsum esse suadet; quandoquidem hæc hæresis ad usque finem sexti sæculi in Hispania substitit regnavitque: hic vero scriptor sæpe conqueritur Ecclesiam suam opprimi atque vexari. Et sane ex cogitandi modo, ex imaginandi vi et insolita disserendi ratione, Hispanus esse facile putaretur. Ex aliis tamen locis antiquior esse creditur. »

Jam non quæram quo tempore decimæ in Ecclesia solvi cœperint, neque enim id puto ad institutum pertinere nostrum. Nam hic scriptor cum decimas commemorat, non de decimis fructuum agit, quales in Ecclesia institutæ fuerunt; sed de *portionibus ecclesiasticorum*, quæ a priscis Christianis dabantur, quas decimas appellat, quia de decimis Veteris Testamenti hic agitur, ubi illud evangelicum explicatur: *Væ vobis qui decimatis mentum et nethum et cyminum*. Hujus occasione dicitur ait scriptor iste: « Sacerdotes ergo avaritia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset, quia decimam aliquid rei vel saltem minimæ non obtulisset. Si quis autem de populo in Deum peccabat ..... nemo curabat corripere eum ..... Sic et modo fit. Ecce enim episcopus, si debitum honoris non acceperit a presbytero, aut presbyter, si non acceperit a diacono, aut diaconus a lectore, irascitur ac turbatur. Si autem viderit aut episcopus presbyterum ..... Et portiones quisque suas secundum dignitatem suam vigilanter aspiciunt et defendunt, et secundum dignitatem suam curam impendere, circa obsequium Ecclesiæ non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: et si peccantem populum viderint, non murmurant contra eum. Quam compendiose in tribus his (nempe iudicio et misericordia: et fide) complexus est et conditiones hominum, et quæ necessaria sunt hominibus ad salutem. » Hæc postrema verba, *si populus decimas non obtulerit, etc.*, perspicue referuntur ad locum Evangelii ubi de deci-

mis agitur, quæ sub Veteri Testamento solvebantur; neque hinc puto colligi posse decimas tunc temporis a Christianis solutas fuisse. Quod autem adjicit Tillemontius, hæc ab Hispano dici posse, quia hæresis Ariana in Hispania ad usque finem sexti sæculi viguit, illud, inquam, potest hoc argumento refelli. Si Hispanus erat ille, et si septimo sæculo scripsit, non debuit Arianae hæreseos extinctionem ad Theodosium referre. Ariana quippe hæresis ibi sub regibus Arianis vigerat, et a Reccaredo subsequentibusque regibus oppressa fuit. Contra vero hic scriptor se sub Romano imperio degere non semel subindicat, ut in locis supra memoratis, necnon in alia Homilia 38 circa medium, ubi ait: « Quia sicut nummus habet charagma Cæsaris, sic homo habet charagma Dei: et quemadmodum solidus, qui non habet charagma Cæsaris, reprobus est, ita et homo, qui non ostendit in se imaginem Dei, reprobus æstimatur.

Quod autem ea quæ supra dicta sunt confirmare videtur, cum hæc scriberentur, adhuc gentilium religio vigeat, ut arguitur ex iis quæ leguntur Homilia 10 circa medium: « Ut puta, si bene doceant sacerdotes, et melius vivant, videntes gentiles dicunt: Benedictus Deus, qui tales habet servos. Vere enim eorum Deus verus Deus est... Nam disciplina Domini ex moribus familiæ demonstratur. Non sicut nostri philosophi qui magna loquuntur, et nec modica faciunt. » Et Homilia 13 circa medium: « Quos orant gentiles videamus, ut sciamus quare sic orant. Orant demones, qui etsi audiunt, exaudire non possunt: orant reges mortuos, Jovem, Mercurium cæterosque. » Et Homilia 20 ante finem: « Si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passus: id est, si prævaricatus fuerit et ad gentiles aut hæreticos transierit, tunc est ruina ejus magna. » Hujusmodi non pauca deprehenduntur, maximeque in fine Homiliæ 26, ubi hortatur ut a gentilium consortio caveatur.

#### §. VI. Hunc scriptorem vere Arianum et Anomæum fuisse probatur.

Hic scriptor quisquis sit sese manifeste prodit Arianum et Anomæum. Cumque jam a multis retro sæculis, atque, ut credere est, ab ipso auctoris tempore ipsiusque manu, Chrysostomi, sive Joannis Constantinopolitani nomen præfixum haberit, multi in tot loca Arianismum præ se ferentia incidentes, ea vel quibusdam mutatis in Catholicam sententiam reducere conati sunt, vel penitus sustulerunt; alii postea qui in hæc truncata ac mutata exemplaria inciderunt, ea quæ sublata fuerant in margine scripserunt. Hujusmodi exemplaria quædam se vidisse testatur supra Erasmus. Quidam autem hujusmodi errores et alios quoque diversi generis conspicati, nomen Joannis Chrysostomi sustulerunt. Mahusius vero Franciscanus, qui hunc Commentarium Joanni Chrysostomo asserere in animo habebat, secundum aliquod exemplar castigatum, ut ille putabat, hunc Commentarium edidit. Sed frustra cessit conatus ejus: nam in exemplari adhuc ipsius Arianismum deprehenditur, ut infra dicemus. Etenim illi, qui opus emaculare conati sunt, id non ita feliciter sunt exsequuti, ut paulo post monstrabitur.

Scripsit autem hic auctor, cum post Theodosii tempora Arianorum Anomæorumque reliquæ paulatim exstinguerentur, id curantibus scilicet episcopis aliisque Catholicis, quos ille ut hæreticos et hæreticorum deterrimos passim insectatur, dum sectæ suæ jam ad exiguum numerum redactæ sortem deplorat. Porro virus hæresis suæ passim depromit. Sic Homilia 19 post medium: « Fructus eorum nulli procedunt ad usum: umbra refrigerii non est in eis. Et verum est quidem, quia spinas et tribulos non omnes iniquos hæreticos appellavit: tamen forsitan sciens Dominus hanc hæresim esse prævalituram præ omnibus, tribulos eos appellavit, quasi Trinitatis professores, et triangulam impietatem in sua perfidia bajulantes. » Hic autem loquitur de Trinitate personarum æqualium,

quam damnabant Ariani, et quam hic scriptor sæpe repudiat. Hoc impium dictum reliquit in editione sua Mahusius, etsi manifeste Ecclesiam Catholicam impetat, quam hic et alibi prævaluisse, et supra cæteras hæreses principatum obtinuisse dicit, et quidem a tempore Theodosii, quando certissime fides Catholica supra omnes sectas prævaluit. Et Homil. 22 paulo ante finem: « Sed forte dicit hæreticus, volens ostendere Patrem et Filium unum vel æqualem: Non est ita intelligendus hic locus, sed sic: Si ego sub potestate constitutus, possum jubere eis, qui sub mea sunt potestate: quanto magis tu, » etc. Hic porro omnia quæ hæresim Arianam sapiebant sustulit Mahusius. Et Homilia 28 paulo ante medium, in hæc verba: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, sic habet: A quo illi tradita sunt, si unus est Pater et Filius? Aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia Patri suo erat æqualis? Hunc porro locum intactum reliquit Mahusius, quia paulo infra quædam adjiciuntur, quæ videntur ad Catholicam doctrinam accedere.

Sed clare Homilia 31 paulo post medium, in hæc verba, *Dixit Dominus vineæ procuratori suo*: « Cui procuratori? Sine dubio Filius dicit Spiritui sancto. Et si volueris, concedo tibi ut Pater Filio dicat. Non quæro utrum Filius sit Patris procurator, aut Spiritus sanctus Filius: sed hoc dico, quia procurator domus et paterfamilias, nec ejusdem substantiæ possunt esse, nec una persona esse, nec æqualis dignitas. Si ergo aliter paterfamilias, aliter procurator patris familias, quomodo locum habebit ternitas tua? Si autem ejusdem substantiæ iste est, et est minor, injuriam facit substantiæ. Si vero non æqualis dignitas, quomodo una substantia? » Hæc porro omnia sustulit Mahusius, licet primi auctoris et stylum, et seriem, et doctrinam exhibeant.

Homilia vero trigesima quinta circa medium in hæc verba, *Non est meum dare vobis*, ita loquitur: « Quid ergo? mentitus est Christus dicens, *Non est meum*? Non. Omnis enim qui habet potestatem, si acceptam habet ab alio, illius est vere qui dedit. Nam quid habebat Filius proprium, cum ipse non esset suus, sed Patris? Ergo inter eum cujus non est, et inter eum cujus est, nec una persona est, nec æqualis potestas. Si enim unus Deus et Pater et Filius, aut certe potest, aut certe non potest. Quis vidit talem unum Deum cælestem colere, qui in dimidio potens est, et in dimidio impotens? Aut quis illos putet æquales, quorum non est æqualis potestas? » Hæc postrema ab his verbis, *Ergo inter eum*, etc., abstulit Mahusius.

Homilia vero quadragesima quinta ante finem in hæc verba, *Implete mensuram patrum vestrorum*, hæc ait: « Consequenter et hæreticis dicitur hoc. Quando enim vides hæreticos, tres per omnia æquales dicentes ejusdem esse substantiæ, ejusdem auctoritatis, sine principio omnes, hos aliqua parte distantes a se, non mireris: implent enim mensuram patrum suorum gentilium, quoniam et illi similes multos deos colebant. Quando vides eos, tres unam personam dicentes, et ipsam esse Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non mireris: Judæorum enim patrum suorum implent mensuram. Sic enim et illi semper unum Deum Patrem colebant, Filium non confitentes Deum post Patrem. Quando vides eos confitentes ac dicentes, quia Filius de ipsa Patris substantia processit, sicut et omnis filius corporalis de corpore patris, et actum carnalem applicant spiritui impassibili et invisibili: cognosce quia mensuram implent patrum suorum gentilium. Et illi enim tales deos colebant, qui secundum carnem et generabantur et generabant. Quando vides eos dicentes, purum hominem crucifixum et anima et corpore, non Deum in corpore solum, in quo nulla esset divinitas: scito quoniam implent mensuram Judæorum patrum suorum: nam et illi purum hominem se crucifixisse credentes, dicebant ad apostolos: *Ecce*

*enim implevisti Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere suaver nos sanguinem istius hominis.* Si enim homo purus est passus, dimitto: quia nos mors hominis, non Dei, salvavit. Sed dico, Judæi tale peccatum fecerunt, quale facit qui hominem occidit, non Deum. Quando vides eos persequentes et facientes omnia quæ diximus, non mireris: implent enim mensuram Judæorum et gentilium patrum suorum. » Et hunc quoque locum Mahusius totum sustulit. Invectum autem fuisse in textum scriptoris, quis crederit umquam? Hic enim Catholicis non solum maledicitur, sed etiam ipsis hæretica dogmata falso adscribuntur. Ubi animadvertendum est in reliqua homilia contra hæreticos, scilicet Homoousianos et Catholicos multa dici, quasi Ecclesiam veram persequentes, qui, inquit ille, *rumpentes viscera matris, processerunt ad principatum.* Quinam autem erant illi qui tempore Theodosii pervenerant ad principatum, nisi Catholici? Nam queritur ille a tempore Theodosii ad suum tempus, *usque nunc*, illam sectam prævaluisse. Ac per totam ferme Homiliam sequentem in hæreticos illos invehitur qui suo patrumque suorum tempore grassati sunt. *Quanta passi sunt*, inquit, *ab hæreticis patres nostri.*

In Homilia autem 48 tota fraus eorum, qui seriem auctoris sæpe vel deturcarunt vel interpolarunt, delectitur. Sic vero circa medium legitur: « Nam omnis hæresis impia adversus eas hæreses videtur insurgere, quæ non sapiunt similiter; ut puta hæresis Fotini (sic) non solum Christi Ecclesiæ adversatur, sed omnibus hæresibus aliter sapientibus. Hæresis Homoousianorum non solum Christi Ecclesiæ adversatur, sed et omnibus hæresibus non similiter sapientibus. » Manifestum est, in hunc locum, mutato tantum hæreseos sive hæreticorum nomine, repetitionem inventam fuisse: nam idem ipsum pene iisdem verbis dicitur de hæresi Photini et de hæresi Homoousianorum, alterutrum autem in seriem invectum fuisse certissimum est. Omnis autem suspicio, ne dicam certitudo, cedit in hæresim Photini, quæ sæpe quarto sæculo in Ecclesia proscripta, ac pene oppressa, numquam ita viguit, ut posset Ecclesiæ Dei, omnibusque aliis hæresibus tantum negotii facessere; sed exploratum habeo eos qui hunc scriptorem, qui se Arianum loties professus est, ad Catholicam sententiam, demptis mutatisque compluribus locis, reducere sunt conati, illa de Photino is quæ de Homoousianis dicuntur substituere voluisse, ut auctorem Commentarii vel invitum Catholicum redderent: ac postea casu nescio quo factum esse ut utraque clausula in textu maneret in omnibus exemplaribus quæ vidi, uno excepto Mahusii Editio, ubi ea, quæ de Homoousianis dicuntur, pro more sublata sunt. Quod autem Homoousianos hic sive Catholicos scriptor impetere velit, liquidum est ex iis quæ initio Homiliæ sequentis 49 leguntur: ubi hic scriptor de abominatione desolationis agens deque Antichristo, hæc habet: « Exercitus autem Antichristi sunt omnes hæreses, præcipue ista, quæ obtinuit Ecclesiæ locum, et stetit in loco sancto, ita ut videatur quasi verbum veritatis stetisse, cum non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas Deo. Et hoc est forte, quod Apostolus dicit: *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat, ostendens se quasi sit Deus.* Et sic omnia mala hæresum diversarum, quæ antea audiebantur tantum, postea steterunt in loco sancto desolantia Ecclesiam Christi. « Quæ est autem illa hæresis, quæ obtinuit Ecclesiæ locum et stetit in loco sancto, idque a tempore Theodosii, ut alibi dicit ipse, nisi Catholica Ecclesia, quam ipse Homoousianorum hæresim vocat? Et quis hæc de Photiniana hæreticorum obscurissimis dicta esse credat?

§. VII. — *Errores alii qui in hoc opere deprehenduntur.*

Cum: quis ab Ecclesiæ unitate recessit, nihil mi-

rum si in varios errores delabatur: amissa quippe ancora, navis quoquoversum fertur. Hic itaque scriptor quem Arianum fuisse demonstravimus, diversos errores ubique spargit, quorum quosdam ipsoque præcipuo hic tangere non gravabimur.

Perinde atque Donatistæ dicit Anonymus, baptismum hæreticorum nullum esse, denique baptizandos illos esse qui ab hæreticis baptizati fuerunt; sic Homilia quinta paulo ante finem: « Ex tunc cœpit Jesus prædicare, ex quo in aqua quidem baptizatus est a Joanne: in Spiritu autem a Patre, ut possit de se ipso alios baptizare, secundum hominem dico, quia si non fuisset baptizatus, alios baptizare non poterat. Quomodo autem nudus vestiatur nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum divitem? sic et ipse qui baptizatus non est, quomodo alteri potest baptismum dare? Secundum hoc et de hæreticis dicimus: quia ubi est fides, illic est Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi sacerdos: ubi sacerdos, ibi baptismum: ubi baptismum, ibi Christianus. Ubi autem fides non est, ibi nec Ecclesia est: ubi Ecclesia non est, nec sacerdos est: ubi sacerdos non est, nec baptismum: ubi baptismum non est, nec Christianus sit aliquis. Quid ergo reprehendit quasi secundum baptismum, qui non intelligit quod est primum? » Hunc quoque locum prætermisit Mahusius, quia in quodam exemplari deerat; nimirum quidam ex iis qui Chrysostomi opus esse censebant, hæc quasi Chrysostomo indigna sustulerant. Similiterque in medio Homiliæ tertiæ supra, duo loca, quæ eadem ipsa de baptismo repetendo efferebant, abstulit, quæ tamen loca et ad seriem pertinent, et a primo auctore, uti quidem existimo, posita fuerant.

Primis Ecclesiæ sæculis cum gentiles furerent in Christianos, cautum erat ne Christiani sese idololatris offerrent, neve infensos Christiano nomini adorarent et palam coram illis Christum confiterentur et prædicarent, ne graves hoc pacto contra Christianos persecutiones excitarentur. Hic autem scriptor Homilia 23 circa medium dicit eos qui veritatem quoquo modo tacent esse proditores veritatis: « Hæc autem diximus, inquit, quoniam multi Christianorum palam quidem transgredi veritatem putant peccatum, tacere autem veritatem coram infidelibus non putant esse peccatum: et propterea multi inveniuntur in isto reatu... Vide quoniam non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem. »

Homilia vero undecima circa medium de Eucharia hæc prave dicuntur: « Si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur: quanto magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis. » Hic porro locus in quibusdam exemplaribus deest; vereque alibi ad Catholicam de Eucharia doctrinam magis accedit hic Anonymus.

Homilia porro trigesima secunda circa medium de secundis nuptiis ita temere loquitur: « Et apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est. Secundum autem veritatis rationem, vere fornicatio est; sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, sit honesta fornicatio. »

Hujusmodi forte non pauca observabit studiosus lector: nam, ut notat supra Erasmus, multas habet hic scriptor sententias suspectas et improbatus; et alioquin qui semel a fide descivit, quid mirum si passim erret vel temere loquatur?

§. VIII. — *De stylo Anonymi hujusce. Multa decerpit ex libris apocryphis.*

Etsi non iueruditus sit iste quisquis sit auctor,

stylo utitur admodum rudi et strigoso, verbis dictionibusque inusitatis sæpe redundante. Quoniam vero apocryphos multos libros nobis ignotos legerat, multa futilia sæpe admiscet. Nam ut taceam ridiculas interpretationes nominum Hebraicorum, quas persæpe refert Homilia prima, cum genealogiam Christi explicat, nescio unde expiscatus sit illa quæ de filiabus Adami eadem homilia dicit : « Vis autem scire quomodo aliquando licuit et sorores habere uxores, quomodo habuerunt Cain et Abel? Hæc nomina filiarum Adam, quas in initio habuit post Cain et Abel, Rifam et Edoclam; et non peccaverunt, quia peccatum illud raritas hominum et necessitas excusabat. »

Commemorat autem Anonymus librum nomine Seth, unde mutuatus illa esse videtur apocrypha et insula, quæ de magis deque monte Victoriali narrat. Homilia vero decima quarta circa finem orationi Dominicali hæc verba adjicit : *Quoniam tuum est regnum et virtus et gloria.* Quæ alibi etiam commemorari puto. Nihil mirum ergo, si talis homo, apocryphis gaudens, librum etiam Pastoris et Clementinas adhibeat. Quæ etiam apocrypha opuscula non nulli sanctorum Patrum adhibuerunt.

Anonymus hic in *secretioribus libris* scriptum esse dicit Homil. 4 paulo ante medium, Joannem Baptistam a Christo baptizatum fuisse.

## ERUDITI COMMENTARII IN EVANGELIUM MATTHÆI, INCERTO AUCTORE, Prologus<sup>1</sup>.

Sicut referunt, Matthæum conscribere Evangelium causa compulit talis. Cum facta fuisset in Palæstina persecutio gravis, ut periclitarentur dispergi omnes<sup>2</sup>, et carentes forte doctoribus fidei, non careret doctrina, petierunt Matthæum, ut omnium verborum et operum Christi conscriberet eis historiam, ut ubicumque essent futuri, totius secum haberent fidei statum. Quod autem ab humana ejus cœpit nativitate, et humanam ejus generationem exposuit, compulit impia impudentia Judæorum, denegantium Jesum Christum de David semine ducere genus. Corpus autem narrationis suæ ordinavit hoc modo : primum nativitatem, deinde baptismum, tertio tentationem, in quarto doctrinam, in quinto miracula, in sexto passionem, in septimo resurrectionem, et ascensionem ejus; non solum historiam de Christo exponere volens per hæc, verum etiam evangelicæ vitæ statum docere : quoniam nihil est quod ex parentibus nascimur, nisi iterum per aquam et Spiritum sanctum renati fuerimus ex Deo, quoniam quod ex carne nascitur, caro est; quod autem de spiritu, spiritus est (Joan. 3. 5. 6). Post baptismum autem necesse est contra diabolum stare, quoniam ad hoc quisque ungitur. Et reedificatur in baptismo, ut contra tyrannum suscipiat bellum. Post hæc, quasi omni superata tentatione, factus idoneus ad docendum, si quidem sacerdos est, doceat : et quia miraculorum faciendorum non est semper necessitas, doctrinam suam bonæ vitæ, quasi miraculis, factis commendat. Si autem laicus est, operibus doceat fidem : operibus se et hominibus commendat, et Deo. Deinde quia non possumus aliter exire de mundo, nisi solutum fuerit corpus, per quod ingressi sumus in mundum, necesse est exire nos de hoc stadio mundi. Et quoniam omnis vita nostra tentatio fuit, restat ut tentationis victoriam resurrectionis merces sequatur et gloria. Matthæus sanctorum quidem, præcipue tamen peccatorum evangelista, qui non solum sermone, sed etiam ipsa vitæ suæ correctione peccatoribus evangelium prædicavit. Numquam enim telonearius constitutus, qui consueverat pecunias colligere perituras, factus fuisset evangelista, ut sermones conscriberet in æternum mansuros, nisi ut

suo exemplo peccatores ad misericordiam poenitentiae invitaret : qui aliquando fuit caustus logotheta rationum terrenarum, nunc autem diligentissimus est dispensator spiritualium præceptorum. Tunc multos pauperes fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles divites facit prædicando justitiam, ut magnificemus Dominum propter eum voce prophetica, dicentes : *Hæc commutatio dexteræ Excelsi (Psal. 76. 41).*

*Homilia prima ex capite primo.*

*Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Liber est quasi apotheca gratiarum. Sicut enim in apotheca divitis alicujus omnis homo quod desiderat invenit : sic et in isto libro omnis anima quod necessarium habet invenit. Quid est quod ait, *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham?* Et quomodo dicit Isaias propheta, *Et generationem ejus quis enarrabit (Isai. 53. 8)?* Sed ille divinam generationem ejus inenarrabilem esse pronuntiat, iste autem carnalem exponit. Propterea non dixit, *Jesu Christi filii Dei* : sed *Filii David, filii Abraham.* Et quare Joannes statim in principio Evangelii sui divinitatis ejus monstravit naturam dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (Joan. 1. 1)?* Quoniam Joannes, inter gentes in exilio constitutus, Græco sermone Evangelium causa gentium scripsit : quæ non cognoscebant si Deus Filium habet, aut quomodo genitum habet : idcirco superfluum erat primum incarnationis ejus mysterium gentibus demonstrare, cum illum ipsi quis esset nescirent : ideo necessarium fuit primum illis ostendere, quia est Filius Dei Deus : deinde in sequentibus, quia carnem suscepit, dicens : *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Ibid. 1. 14).* Matthæus autem Evangelium Judæis Hebraico sermone conscripsit, sicut jam diximus supra, ut Judæi legentes ædificarentur in fide. Judæi enim semper cognoscebant, quia est Filius Dei, et quomodo est Filius Dei. Superfluum ergo erat exponere eis divinitatis ejus naturam, quam ipsi optime cognoscebant; necessarium autem fuit mysterium incarnationis ejus ipsis ostendere. Quare autem non illi sufficit dicere illum filium Abraham solius, aut David solius? Quia ad ambos de Christo nascituro ex eis, promissio fuerit facta. Ad Abraham quidem sic : *Et in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (Gen. 22. 18)* : quod intelligi non potest nisi in Christo, quoniam inter cæteros Judæos et gentes nunquam amicitia stabilis fuit. Ad David autem ita dicit : *Juravit autem Dominus David verita-*

<sup>1</sup> Titulus in Codice Vallis Dei Carthusianorum : *Incipit originale S. Joannis Chrysostomi super Matthæum.* Alter titulus ibidem : *Incipit Commentarius sancti Joannis episcopi in S. Matthæo Evangelista.*

<sup>2</sup> Cod. V. D., *dispersi omnes, quæ lectio non spernenda. Alii, dispersi omnes.*

tem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (Psal. 131. 41). Ideo ergo utriusque filium dicit, ut utriusque promissiones in Christo impletas ostenderet. Deinde quia Christus tres dignitates fuerat habiturus, rex, propheta, sacerdos; Abraham autem habuit duos filios, et duas dignitates: propheta enim fuit, et sacerdos, sicut Deus ad illum dicit in Genesi: *Accipe vaccam triennem* (Gen. 15. 9), etc., propheta autem, sicut ait Dominus ad Abimelech de illo: *Quoniam propheta est et orabit pro te, et salvus eris tu, et domus tua* (Ibid. 20. 7); ideo ergo dictus est filius Abraham et David, ut propheta quidem intelligatur et sacerdos ex Abraham, rex autem ex David. Item ideo non dictus est tantummodo David filius, quia David rex fuit et propheta, sacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborum filius nominatus est, ut utriusque patris triplex dignitas originali jure cognosceretur in Christo. Sed quare prius David nominavit, cum Abraham præcedat in tempore? Prima ratio et simplex hæc est: cum propositum esset evangelistæ ex Abraham generationes Domini numerare, si prius dixisset eum filium Abraham, postea autem David: necesse habebat iterum reverti ad Abraham, et in ipso loco bis eum numerare<sup>1</sup>. Altera autem ratio est, quia regni dignitas major est quam naturæ. Nam etsi Abraham præcedebat in tempore, David tamen præcedebat in dignitate. Et quomodo major fuit David, quam Abraham, cum quandoque David reprehensus est in peccato? Sed audi, quoniam David de nimia justitia sua confidens dicebat: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis* (Psal. 7. 4). Item, *Iniquitatem si consepici in corde meo, non exaudiet Deus* (Psal. 65. 18). Ergo dimissus est, ut circumveniretur a carne: non ut injustitia ostenderetur ejus, sed ut ejus jactantia compereretur. Abraham pater fidelium, quem Deus voluit exemplum esse sanctorum, dicens ad eum: *Exi de terra tua, et de cognatione tua: et veni in terram, quam tibi demonstrabo* (Gen. 12. 1); ut sciant omnes homines, quicumque voluerint esse filii Abraham, et terram illam vivam promissionis accipere, de qua scriptum est: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (Psal. 26. 13): quoniam bona sua debent contemnere, sicut Abraham terram suam contempsit, et parentes suos carnales dimittere, sicut ille cognationem suam dimisit. Qui autem Abraham imitari noluerint, non possunt esse filii Abraham. *Abraham autem genuit Isaac*, qui interpretatur risus. Risus autem sanctorum est, non stulta cachinnatio labiorum, sed rationale gaudium cordis, qui fuit per omnia mysterium Christi. Sicut enim ille Isaac, desperantibus jam parentibus, in ultima senectute donatus est lætitia suis, ut cognoscatur, quia non erat filius naturæ, sed gratiæ: sic et noster Isaac in novissimo fine productus est a matre Judæa gaudium cunctis, sicut dicit angelus ad pastores: *Eccc evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni plebi* (Luc. 2. 10). Unde ait Apostolus: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, natum sub lege*<sup>2</sup> (Gal. 4. 4). Sed iste per virginem, ille de anu, ambo extra spem naturæ. Ille postquam mater ejus parere posse cessaverat, iste priusquam mater ejus parere posse inciperet. Sed ille de ancilla ideo jam deficiente, iste autem de virgine incorrupta: quia ille Isaac filios fuerat generaturus in lege corruptenda, iste autem in gratia permanens. Sicut illum mater nescivit, quando ducebatur ad immolandum, sed postquam reversus est cognovit quia erat oblatus: sic istum synagoga non cognovit esse Filium Dei, cum ducebatur ad mortem; sed postquam resurrexit a mortuis, tunc cognoverunt eum Judæi. Sicut ille ligna portavit, ubi fuerat incendendus: sic et iste lignum portavit, ubi fuerat crucifigendus.

Sicut ille non restitit Abraham, cum vellet eum occidere, sed dixit, Pater mi, liga mihi manus et pedes, nequando insurgam in impugnationem: sic et ille non contradixit Patri, sed paratus respondit, *Si possibile est, transeat a me calix iste: sed non sicut ego volo, sed sicut tu, Pater* (Math. 26. 39). *Isaac autem genuit Esau et Jacob*, in figura duorum sæculorum<sup>3</sup>. Esau a capite usque ad pedes totus pilosus, sæculum primum hoc significat, quod ab initio usque ad finem totum quasi asperrimis pilis iniquitatum repletum est. Jacob autem totus speciosus et nitidus, futurum sæculum significat, quod totum pietatis decore fulgebis, et non invenietur in illo aliqua asperitas aut nigredo peccati. Et quemadmodum cum de utero matris suæ exiret Esau, tenuit plantam ejus Jacob: unde Hebraice Jacob appellatus est, id est, supplantator: mox enim ut illius pedes egressi sunt, istius caput apparuit: sic et in fine sæculi istius statim illius sæculi principium apparebit. Et quemadmodum Esau persequatur Jacob, sic filii sæculi hujus persequuntur filios sæculi illius: et sicut ipse, ita et filii ejus, non resistendo sed fugiendo superant malos. Nam quemadmodum tunc mater avidit Jacob, dicens ei: *Fili, audi me et fuge in Mesopotamiam, donec quiescat ira fratris tui* (Gen. 27. 43. 44): sic et Ecclesia filios suos quotidie docet, cum persequentionem patiuntur, dicens: *Si vos persequuti fuerint in civitate ista, fugite in alteram* (Math. 10. 23); et, *Date locum iræ* (Rom. 12. 19). *Jacob autem genuit Judam et fratres ejus*. Et noster Jacob genuit duodecim apostolos in spiritu, non in carne: verbo, non sanguine. Nam sicut ille cum suis duodecim descendit in Ægyptum, ut multiplicaretur: sic et Christus cum suis duodecim apostolis descendit in mundum, et multiplicatus est per totum mundum, sicut res ipsa testatur. Item sicut ille descendit, ut medullam Ægypti manducaret: sic et Christus cum suis apostolis intravit in istum mundum, ut medullam hujus mundi manducaret, id est, acquireret sibi. Medulla enim hujus mundi sunt homines sancti. Sicut enim medulla quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret; cum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur: et sic quamdiu sunt fideles, stat iste mundus. Nam sicut egredientibus Israelitis de Ægypto, exterminata est Ægyptus: sic et sancti cum de isto mundo defecerint, casurus est iste mundus. Judas autem interpretatur confessor, quoniam Christi erat imago, qui confessor Patris erat futurus, dicens: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ* (Luc. 10. 21). Quia sicut Judas meretrici conjunctus est, et dedit illi virgam et annulum: sic et Christus ecclesie meretrici ex gentibus se conjunxit, et dedit illi pro mercede conjunctionis virgam crucis, et annulum Spiritus sancti per baptismum, quasi signaculum fidei præcedentis, quem etiam alibi lascivo filio revertenti dari præcepit pater benignus. Et ideo forsitan Thamar, uxor ejus, interpretatur immutata, vel exacerbatio: quia et in ipsa habet intellectum convenientem et in Ecclesia. In ipsa quidem, quia cum esset casta, in meretricem se immutavit, et facta est exacerbatio Judæ in ira, sicut Genesis liber testatur. In Ecclesia autem, quia fuerat ecclesia meretrix, et exacerbatio Dei, postmodum autem immutata per fidem Christi facta est casta. *Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar*. In mysterio Judaici populi et gentilis. Zara enim primus ex utero egressus apparuit, obstetrix autem ligavit illi coccum ad manum, signans populum Judaicum rubricatum sanguine circumcisionis. Retracto autem Zara processit Phares: interclusa est enim caro in qua Zara erat inclusus; hæc autem in qua Phares erat inclusus, ad aperta est, ideo et processit primum (Gen. 38. 27-30). Sic Judaicus populus primus apparuit in luce fidei, quasi de vulva tenebrosa mundi procedens, et ideo signatus est cocco circumcisionis, putantibus omnibus, quia ipse

<sup>1</sup> Sic V. D., quam lectionem etiam in margine habent Editi.

<sup>2</sup> Codex V. D. habet, *factum ex muliere, factum sub lege*, et sic notatur in margine prius Editorum.

<sup>3</sup> Ita V. D. et prius Editi in margine, atque hæc videtur esse vera lectio. Editi in textu, *populorum*.



populus Dei erat futurus primus. Sed quid? Posita est ante faciem ejus lex, quasi sepes, ut impediret justitiam ejus. Nam lex impedit fidem, non adjuvat, sicut scriptum est: *Priusquam veniret mandatum, peccatum quidem mortuum erat, ego autem vivebam: postquam venit mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum* (Rom. 7. 9. 10). Sic ergo impeditus est populus Judaicus per legem, ut non ad justitiæ lucem veniret: sed subito temporibus Christi rupta est sepes legis, quæ erat inter Judæos et gentiles, sicut ait Apostolus, *Medium parietem maceræ solvens* (Ephes. 2. 14): sic factum est, ut ethnicus populus, qui primum, Judaico populo apparente, quasi in vulva tenebrosi mundi tenebatur inclusus: postquam rupta est lex per Christi mandata, excluso Judaico populo, iste primus processit ad fidem, et postea sequitur Judaicus populus, sicut ait Apostolus: *Ecce mysterium vobis dico. Ex parte cæcitas in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet* (1. Cor. 15. 51. Rom. 11. 25. 26). Sive autem Zaram quis dicat in figuram populi fuisse gentilis, qui primum per prophetas demonstratus apparuit, et ab eisdem prophetis dominici sanguinis cocco signatus est. Dum enim per Christi sanguinem regenerandus prophetizabatur, cocco dominici sanguinis signabatur: Phares autem in figura Judaici populi, qui sepe legis excluso populo gentili, primus processit, illo postea sequenturo: maceria legis sublata, non incongrue dicitur: propter quod et nominatus est ille Zaram, quod est oriens, vel nobilis. Iste autem Phares, quod est præcisio, quoniam populus Christianus semper oriens erat futurus, semper illustris: Judaicus autem interjectu legis præcisus ab eo. Et videtur quidem Judas ex incesto nurus suæ Thamar conjungo filios suscepisse, revera autem neque ex meretrice. Meretrix enim non fuit, quia propter amorem seminis Israel fixit se meretricem, cum non esset. Nurus autem non fuit, quia nullus filiorum Judæ habit eam: nam primus filius Judæ, cum Judas, suo ipsius experimento exterritus, noluisse ei accipere conjugem ex filiabus Chananaeorum, sed dedisset ei Thamar ex filiabus Aram, mater autem ejus, cum esset Chananaea, hortaretur eam accipere ex genere suo: ille consilio matris usus, non contigit eam, propter quod et percussit eum Dominus malignantem. Alter autem filius, audito quod fratri suo semen fuerat suscitatura, non sibi, semen suum effudit in terram, propter quod et ipse percussus est. Et sic factum est, ut Thamar virgo maneret. Hæc autem ita de filiis suis gesta cum nesciens Judas diu lamentaretur, et plangeret, poenitens quia nefandum opprobrium cum nuru sua, ut putavit, fecisset in Israel, et diu precaretur Deum, nec luctus sui terminum faceret, adstitit ei angelus Domini, et hæc omnia exposuit ei, sicut fuerant gesta, et consolatus est eum. Judas autem tantæ fuit religionis, ut et postquam cognovit non eam fuisse uxorem filiorum suorum, non acquieverit ei appropinquare: quoniam etsi quantum ad Deum ipsa non erat nurus, tamen quantum ad scientiam hominum nurus videbatur. Providebat enim bonum, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Phares autem genuit Esrom*. Quoniam quidem causa et ratione providentialique Dei posita sunt hæc nomina, credimus, maxime cum essent hi principes generis electorum: quia autem causa et ratione posita sunt, vere ipsi scierunt, qui posuerunt, et Deus, cujus providentia ponebantur. Nos vero quod intelligere possumus in nominibus ipsis, hoc loquimur, maxime cum nullam scripturam canonicam de istis personis habeamus. Esrom enim, sicut Hebræorum sermonum nominum interpretes dicunt, interpretatur, jaculum videns. Jacula autem sunt inimici, omnes passiones carnales, quas intrinsecus diabolus jaculatur in animam, et omnes tentationes adversitatum, quæ proventerint fidelibus extrinsecus jaculante diabolo. Omnes deinde homines iniqui, quos vel contra veritatem, id est Dei voluntatem, vel contra servos ejus excitat

inimicus, jacula ejus sunt, de quibus omnibus dicit Apostolus: *Ante omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula maligni ignea extinguere* (Ephes. 6. 16). Qui ergo videns est jaculum, vigilans est contra versutias inimici, et de longe prospicit jacula ejus, et cavet, aut scuto fidei suscepto retorquet ad Dominum. Vult ergo Dominus omnes servos suos videntes esse jacula super se venientia. Qui autem non videt ea super se venientia, quomodo ea declinet? Potest et aliter homo justus jaculum videns intelligi, ut sit ipse jaculum videns Christi, cum et ipse Christus dicatur jaculum Patris, Isaia dicente: *Qui posuit me sicut sagittam electam in pharetra sua* (Isai. 49. 2). Iste ergo vir fidelis, et jaculum Christi, et missus a Christo: et jaculum est, non irrationabile, sed rationale: et videns, ut sciat ipse quæ debet contingere, et quæ pertransire. *Esrom autem genuit Aram*. Aram interpretatur visio eorum, vel irritatio eorum, vel elatus, aut lux eorum. Sicut nominum istorum significatio dat intelligere: æstimo quod in tempore istius Aram, filii Israel in Ægypto valde erant multiplicati et elati, et refulgentes. Et multiplicatio eorum zelabilis facta erat in oculis Ægyptiorum, et irritatio erat facta ipsorum, secundum quod in Exodo scriptum est: *Ecce genus filiorum Israel multiplicatum est super nos; venite ergo, circumveniamus eos* (Exod. 1. 9. 10). Et in tempore ejus forsitan gementes eos sub depressione Ægyptiorum Dominus vidit, sicut scriptum est: *Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum ejus audivi* (Exod. 3. 7). Idcirco secundum providentiam Dei tale nomen ei impositum est, vel quia irritaverunt Ægyptios valde crescentes, atque elati; vel quia vidit eos Dominus ingemiscens et laborantes. Et ex consideratione temporis ipsius credibilis res est. Nam tribus modis circumvenerunt filios Israel: primum in opere luti, deinde per obstricentes, tertia vice ut expositos facerent infantes suos, in quo tempore natus est Moses. Denique ipse Aram Aminadab filiam accepit uxorem, sororem Naason. Inter circumventionem ergo unam, et inter circumventionem alteram non nisi<sup>1</sup> ut aliquot transacti sint anni. Et ita fit, ut recte multiplicatio filiorum Israel in tempore Aram zelabilis facta fuisse intelligatur, et afflictio ei supervenisse, et Dei visitatio eum perspexisse. Convenienter autem Aram, qui erat irritatio Ægyptiorum, vel visitatio ipsorum, vel lux eorum, genuit filium Aminadab, qui interpretatur, vel gens desiderata, vel populi mei voluntarii. Nec enim facta fuisset super eos visitatio Dei, nisi gens desiderata fuisset, et populi voluntarii. Neque fuisset irritatio Ægyptiorum, nisi desiderabiles et voluntarii Deo fuissent: et usque nunc qui desiderabiles sunt, et voluntarii Deo, illi sunt zelabiles, et irritant ad invidiam sui tenebrarum viros. Idipsum autem est voluntarium esse populum, et gentem esse desiderabilem. Qui enim voluntarius est Deo, et dicit, *Voluntarie sacrificabo tibi* (Psal. 53. 8), ipse est et desiderabilis apud Deum: et qui desiderabilis est Deo, sine dubio voluntarius est: quia non omnino subjectionem hominum diligit Deus, aut famulatum, sed voluntariam subjectionem, et voluntarium famulatum. Natura enim omnes sub Deo sunt, quoniam et a Deo creati sunt. Voluntate autem non omnes sunt Dei, quia secundum opera diabolo se substrunt. *Aminadab autem*, qui erat voluntarius populus, vel gens desiderata, genuit *Naason*, qui interpretatur refectionis, id est requies. Vere enim quicumque est voluntarius Deo, et præbet se desiderabilem apud Deum, generat sibi refectionem et requiem. Congruè autem Naason, in cujus tempore filii Israel de Ægypto exierunt, qui et princeps factus est super tribum Judæ, refectionis et requies est nominatus, quoniam in tempore illius de servitute Ægyptiorum violentorum et de laboriosis operibus luteis liberati requieverunt, et refectionem consequuti sunt in deserto et corporis et animæ: corporis quidem, quia ad libertatem venerunt corporalem; animæ autem, quia

<sup>1</sup> Idem in marg., non vis.



post immundas culturas Ægyptiorum ad notitiam perducti sunt Dei viventis. Sed et columbinus, et serpens interpretatur Naason, forsitan quia prudens erat in bono, sicut serpens; simplex autem in malo, sicut columba. Hic autem Naason, ut diximus, exivit de terra Ægypti, qui fuit princeps tribus Judæ: sicut res ipsa ostendit. Nec enim poterat iste fieri princeps, si pater ejus vixisset, nisi forte aliquis dicat sic Aminadab semen exstittisse, ut non posset gerere principatum: quod non testimo verum. Quod ergo dicitur in Exodo, quoniam quinta generatione filii Israel de Ægypto exierunt, secundum generationes invenitur tribus Levi. Jacob autem genuit Levi, Levi autem genuit Gad<sup>1</sup>, Gad autem genuit Amram, Amram autem genuit Moysen et Aaron. Quatuor itaque generationibus defunctis in Ægypto, usque Amram, exivit generatio quinta, id est Moyses et Aaron. Secundum generationes autem tribus Juda septima generatio de Ægypto videtur exisse, sex generationibus defunctis in Ægypto (1. Paral. 6): id est, Jacob, Juda, Phares, Esrom, Aram, et Aminadab: septimus autem egressus est Naason. Puto autem hoc, quod tribus Juda magis multiplicabatur præ omnibus tribubus. Tribus autem Levi non sic multiplicabatur, quia Levitæ circa templi obsequium, ubi pauci suffecerunt, necessarii tantum erant, sicut et Numerorum liber testatur. Tamen si rationis est, quod Enoch, qui transatus est, in septima generatione sit natus: si rationis est quod Noe in generatione decima ab Adam, qui mysterium fuit Christi: si rationis est, quod scilicet in decima generatione natus est Abraham a Noe: si rationis est, quod de Abraham usque ad legem, id est usque ad Moysen, septem generationes habentur: sine dubio et hoc rationis est, quoniam secundum quidem tribum Levi in quinta generatione egressi sunt de Ægypto, secundum autem tribum Juda in septima. In tribu ergo Levi, quia generatio quinta exivit, defunctis in Ægypto quatuor, hoc puto mysterium, quoniam omnis homo ex quatuor elementis creatur secundum corpus, id est, ex terra, ex aere, ex igne, ex aqua: post hæc autem per baptismum regeneratus fit filius Dei. In quo ergo quatuor elementorum generationes moriuntur in mundo, ille vero per baptismum in quinta generatione spiritus exit de mundo: hoc est, qui mortificavit membra sua super terram (Col. 3. 5), sicut ait Apostolus, quæ ex quatuor elementorum generationibus consistunt, ut non jam in carne sit, sed in spiritu, ille exivit ad perfectum de mundo. Et nemo egredietur vere de mundo, nisi qui, mortificatis illis quatuor generationibus, cœperit esse in quinta: ut etiam ad eum dicat Apostolus, *Tu autem in carne non es, sed in spiritu* (Rom. 8. 9). Et hic ergo in tribu Juda. Alia quidem videtur esse species rationis, tamen pene eadem ratio est. Sextus enim numerus mysterium habet operis et laboris, propter quod et Deus omnia visibilia in sex diebus operatus est, et requievit in septima: septimus autem numerus mysterium indulgentiæ, et otii, et requiei: sicut in multis diximus locis. Qui ergo transit omnia visibilia, et relinquit post se quæcumque intra sex dies creata sunt, hoc est, universum mundum hunc corruptibilem, et implet quod mandat Joannes in Epistola sua canonica, dicens: *Filioli mei, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (1. Joan. 2. 15): ille in septima die est, hoc est, in Christo, et requie est; Christus enim est requies nostra, sicut dicit de Judæis minime intraturis in eam propheta David: *Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (Psal. 94. 11). Ille otiiatur ab universo opere mundi, qui et sabbatizat a malis sabbatum sanctum, ille et meretur indulgentiam: si aliquod gessit humanum, ille exivit de mundo. Qui autem in mundo est, nunquam in septima requie est, nec otiiatur a malis unquam, nec sabbatizat. Et qui in septima requie est, ille non est de mundo: qui autem in mundo est, indulgentia dignus non est. Vide quam

prudenter secundum rationes, quas diximus, Levitæ quidem in quinta generatione exiit de Ægypto: regales autem in septima, quoniam regales modicum aut multum plerumque delinquant, ipsa potestate cogente, et difficile est eos esse sine delicto perfectos: propterea si moderate deliquerint, indulgentia digni efficiuntur. Levitæ autem, et viri religiosi sacerdotes, perfecti et spirituales, et sine macula esse debent. Ideo quæritur in illis, ut quatuor generationibus illis omnino mortificatis in corpore, in quinta generatione mundi consistant: nihil, si possibile est, carnis habentes in se, nisi quod vitam sustentet, sicut dicit Apostolus: *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (1. Tim. 6. 8). *Natum autem genuit Salmon*. Salmon autem interpretatur, accipe vas. Iste Salmon accepit uxorem nomine Raab. Hæc autem Raab ipsa dicitur fuisse meretrix de Jericho, quæ suscepit exploratores, et legatos filiorum Israel: et cum quærentur a rege Jericho, ut occiderentur, abscondit eos in superiori parte domus suæ, et servavit incolumes; audiens autem facta filiorum Israel, dilexit Israel amplius quam propriam gentem. Et dupliciter mihi res ista credibilis esse videtur. Primum, cum esset Salmon nobilis inter filios Israel, et quia de tribu Juda erat, et quia filius principis, vidit Raab illam fidelem sic conversam ad bonum, et a Deo dilectam, et deductam de Jericho secundum Dei præceptum, et computatam inter filias Israel, quasi magnam illam aliquam constitutam, meruit accipere Salmon in uxorem. Deinde credo, et propter rationem spiritualis mysterii: quoniam Raab illa meretrix figura fuit Ecclesiæ, quæ cum fuisset ex gentibus meretrix et culturis idolorum commaculata suscipiens speculatores Jesu Christi, id est apostolos, in domum pectoris sui per verba ipsorum, abscondit eos sursum in memoria capitis sui, ut non inveniret eos principes mundi diabolus, nec perderet eos, qui signo rubri sparti<sup>1</sup>, et per fenestram demissi, quasi per indicium dominicæ passionis salvata, et e ducta de mundo, et castificata, facta est sponsa Christi. Salmon iste decimus est ab Abraham. Semper autem decimus numerus, quia numerus est perfectionis, mysterium habet Christi perfecti: propter quod et prima litera nominis Jesu tota habet, decem d-notans: ergo et quia Salmon in numero fuit mystico Christi, et illa in mysterio fuit Ecclesiæ, non sine ratione credimus ipsam fuisse Raab, et accepisse eam Salmonem. Forsitan autem ideo et interpretatur Salmon, accipe vas, quasi per ipsum nomen invitabatur a providentia Dei, ut acciperet vas electionis Raab. Nam sicut Paulus, cum fuisset persecutor, dignus probatus in apostolatu, vas electionis factus est Deo (Act. 9. 15): sic et Raab cum fuisset meretrix, et gentilis, digna æstimabatur a populo Israel, et esset conjuncta Salmoni. Vel spiritualiter, conjugio Christi, quia vas electionis facta est Christo: huic mysterio utrumque meretricis illius convenit nomen. Prius enim dicebatur Raab, quod interpretatur latitudo, vel dilatata: aut quia ex omnibus finibus terræ vocata Ecclesia, gentium latitudo appellabatur: aut dilatata, quia credens ex toto orbe terrarum in toto fundata est mundo. Hæc autem Raab, postquam nupsit Salmon, nominata est Rachab, quod interpretatur ascensio. Vere enim sicut corporaliter Rachab illa ascendit, facta una ex filiabus Israel, et dignificata conjugio talis viri, sic et spiritualiter ista ascendit: quia cum fuisset Ecclesia cultrix antea idolorum, facta est socia angelorum, et sponsa Christi, et filia Dei. Salmon ille, qui interpretatur accipe vas, qualem filium genuit ex Rachab? Booz qui interpretatur in virtute, vel virtus in ipso, sive prævalens, qui secundum imperium Dei accepit uxorem Ruth a Deo provisam: in virtute generat filios, et in seipsis virtutem habentes, et prævalentes. Qui autem recipiunt uxores ex provisione diaboli, id est, non reli-

<sup>1</sup> In Bibliis, *Caath*.

<sup>1</sup> Montef. habet, *rubri sparsi*. Nos vero, juxta textum libri Jos. 2. 18, scripsimus, *rubri sparti*.

gionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec praevalentes umquam nec fortes nisi in malo, et ad peccata irreligionis suae, non ad gaudium, nec ad consolationem videntur filios genuisse. Hic itaque Booz accepit uxorem Moabitidem nomine Ruth (*Ruth.* 4). Quomodo accepit eam, exponere existimavi superfluum, cum de his Scripturasit omnibus manifesta. Hoc autem dicimus solum, quoniam et Ruth pro merito fidei suae nupsit Booz, quia propriam gentem contempsit, et terram, et genus, et elegit Israel, et non despexit socrum viduam simul et peregrinam, desiderio ducta generis ejus magis quam sui. Deus patrum suorum repulit, et Deum viventem elegit, talibus verbis dicens ad socrum suam: « Noli obviare mihi, ut relinquam te, quoniam ubicumque ieris, ibo: et ubicumque manseris, manebo. Populus tuus, populus meus est: et Deus tuus, Deus meus est: ut ubicumque mortua fueris, moriar, et ibi sepeliar. Hoc faciat mihi Deus, et hoc augeat, si non sola mors separaverit inter te et me » (*Ruth.* 1. 16. 17). Ergo Booz pro merito suae fidei illam accepit uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Nam Booz senior constitutus, non sibi uxorem accepit, sed Deo: non propter passionem corporis sui, sed propter justitiam legis, ut suscitaret semen proximo suo: non magis amore quam religione ferventior: aetate senex, juvenis autem fide, et ideo forsitan nominatus est in virtute, vel virtus in ipso praevalens. Quoniam qui secundum aetatem ad ineundum conjugium est in virtute, non est nominabilis et laudandus, quia est in virtute: sed qui extra aetatem conjugalem jam factus, accepit ex religione virtutem ad conjugium ineundum, sicut iste Booz, ille laudabilis et nominabilis est, quia existit in virtute, et illius talis viri virtus in ipso est. Juvenis enim virtus non est in ipso, sed in juventute corporis ejus, ideo et postmodum exhausta marcescit. Qui autem in anima sua fidei habet virtutem, sicut et habebat Booz, illius virtus in ipso est, et ideo in senescibilis est. Consequenter et Ruth inspiratio est appellata. Nam nisi inspiratio Dei fuisset in ea, non dixisset quae dixit, nec fecisset quae fecit. Quid primum laudatur in ea? dilectio generis Israel, aut simplicitas, aut obedientia, aut fides? Dilectio quidem generis Israel, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israel, et una fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem juvenem potius appellasset. Quoniam autem non lasciviae suae, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quam juvenilem aetatem. Simplicitas autem, quia ultronea sub pallium ejus ingressa est, nec cogitavit ne forte sperneret eam quasi viri justus lascivam puellam, aut ne deluderet eam: et quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt multi: sed obaudiens facta socrus suae consiliis, confidenter credidit quia prosperaturus fuerat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata. Quid autem et in Booz praedicatur? Humilitas, castitas, et religio. Humilitas quidem et castitas, quia non contigit eam quasi lascivus puellam, nec abhorruit eam quasi castus lascivam: sed mox ut verbum ejus de lege proximitatis audivit, nihil horum omnium lasciviae imputavit, sed universa religioni adscripsit. Nec despexit quasi dives pauperem, nec veritus est quasi maturus adolescentulam, sed paratior fide quam corpore, mane processit ad portam, et provocavit quemdam ex genere, quem jure proximitatis aestimabat propinquorem: obtinuit, praevaluit non tantum jure proximitatis, quantum Dei eligentis favore, idcirco forte praevalens dictus est. Talis ergo Booz ex tali conjuge Ruth qualem filium genuit? Obeth, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui divitias eligunt, et non mores, pulchritudinem, et non fidem, et quod in meretricibus solet quaeri, hoc in conjugibus optant, propterea non generant filios subditos vel sibi, vel Deo, sed contumaces et contra se, et contra Deum,

ut filii eorum non sint fructus justae conjunctionis eorum, sed poena condigna irreligiositatis ipsorum. Iste autem Obeth, qui subditus dicebatur, quid genuit? Jesse, id est refrigerium. Jesse enim Latino sermone refrigerium appellatur. Nam vere quicumque subditus est Deo, et parentibus suis, tales filios generat, Deo praestante, a quibus refrigeretur: quoniam qui honorat patrem, honorabitur a filiis suis (*Ecclesi.* 3. 6): qui autem contumaces existunt, aut in Deum, aut in parentes, generantes non refrigeria sibi generant, sed dolores, ut a filiis suis recipiant quod fecerunt in parentibus. Adhuc aestimo propter Obeth, qui subditus est nominatus, et propter Jesse, qui refrigerium est dictus, ne forte in diebus Obeth filii Israel propter delicta sua traditi erant sub potestate gentis ejusdam, sicut in libro Judicum frequenter legimus factum. Et quoniam subditi facti fuerant cuidam genti, convenienter in tempore illo natus Obeth subditus est appellatus. Jesse autem, sicut ex parte colligere de scriptura Regnorum potuimus, quot annorum David appropinquare coepit Saüli, jam tot annis regnante, pene secundum tempus exstitit Samuel, sub quo iudice et propheta placentes per omnia Deo filii Israel et corporaliter refrigerati sunt, et ab Allophylis liberati, et spiritualiter bene agentes, et ideo forte Jesse refrigerium est appellatus. *Jesse autem genuit David regem.* Quia Deus in generatione justorum est, et generatio rectorum benedicetur. De David autem numquid tantum dicere possumus, quantum scriptura Regnorum? Idcirco praetermittentes omnia, hoc dicimus solum, quia et Jesu Christi imago fuit David. David autem interpretatur sufficiens manu, vel dilectus, sicut et Christus fuit, et in bello fortis, et potens, et patri dilectus, et in actibus suis, et in misericordia, et in mansuetudine sua prophetatio fuit Christi. Et quid dicam in actibus suis justis, aut in persecutionibus suis injustis? In ipso etiam peccato suo pessimo, Christi et Ecclesiae mysterium fuit. Sicut enim David cum esset in solario suo excelso lætus, vidit speciosam Bersabee, cum lavaretur, et concupivit eam, et habuit, cum adhuc esset in conjugio viri alterius Ethel<sup>1</sup>: sic et Christus cum esset in caelo suo altissimo, adhuc lætus in sua divinitate, vidit Ecclesiam gentium speciosam secundum cor, displicentem sibi in sordibus errorum suorum, et bonis operibus se diluentem, cum adhuc diaboli esset conjunx, vidit eam, et concupivit, et habuit prius. Post hæc autem descendens in mundum, sicut David postea, interfecto Uria, uxorem ejus sibi in conjugem sumpsit: sic et Christus destructo diabolo, subditas ei gentes traxit in conjugium suum. Nam sicut David primum Bersabee habuit cum adhuc esset sub proprio viro, postea eam legitimam uxorem accepit (*2. Reg.* 11): sic et Christus et tunc fecit Ecclesiae, et modo facit omni animæ rectæ. Nisi enim Deus prius habuerit aut Judæum, aut gentilem, impossibile est, ut adducat eum ad fidem suam, ut puta Cornelium adduxit ad fidem suam per ministerium Petri (*Act.* 10): sed antea habuit animam ejus, operans in ea orationes assiduas et eleemosynas multas, sicut Actus apostolorum testantur. Centurionem vocavit ad fidem suam (*Matth.* 8), sed prius cum adhuc esset sub diabolo, habuit animam ejus, operans in ea dilectionem gentis Dei, et edificans synagogas: sic quod diabolus facere videmus. Impossibile est, ut aliquem Christianorum ad perfidiam trahat, nisi prius cum adhuc sub Christo esset, habuerit animam ejus, et operatus fuerit in ea proprium opus, et probaverit consensum ipsius. Ecce Judam, priusquam disjungeret eum a Christo, et sibi conjungeret, prius habuit eum, operans in eo cupiditatem pecuniarum, et furta. Postquam vero delectatus est in conscientia sua sibi conuenienti, tunc compulit eum tradere Christum, et transire ad sua. Bersabee autem interpretatur filia potentis, quod nomen secundum mysterium Ecclesiae habet idoneam rationem. Ecclesia enim nupta nostro

<sup>1</sup> V. D., conjugio alicujus Ethel.

David, filia facta est Dei omnipotentis, quæ prius filia diaboli videbatur fuisse. Adhuc interpretatur Bersabee, e littera duplicata in fine, puteus septimus, quod corporaliter et spiritualiter habet interpretationem convenientem. Quoniam sicut dat nobis intelligere scriptura Paralipomenon, uxores septem habuit David, ex quibus filios generavit : sex quidem quas accepit in Ebron, septimam autem in Jerosolymis Bersabee (2. Reg. 3. et 1. Par. 3). Putei autem in Proverbiis Salomonis, quævis et alterum interiorem habeant intellectum, tamen in prima facie uxores significantur : ubi docet cum uxoribus propriis virum debere permanere, dicens : *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus* (Prov. 5. 15). Si ergo putei uxores intelliguntur, convenienter Bersabee septimus puteus interpretatur, quia et septima existit uxor. Sed et Christus septem Ecclesiarum sponsus habetur. Nam quævis innumerabiles sint Ecclesiæ, secundum diversitatem locorum, tamen omnes septem dicuntur propter Spiritus septem, quibus sustentatur omnis Ecclesia. Unde et Joannes et Paulus apostolus ad septem Ecclesias scribunt, quasi ad omnes. De regibus autem residuis dicere aliquid visum est mihi superfluum, cum desiderantibus dicere vel audire de eis sufficiat scriptura Regnorum. Sed tamen secundum quod Hebraicorum sermonum interpretes tradiderunt, nomina eorum actibus coaptare tentavimus, ut Dei providentiam et in ipsiis hominum nominibus ostendamus, et spiritalem delectationem audienti populo acquiramus. *David autem genuit Salomonem*. Salomon autem interpretatur pacificus. Pacificus est autem appellatus, quoniam, omnibus in circuitu gentibus et pacificatis, et tributa reddentibus, pacificum habuit regnum, ita ut et templum Deo ædificaret, utens etiam ministerio gentium : quoniam in figura fuit nostri pacifici Christi, qui confugientibus ad se per fidem gentibus universis, et bonorum operum spiritualia tributa solventibus, pacificum habuit regnum : ita ut ex vivis lapidibus non solum Judæis, sed etiam gentibus vivum templum Deo ædificaret viventem. *Salomon autem genuit Roboam*. Roboam autem interpretatur in multitudine populi. Æstimo quod pater quidem ejus, sicut omnium regum patres, ex bono proposito ei nomen imposuit Roboam : Dei autem providentia, sicut et omnium regum nomina secundum actus eorum proprio dispensavit nomine, sive in bono, sive in malo : Salomon ergo cum haberet regnum valde multiplicatum, meritis patris sui David, et suis, quia dilexerat eum Deus in primis, natum sibi in tempore illo filium, appellavit Roboam, id est, in multitudine populi, quasi factum in multitudine populi, ut secundum statum regni sui multiplicati nominaretur filius ejus : providentia autem Dei, quia fuerat peccator futurus, et dissidium regni sui passurus, dispensavit, ut diceretur, in multitudine populi : quoniam quod fit in multitudine populi, statim facile seditionem multitudinis patitur. Multitudo enim mater est seditionis et contumaciæ : quia quidquid a multis peccatur, plerumque manet invindicabile : paucitas autem magistra est disciplinæ. Æstimo quod Salomon et Roboam in mysterio Christi fuerunt ; quod si in mysterio Christi fuerunt, consequenter et in mysterio populi Christiani. Namque cum sint omnes Christiani corpus Christi, recte universus populus Christianus accipiendus est Christus : sic et Salomon in mysterio populi fuit Christiani bene incipientis : Roboam autem in mysterio populi male finientis. Nam sicut circa senectutem Salomone peccante, excitavit Dominus satan super eum, detruncavit ex parte medice regnum ejus : in tempore autem Roboam, abiecientis consilium seniorum, et sequentis consilia juvenum coætaneorum suorum, ad plenum scissum est regnum, ita ut decem tribubus secedentibus, et propriam sibi facientibus regem, duæ tribus tantummodo manebant sub Roboam (3. Reg. 12. et 2. Par. 10). Sic populus Christianus in primis quasi bene regens prosperatus est, sicut Salomon : procedente

autem tempore, cum cœpisset delinquere populus Christianus, et amare quæ carnis sunt et mundi, quasi filium Pharaonis, quam diabolus subministrat princeps carnis et mundi, ad tentationem Christianorum, excitavit Deus super populum Christianorum spiritum schismatis. In primis quidem debilitatus est Christianus populus in quibusdam schismatibus. In novissimo autem populi Christiani quasi in tempore Roboam abundante iniquitate, et caritate refrigescente, plenius conscissus est populus Christianus, ita ut maxima pars Christianorum divideretur in hæreses, et faceret sibi proprios episcopos, quasi proprios reges, et vix paucissimi Christiani remanerent in Ecclesia Christi sub Christo. Et sicut tunc Roboam abiciens consilium seniorum, et coætaneorum suorum sequens, occasionem præbuit dissidio illi : sic et circa flumem episcopi relinquentes consilia seniorum apostolorum, et prophetarum, secundum quod consiliati fuerant episcopos conversari debere, vel episcopatum suum tractare, et sequuti sunt consilia coætaneorum suorum, et juvenum consilantium episcopum oportere divitem fieri et inhospitalem, et timorem Dei non habere, et talia quædam alloqui quæ moveant plausum : et dederunt occasionem diabolo præcisionum faciendarum, non attendentes quæ Dominus dicit : *Si autem cœperit dispensator dicere, Quia Deus meus moram facit ; et cœperit castigare pueros et ancillas, et manducare et bibere cum ebriosis, veniet dominus ejus in die qua nascit, et horu qua ignorat, et dividet eum* (Luc. 12. 45. 46). Iterum quod præcepit Petrus : *Non ut dominantes, sed quasi episcopatum tenentes* (1. Petr. 5. 3) Item Paulus : *Novitates vocum devita ; generant enim lites, et sermo eorum sicut cancer serpit* (2. Tim. 2. 23). Item : *Formam kabe sanorum verborum, quæ a me audisti* (1b. c. 1. 15). De qua prosperatione prima populi Christiani, et de adversitate novissima prophetatur in Psalmo. De prosperatione prima sic : *Tunc loquutus es in aspectu filii tuis, et dixisti* (Psal. 88. 20), et cætera quæ sequuntur. De adversitate autem novissima sic : *Tu vero repulisti, et pro nihilo deduxisti et distulisti Christum tuum* (Ibid. v. 59), et cætera quæ sequuntur. Vide quia quomodo tunc in regno Judæ quidam reges existerunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores, in regno autem Israel nemo regum inventus est justus : sic et in Ecclesia Christi inveniuntur quidem episcopi boni et peccatores, in hæresibus autem nemo invenitur omnino rectus, sed omnes perversi : quia in auro quidem invenitur scoria et sordes, in sordibus autem non invenitur aurum. *Roboam autem genuit Abiam*. Abias autem interpretatur pater veniens, vel patris mei hic. Forsitan hic Abias similis natus fuerat patri suo in corpore, ideo appellaverunt eum pater veniens, quasi alter pater nascens : vel patris mei hic, quasi patris sui hic esset imago. Providentia autem Dei sic ordinavit eum vocari, quia sicut Roboam cœpit recte, postea autem existit peccator in Deum, sic et Abias. *Abias autem genuit Asa*. Asa autem interpretatur unguentum. Iste enim Asa valde perfectus fuit corde, et placens Deo, sicut Regnorum liber ostendit. Propter hoc forte a Deo est ordinatum, ut appellaretur unguentum : quia sicut unguentum et in hyeme floridum est et boni odoris, et homines suo odore delectat, atque impinguat, cum ex eo uncti fuerint : sic et justus et in hyeme tentationis immarcescibilis est, et fidelis manet. Sicut fuit in Asa, qui et bonæ opinionis est, et historia scripta de eo delectat legentem, et ædificat, et impinguat, et ad desiderium suæ sanctitatis excitat viros prudentes. *Asa autem genuit Josaphat*. Josaphat autem interpretatur Dominus iudex : puto quod Asa pater ejus, cum propter justitiam ejus eum Dominus prosperasset in omnibus, et inimicos ejus confregisset ante faciem ejus, sicut scriptura testatur Regnorum, quasi in ipso nomine filii sui confessionem offerens Deo iudici justo, vocavit eum Dominus iudex (3. Reg. 15). Nam vere justus iudicis est, bene agentem remunerare, et

negligentem corripere, sicut fecit Deus Asa. Nam postquam Æthiopum et Libyum virtutem innumera-  
 bitem Deus deposuisset ante faciem ejus, postea ad-  
 versante sibi rege Israel Basa, Syrorum auxilium  
 petiit adversus eum : propter quod et misit ad eum  
 Ananiam prophetam dicentem hæc : « In quo confidis  
 te regem, et non confidis in Domino Deo tuum,  
 propterea labefactata est virtus Syriæ de manu tua.  
 Nonne Æthiopes et Libyes erant in virtute magna, et  
 in currus, et equites, et multitudinem copiosam ? Et  
 cum confideres in Domino, tradidit illos in manus  
 tuas : quoniam oculi Domini respiciunt in omnem  
 terram, ad conservandum illum, qui est perfecto  
 corde ad eum. Et evanisti de isto » (2. Paral. 16.  
 7-9). Propter quam diffidentiam puto quod et in se-  
 nectute doluit pedes, quia Dominus justus iudex per  
 omnia fuit in eo. Nam nec modicam justitiam servo-  
 rum suorum sine remuneratione relinquit, nec mo-  
 dicam culpam sine correctione dissimulat. Sed et in  
 filium ejus Josaphat, qui hoc nomine vocabatur, justus  
 exstitit iudex, quoniam et ipse consummatus fuit,  
 sicut pater ejus Asa, et adhuc amplius. Propter hoc  
 et Dominus justus iudex amplius adhuc exaltavit et  
 glorificavit Josaphat, quam patrem ejus Asa, ita ut  
 omnes reges in circuitu munera ei offerrent, quemad-  
 modum Salomoni. Sed tamen cum fecisset amicitias  
 cum Achab, et dedisset ei auxilium ascendenti ad  
 bellum, circumdederunt eum currus : et cum jam  
 periclitaretur occidi, exclamavit ad Dominum, et eri-  
 puit eum. Cum autem interfecto Achab reverteretur  
 in Jerusalem, misit Deus ad eum Jehu prophetam  
 filium Ananiæ, dicentem : *Si peccatorem illum adju-  
 visti, et illis qui oderunt Deum amicus es, et in hoc  
 super te ira a facie Domini descendisset, nisi sermones  
 boni inventi fuissent tecum, quoniam abstulisti lucos de  
 terra Juda, et parasti cor tuum ad requirendum Domi-  
 num* (2. Par. 19. 2. 3). Vides quia nec dare oportuit  
 auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere ? Quoniam  
 autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos  
 supradicta historia de Asa. Quoniam vero nec dare,  
 instruit nos hæc scriptura de Josaphat. Qui enim  
 petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat,  
 utiliores sibi existimans inimicos Dei, quam  
 Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, adversatur  
 Deo. Deo enim volente conterere inimicum  
 suum, ipse eum defendere tentat. *Josaphat autem genuit  
 Joram. Joram autem interpretatur Dominus altitudo.*  
 Hic Joram similiter sicut pater suus Josaphat,  
 prosperatus est nimis, et exaltatus in regno : quasi  
 confidens in Domino vocavit filium suum natum, Do-  
 minus altitudo : tanquam si dicat, Dominus est alti-  
 tudo mea qui me non merito meo, sed misericordia  
 sua fecit in altitudine. Forsan et providentia Dei,  
 quia impius erat futurus et superbus, sic eum nomi-  
 nari disposuit. Nam iste Joram in magnitudine divi-  
 tiarum elatus est, et valde impie gessit in Deum, sicut  
 liber Regnorum et Paralipomenon testantur. Habens  
 uxorem nomine Godoliam filiam Jezabelis, et Achab  
 ejus consilio utens, valde exstitit iniquus in Deum et  
 elatus, ipsam altitudinem sibi quasi Deum vel Domi-  
 num fecit, confidens in altitudine. Omnis enim homo  
 malum ipsum, cui servit, dominum sibi facit. Nam ita  
 elatus est, ut et fratres suos omnes occideret, quos ei  
 quasi adiutores et consiliarios reliquerat pater. Pro-  
 pter quæ omnia percussit eum Dominus passione  
 gravissima et diutina, ita ut ante biduum mortis suæ  
 intestina sua putrefacta jactaret. *Joram autem genuit  
 Ochoziam. Ochozias autem genuit Joam. Joas autem  
 genuit Amaziam. Amazias autem genuit Oziam.* Sed  
 juste usque ad tres generationes ex eo sanctus Spiritus  
 per Matthæum præcepit de numero regum tollere  
 de immundo et maledicto semine natos, in generati-  
 onibus Christi spernens connumerare. Joram autem  
 ex semine Achab et Jezabel, accipiens sibi uxorem

Godoliam nomine, genuit ex ea Ochoziam. Ochozias  
 autem genuit Joam. Joas autem Amaziam, in quo  
 completur generatio quarta seminis iniqui et maledi-  
 cti. Achab enim rex Israel, accipiens uxorem Jezabel  
 filiam Sidonii regis, contra Dei præceptum impiam  
 nimis, multas impietates commisit in Dominum, illa  
 se instigante. Propter quod Spiritus sanctus per pro-  
 phetam contestatus est dicens : *Ut disperderet omnem  
 masculum de domo Achab. Quam prophetiam imple-  
 vit Jehu filius Nanzi, unctus a puero qui missus erat  
 ab Helisæo, et accepit promissionem, ut usque ad  
 quartam generationem sederent filii ejus in sede regni  
 super Israel. Quanta ergo benedictio facta est super  
 Jehu, qui vindictam fecerat super domum Achab :  
 tanta fuit maledictio super domum Joram propter  
 filiam iniqui Achab et Jezabel, ut usque ad quartam  
 generationem prædicantur filii ejus de numero regum,  
 et sic peccatum ejus descendit in filios ejus, sicut  
 fuerat scriptum : *Peccata patrum reddam in filios  
 usque in tertiam et quartam generationem* (Exod. 20.  
 5). Videte ergo per istam scripturam, quam pericu-  
 losum est inire conjugia ex genere impiorum, sicut  
 Joram : et quam gloriosum est vindictam in impios  
 facere, sicut fecit Jehu. Quantum ergo ad historiam  
 Regnorum pertinet, Amazias genuit Oziam : quantum  
 ad Matthæum, Joram genuit Oziam. Unde Ozias in-  
 terpretatur filius nobilis. Quia autem causa vocaverit  
 eum pater filium nobilem, non potuit æstimare, nisi  
 forte si quis æstimet eum speciosum fuisse natum,  
 aut forte primitivum fuisse : quoniam tunc primitivi  
 apud illos clari et honorabiles habebantur : tum et  
 secundum Deum, quantum ad alios qui ex maledicto  
 semine descenderant reges. Etiam secundum Deum  
 nobilis fuit, quia fecit Ozias quod placitum erat Deo,  
 et in omnibus a Deo adjutus est, propter quod cum  
 fuisset a Deo prosperatus, elatus est cor ejus, et  
 dignum se æstimavit etiam sacerdotali officio fungi  
 (2. Paral. 26). Nam cum usurpasset sibi thuribulum  
 inferre in templum, et resisterent ei filii Aaron et  
 Levitæ, quasi illicita appetenti, comminatus est eis,  
 quasi rex potestate subnixus. Confestim autem Deus  
 percussit eum lepra, et visa est lepra bis in fronte  
 ejus, et exsiliit foras, et sedit domi usque ad mortem  
 suam leprosus. Videte quam illicitum est usurpare  
 opus quod a Deo non est commissum. Quale facit  
 peccatum laicus usurpans sibi opus clericale, tale  
 facit peccatum et lector, si usurpaverit opus diaconi :  
 et diaconus, si usurpaverit sibi presbyteri opus : et  
 presbyter, si episcopalem appetierit potestatem. Vide  
 quomodo secundum quod prolongabatur generatio  
 orta de illa maledicta familia, sic paulatim per gene-  
 rationes muniabatur in eis iniquitas. Ecce enim Ocho-  
 zias pejor fuit omnibus post Joram patrem suum.  
 Interpretatur autem Ochozias possessio invisibilis.  
 Patrem autem ejus, cum fuisset impius, non possu-  
 mus suspicari secundum Deum posuisse filio suo vo-  
 cabulum, possessio invisibilis : nisi forte secundum  
 diabolum, a quo seductus variis fluctuabatur erranti-  
 bus. Hujus autem filius Joas jam melior fuit eo, sed  
 non ad plenum. Nam quamdiu vixit Joiada sacerdos,  
 qui unxerat eum in regem, valde puerum dilexit, et  
 eripuit eum de manu Athaliæ aviæ suæ, quæ occide-  
 rat omnes nepotes suos, et ipse fecit quod placitum  
 erat Deo. Postquam autem mortuus est Joiada, quem  
 forte erubescerat quasi sanctum sacerdotem, et quasi  
 auctorem vitæ suæ et regni, mutatus est, et fecit ma-  
 lum ante Deum. Denique cum induisset Spiritus sanctus  
 Zachariam filium ipsius Joiadæ, et dixisset ei :  
*Hæc dicit Dominus : Quare præteristi mandatum Do-  
 mini ? Non erit vobis in prosperum ; quoniam dereli-  
 quisti Dominum, et ille derelinquet vos* (2. Paral. 24.  
 20) : insurrexerunt in eum, et lapidaverunt eum ex  
 præcepto regis : propter quod et convenienter nomen  
 ejus interpretatur temporis prolongatio, quia prolongatio  
 temporis mutavit eum in pejor. Item Amazias  
 paulo melior exstitit, quam Joas : nam Amazias  
 filius ejus in primis placuit Deo, sicut Joas, sed post-*

<sup>1</sup> Editi in marg. et v. D., *validiores*. Quæ lectio possit quadrare.

ca malignatus est sicut Joas : secundum hoc fuit melior quam Joas pater suus, quia Joas corripientem se prophetam lapidibus interfecit, et hoc ob filium Joiadæ sacerdotis regificatoris sui. Amazias autem, cum misisset ad eum Deus Balaam prophetam dicentem : *Quare quæsisisti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua* (2. Paral. 25. 15. 16)? non interfecit, sed comminatus respondit ei : *Numquid consiliarium regis dedi te? Cave tibi ne flagelleris*. Item Ozias filius Amaziæ melior fuit omnibus illis præcedentibus ante se : et si non fuit irreprehensibilis, quia opus sacerdotii affectavit. Vide nunc secundum hoc et Dei judicium justum. Sicut enim Ozias, prolongato numero generationum, minus malus exstitit cæteris ex generatione maledicta progenitis, non tamen perfectus fuit ; quia adhuc aliquid habuit generationis illius : sic et Deus non eum præscidit de numero regum, quia fecit quod placitum est Deo. Percussit autem eum lepra propter jactantiam ejus, ut domi sederet : ut videretur non de numero generationis Christi præcisus, sed fruitionis regni ex parte fraudatus. *Ozias autem genuit Joathan*. Joathan interpretatur perfectus, vel dominus immaculatus. Et vere perfectus fuit hic Joathan, et quantum ad reges se præcedentes dominus immaculatus, quia fecit quod placitum erat Deo, et nulla reprehensio ejus legitur in scriptura Regnorum. *Joathan autem genuit Achaz*. Achaz autem interpretatur firmamentum Domini, aut virtus. Joathan autem cum esset rectus et fidelis Deo, firmamentum suum et virtutem credens Dominum esse, a quo et fuerat prosperatus in regno, quasi confidens, firmamentum suum et virtutem credens Dominum esse, vocavit filium suum Achaz, et firmamentum Domini, vel virtutem. Ille autem non fuit firmamentum Domini, neque virtus. Neque enim firmavit eum Deus in bono, sed diabolus in malo, qui fuit dominus ejus. Nam valde impie gessit in Deum, sicut testatur scriptura Regnorum et Paralipomenon. Quod autem appellatus est Achaz firmamentum Domini, vel virtus, religionem quidem patris ejus ostendit, ipsius autem duritiam<sup>1</sup>, quia sicut a conversatione patris factus est longe, sic et a proprietate nominis sui seipsum præcidit, nisi forte quod apud Isaiam prophetam positum est hoc modo : *Et factum est in diebus Achaz filii Joathan regis Juda, ascendit Rasim rex Syriæ et Phacee filius Romeliæ rex Israel ad Jerusalem, expugnare eam, et non potuerunt eam debellare. Et annuntiatum est in domo David a dicentibus : Consensit Syria cum Ephraim, et exparvit anima ejus, et anima plebis ejus, sicut in sylva arbor (arundo), cum a vento commovetur. Et dixit Dominus ad Isaiam : Exi in obviam Achaz, tu, et qui relictus est Jansb filius tuus, ad piscinam superioris viæ villæ fulanis ; et dices ei : Vide ut quiescas, et noli timere, neque anima tua languescat a duobus titonibus fumiganibus istis. Cum enim ira furoris mei facta fuerit, iterum sanabo : quoniam filius Aram et filius Romeliæ, qui cogitaverunt cogitationem pessimam, dicentes : Ascendamus in Judæam, et colloquentes eis, convertamus eos ad nos, et regem statuemus eis filium Thabeel. Hæc dicit Adonai Dominus Sabaoth : Non manebit cogitatio ista, neque sic fiet (Isai. 7. 1-7)*. Forsitan sic confortatus Achaz cum genuisset filium, vocavit nomen ejus Ezechias, Ezechias autem interpretatur, confortavit Dominus. Vere completa est in Ezechia confortatio Domini, cui animus exstitit sanctus super omnes reges, qui fuerunt ante eum. Nam inter cætera bona, quæ merito præstitit ei Deus, cum misisset ad eum Sennacherib, rex Assyriorum, Rapsaceum principem militiæ suæ, et libellum plenum impropertis et blasphemii contra Deum, sicut exponit Isaias propheta (Isai. 37. per totum) : Ezechias accepit libellum illum, et ingressus in templum apparuit ante Dominum, et oravit, et confestim missus est ad eum Isaias propheta, annuntians ei protectionem Dei, et confortans eum, et exiit

ad preces Ezechiae angelus a facie Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Qualia autem fuerint verba Rapsacis, vel qualis oratio Ezechiae, vel qualis confortatio Isaiæ, lege in Isaiæ, et profer causam excitationem in populo. *Ezechias autem genuit Manassen*. Manasses autem interpretatur ab insurgente, vel ex oblivione : quam interpretationem commendat et liber Geneleos, ubi cum natus fuisset in Ægypto filius Joseph, vocavit nomen ejus Manasses, dicens : *Oblivisci me fecit Dominus laborum meorum, et laborum omnium domus patris mei* (Gen. 41. 51). Si ab insurgente intelligatur, sic possumus dicere : quia forte ab insurgente Sennacherib contra eum liberavit eum Dominus : ideo quasi gratias agens Deo postea in nomine filii sui, vocavit eum Manassen. Si autem intelligatur ex oblivione, rationem alio modo possibile est existinare : quoniam non faciebat filium propter quod cum genuisset filium, vocavit nomen ejus ex oblivione, quasi ex desperato filium sibi natum. Hæc secundum propositum bonum astimabimus patris : alioqui secundum actum pessimum Manasses aliter est astimandum : quoniam quidem pater ejus in illo prædicto proposito vocavit eum Manassen. Providentia autem Dei sic eum dispensavit vocari, quia obliturus fuerat omnem conversationem patris sui sanctam, et omnia beneficia Dei pro merito ejus collata in ipsum et stimulatus ab insurgente diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad evertendum, gesturus omnia quæ Deum ad iracundiam provocarent. Denique cum ægrotasset Ezechias in tempore quodam, et venisset ad eum Isaias propheta visitandum, vocavit Ezechias filium suum Manassen, et cœpit ei mandare, quod debeat Deum timere, quomodo regere regnum, et alia multa. Et dixit ad eum Isaias : Vere quia non descendunt verba tua in cor ejus, sed et me ipsum oportet per manum ejus interficere. Quod audiens Ezechias, volebat filium suum interficere, dicens : Quia melius est me sine filio mori, quam talem filium relinquere, qui et Deum exasperet et sanctos ejus persequatur. Tenuit autem eum vix Isaias propheta, dicens : Irritum faciat Deus consilium tuum hoc ; videns Ezechiae religionem, quia plus amabat Deum, quam filium suum. Tamen cum multa gessisset impie hic Manasses, adduxit super eum Deus principes virtutis regis Assur, et comprehenderunt Manassen in vinculis, et ligaverunt eum in compedibus, et perduxerunt eum in Babyloniam, et erat ligatus et catenatus in domo carceris, et dabatur ei panis hordeaceus ad mensuram modicus, et aqua cum aceto modica ad mensuram, ut viveret tantum, et erat constrictus in doloribus valde (4. Reg. 21. et 2. Par. 32. et seq.). Et ideo cum vehementer affligeretur, quæsit faciem Domini Dei sui, et oravit Deum qui omnibus adstat, et exaudivit Dominus vocem ejus, et misertus est ei. Et facta est circa eum flamma ignis, et liquefacta sunt omnia vincula ejus. Liberavitque Dominus Manassen ex omni tribulatione ejus, et reversus est in Jerusalem in regnum suum, et cognovit Dominum Manasses, dicens : Ipse est solus Deus. Et servivit soli Domino Deo in toto corde suo, et in tota anima sua omnibus diebus vitæ suæ, et reputatus est justus : et ideo forte vocatus est ab insurgente, vel ex oblivione, quia liberavit eum Dominus ab insurgente, et ex oblivione Dei factus est memor Dei. *Manasses autem genuit Amos*<sup>1</sup>, qui interpretatur fortitudo. Et si quidem ante poenitentiam genuit Amos, cum malignaretur in idolis, non possumus astimare quasi religionis causa vocaverit eum fortitudinem, sed causa audaciæ corporalis : sicut solent et barbaræ gentes nomina filiis imponere ad devastationem respicientia bestiarum, ferarum, vel rapacium volucrum, gloriosum putantes filios tales habere, ad bellum idoneos, et insanientes in sanguinem. Si autem post poenitentiam genuit

<sup>1</sup> v. D., *Amos*, et sic deinceps in Codice et in margine prius editorum.

<sup>1</sup> Montef. conjicit in margine, *differentiam*.

eum, credibile est quod causa religionis vocaverit eum fortitudinem. Adhuc interpretatur Amos et aliter, onerantis, vel populum abruptantis. Quod si ante poenitentiam genuit filium, non animadverto qua causa sic nominaverit eum; si autem post poenitentiam, idonea ratio est. Memor enim gestorum suorum malorum, humilitatis causa, ad sui ipsius arguitionem vocavit eum onerantis, vel populum abruptantis: ac si dicat, filius peccatoris: quoniam rex, qui peccat, et seipsum onerat, et abruptit a Deo, etiam populum suo exemplo onerat peccatis, et abruptit a Deo: sicut fecit Manasses, onerans et abruptans populum a Deo, exemplo suae impietatis. Nam ipse Amos non fuit fortitudo secundum Deum, sed fortitudo secundum diabolum. Fuit enim valde iniquus, ut exstant opera sua maligna, quibus imitatus fuerat Manasses. ut etiam Deum posse se fallere aestimaret, dicens: Pater meus multa ex juventute sua iniqua fecit, et in senectute sua poenituit, et ego nunc ambulabo secundum quod desiderat anima mea, et postmodum convertar ad Dominum. Sicque factus est fortitudo maligna, et oneravit seipsum perniciosioribus oneribus, et suae malignitatis exemplo abruptit populum suum magis a Deo quam pater ejus. Ideoque forsitan sic est nominatus secundum providentiam Dei, et exterminavit eum Dominus Deus velociter. Attendite ergo, laici, ne quis ex vobis cogitationem Amos in corde suo ponat: quoniam qui talia cogitans peccat, non ex infirmitate carnis devictus delinquit, sed ex proposito malo, qui amicus est mali ipsius. *Amos autem genuit Josiam*, quod interpretatur, ubi est hostia Domino, aut salus Domini. Forsitan Amos secundum cor suum aversum a Domino, vocavit filium suum, ubi hostia Domino, aut salus Domini est: hoc est, quia quod nusquam est, neque prodest. Providentia autem Dei, secundum quod futurus fuerat Josias, dispensavit ei nomen imponi, ubi est hostia Domino, aut salus Domini: quoniam vere in illo fuit hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec post eum (4. Reg. 23. 21. sqq.). Et ipse fuit hostia Deo, secundum quod mandat Apostolus: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (Rom. 12. 1). Et ipse fuit populi sui in tempore suo a Domino salus. De cujus laudabilibus factis nihil tale dicere possumus, qualia testatur scriptura Regnorum et Paralipomenon. Vide qualis fuerit, ut etiam ante multas generationes nascituri ejus nomen prophetaretur, quia Josias est nomen ejus. Tertius enim Josias est, cujus nomen prophetatum est priusquam nasceretur. Hi tres sunt, Sampson, Josias, Joannes. *Josias autem genuit Jeconiam*. Sed non sic positum est in libro Regnorum, sed post mortem Josiae rex factus est Joathas filius ejus: quem veniens Pharaon propter peccata ejus adduxit in Aegyptum, et in loco ejus posuit Eliachim regem fratrem ipsius, alterum filium Josiae, qui interpretatur Dei adjudicatus: et vocavit eum alio nomine Joachim, quod interpretatur Domini preparatio. Cum autem et ipse Joachim malignatus fuisset in Deum quasi vere impius in condemnationem<sup>1</sup> adjudicatus a Deo, et postea preparatus ad eversionem Judaecae, secundum iracundiam Dei veniens rex Assyriorum adduxit eum in Babyloniam, et factus est in loco ejus rex Jeconias filius ejus, quod interpretatur preparans Domino. Cum autem et ipse malignatus fuisset in Deum, preparans seipsum Deo ad iram, adductus est et ipse a rege Assyriorum in Babyloniam cum omnibus suis: et factus est rex in loco ejus a rege Assyriorum frater ejus Sedechias, sub quo et totus transmigratus est Juda. Ergo talis est ordo: Josias genuit Eliachim, postea vocatum Joachim, Joachim autem genuit Jeconiam, Jeconias autem genuit Salathiel, post transmigrationem. Secundum ergo Regno-

rum scripturarum Joachim est quartus decimus a Salomone, et ipse est filius Josiae: Jeconias autem primus usque ad Christum, qui vere non fuit filius Josiae, sed nepos, filius Joachim: aut secundum<sup>1</sup> evangelium quidem, in quo Jeconias filius dicitur esse Josiae: si inter praecedentes generationes computetur Jeconias quasi quartusdecimus, reliquae generationes usque ad Christum a Salathiel computatae, inveniuntur tredecim esse: si autem inter reliquas quasi primus ponatur, ipsae praecedentes generationes a David computatae usque ad Josiam, inveniuntur tredecim esse. Quid ergo? Joachim sublati est de numero regum, et juste: quia non populus Dei constituerat eum in regnum, sicut erat consuetudo in regibus constituendis, sed Pharaon per potentatum; ideo quantum ad eum non fuit rex Joachim. Si enim justum fuerit, ut propter solam commixtionem generis Achab et Jezabel tollerentur de numero regum supradicti tres reges, quamvis a populo legibus fuerant constituti in regno: quare non erat justum ut similiter tolleretur et Joachim, quem Pharaon in regno hostili<sup>2</sup> fecerat regem, et non populus Dei praevio jure? Et sic Jeconias iste, qui est filius quidem Joachim, nepos autem Josiae, sublato patre suo Joachim de numero regum, ipse positus est pro eo quasi filius Josiae. Et bis nominatur in Evangelio; semel quidem ante transmigrationem, videlicet pro numero quartodecimo: iterum autem nominatur post transmigrationem, quasi pro numero primo, hoc modo: Josias autem genuit Jeconiam, videlicet quartumdecimum. Jeconias autem post transmigrationem genuit Salathiel, videlicet quasi primus. Et invenitur Jeconias hic duorum numerum tenere, patris sui, et suum. Hic enim Jeconias cum esset unus, duas habuit conditiones: fuit enim et rex ante transmigrationem, quasi regificatus a populo Dei: factus est et privatus post transmigrationem, quasi ductus captivus. Ideo ante transmigrationem quidem computatur inter reges quasi rex, post transmigrationem autem computatur inter privatos quasi privatus. Quomodo autem vis ut posuisset evangelista? Si dixisset, Josias genuit Joachim in quarta decima generatione, Joachim autem genuit Jeconiam: Jeconias autem post transmigrationem genuit Salathiel, extra quam a Pharaone regificatus computabatur Joachim inter reges Juda: juste adhuc<sup>3</sup> inveniuntur ante transmigrationem quidem quatuordecim reges, post transmigrationem unus rex, et tredecim privati. Et si Jeconiam posuisset inter reges priores, invenirentur quidem quindecim generationes regales ante transmigrationem, tredecim autem privatae post transmigrationem. Et sive illo, sive hoc modo, irrationabile aliquid dicere videbatur evangelista, et mysterium quod proposuerat, non ostenderet. Vides quia sapienter voluit evangelista Jeconiam dupliciter esse, primum quidem inter reges quasi quartumdecimum, et ipsum deinde post transmigrationem inter privatas generationes primum, quasi privatum et ipsum. Nam cum constet, computato etiam Joachim, a David usque ad Christum viginti et octo esse generationes: quid impedit, ut Joachim sublato, rationabiliter filius ejus Jeconias dupliciter nominetur, ut mysterium, quod evangelista proposuit, explicet, et de numero generationum non mentatur? Nec obest, quod filius Josiae dicitur esse, cum sit nepos: quoniam et nepotes recte filii appellantur. Jeconias autem genuit Salathiel, quod interpretatur petitio Dei. De Salathiel quidem nihil legimus, vel boni, vel mali: tamen putamus eum sanctum fuisse, et in captivitate assidue Deum petisse pro ipsa calamitate quae contingerat Israel, et ideo petitionem Dei eum appellatum fuisse. *Salathiel autem genuit Zorobabel*. Interpretatur

<sup>1</sup> Montef. in margine conjicit, *filium autem Joachim secundum*, etc.

<sup>2</sup> V. D. et Editi in marg., *Pharaon rex hostili*; non male.

<sup>3</sup> V. D. et Editi in marg., *injuste adhuc*.

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *quasi vere et prius in condemnationem*.



autem Zorobabel, fluitio postposita, vel ex commixtione, vel hic doctor Babylonice. Legi; si verum est, nescio, quia sacerdotale et regale genus mixtum est in Zorobabel, sicut inferius exponemus. Et forte ergo propter hoc dictus est ex commixtione. Per istum autem Zorobabel dimissi sunt omnes filii Israel, et reversi sunt in propriam terram cum gaudio magno, sicut Esdras propheta exponit. Cum enim esset Zorobabel in ministerio Darii regis, controversia facta est inter eum et duos alios regis ministros, quid esset fortius in mundo (3. Esdr. 4. et Josephus Antiq. lib. 11, cap. 3): et uno dicente, quia nihil est fortius quam vinum, altero autem, quia nihil fortius est quam rex: Zorobabel dixit, Nihil fortius est quam mulier et veritas. Quibus de hoc sine fine certantibus, ventum est usque ad sententiam Darii regis, quo residente cum principibus suis ad iudicandum, contenderunt tres, singuli pro sua sententia. Verba contentionis eorum, qui vult scire, legat Esdras prophetam. Tamen vicit Zorobabel, et iudicio Darii et omnium principum pronuntiatum est, Omnibus fortior veritas est. Cum autem diceret ad eum Darius rex cum iuramento, Pete a me quod vis, usque ad didimium regni mei, respondit Zorobabel: Ego non peto regnum tuum, sed ipse utere eo in æternum: sed hoc peto, quod cepit pater vester Cyrus rex ante vos, ut dimittatis captivitatem filiorum Israel redire in sua. Darius concessit. Exiens autem Zorobabel gratias egit Deo, dicens: *Benedictus es, Deus et pater veritatis, quod sapientiam hunc in os meum misisti* (3. Esdr. 4. 60). Et ideo inventus est recte secundum providentiam Dei nominatus Zorobabel, id est, hic doctor Babylonice. Quæ autem major doctrina est, quam ostendere veritatem dominatricem esse omnium rerum? Et impletum est in eo quod fuerat scriptum: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonium tuum meditatio mea est. Super seniores intellexi, quia mandatu tua exquisivi* (Psal. 118. 98-100). Vel, fluitio postposita: id est, quia definitionem regni ad se decurrentem postposuit, et elegit redemptionem populi sui. De residuis autem generationibus, nec scripturam aliquam me recordor legisse, nec fabulam aliquam aliquando audisse. Hoc autem in fine notandum est, quod quicumque regum placuerunt Deo, diutius regnaverunt, et inimicos eorum humiliavit Deus sub manibus eorum: quotquot autem maligne gesserunt, velociter et a regno et a vita cum amara morte præcisi sunt, et humiliavit eos Deus sub inimicis eorum. *Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim.* Cum potuisset evangelista breviter numerum generationum explicare, dicens: Ab Abraham usque ad Christum generationes sunt quatuordecim: qua ratione ter generationes præcedit, et in tres partes divisit per generationes quatuordecim? Quia ter completis quatuordecim generationibus mutatus est in Judæis hominum status. Ab Abraham enim usque ad David fuerunt sub iudicibus: a David usque ad transmigratorem, sub regibus: a transmigratore usque ad Christum, sub pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare, quoniam sicut semper ter completis quatuordecim generationibus, mutatus est hominum status: sic completis quatuordecim generationibus a transmigratore usque ad Christum, necesse est a Christo mutari similiter hominum statum: quod et factum est. Post Christum enim iam non sub iudicibus multis, nec sub regibus multis, nec sub pontificibus multis fuerunt: sed omnes generationes sub uno Christo, et iudice, et rege, et pontifice factæ sunt: quia trium illorum statum solus habuit dignitatem. Unde quoniam et iudices, et reges, et pontifices, tres Christi dignitates præfigurabant, semper principia eorum in figura fuerunt Christi. Primus iudicum Josue<sup>1</sup>: pri-

mus regum, David: primus pontificum, Jesus filius Josedech. Hos in figura Christi fuisse dubitat nemo. Forte ideo quatuordecim generationes ponuntur, id est, quater decem, hoc est quater Christus. Iota enim litera Christi mysterium habet. Ideo ergo quatuordecim, quoniam ter quidem figuratus Christus ostensus est, quarto autem verus Christus apparuit. Qua ratione apud Lucam septuaginta septem generationes ponuntur Christi renascentis ex baptismo, in proprio exponemus loco. Hic autem dicamus, qua ratione quadraginta duæ generationes ponuntur Christi secundum carnem nascentis in mundum. Quadraginta duo enim, sex septimanarum numerus est. Sex autem numerus, operis et laboris numerus est, quoniam in sex diebus factus est mundus, qui positus est in opere, et labore, et dolore. Convenienter ergo Christi nascentis in mundum ad laborem et dolorem quadraginta duæ generationes ponuntur, mysterium continentes operis et laboris. *Generatio autem Christi sic erat* (Matth. 1. 18). Quoniam superius dixerat, Jacob autem genuit Joseph, cui desponsata Maria genuit Jesum: ne aliquis audientium æstimaret, sic esse Christi nativitatem, quomodo præcedentium patrum, ipse ordinem suæ narrationis præcedens addidit, et dicit: *Generatio autem Christi sic erat*: ac si dicat, Generatio quidem eorum, quos exposuimus, patrum, sic fuit quemadmodum retuli: Christi autem generatio non ita, sed sic. Quomodo? *Maria cum esset desponsata Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens* (Ibidem): id est, ex virgine sine patre, ut ejus generationem enumerans, de semine David eum descendisse ostendat secundum Dei promissa, et extra naturam humanam nativitatem ejus exponens factam, mysterium deitatis ejus aperiat. Nec enim dignum erat, ut Unigenitus Dei, non propter se, sed propter homines nascens, more nasceretur humano. Homo enim in carne nascitur, ut corruptioni subiaceat: Christus autem natus est, ut sanet corruptionem. Sicut ergo non est consequens, ut corruptibilis homo nascens ex incorruptibilitate virginis nascatur: sic non erat consequens, ut Unigenitus Dei, qui ideo nascebatur, ut corruptionem sanaret, nasceretur ex corruptione conjugii. Homo ex necessitate nascitur, ut sit: Christus autem non ex necessitate naturæ, ut esset, sed ex voluntate misericordiæ, ut salvaret. Quomodo ergo justum est, ut unum eundemque habeant nativitatis honorem necessitas et voluntas? Merito ergo contra naturam humanæ regulam natus est, quia erat super naturam.

*Mirandus Christi ortus, scilicet per peccatores.*— Vide autem novam et admirandam Christi nativitatem, id est, per homines peccatores, per mulieres meretrices, et adulteras, et gentiles. Sed talis generatio non sordidat dignitatem Christi, sed commendat misericordiam ipsius. Sic erat mirabilis, ut qui patres per adoptionem fecit et genuit, a filiis nasceretur. Facti sunt patres ejus, quorum non erat filius. Iste illis beneficium præstitit, ut esset filius eorum. Illi autem nihil isti præstiterunt, ut essent patres ipsius. In hominibus<sup>1</sup> patres filios sibi adoptant, quos ipsi desiderant: hic autem filius sibi adoptavit patres, quos ipse elegit. Illic filii a patribus suscipiunt generositatis dignitatem, hic autem patres a filio susceperunt. (a) *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quoniam futurum erat, ut omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesie, desponsata Christo, ideo Christus nascitur de virgine desponsata, ne dignius nascerentur servi quam Dominus. Sed ut per omnia filii paternæ nativitatis perfectum imitarentur exemplum, ideo et Maria desponsata erat fabri lignario: quoniam et Christus sponsus Ecclesie omnem salutem hominum et omne opus suum per lignum

<sup>1</sup> Edii in marg. et V. D., p. *imus iudicum Jesus Nave.*

<sup>1</sup> Montef. conjicit in margine, *omnibus.*

(a) In Codice Vallis Dei: *hic incipit homilia secunda.*



crucis fuerat operaturus. Ideo autem et desponsata et domi habitata, ut desponsatio ipsa fidelis esset, et fornicationis opprobrium a matre repelleret, et virginitatis gloriam<sup>1</sup> nascituro Domino reservaret. Si enim, quia in domo sponsi peperit, infideles Judæi dixerunt, *Nonne hic est Jesus filius Joseph?* quanto magis si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant: *Nonne hic est Jesus filius meretricis?* Nam quemadmodum in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: sic in ea, quæ extra domum concipit, est suspecta conceptio. Magis ergo voluit Dominus, ut haberet mater ejus maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens.* Non dixit, Priusquam acciperet: sed, Priusquam convenirent, inventa est in utero habens: quia jam accepta erat in domo. Virginitas enim est incorruptibilis: incorruptibilitas autem virginitas ipsa sincera<sup>2</sup>. Ideo ergo, antequam convenirent, conceptus est Christus, ut nec de corruptione incorruptibilitas nasceretur, nec ex passione corporis utriusque templum sibi Dominus fabricaret. Dico autem non ad desperationem et confusionem nuptorum, sed ad consolationem et gloriam continentium, quoniam hæc ipsa conjunctio maritalis malum est ante Deum: non dico peccatum, sed malum. Nam quantum ad naturam rei ipsius, peccatum est; concessione autem Dei factum est, ut non sit peccatum. Quomodo? Oportebat enim, ut homo corruptibilis nasceretur in mundo, ut posset tentari, ut tentatus coronetur. Si autem incorruptibilis factus fuisset, tentari non poterat. Si vero non tentabatur, nec coronabatur: quia incorruptibilitas tentationem non sentit. Ideo ergo factum est, ut ex passione carnis et sanguinis, et igne fervido in visceribus, succedente humore, homo corruptibilis nasceretur, ut ne de bono malum nasceretur, aut ex impassibilitate corruptio: sed ut de malo malum procedat, et ex passione corruptio generetur. Ideo ergo ista conjunctio maritalis cum esset peccatum, quantum ad naturam rei ipsius, concessione Dei facta est licentia. Licentia, dico, facta est, non justitia. Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse desiit, tamen justitia esse non meruit (*incipit*). Ideo utentibus se, etsi poenam non infert, mercedem tamen non præstat: et si non occidit, tamen non salvat. Unde et propheta non ad indulgentiam Dei respiciens, sed ad spurciciam ipsius operis, dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Psal. 50. 7):* id est, Quid mirum si peccavi, qui de peccato sum natus? Sequita est enim generationem suam naturam peccati. Nam si matrimonium ipsum placitum esset Deo, numquam abstinentibus se ab illo gloriosa promitteretur corona, nec sic amarentur a Deo, qui odiunt illud. Non enim ille remuneratur qui bonum fugit, sed qui malum. Vis autem scire quomodo licitum est matrimonium? quomodo aliquando licuit et sorores habere uxores? quomodo habuerunt Cain et Abel? Hæc nomina filiarum Adan, quas in initio habuit post Cain et Abel, Rifan et Edoclam, et non peccaverunt: quia peccatum illud raritas hominum et necessitas excusabat. Postea crescente numero hominum, ipsum malum reversum est in naturam suam, et coepit esse peccatum. Remansit autem in usu, ut uni viro liceat habere plures uxores. Amplificato postea mundo, etiam hoc malum recepit naturam suam, et coepit esse peccatum. Remansit autem in usu, ut unus unam haberet uxorem. Nunc autem postquam venit plenitudo temporis, et senuit mundus, scimus quale est consilium Dei, et quid vult, et quid est placitum coram illo. Sed ausi non sumus dicere propter homines incontinentes, in quorum corpore anima nihil agit, sed in toto illos possidet sanguis et sordidissimus ille vapor, de illo iusano

igne procedens. Denique commendavit<sup>1</sup> angelus Thibie in nuptiis ejus, ut cum veniret ad illam consuetudinem humanam, surgeret prius et oraret, et sic diceret: *Domine, tu scis, quia non propter libidinem accepi uxorem, sed propter liberos procreandos (Tob. 8. 9):* quia si aliter orasset, oratio ejus Deo non fuerat placitura. Vides ergo quia turpissimum opus illud carnis filiorum causa excusat. Nunc autem multiplicato sæculo, creandorum hominum occasio est extincta. Jam Deum non multitudo hominum, sed caritas sanctorum delectat. Ecce una est libido, quæ fornicationem generat, et quæ maritalem usum ministrat. Sed sicut posuit mari terminos littora, dicens: *Usque huc venies, et hic te constringes (Job 33. 11):* sic libidini carnali terminum posuit conjugium, ut usque illuc veniens, illic se constringat. Sicut ergo mare, si littora sua supergressum fuerit, peccat: ita et homo, si transgressus fuerit licentiam maritalem. Si ergo una est libido in maritis, et in adulteris: quomodo potest fieri, ut una eademque res pro dimidia quidem parte sit justitia, pro dimidia autem sit peccatum? Aut enim tota est peccatum, aut tota justitia: quia una est res. Verum est autem, quia libido justitia non est, ergo tota peccatum est. Sed peccati illius poena non imputatur, donec iste odibilis et corruptibilis trans-eat mundus. Ideo ergo Dominus conceptus est priusquam convenirent, ut non ex passione carnis et sanguinis nasceretur: qui ideo venit, ut carnis et sanguinis solveret passionem, et mutaret in spiritum. Cui inventa est in utero habens de Spiritu sancto? Sine dubio a sponso suo Joseph, qui zeloso amore semper se admonente, vitam circumspiciebat Mariæ. Nam sicut Historia quædam non incredibilis neque irrationabilis docet, quando gesta sunt quæ refert Lucas, Joseph absens erat. Nec enim conveniens est putare præsentem Joseph introisse angelum ad Mariam, et dixisse quæ dixit, et Mariam respondisse quæcumque respondit. Si concedamus, angelum potuisse intrare ad eam, et loqui, plane confestim Mariam abisse in montana cum festinatione, et introisse domum Zachariæ, et salutasse Elizabeth, et mansisse cum ea mensibus tribus, possibile non fuit præsentem Joseph: quia necesse erat, ut absentationis ejus et mansionis diutinae requireret causas. Postquam autem rediit peregre post lot menses, et invenit eam gravidam manifeste, forsitan ei comminatus est, quasi sponsum, et de judicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus. Illa autem cum videret se innocenter in suspicionem criminis decidisse, nec posse se jam excusare, testimonio ventris convictam, cum lacrymis et suspirio clamans juravit dicens: *Vivit Dominus, nescio unde sit hoc. Quo audito, timuit valde Joseph et ex parte credidit in ea aliquid esse divinum. Nec enim timuisset, nisi ex parte aliquatenus credidisset. Ad hæc autem fidem verborum ejus commendabat conversatio ejus sancta. Forsitan autem, cum esset justus, coepit sibi cogitare de illa: Comessatrix aut violenta numquam fuit: quoniam omnis mulier quæ violenta est et comessatrix, etiam meretrix est. Nam sive in cibis, sive in libidinibus delectatio carnis est quæ præcipitat hominem. Mulier quoque, quæ suavitatibus gula suæ non contradicit, multo magis neque libidini suæ resistere acquiescit, sicut etiam Apostolus dicit: *Quoniam vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est (1. Tim. 5. 6).* Non levis, non jocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellæ, quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt. Si quidem impudentiores sunt, libenter loquuntur: si autem verecundiores, etsi loqui talia erubescunt, tamen delectantur audire. Non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectum. Hæc enim sunt documenta mulieris meretricis, sicut ait Salomon: *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum ejus (Eccl. 26. 12).* Hæc et alia similia tractans, nihil horum inveniebat in ea: sed ex diverso omnia laudabilia, omnia admi-*

<sup>1</sup> Editi in marg. et Codex V. D., ut virginitatis gratiam.

<sup>2</sup> Editi in marg. et V. D., incorruptibilitas autem veritas ipsa: et mox ibidem, antequam convenirent natus est Christus.

<sup>1</sup> Montef. conjicit in margine, cum mandaret.

randia, quæ sine Spiritu sancto possibile non erat esse in natura humana. Omnibus igitur documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi et argui solet, deficientibus, sola apud eam remanebat suspicio gratiæ Dei. Propter hæc omnia æstimavit eam habere in utero de Spiritu sancto. Nam nulla res sic castitatem mulieris viro commendat, sicut vita ejus disciplinata. Ubi enim timor Dei est, ibi et castitas est: ubi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Caro enim urget, securitas mulieris adjuvat carnem: si timor Dei non fuerit qui resistat, quis eam teneat indagatam? O inestimabilis laus Mariæ! Magis credebatur castitati ejus, quam utero ejus: et plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilis esse credebatur mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. Et quod majus est videre, ut sponsus de sponsa sua haberet, sic habuit Joseph apud se. Frequenter enim viri, etiam si leviter viderint mulieres suas aspicientes in alterum, mox excitantur in zelum: et quod non est illud suspicantur, quia ex magno amore nascitur zelus. Hic autem et maritalium zelum et uteri clamantis accusationem, sola præteritæ conversationis documenta vincebant. 19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Cogitabat enim forsitan apud se: Si peccatum ejus celavero, facio contra legem Dei: et si pro palavero filiis Israel, lapidabunt eam. Timeo enim, ne hoc, quod est in utero ejus, divinitus sit. Numquid non Sara nonaginta annorum concepit, et peperit? Si illam quasi lignum jam siccum fecit florere: quid si Divinitus partum isti voluit sine viro donare? Numquid ad virum pertinet ipsa conceptio mulieris? Nam si conceptio mulieris pertinet semper ad virum, sine dubio quando vult vir, tunc conciperet et mulier: nunc autem non quando vult vir, tunc concipit mulier, sed quando vult Deus. Si ergo conceptio mulieris non in viro posita est, sed in Deo: quid magnum, si voluit isti fructum sine viro præstare? Quid ergo faciam? Dimittam eam occulte: quia in re incerta melius est, ut meretrix constituta evadat, quam ut innocens moriatur. Justius enim est, injustum juste evadere, quam justum injuste perire: quia etsi reus semel evaserit, iterum potest perire: innocens autem si semel perierit, jam non potest revocari. Expedit ergo ut dimissa opprobrium patiat, quam tradita morti moriatur. Hæc autem talia cogitare et agere velle, non est hominis valde justus. 20. *Hæc eo cogitante, apparuit ei angelus in somnis, dicens.* Quoniam ergo auditio verborum Mariæ, et consideratio vitæ ejus, mala suspicari de ea non sinebat Joseph: consideratio autem conceptionis ejus non permittebat eum ad plenum bona æstimare de ea, et sic animus ejus inter utrasque partes fluctuabat, et tenere eam timebat, et tradere eam non audebat: propter hoc necessaria fuit ei revelatio illa divina. Si enim ipsa Maria, quæ angelum viderat, et audierat sibi loquentem tam de sua conceptione, quam de Elizabeth, ascendit in montana, et videret Elizabeth, et ipso confirmaretur aspectu: quanto magis Joseph post verba conceptionis Mariæ, post considerationem vitæ ejus, adhuc notandus necessarium habuit revelationem divinam? Propter tres ergo causas apparuit ei. Primum ne justus homo ignorans faceret rem injustam ex proposito justo: deinde propter honorem matris ipsius. Nam si dimissa fuisset, etsi non apud fideles, tamen apud infideles turpi suspicione carere non poterat. Tertio, ut intelligens Joseph sanctam conceptionem diligentius se in futurum custodiret ab illa, quam prius. Prius enim servavit se propter disciplinam justitiæ, postea autem et propter timorem partus hujusmodi. Quare non ante conceptionem virginis venit ad Joseph? Ut ne cogitaret quæ cogitavit, ne pateretur quæ passus est Zacharias, qui culpam infidelitatis incurrit de conceptione conjugis jam longævæ (Luc. 1). Incredibilior enim erat res virgi-

nem posse concipere, quam animum. Si ille sacerdos constitutus rem faciliorem fore non credidit, quanto magis iste popularis rem difficiliorem fieri non credidisset? Si ipsa Maria, angelo sibi dicente de conceptione sua, pene non credebatur propter virginitatem suam, dicens: *Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco* (Luc. 1. 34)? quomodo Joseph fuerat crediturus referenti de altera quod sine viro conciperet? *Joseph filii David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam: quoniam quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est.* Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine ejus Christus nasceretur. Dicens autem, *Ne timeas, cognitorem se cordis ejus ostendere voluit, ut per hæc futurorum bonorum, quæ de Christo erat dicturus, faceret fidem: quia Quod nascetur de ea, de Spiritu sancto est.* Spiritum sanctum, ipsum dicit unigenitum Deum, sicut ipse de se testatur in Evangelio: *Quia Spiritus est, inquit, qui vivificat: caro autem nihil prodest* (Joan. 6. 64). Et Joannes ait: *Dominus Spiritus est* (Ibid. 4. 24). Non enim Spiritus advocatus ingressus est in Mariam, ut suscipiens corpus nasceretur in mundum, sed ut sanctificaret virginis vas. Dicens autem, *Quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est,* hoc dicere vult, quia de semine viri alicujus non fuerat nasciturus, sicut æstimans metuebat Joseph, sed de Spiritu sancto. Sicut enim secundum præceptum Raphaelis angeli ad Tobiam (Tob. 6. 18), viro et uxore more solito venturis ad coitum, oratio præcedere debet, ut quod concipitur, in sanctificatione concipiatur: sic unigenito Deo virginem ingressuro, Spiritus sanctus præcessit, ut præcedente Spiritu sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, divinitate ingrediente pro semine. 21. *Et pariet filium, vocabisque nomen ejus Jesum.* Non dixit, *Pariet tibi filium, sicut ad Zachariam: Ecce Elizabeth uxor tua concipiet et pariet tibi filium* (Luc. 1. 13): quia mulier, quæ ex viro concipit, marito suo filium parit: quia magis ex illo est, quam de ipsa. Hæc autem, quæ non de viro conceperat, non filium illi peperit, sed sibi tantummodo. Vide quo modo similitudinem ipsius rei per omnia sequitur, quæ facta est in Adam. Sicut enim tunc mulier gustans de ligno, sola seducta est; et peperit mortem; Adam autem non fuit particeps in seductione illius; non enim a diabolo seductus peccavit, sed quia consensit mulieri: sic et modo accipiens Maria de Spiritu sancto, sola credidit, dicens: *Ecce jam nunc beatam me dicent omnes generationes* (Luc. 1. 48). Joseph autem tunc in fide conceptionis illius nihil habuit commune, sed postea tacendo et consentiendo tantum salvatus est. Ideo et in somniis adstitit ei, non palam: ut quemadmodum dormiente Adam creavit mulierem, sic et isti dormienti divinitus consignaret uxorem. Ipse autem evangelista interpretatur quid intelligitur Jesus Hebraica voce, dicens: *Ipse salvabit populum suum a peccatis eorum.* Si ergo medicus, qui nullam potestatem habet salutis humanæ, propter solam confessionem herbarum non erubescit medici sibi nomen imponere: quanto dignus iste vocatus est Salvator, per quem totus salvatus est mundus? 22. *Hoc autem totum factum est.* Quid totum? Ut virgo propinquo suo desponsaretur, ut casta servaretur, ut angelus per somnium Joseph loqueretur, ut sponsam eam accipere juberetur, ut pueri nomen Jesus vocaretur, ut virgo mundi Salvatorem generaret. *Ut impletur quod dictum est a Domino per prophetam* (Isai. 7. 14), *dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium.* Gratia a prophetis testimonium habet, vel ideo ut Vetus et Novum consonet Testamentum, vel ut infirmitati eruditorum satisfaciatur, vel ut non mox temere videretur erumpere, quod tanto ante tempore prædictum est.

*Prophetia duplex.* — Prophetia autem alia est præscientia, et hæc immutabilis: ut hæc, *Ecce virgo concipiet.* Alia ex judicio operum, et hæc solet mutari secundum quod verba sonant, non secundum intellectum; ut, *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subver-*

retur (Jon. 3. 4) : subintelligimus, nisi poeniteat. Item qua est ex praescientia, illa impletur Dei solummodo operatione, ut quod virgo pareret. Alia impletur hominum administratione, ut de aliquo, ut sit justus. Admiratus itaque tanti mysterii dignitatem propheta, quasi omnes de somno suscitans, ait : *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus (Isai. 7. 14)*. Multis praetermissis uno utitur nomine, quod praesenti utile est negotio. Quamvis enim nobis sit praesens semper gubernando, tamen praesentior essentialiter ex unitate personae factus est. *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1. 14)*. *24. Exsurgens autem Joseph a somno, accepit Mariam conjugem suam*. Non in domo accepit eam; nec enim adhuc dimiserat eam de domo, sed de animo suo deposuerat eam, et iterum in animum suum eam recepit. *25. Et non cognovit eam, donec peperit*. Vere enim non cognovit eam ante, cujus fuerat dignitatis, quae unigeniti Dei facta fuerat mater : sed postquam peperit, tunc cognovit eam : quia speciosior et dignior facta fuerat, quam totus mundus. Nam quem totus mundus non capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustam cubiculum uteri sui sola suscepit. Vidit Joseph enim virginem permanere post partum. Vidit mysterium<sup>1</sup> stellae quo modo stans super caput pueri, venientibus magis puerum demonstrabat. Stans testimonium dabat, quia loqui non poterat. Ipsos denique magos vidit adorantes, et divina dona eorum praesentantes. Audivit sermones ipsorum, quo modo ab oriente usque Jerosolymam stella praecedente venerant, quae non dedignata est hominibus ministrare, ut Dei gloriam revelaret. Ergo incomparabilis nativitas, totius humanae nativitatis mensuram excedens, et divinitatem nascentis pueri ostendebat, et dignitatem Mariae parentis Joseph demonstrabat. Ideo dicit, *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Cognovit autem eam quia esset, post partum ipsis.

*Eunonii haeresis*. — Quidam ex hoc verbo, secundum Eunonium, putant, quod Joseph donec peperit quidem non illam habuit in conscientia<sup>2</sup>, postea autem cognovit eam, et filios peperit. Unde et Christum primogenitum dicit : quia ille dicitur primogenitus, quem alii fratres sequuntur. Insanus neminem intelligit esse sanum : quia illi ausi sunt hoc dicere de illa, putant quia et Joseph hoc ausus fuit facere. Hoc enim quod fieri potuit, dicit evangelista quia factum non est : illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium habuit dicere. Factum non est ? Nam sunt quaedam, quae naturaliter possunt fieri : sunt autem quae impossibilia sunt per ipsam naturam. Volo tibi referre. Ille, nescio quis, cum illo litem commisit : et donec vixit, non est ei loquutus. Nunquid ex hoc quod dixi, Donec vixit, non est ei loquutus, ex eo signavi, quia post mortem illi loquutus est, quod fieri non potest ? Illud enim quod fieri potest, dixi, quia factum non est : quid autem opus habui exponere, quia nec post mortem illi loquutus est, quod fieri non poterat ? Sic et Joseph ante partum credibile fuit ut cognosceret eam, quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem : postquam vero cognovit, quia facta est unigeniti Dei templum, quo modo poterat hoc usurpare ? Quod antea facere noluit vir religiosus, exspectans nuptias suas postea facturus fuerat, ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret ? Haec secundum rationem. Veniamus autem ad auctoritatem Scripturae. Dicit enim Apostolus secundum exemplum prophetae de Christo : *Uportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus (1. Cor. 15. 25)*. Ergo Paulus hoc significavit, ut tamdiu regnet

Christus, quamdiu fiant omnia sub pedibus ejus, postea autem cesset regnare ? Stulte ! Qui regnat, antequam omnia illi subjecta sint, multo magis regnat et postquam fuerint ei omnia subjecta. Item alibi dicit : *Donec venio, attende lectioni (1. Tim. 4. 13)*. Numquid significavit, Donec venio quidem, attende ; cum venero autem, negligite ? De primogenito autem quod dico, usus est Scripturis, non solum illum primogenitum dicere, qui primus nascitur, sed etiam illum qui solus est natus. Quando dicebat Dominus ad Pharaonem : *Primogenitus meus Israel (Exod. 4. 22)* : numquid jam alium populum habebat ? Si autem dicis, quia secundum praescientiam dicebat primogenitum populum Judaicum, sciens quia ex gentibus alium populum erat facturus : dico tibi, quantum ad praescientiam suam, semper duos populos habuit : sed tam de Judaeis, quam de gentibus unum populum fuerat habiturus, sicut et habet.

#### Homilia secunda ex Cap. secundo (a).

1. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judae, in diebus Herodis regis*. Cum fugeret Jacob ante fratrem suum Esaü, et venisset ad vesperum, vidit somnium tale. Scala posita erat, cujus caput perungebat usque ad caelum, et angeli ascendebant et descendebant per eam, Dominus autem recumbebat super eam (Gen. 28. 12. sqq.). Surgens autem Jacob, suggerente Spiritu, prophetavit, dicens : *Quam formidolosus locus est hic ! Non est aliud hic nisi domus Dei, et porta caeli (Ibid. v. 17)*. Et ideo vocatum est nomen loci illius Bethel, quod est interpretatum, domus Dei. Nato itaque in Bethlehem Domino, visionis illius propheta completa est. Domus enim Dei est corpus Christi, ipso dicente : *Solvite templum hoc (Joan. 2. 19)*. Item, *Sapientia aedificavit sibi domum (Prov. 9. 1)*. Porta autem caeli ipse est Christus, per quem introitur in regna caelorum, dicente propheta : *Haec porta Domini, justi intrabunt per eam (Psal. 117. 20)*. Adhuc autem videamus quod ad utilitatem respicit, et quod evangelista tempus designat, quando nascitur Christus, id est, *In diebus Herodis regis*, ut prophetiam Danielis completam demonstraret, quae post septuaginta septimanarum annos Christum esse nasciturum demonstrat. Nam ex illo tempore usque ad regnum Herodis septuaginta septimanarum anni sunt consummati. Sciens autem Deus perfidiam Judaeorum, quia crucifixus vero Christo, alium expectaturi fuerant Christum, id est Antichristum, ideo occasionem incredulitatis eorum tollens, tempus ostendit, quando nasciturus erat Christus, ut in illum Christum credamus, qui ex tempore Danielis post septuaginta septimanarum annos nascitur, non in illum qui in fine saeculi sub nomine Christi venturus est. *In diebus Herodis regis*. Quamdiu gens Judaica, quamvis sub peccatoribus, tamen Judaicis regibus tenebatur, prophetae mittebantur ad remedium ejus. Qualis necessitas, tale et auxilium. Nunc autem, quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, id est, justitia Dei sub dominatione Romana premebatur, nascitur Christus, quia magna et desperabilis infirmitas medicum artificiosorem quaerebat. *Ecce magi venerunt ab oriente Jerosolymam, 2. dicentes : Ubi est qui natus est rex Judaeorum ? Ecce*, hoc est, confestim ut natus est, magnum Deum ostenderunt in homine parvulo, et verbis, et actibus, et muneribus ipsis. Verbis quidem, quia dixerunt, *Ubi est qui natus est rex Judaeorum ? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum ; actibus autem, quia cum vidissent eum, adoraverunt eum*. Inventa est in eis fides acutior quam aspectus, videntibus humilia, et intelligentibus alta. Muneribus autem, quia obtulerunt ei aurum, thibis, et myrrham, sicut inferius ostendemus. Venerunt autem ad iudicium gentium, et ad praedictum Judaeorum, illorum fidem prophetantes futuram, et istorum incredulitatem cou-

<sup>1</sup> Editi in marg. et Codex V. D., *ministerium*. Utraque lectio quadrat.

<sup>2</sup> Editi in margine, *in concupiscentia*. Codex V. D., *in conscientia*, sed altera manu ibidem scribitur, *vel concupiscentia* ; et haec videtur esse vera lectio.

(a) Homilia tertia in aliis.

demnantes presentem. O beati magi, qui ex omnibus gentibus primitiæ fidelium fieri meruerunt! Illi enim magi futuræ Ecclesiæ formam portabant. Sicut enim illi regem, quem non viderant, credentes quærebant, et confitebantur: sic et nos qui sumus ex gentibus, Dominum, quem nunquam vidimus, credentes quotidie quærimus, et confitemur potestatem ipsius. Quam bene de istis prophetauit Isaias, dicens: *Priusquam cognoscat puer patrem et matrem, accipiet virtutem Damasci, in conspectu regis Assyriorum (Isai. 8. 4)*. Qui sunt magi? Viri orientales, qui venerunt a Perside. Magi enim apud illos non malefici, sed sapientes intelliguntur. Ideo autem dicti sunt virtus Damasci, quia virtus uniuscujusque provinciæ sunt sapientes ipsius. Rex autem Assyriorum est diabolus, princeps dæmonum. Ergo Christus, priusquam secundum corpus inciperet cognoscere patrem aut matrem, virtutem diaboli subjugavit. Qualis futurus erat in posterum, cum ad perfectum venisset, demonstrabat in puero, qui adhuc in cunabulo constitutus diabolum exspoliavit a suis, scilicet ab istis magis. Quomodo cum venisset ad bellum, evacuaturus fuerat omnem potestatem ipsius, considera. Quoniam ab oriente venerunt, unde dies nascitur, inde initium fidei processit: quia fides lumen est animarum. Quando enim ab occidente nascitur aliquid contra orientem, divinitio mali ostenditur contra bonos: quando ab oriente nascitur aliquid contra occidentem, divinitio boni ostenditur contra malos. Quoniam ergo in temporibus Christi justitia subjugatura fuerat injustitiam, et fides infidelitatem, ideo ab oriente venerunt primitiæ fidei. *Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum*. Numquid nesciebant quia in Jerusalem regnabat Herodes? numquid non intelligebant justitiam legis, quia quicumque rege vivente alterum regem pronuntiat, et adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? Sed dum considerabant regem futurum, non timebant regem presentem. Numquid non habebant præ oculis suis periculum mortis, qui talem rem illicitam usurpabant? Sed non curabant de morte. Si autem curassent de morte, numquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum, et jam parati erant mori pro eo. O beati magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores! Legi apud aliquem magos istos ex libris Balaam divinatoris apparituræ hujus stellæ scientiam accepisse, cujus divinitio posita est et in Veteri Testamento: *Orietur stellu ex Jacob, et exaruet homo ex Israel, et dominabitur omnium gentium (Num. 24. 17)*.

*Liber apocryphus nomine Seth. Mons Victorialis.*— Audivi aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non destruentem fidem, sed potius delectante, quoniam erat quadam gens sita in ipso principio orientis juxta Oceanum, apud quos ferebatur quadam scriptura, inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, et muneribus ei hujusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filiis suis, habebatur deducta. Itaque elegerunt seipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores, et amatores mysteriorum cælestium, et posuerunt seipsos ad expectationem stellæ illius. Et si quis moriebatur ex eis, filius ejus, aut aliquis propinquorum, qui ejusdem voluntatis inveniebatur, in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem magi lingua eorum, quia in silentio et voce tacita Deum glorificabant. Hi ergo per singulos annos, post messem trituratoriam, ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum Mons Victorialis, habens in se quamdam speluncam in saxo, fontibus, et electis arboribus amœnissimus: in quem ascendentes, et lavantes se, orabant<sup>1</sup> et laudabant in

silentio Deum tribus diebus, et sic faciebant per singulas generationes, expectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis descendens super Montem illum Victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli, et super se similitudinem crucis: et loquuta est eis, et docuit eos, et præcepit eis, ut proficiscerentur in Judæam. Proficiscentibus autem eis per biennium præcedebat stella, et neque esca, neque potus defecit in peris eorum. Cætera autem quæ gesta referuntur ab eis in Evangelio compendiose posita sunt. Tamen cum reversi fuissent, manserunt colentes et glorificantes Deum studiosius magis, quam primum, et prædicarunt omnibus in genere suo, et multos erudierunt. Denique cum post resurrectionem Domini Thomas apostolus isset in provinciam illam, adjuncti sunt ei, et baptizati ab eo, facti sunt adjutores prædicationis illius. Ex eo autem quod dicit Scriptura, *Vidimus stellam ejus in oriente*, videtur occasionem dare infidelibus de astrologia, ut unumquemque putent suæ stellæ motu et nasci et vivere: ideo bonum est breviter de his inferre sermonem. Si enim stellæ est, quod aut boni sumus, aut mali: ergo nec bonum nostrum laudandum est, nec malum vituperandum, quia nec est in nobis voluntarius actus. Ut quid enim boni mei laudem merear, quod non meo arbitrio, sed motu stellæ facio: aut mali mei poenam suscipiam, quod non voluntate, sed necessitate commisi? Nam nec possum fugere malum, etiam si volo, si me natiuitatis meæ stella compellit ad malum. Si adulter et homicida fiunt per stellam, et in crimine stella facit eos interfici, magna est illarum iniquitas stellarum, magis autem illius qui stellas ad hoc creavit. Interrogamus ergo, Ex se facta est creatura, an ab alio? Si quidem dixerint, Ex se, audiant a nobis: quoniam impossibile est, quod a se exstitit, et eventu agitur, ut aliquem ordinem habeat certum. Si autem dicunt, Ab alio, ergo iniquus est qui fecit. Nam cum sit præsciens futurorum Deus, quod tanta iniquitas futura erat per stellas, si noluit emendare, non est bonus: si autem voluit et non potuit, impotens est. Sed etiam injustus est, quia ex necessitate stellarum peccantes ita punit, quasi ex voluntate peccantes. Ipsa denique mandata Dei, ne peccent, aut hortamenta, ut faciant bonum, per hanc insipientiam nonne destrunt? Quis enim hortetur aliquem, ne faciat malum, quod non potest declinare: aut ut faciat bonum, ad quod non potest pervenire? Deinde interrogamus: Si idem semper est cursus stellarum, quare non semper idem est et hominum status? Si dicunt, Per certos annos fit stellarum restauratio: necesse est ergo qui sciunt astrologicam disciplinam, quia per certos annos restituantur stellæ, sciant et per quot annos hæc restauratio peragatur. Quibus post responsum dicimus, quæ fuit illa, quæ fecit omnes homines in diluvio mori? numquid in ea exstitit, ut iterum diluvium faceret, aut illi homines secundum unam stellam fuerant nati? Nam oportebat per unumquemque gyratum eandem ipsam inefficientem rem consummari. Nam si ejusmodi motio et gyratus stellarum ejusdem malitiæ et ejusdem bonitatis causam præstat, oportebat non semel fieri Abraham, aut patriarchas, aut prophetas, aut apostolos, sed quotienscumque fit ipse gyratus stellarum. Denique ipsa conversatio<sup>1</sup> hominum testis est veritatis. Ante adventum Christi quæ stella omnes homines idola colere compellebat, cæterasque iniquitates facere? aut post Christum qualis gyratus ab idolis recedere homines fecit, et per totum orbem mores mutavit antiquos? Ecce Persæ matribus et filiabus junguntur, Judæi autem octavo die circumciduntur, et unaquæque gens aliam atque aliam habet consuetudinem. Si idem est cursus stellarum, quomodo Persæ ab illa consuetudine nunquam recedunt, neque Judæi a sua? Si autem

<sup>1</sup> In marg. Editi habent, *dominatio mali*, et infra, *dominatio boni*, et sic Cod. V. D. bis in textu.

<sup>2</sup> Sic Editi in marg. et V. D. in textu, et hæc videtur esse vera lectio. Editi, *offerat*, in textu.

<sup>1</sup> Sic Editi in textu, in margine vero, *conversio*, quam lectionem habet et CoJex V. D.

dicatur, Secundum diversas regiones diversa est stellarum operatio : quomodo ergo qui in Perside crediderunt, ab illa turpitudine recedere potuerunt, in eadem regione manentes? aut qui non crediderunt, etiam peregrinantes in aliena provincia mores patrios tenuerunt? Et Judæi transmigrati in Babyloniam, et illic filios procreantes, quomodo nunquam per stellas regionis illius compulsi sunt a circumcissione sua recedere, et illorum insaniam sequi? Ne quis ergo stellarum culpet discursum, sed suum propositum.

5. *Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum eo.* Existimans illum regem fore terrenum, quasi de successore regni turbatus est. Semper enim grandis potestas majori timori subjecta est. Sicut ramum<sup>1</sup> arborum in excelsis positarum, etiam si lenis aura flaverit, movet : sic et sublimes homines in culmine dignitatum existentes etiam levis nuntii fama conturbat. Humiles autem, sicut in convalle, plerumque in tranquillitate consistunt. Aut ideo turbabatur, audiens regem natum Judæis ex genere Judæorum, cum esset ipse genere Idumæus, ne, regno revoluta iterum ad Judæos, et ipse a Judæis expelleretur, et semen ejus post ipsum præcideretur a regno. Puto quod non tantum Herodes a semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode. Herodes enim timebat, quod suspicabatur : diabolus autem timebat, quod vere sciebat. Herodes hominem æstimabat, diabolus Deum cognoscebat. Audierat enim jam angelos in aere clamantes, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. 2. 14). Ideo quanto magis testes addebantur pro Christo, tanto magis destructionem potestatis suæ diabolus timebat. Unusquisque ergo eorum zelo proprio turbabatur, et secundum suam naturam sui regni successorem timebat : Herodes terrenum, diabolus autem cælestem. Nam nec Herodes terretur, si cælestem regem nasci suspicatus fuisset, nec diabolus, si terrenum. Vis scire, quia non tantum ipse turbabatur, quantum diabolus in eo? Ecce et Judaicus populus turbabatur, qui magis de auditu isto gaudere debuerat, quia rex Judæus surgere dicebatur, designatus a Deo. Sed turbabantur, quia de adventu justi non poterant iniqui gaudere. Aut certe turbabantur timentes ne forte iratus Herodes Judaico regi, genus ejus vexaret. Nam quemadmodum, certantibus ventis, mare concutitur, sic regibus adversantibus sibi, populus regni vexaret.

4. *Convocavit autem principes sacerdotum, et scribas, et interrogavit ab eis, ubi Christus nasceretur.* Ex hoc apparet maxime, quia diabolus turbabatur in Herode, quoniam traditores legis interrogat. Ut quid enim interrogaret Herodes, qui non credebatur Scripturis? Sed investigabat<sup>2</sup> diabolus, qui credebatur quod Scripturæ non mentiuntur. Nam diabolus alios in errorem inducit, ipse autem veritatem bene cognoscit. Quid enim vis? credebatur Herodes Scripturis, aut non credebatur? Si non credebatur, ut quid interrogabat Scripturas, quas putabat esse vaniloquas? aut si credebatur, quia inde vere nasciturus est rex, unde Scripturæ dicebant : quomodo sperabat posse se interficere illum regem, quem futurum Scripturæ esse dicebant? numquid poterat homo corrigere, ut ne fiat quod Deus ordinavit ut fieret? Sed quidem credebatur Herodes in malo, in bono autem non credebatur : quoniam quidem quod inde nasciturus fuerat rex, unde Scripturæ dicebant, credebatur : quoniam autem adversus illum agere non poterat, quem Deus mittebat, non credebatur, quia non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur ligatus. Sic sunt omnes homines peccatores, in quibus diabolus operatur : credunt Scripturis, et non credunt : quia hoc ipsum, quod credunt, perfecte credere non permittuntur<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Montef. in margine conjicit, *cacumen*, pro, *ramum*; et infra, *movetur*, pro, *movet*.

<sup>2</sup> Sic Editi in textu, in marg. autem, *instigabat*, quam lectionem habet V. D.

<sup>3</sup> Editi in marg. et V. D., *quod credunt perficere non permittuntur*.

Quod enim credunt, veritatis est virtus : quia nulli potest esse occulta ; quod autem non credunt, excæcatio est inimici : quia subjecti sunt operibus ejus, et inens eorum libera non est : ut, puta, omnes qui Christiani sumus, et legitimos, scimus quia mundus consummandus est, et quia morituri sumus, et hoc ipsum tamen perfecte non credimus. Si enim perfecte crederemus, sic viveremus, quasi post modicum transiituri de hoc mundo, non quasi in æternum mansuri.

5. *At illi dixerunt : In Bethlehem Judæ. Sic enim dictum est per prophetam.* Dant responsum regi interroganti ex corde non bono, cum deberent celare mysterium regis a Deo prædefiniti ad salutem gentis Judææ, maxime in conspecta regis alienigenæ, qui non solum zelo regni, sed etiam generis alieni odio adversaturus regi postmodum futuro non ignorabatur, si ipsi sapienter voluissent considerare. Et non solum manifestant mysterium, sed etiam ad fidem sermonum suorum propheticum protulerunt exemplum, tamquam qui thesauros Domini sui absconditos hostibus ejus prodant : et facti sunt non prædicatores operum Dei, sed proditores mysteriorum ejus : et non doctores Herodis, sed irritatores malitiæ ejus. Ex quibus docemur, Scripturarum occulta non manifestari iniquis, sed fidelibus, sicut præcepit Paulus : *Quæ a me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus, qui possunt etiam alios docere* (2. Tim. 2. 2). Et non solum prophetiæ mysterium prodiderunt regi iniquo, sed adhuc ipsam prophetiam præcedentes ex unconsensu suo omnes, et non exponentes omnem Scripturam divinitus inspiratam, interdicendorum parvulorum facti sunt causa. Quomodo enim scriptum erat? *Et tu, Bethlehem terra Juda, non es minima inter principes Juda : ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel, diesque ejus a diebus sæculi* (Mich. 5. 2). Si ergo integram prophetiam protulissent, sicut fuerat dicta, considerans Herodes quia dies nascituri regis illius a diebus sæculi erant, et intelligens antiquitatem honoris ejus, quia non erat ille talis rex terrenus, cujus dies a diebus sæculi erant, in tantum, furorem non exarsisset adversus eum : nunc autem præcisa hac parte prophetiæ quæ compescere poterat zelum ipsius, primam partem solum protulerunt, quæ eum poterat irritare. Unde ita exponentibus illis, putans Herodes similem cæteris regibus ex ea nasci regem, parvulos interfecit, cum illis æstimans occidere etiam Christum. O infelices Judæi! Herodem docuerunt quia de Bethlehem nascitur ipse qui est gubernaturus populum Israel : et se non docuerunt, postquam natus est, ut crederent ei. Herodes illis credidit quasi vera dicentibus, ut persecueretur Christum, et ipsi sibi non crediderunt, ut susciperent eum. 7. *Tunc vocavit occulte magos, et diligenter exquisivit tempus quando apparuit eis stella : 8. et dixit illis : Ite et videte de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Postquam audivit Herodes responsum, duplici modo credibile, primum, quia a sacerdotibus fuerat dictum, deinde, quia exemplo prophetico fuerat comprobatum, non ad devotionem flectitur nascituri regis, sed ad malitiam interfectionis ejus per dolum : quia malus homo quæ Dei sunt quidem intelligere potest, quæ Dei sunt autem agere non potest : quoniam intellectus hominis ex Deo creatus est, actus autem ex proposito voluntatis ipsius. Vidit enim Herodes magnam devotionem magorum circa Christum, et quia non poterat eos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, ut consentirent ei in interfectione regis futuri, ideo et illos ipsos decipere cogitavit. Nec enim poterat fieri, ut blandimentis seducti proderent illum, propter quem tanti itineris susceperunt laborem. Nec expavescere poterant aliquid, ut traderent eum, qui non aspererant Herodem, nec Casarem, sed in medio regno illorum ingressi sunt, alium regem annuntiantes : nec aliquid amplius desiderare poterant, quam Christum, qui illi de tam longa provincia munera pretiosa portabant. Cum vidit quod

aliud facere non poterat, ergo devotionem promittebat, qui gladium acuebat, et malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat. Talis enim est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto gravius ledere volunt, humilitatem illi et amicitias fingunt. Occulte vocavit eos, ut non viderent Judæi (habebat enim suspectos Judæos), ne forte quasi regem suæ generationis amantes, et intelligentes astutiam Herodis, proderent consilium ejus magis, nesciens quia inimici majores erant Christi Judæi quam ipse. Herodes enim velut hominem suspicans persequatur: Judæi autem post multa miracula, post signa cælestia, postquam manifeste cognoverunt eum esse Filium Dei, tunc crucifixerunt eum. Quanto ergo manifestior divinitas ejus illis, quam isti, tanto sceleratior est Judæorum iniquitas, quam Herodis. 9. *Et ecce stella, quam viderant in oriente, præcedebat eos, usque dum venit et stetit super caput pueri.* Ex hoc ostenditur loco, quia cum aliquantulum stella adduxisset magos prope Jerusalem, abscondita est ab eis, ut relicta a stella cogerentur in Jerusalem interrogare de Christo, simul et manifestare de illo propter duas causas. Primum, ad confusionem Judæorum: quoniam quidem gentiles stellæ tantummodo visione confirmati Christum etiam per alienas provincias requirebant: et Judæi ab infantia prophetias legentes de Christo, et in suis finibus natum, non susceperunt. Deinde, ut interrogati sacerdotes, unde nasceretur Christus, ad præjudicium suum responderent de Bethlehem: quia qui Herodem docuerant de Christo, ipsi ignorabant de illo. Si enim jugiter apparuisset, in Bethlehem eos fuerat deductura, et ideo non fuissent coacti interrogando nuntiare de illo. *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos:* ut considerantes obsequium stellæ, regis intelligenter dignitatem, et dicerent apud se: quomodo sit rex iste terrenus, cui stella ministrat? Quid autem mirum, si Sole justitiæ orituro, stella ministrabat divina? Præcedebat autem eos, ut ostendat, quoniam hominibus quærentibus Deum sic omnia elementa ministrant. Si ergo magnum putas, quia Christo stella obsequabatur, vide quoniam majora sunt, quæ tibi homini constituto ministrant. Ecce enim tibi sol currit, et luna fulgere non cessat. Si tibi homini constituto elementa ministrant, quid mirum si Christo stella obsequabatur? si tibi peccanti elementa ministrant, quid mirum si ante illos quærentes Christum stella currebat? et si angeli ministrant hominibus, quos Deus non ad obsequium hominum, sed ad suum creavit, quid magnum si hominibus elementa ministrant, quæ propter homines sunt creata? Hæc audientes, gaudere nos oportet pariter et timere, quia quanto majora beneficia hominibus sunt constituta, tanto graviora peccantibus judicia sunt preparata. Et stetit super caput pueri, quasi dicens, Hic est, ut quia loquendo monstrare non poterat, stando monstraret. 10. *Et videntes stellam, gavisi sunt gaudio magno valde:* quia videlicet spes illorum non erat decepta, sed amplius confirmata, quod tanti itineris non sine causa susceperunt laborem. Indicio enim stellæ sic occurrentis sibi secundum tempus intelligebant, quia divinitus eis nativitas illa regis est ostensa. Et per mysterium stellæ<sup>1</sup> intelligebant, quoniam dignitas tunc nati regis excedebat mensuram omnium mundialium regum: necesse enim erat, ut gloriosorem putarent regem illum, quam stellam, cui stella sic devote obsequabatur. Aut quomodo non crederent ei subdendos homines, cui etiam cæli ornamenta subdita esse videbant? aut quomodo poterat ei terra esse rebellis, cui famulabatur et cælum? 11. *Et intrantes domum, viderunt puerum et matrem ejus.* Videamus quid tale gloriosum videntes in puero gavisi sunt, qui regem quærentes tanti itineris susceperunt laborem? Numquid viderunt palatium marmoribus splen-

didum? numquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto aureo recubentem? numquid puerum auro et purpura involutum? numquid aulam regiam diversis populis personantem? Sed quid? Pandochium tenebrosam et sordidum, et magis animalibus quam hominibus aptum: in quo nemo contentus erat secedere, nisi itineris necessitate coactus. Matrem ejus vix tunicam unam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat uxor carpentarii, et hæc in peregre constituta. Puerum pannis sordidissimis involutum, et in sordidore quoque præsepio positum: quia locus ille sic erat angustus, ut nec ponendi infantem spatium invenirent. Si ergo regem terrenum quærentes, sic invenissent, magis confundendi fuerant quam gavisuri, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent: nunc autem quia cælestem regem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti gaudebant. Oculi eorum contemptibilem puerum aspicere non poterant, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat. Adhuc autem si quasi terrenum regem eum quæsisset, invenientes eum apud ipsum remansissent, sicut sæpe fieri solet in sæculo, ut proprio rege relicto, conferant se ad alterum. Nunc autem et hunc adoraverunt, et ad suum reversi sunt: ut istum haberent regem cælestem animarum suarum, illum autem terrenum corporum suorum. *Et adoraverunt eum.* Putas adorassent infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid divinum credidissent in eo? Ergo non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, sed divinitati ejus omnia cognoscenti. Sed et qualitas ipsa munerum oblatorum testificabatur eos quamdam divinitatis æstimationem habere de puero. *Apertis enim thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham:* adimplentes gentium in Christo confessionem, et prophetiam impletam significantes Isaiæ dicentis: *Omnes, qui sunt in Saba, venient, aurum offerentes, et lapidem pretiosum, salutare Domini evangelizantes, et omnes oves Cedar congregabuntur, et arietes Nabaioth venient, qui et offerent acceptabilia super altare tuum (Isai. 60. 6. 7).* Confestium autem cognoscentes, et aperientes thesauros suos, congrua gentibus in Christo per ipsa dona ostenderunt oblationem. Regem enim cognoscentes eum, primitiam mundam, et pretiosam sanctorum, sibi aurum repositum obtulerunt. Divinum autem et cæleste intelligentes principium ejus, libani obtulerunt odorem, formam mundæ orationis in odorem suavem Spiritus sancti oblate. Humanam autem et temporalem sepulturam ejus intelligentes, obtulerunt myrrham.

*Magorum munera quæ significant.* — Hæc autem etsi tunc non intelligebant magi, secundum quale mysterium ista gerebantur, vel quid significaret unumquodque munus eorum, nihil tamen contrarium est. Gratia enim, quæ illos hæc omnia facere hortabatur, et ipsa ordinaverat universa postmodum cognoscenda. Aurum sunt ergo perfecti fideles et sapientes, dicenti Apostolo: *Si quis adificat aurum, argentum, lapides pretiosos (1. Cor. 3. 12).* Si quis ergo præbet se Christo fidei sapientia plenum, obtulit ei aurum. Thus autem est oratio, sicut scriptum est: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (Psal. 140. 2).* Si quis ergo Christo mundam offert orationem, obtulit ei thus. Myrrham æstimo esse opera bona: quoniam sicut myrrha corpus defunctorum insolubile servat, sic bona opera Christum crucifixum in memoria hominis perpetuum servant, et hominem servant in Christo. Primum ergo oportet Christo offerre fidem rationabilem, deinde orationem mundam, et tertio opera sancta. Tu ergo quando venis ad ecclesiam ad orandum Deum, munera tecum in manibus tuis porta: da non habentibus, et pete ab illo qui habet, ut oratio tua bonis operibus commendetur. Sic et in lege scriptum est: *Ne intres in conspectu Domini Dei tui vacuus (Exod. 23. 15):* inlirma enim oratio est, quæ elemosynarum vir-

<sup>1</sup> Editi in marg. et v. n., *Et per ministerium stellæ.*



tute non est munita. 12. *Et admoniti in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* O fides magorum! Non contradixerunt angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus venientes ante multitudinem civitatum non timuimus, regem terribilem apud illas omnino non expavimus: sed stetimus, et fiducialiter qui natus fuerat regem predicavimus, et quasi Deo munera digna obtulimus; et quasi servos latenter jubes nunc fugere, ut alia via venientes, alia redeamus? Sed fideles constituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modo erubuerunt occulte recedere: quia nec erat possibile, ut qui ab Herode ad Christum venissent, ad Herodem redirent. Qui enim relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter revertuntur ad Christum: qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, nunquam revertuntur ad Herodem. Id est: qui de Christo ad diabolum transeunt per peccatum, frequenter per poenitentiam revertuntur ad Christum: qui autem relicto diabolo venit ad Christum, difficile revertitur ad diabolum: quia qui nunquam fuit in malis, sed in innocentia, dum nescit quid sit malum, facile decipitur, et transit ad diabolum: sed cum expertus fuerit malum quod invenit, et recordatus tempus bonum quod perdidit, compunctus redit ad Deum unde recessit; qui autem in malis fuerit, et conversus est ad bonum, dum gaudet de bonis quae invenit, et recordatur mala quae evasit, difficile redit ad malum. Sed quid? quia multi cum Christo relicto peccaverunt, non agunt poenitentiam. Illi tales nunquam fuerunt Christi: ideo superius dixi, qui toto corde de diabolo venit ad Christum. Qui enim post peccatum non poenitet, non quasi homo carne deceptus peccavit, sed arbitrio suo cum esset malus, malum exit. Nam malus, quod malum est non putat malum; ideo nec poenitet cum fecerit malum. Aut ita: qui enim a diabolo venit ad Deum, nunquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. Venisti per viam fornicationis, ambula de caetero per viam eleemosynarum. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis, et sis proditor Christi. 13. *Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Tolle puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.* O angele Dei, nonne tu mihi retulisti, quia quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est? et quomodo jubes nos fugere? quomodo Filius Dei ante hominem fugit? aut quis liberet de inimicis, si et ipse inimicos suos timet? Jam primum quidem fugit, ut regulam humanæ naturæ, quam suscepit, conservet in omnibus, et in hac parte, quia et humanæ naturæ et puerili ætati convenit fugere potestatem minantem. Alioqui si illud agat in corpore constitutus, quod est proprium Dei, non dispensat in se humanam naturam, sed mutat. Deinde ut et cæteri Christiani, id est sancti, cum necessitas persecutionis advenerit, fugere non erubescant. Et quare vadit in Ægyptum? nunquid alia terra defecti? Semper enim adversus populum ejus Ægyptus exstitit inimica. Sed etiam recordatus Dominus, qui non in finem irascitur, neque in æternum indignatur (Psal. 102. 9), quanta mala fecerit super Ægyptum, ideo mittit Filium suum in eam, et dat illi magnæ reconciliationis signum, et perpetuæ amicitiae pignus, ut decem plagas Ægypti una medicina sanaret. *O commutatio dexteræ Excelsi (Psal. 76. 11)!* Ut populus qui ante fuerat persecutor populi primogeniti, postea fieret custos unigeniti Filii. Ut qui illi populo violenter dominati sunt, isti cum devotione servirent. Ut jam non irent ad mare Rubrum deterrgendum, sed vocarentur ad aquas baptismatis vivificandi. Ut invocaret quod dictum est: *Ecce Dominus descendit in Ægyptum, sedens super nubem levem (Isai. 19. 4).* Nubes est corpus ipsius: leve autem, sine pondere peccatorum. 16. *Tunc Herodes videns quoniam delusus esset a magis, iratus est*

vehementer. Postquam parvulus Jesus magos subjugavit sub imperio suo, non potestate corporis, sed gratia Spiritus, non exercitum Christus misit post illos, sed stellam modicam ante illos. Religione illos subdidit, non timore. Non enim persecutus est illos, sed ipse requisitus est ab eis. Ideo merito irascebatur Herodes, quia quibus ille sedens in throno regni et vestitus purpura suadere non poterat, his Jesus parvulus, et jacens in præsepio, et pannis involutus placuit. Herodes autem, qui dum vellet deludere, delusus est, devotionem promittebat puero dicens: *Exquirite de puero, ut et ego veniam, et adorem eum.* Insensatus, qui unigenitam Dei sapientiam humana fraude circumvenire tentabat. Jam enim quasi successorem regni sui timens fremebat. Nam reges si quidem ex aliis causis irascuntur, cito placantur: illa autem ira eorum inexstinguibilis est, quam regni zelus accendit. Deinde contemnentes eum magi addiderunt easus doloris. Quemadmodum si quis infundat oleum super ignem ardentem, magis crescit incendium: sic ardentem zelum Herodis delusionis opprobrium amplius excitavit. Quid fecit? *Misit et occidit omnes pueros in Bethlechem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod æquisierat a magis.* Ut quid? Quia delusus erat a magis. Sicut fera bestia habens naturalem asperitatem, si ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem ejus duplicat ira doloris, et quasi cæca furore, jam non aspicit vulnerantem, sed quicumque ante oculos ei occurrerit, sive homo, sive alterum animal, quasi auctorem vulneris sui dilaniat: sic et ille delusus a magis, iram suam super parvulos effundebat. Dicebat enim cogitans in furore: Certe magi invenerunt puerum illum, quem regnaturum dicebant, et aut aurum acceperunt a parentibus ejus, aut largis promissionibus sunt placati: ideo ad me reversi non sunt. Nam rex quidquid adversus regnum suum putaverit, totum verum aestimat. Animus ejus semper suspectus est, regni zelo repletus; dum omnia timet, omnia suspicatur. Facile credit quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet uxorem, aut uxor virum, omnem auditio-nem turpem credit de illo: etsi non sit auditio ipsa digna, et idonea ut credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. Ideo ergo forsitan talia dicebat apud se: Quis est puer ille, qui antequam nascatur in terra, jam apparet in celo? Necdum seipsum ostendit, et jam omnes illum quaerunt. Et necdum terrenum populum habet, et jam militiae caelestes stellarum illi ministrant. Quis est ille, qui antequam mecum pugnet, jam me vincit: antequam vincat, regnat: antequam regnet, jam dominatur? Quid putas facturus est ille homo in regno meo, si creverit? Ego et dona hominibus spargo, et gladium porto: ut qui non timet, vel diligit; qui non diligit, vel timeat. Ille nec populum habet, nec divitias congregavit: et quomodo sine auro diligitur, et sine ferro timetur? Sic misit et interfecit omnes parvulos, ut unum inveniret in omnibus. Sed nec unum invenit in omnibus, et omnibus vitam æternam præstitit propter unum. Ipse se fallere voluit, qui inter homines Deum quaerebat tenere. Quid agit insensata ira tua, Herodes? Si non credis verbis quæ magi dixerunt de rege futuro, quare sine causa insanis in pueros? si autem credis verum esse quod dictum est de puero et de stella, iterum dico, quare sine causa insanis in pueros? numquid potes tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum, quem Deus defendit? Sed quid mirum, si Herodes homo iniquus putabat se posse mutare consilium Dei? Ipse denique sapientissimus Salomon, cum propter peccatum suum audisset a prophetis Hieroboam regem futurum, posuit persequi eum, putans posse illum perdere, quem Deus producit: quia zelus sapere nescit, et ira non potest habere consilium. 18. *Vox in Rhama audita est.* Rhama civitas erat Saül, Saül autem erat de tribu Benjamin, Benjamin vero filius erat Rachel, cujus numerotum erat juxta Bethlechem, ubi hæc agebantur mala.

1 V. D., eleemosynarum largitate, et sic Eliu in marg.



Quoniam ergo in Bethlehemi interficiebantur parvuli, ubi erat monumentum Rachel, ideo Rachel introducitur plorans. Quamvis autem Rhama non esset prope Bethlehemi, tamen dicitur, *Vox in Rhama audita est*: quoniam Rhama Hebraice interpretatur excelsum. Ideo dixit, *Vox in excelso audita est*: quoniam de morte innocentium mittebatur ad cælum, ideo audiebatur in excelso. Sic enim ait Salomon: *Vox pauperis penetrat nubes, et non discedit, donec audiat* (Eccli. 5. 21). Sic et pauper, quando violentiam patitur a potente, etiam non est ausus vociferari, sed latenter lacrymatur, tacitus clamor ejus in excelso auditur: quia non magnus clamor velociter a Deo auditur, sed justus. Quod ait, *Ploratus, sletum parvulorum ostendit*: quod autem dixit, *Ululatus*, matrum significat lamentum. Plorabant enim parvuli, quia separabantur a matribus: ululabant matres, quia desolabantur a filiis, et quasi viscera earum separabantur ab eis. Et erat videre majorem dolorem in matribus remanentibus, quam in parvulis morientibus. Parvuli enim unum patiebantur dolorem, quia separabantur a matribus, et non quia ducebantur ad mortem. Nec enim sciebant adhuc mortis timorem. Matres autem duplicem: unum quidem, quod videbant parvulos suos interfici: alterum, quod ipse desolabantur a filiis. In parvulis mors eorum beata finem faciebat doloris: in matribus autem parvulorum memoria semper reparatio erat doloris. Post hæc autem dignam poenam Herodes suscepit. Nam filios suos tres interfecit, et non interfectos ab alio vidit occidi, ut ne vel paternam super illos pietatem demonstraret in luctu; sed ipse occidit, ut et filios perderet, et de morte eorum crimen acquireret. Viscera sua laniabat in filiis, et dolorem eorum non sensit. Ut quemadmodum parvuli mortem suam non senserunt propter infantiam, sic et ille dolorem viscerum suorum non sensit propter insaniam. Deinde ipse multis doloribus apprehensus est, sicut refert historia, quam longum est narrare. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur. Et quia multoties mori non poterat, qui multos occiderat infantes, propterea vindicta morientium plurimorum in plurimis ei doloribus reddebatur. Item quando vidit se prope mortem, sciens quia odibilis erat apud omnes Judæos, et quia mors illius multis gaudium erat factura, congregavit omnes principes Judæorum, et jussit, ut cum ipse mortuus fuisset, omnes occiderentur, ut in morte ejus omnes civitates lugerent: etsi non propter amorem illius, vel saltem propter suum dolorem. Et hoc consilio Dei factum est. Quando enim magi amuntiaverunt de stella regis futuri, omnes principes consenserunt Herodi, ut requireret puerum et occideret. Hoc unde scimus? Primum quia dicit Scriptura. *Turbatus est Herodes, et omnis civitas cum illo*. Deinde ipsa verba angeli hoc demonstrant, dicens: *20. Accipe puerum et matrem ejus, et revertere in terram Juda: defuncti sunt enim qui querebant animam pueri*. Non dixit, *Mortuus est*, qui requirebat animam pueri: sed, *Mortui sunt omnes*, qui requirebant animam pueri. *19. Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, 20. dicens: Accipe puerum et matrem ejus*. Vides quia Joseph non ad conjugium Mariæ erat electus, sed ad ministerium ejus? Eunte autem illa in Ægyptum et redeunte, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium ei tantæ necessitatis impleverit? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutrebat, Joseph conservabat. Revera autem puer matrem nutrebat, et Joseph utabatur. Ideo non dicit, *Accipe matrem, et puerum ejus*: sed, *Accipe puerum, et matrem ejus*: quia non propter illam matrem iste filius natus est, sed propter illum filium illa preparata est mater. Nec pueri erat gloria habere illam matrem, sed illius erat beatitudo, istum habere filium. Sicut ipsa dicebat: *Ecce nunc beatam me dicent omnes generationes* (Luc. 1. 48). *20. Vade in terram Israel*. Quasi enim medicus descendit in Ægyptum, ut visitaret eam languentem erroribus, non ut

remaneret in ea. Nam in prima facie quasi Herodem fugiens, descendit in Ægyptum: revera autem, ut Ægyptii erroris dæmones effugaret ex ea, sicut testatur Isaias dicens: *Ecce Dominus descendit in Ægyptum, sedens super nubem levem, et cadent idola Ægypti* (Isai. 19. 4). Vides ergo quia ideo descendit in Ægyptum, non mortem fugiens, sed ut mortifera idola dissiparet? Nam nunquam invenitur Dominus descendisse, nisi tunc. Notandum autem, quia nocte fugit in Ægyptum, revertitur autem per diem: quoniam fugiens, persecutionem fugiebat Herodis: revertens autem, mortuo revertebatur persecutore. Omnis enim persecutionis angustia nox est, refrigerium autem dies. *22. Admonitus autem in somnis, secessit in portas Galilææ, 23. et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur*. Dum dicit, *Per prophetas*, non, *Per prophetam*, manifestat quod non certam auctoritatem prophetiæ protulit, sed sensum prophetarum colligens dixit. Nam per omnes prophetas Jesus Nazareus vocatur, quod est sanctus. Aut forte legerunt et alios prophetas ita dicentes, qui non sunt nobis canonizati. Alii etenim prophetaverunt, et conscripserunt, sicut Nathan, et Esdras. Et quoniam prophetatum erat, hoc ipsum manifestat Philippus dicens ad Nathanael, *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth* (Joan. 1. 45. 46). Unde et Nathanael sciens prophetatum esse, hoc ipsum confirmans respondit: *Ex Nazareth potest aliquid boni esse?*

#### Homilia tertia ex cap. tertio (a). I.

1. *In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ. 2. et dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. 3. Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto. parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (Isai. 40. 3). 4. *Ipsæ autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. Eacæ autem ejus locustæ, et mel sylvestre. 5. Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, 6. et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. 7. Videns autem multos Phariseorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Sol appropians ad processum, antequam appareat, mittit radios suos, et facit albescere orientem, ut procedens aurora adventum diei demonstret. Sic Dominus natus in mundo, antequam appareat, Spiritus sui fulgore transmisso illuminavit Joannem, ut procedens ille adventum Salvatoris annuntiet: ne forte subito veniens, et dicens se esse Filium Dei, propter ipsam magnam atque terribilem indicationem rei ipsius, magis se incredibiliorem ostenderet. Si enim Joannes prædicavit persona cognitus, genere dignitosis (erat enim filius Zachariæ sacerdotis), et conversatione mirabilis, tamen infideles Judæi non acieverunt credere Christo per illum: quanto magis non erant credituri, si nulla ante eum denuntiatio præcessisset? Nam quantumvis fuerit persona laudabilis, in sua causa non potest esse testis idoneus. Venit Joannes quasi magni regis præparator fidelis. Quis rex, talis et nuntius regis: natus ex gratia, non ex natura. Sicut Christi conceptionem ante angelus nuntiavit, sic et istius. Sicut illius nomen, antequam conciperetur, auditum est, sic et istius. Sicut illius potestas, antequam nasceretur, ostensa est: sic et istius virtus, antequam nasceretur, manifestata est. Hæc fuit inter illos differentia: quia Christo concepto, fidelis mater confessa est gratiam Deo, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1. 38); Joanne autem concepto, incredulus patet

(a) Hæc Homilia est quarta in Codice V. D.

obmutuit : quia Joanne nato , lex de cætero fuerat tacitura ; Christo autem nascente postmodum , gratia fuerat loquutura . Joannes quidem parentibus suis donatus est pro munere pietatis ipsorum , quem natura desperabilis <sup>1</sup> in ætate produxit : quoniam et mundus per tot millia annorum sterilis constitutus , illo nascente fructus justitiæ erat facturus : quem parentes non ex amore carnis seminaverunt , sed ex unanimitate et concordia disciplinæ meruerunt : erant enim justii ante Deum ambo . Nec enim decebat , ut ex carne et sanguine nasceretur , qui ideo nascebatur , ut Filium virginis prædicaret . Vere enim deserta erat Judæa , vacua a justitia , plena peccatis , quam Deus plantaverat , lex irrigaverat , omnes prophetæ coluerant . Illa autem nullum fructum produxit , nisi spinas asperimas , quibus suum Dominum coronabat , *Dicens : Pœnitentiam agite* . Quomodo in ipso principio manifestat , quia benigni regis est nuntius : non enim peccatoribus minas intendebat , sed peccatorum indulgentiam promittebat . Solent enim reges nato sibi filio indulgentiam in regno suo donare , sed ante transmittunt acerbissimos exactores , qui omne quod invenerint exigant ita , ut indulgentia ipsa crudelior esse videatur , quam ipsa exactio , ut nihil indulgentiæ habeat præter nomen , ut lugentes illam homines et nudi suscipiant . Deus autem et nato sibi Filio volens donare in sæculo indulgentiam peccatorum , præmisit quasi exactorem Joannem exigentem et dicentem : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* . O exactio , quæ non pauperes fecit exactos , sed magis divites reddit ! Nam cum quis debitum justitiæ suæ reddiderit , Deo nihil præstat , sed sibi lucrum salutis acquirit . Quid autem agit pœnitentia ? Cor emundat , sensus illuminat , animas sanctificat , et ad susceptionem Christi præparat humana præcordia , quemadmodum magno Judici aut regi aliquo in expeditionem venturo , præparatores præcedunt , sordida abluunt , diruta componunt , ne forte indecorum aliquid videns rex delicatus abhorreat : sic et Domino nostro ad peregrina loca hujus sæculi venturo , præcessit Joannes , qui ab humanis cordibus pœnitentiæ scopis peccatorum sordes ejeceret , et quæ per longam diaboli indisciplineationem dissipata fuerant , spiritualium præceptorum ordinatione componeret : insuper aqua baptismatis adornaret , ut veniens rex cælestis , dignum transitum inveniret per corda credentium , propter quod dixit : *Vox clamantis in deserto , Parate viam Domini , rectas facite semitas ejus* .

*Quomodo vox et verbum differant ; cur Joannes appellatur Vox* . — Vox est sonus confusus , nullum secretum cordis ostendens , sed hoc tantummodo significans , quia vult aliquid dicere ille qui clamat . Verbum autem est sermo rationalis , mysterium cordis aperiens . Adhuc vox inter animalia et homines communis est , verbum autem hominum tantum . Ideo ergo Joannes dictus est vox , non verbum : quia per Joannem neque misericordias suas Deus , neque justitias , neque ante constitutionem mundi præparata consilia demonstravit , sed hoc tantummodo , quia aliquid magni facere Deus in hominibus meditabatur . Postea autem per Filium suum plenissimum mysterium suæ voluntatis aperuit ; ideo et dictus est Verbum . *Parate viam Domini* . Pœnitentiam agere peccatorum , et facere fructus dignos pœnitentiæ , hoc est parare viam Domini , et rectas facere semitas ejus . Quo modo signat omnes vias Domini naturaliter in hominibus esse plantatas , sed postea per contumaciam nostram factas esse desertas , et flexuosas . Numquam enim illas hominibus reparare committeret nisi sciret eas in hominibus esse , et hominum negligentia esse subversas . Ecce humilitatis gratia in hominibus fuit : sed dum invicem homines se ad indignationem provocant , humilitatis gratiam corrumpunt ; quando se alter humiliat , alter eum accipere recusat . Item si alter se

contra alterum humiliaret , adinvicem alterutrum se ad humilitatis gratiam excitarent . Nam sicut omne artificium corporæ usitatione <sup>1</sup> servatur , et additur : sic et gratia omnis per exercitationem additur , et per desidiam minoratur . Nunc si minor se humiliaverit ante majorem , aut pauper ante divitem , non accipit illum quasi humilitatis honorem , sed quasi debitum potestatis . Vis autem scire quia ante humilitatis gratia fuit in nobis ? Unde didicimus subjecti esse potentibus ? Item sapientiam habuerunt homines , sed dum sapientiam suam non ad adjuvandos se per suam sapientiam exercebant , sed ad circumveniendos , sapientia illorum inventa est esse malitia . Unde enim præterat homo habere intellectum , quomodo alteri faceret fraudem , nisi a Deo gratiam intelligentiæ accepisset ? Ita bono Dei male utentes , fecerunt esse diaboli malum . Secundum hæc tria tracta in omnibus rebus bonis . Postquam ostendit , quia ipse est *Vox clamantis in deserto* , dicens , *Parate viam Domini* , prudenter subjunxit confestim et quæ esset vita ejus ostendens , quia merito omnes homines eum venerabantur . Nam ipse quidem testificabatur de Christo , vita autem ejus de ipso . Nam testimonium verborum ejus nequaquam fuisset idoneum , nisi eum mirabilis vitæ institutio commendasset . Nam nemo potest alterius esse testis idoneus , nisi prior fuerit suus . *Ipsæ autem Joannes habuit vestimenta de pilis cameli : et zonam pelliceam super lumbos ejus : et locustas et mel sylvestre edebat* . Non de lana cameli habuit vestimentum , ne ipsa mollities vestimenti delicata faceret membra , et ipsa deliciositas virtutem patientiæ emolliret : sed de asperioribus setis cameli , ut ipsa asperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret : ideo non dixit , De lana cameli : sed , *De pilis cameli* . Nam omne vestimentum ad tres pertinet causas , aut ad speciem visionis seu ad vanam gloriam , aut ad delectationem corporis , aut ad tegumentum nuditatis . Ad speciem visionis habere vestimentum servis Dei non convenit : similiter ad delectationem corporis , Deus servientibus non est aptum . Sed quid ? Tantum ad tegumentum nuditatis . Quoniam autem non de lana camelina , sed de pilis cameli habebat vestimentum , ipse Dominus manifestat dicens de Joanne : *Quid existis in deserto videre ? hominem mollibus vestitum ? Non : nam hi , qui mollibus vestiuntur , in domibus regum sunt* ( *Matth. 11. 7* ) . Vides ergo quia tale habebat vestimentum , ut de virtute animæ ejus ipse habitus corporis loqueretur . *Et zona pellicea super lumbos ejus* . Ex eo quod quasi pro novo aliquid significet in Joanne , dicens : *Et zona pellicea circa lumbos ejus* : ostendit quia consuetudo erat apud Judæos , ut zonis laneis uterentur . Ideo iste , quasi aliquid durius facere volens , zona pellicea cingebat se . Puto quod Joannes in conversatione populi Judaici , pene secundum justitias gentium conversantis , iudicabat in habitu vestem religiosiorem , non mollem , neque delicatam , sed cilicicam , gravem et asperam , et conterentem corpus potius quam soventem . Nam extra alias legis justitias , graviores se habere jusitias <sup>2</sup> : *Non occides , non adulterabis , non perjurabis , oculum pro oculo , dentem pro dente , diliges amicum , et odies inimicum* ( *Infr. c. 5. 46* ) , gentium tortuosarum justitiarum sunt . Unde et evangelista dicit inferius : *Si diligitis diligentes vos , quam mercedem habebitis ? Nonne et gentes hoc faciunt ? Et zona pellicea circa lumbos ejus* . Lumbi sunt voluptates omnium peccatorum , quia omne peccatum cum voluptate committitur . Zona autem pellicea est continentia corporalis . Zonam ergo pelliceam habebat circa lumbos suos , quoniam etsi qui se continere videbantur ex populo Judaico a pec-

<sup>1</sup> Codex v. D. et Editi in marg. , quem male in desperabilis .

<sup>2</sup> sic Editio Antuerpiensis recte ; sic quoque legitur in Codice Vallis Dei , secunda manu . Editi Parisini , *corporalis virtutibus* , perperam . Nec moveat insolentia vocis , *usitatione* : nam scriptor hic similes multas voces adhibet .

<sup>3</sup> Editi in marg. , *gravioribus hæc ipsæ justitiæ : non occides* .

entis, corporali continentia se constringebant, non spirituali, ab opere malo se continentes propter legem, non a voluntate mala propter Deum: ut puta non quidem occidebant, tamen irascebantur sine causa. Non quidem adulterabantur, tamen concupiscebant in corde. Forsitan non perjurabant, jurabant tamen. Hæc continentia corporalis est, quia legi et hominibus satisfacit, et non Deo. Continentia autem malæ voluntatis placat Deum, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Reddebant malum pro malo, et bonum pro bono: amicos amabant, et inimicos odiebant. Hæc justitia corporalis est, non spiritualis: hominibus placens, non Deo. Vides quia omnis continentia eorum corporalis erat, peccata tantum actuum deprimens, non voluntatum? item locustæ sunt volatilia quidem munda, tamen parva, et non satis in altum volantia, quæ manducabat Joannes constitutus in deserto. Quos docebat Joannes<sup>1</sup>, idem manducabat. Volatilia quidem erant, non autem magna volatilia, nec satis in altum volantia: quia secundum justitiam legis metu pœnæ corporalis vivebant, non secundum spiritualia et altissima Christi præcepta. Denique quomodo magnæ volucres erant Judæi, aut ad alta volantes, quibus a Joanne pœnitentia sola iungebatur? Qui enim abstinet se ab opere malo, et non insuper facit opera bona, volat quidem, non autem in altum volat. Parva ergo volatilia, et non in altum volantia manducabat Joannes: majora autem volatilia, et in altum volantia, quæ altissima cæli poterant penetrare, Christo post venientii, quasi regi magno servabat. Ille enim postea veniens magna volatilia, et in altum volantia manducavit: id est, docuit beatos apostolos duodecim, et sub apostolis septuaginta discipulos, et cæteros Christianos, quibus et altissima mandavit præcepta. *Antiquis dictum est, Non occides: ego autem dico vobis, Si quis iratus fuerit fratri suo sine causa, reus erit judicii. Antiquis dictum est, Non adulterabis: ego autem dico, Nec usque ad oculum concupiscas. Antiquis dictum est, non perjurare: ego autem dico, omnino non jurare. Antiquis dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico, Non malum reddere pro malo. Antiquis dictum est, Diliges amicum, et odies inimicum: ego autem dico, Diligite inimicos vestros (Matth. 5. 21. sqq.).* Vides quia quibus Joannes prædicabat pœnitentiam peccatorum, parva volatilia erant, et non in altum volantia: quibus autem spiritualia Christus mandavit, magna volatilia erant, et ipsos penetrantia cælos: ut dicere possint, *Nostra autem conversatio in cælis est (Philip. 3. 20).* Ideo forsitan eis dicebat: *Nolite timere, multis enim passeribus meliores estis vos (Luc. 12. 7; Psal. 118. 41).* Item, *Mellea sunt eloquia Dei.* Ideo ergo Joannes mel agreste edebat: quoniam adhuc ante Christum, ante Spiritum sanctum constitutus sub lege, legis utebatur eloquiis insipidis, et insuavibus, et agrestibus. Nam si Filius Dei sub lege est factus, quanto magis Joannes, qui vere erat Judæus? Sed Filius Dei sub lege factus est, ut eos qui sub lege erant redimeret, et educeret<sup>2</sup> (Gal. 4. 4): Joannes autem sub lege natus est, non ut eos qui sub lege erant educeret, sed ut essent sub lege, ut secundum legem et viverent, et docerent. Propterea nihil extra legem aut fecit, aut docuit, sed tantum pœnitentiam prædicavit: Christus autem multa extra legem et fecit, et docuit. In sabbato operatus est, leprosum tetigit, et alia multa: quia non insipidis et agrestibus legis utebatur præceptis, sed suavibus et domesticis, quæ a Patre suscepterat. Propterea Joannes agreste mel manducavit, Christus autem domesticum. Ac si Joannes legis et prophetarum omnem formam adimplens, speciem gentium divina virtute circa seipsum consummans, capillatiam et peregrinam tunicam induerat, quasi Ecclesiam suam lex et prophetæ suis propheta-

tionibus imputrescibilem et incarpibilem texerunt. Zona autem erat præcinctus, præparationem ostendens accedentibus et credentibus prædicationibus suis. Edebat autem locustas, et mel sylvestre: ostendens eos, qui longe volabant, prope futuros, sicut et Apostolus ait ad gentes: *Et vos qui aliquando eratis a longe, prope facti estis in sanguine Christi (Ephes. 2. 13).* Et qui agrestium gentium dulcedinem futuræ fidei docens, quæ ad sublationem curationis processerat, mel sylvestre edebat. *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, id est, quando vox facta est in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Et amplius resonabat conversatio vitæ ejus in eremo, quam vox clamoris ipsius. Et magis expavescere faciebat homines operibus suis, quam verbis. Et forsitan nisi sermones suos conversatione hujusmodi commendasset, numquam omnis Judæa ad vocem ejus exisset ad eum. Ex quibus verbis apparet, quia Dominus constitutus in mundo, non tantum visibiliter sermonibus suis docuerat populum suum, sed invisibiliter in cordibus hominum operans, adducebat ad fidem. Nec enim hoc admonebat Joannes, ut viam Domini super terram, sed in sensibus et cordibus hominum pararent. Ergo in prima quidem facie videbatur in corpore ambulans, revera autem per corda hominum et per sensus incedens, singulorum conscientias scrutabatur. *Egredebatur ad eum omnis Judæa.* Ad comparisonem enim illius sanctitatis quis poterat arbitrari se justum? Inimitabilis erat conversatio ejus, omnium vitam apparere faciebat culpabilem, ut jam nemo in operibus suis confideret, sed omnes in misericordiam Dei spem suam collocarent. Quemadmodum enim si videris albam vestem, dicis, Satis candida vestis est: si vero posueris eam juxta nivem, incipit tibi sordida apparere: etsi vere sordida non est, tamen quantum ad similitudinem nivis sordida invenitur: sic quantum ad comparisonem Joannis, omnis homo videbatur immundus. Et vere talis debet esse princeps in populo, ut totus populus semper aliquid novi inveniat, quod imitetur in eo. Nam ad cujus similitudinem extendat se populus, et emendet, si videat ipsos principes esse sordidiores quam se? *Et baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Confessio peccatorum est testimonium conscientie timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri: qui autem erubescit, non timet. Perfectus enim timor solvit omnem pudorem. Illic enim turpitudine confessionis aspicitur, ubi futuri judicii pœna non creditur. Numquid nescimus, quia confessio peccatorum habet pudorem, et quia hoc ipsum erubescere pœna est gravis? Sed ideo magis nos jubet Deus confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro pœna. Nam et hoc ipsum pars est judicii. O misericordia Dei, quem totiens ad iracundiam excitavius! Sufficit ei solus pudor pro pœna. « Vides autem multos Pharisæorum, et Saducæorum venientes ad baptismum, dixit eis: Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a ventura ira? Facite fructus dignos pœnitentiæ. » Sicut artifex medicus, si viderit ægrotantis colorem, intelligit speciem passionis ipsius: sic et Joannes mox ut vidit Pharisæos venientes ad se, intellexit cogitationes eorum pravas. Forsitan enim cogitaverunt apud se, Imus, et confitemur peccata nostra. Quantum est in una hora erubescere? Justitias a nobis non querit, nullum laborem nobis imponit. Baptizamur, et consequimur indulgentiam peccatorum. Sic cogitabant, quomodo et modo omnes qui faciendæ justitiæ propositum non habent, et ad baptismum veniunt, putantes quia possit eos justificare sola aqua baptismatis, etiamsi non præcesserit bona voluntas. Insipiens, pone Joannem medicum esse, verbum autem ipsius quasi ferrum medicinale, quo repletæ peccatis conscientie præciduntur: confessionem puta esse digestionem impuritatis

<sup>1</sup> V. D. Editi in margine, quod docebat Joannes, id est manducabat.

<sup>2</sup> V. D. Editi in margine bis, educeret.

<sup>1</sup> V. D., aliquid novum, Editi, aliqua novi, et in margine, aliquid boni.

et spurcitiae quae intus erat inclusa, baptismum esse lotionem sordium egressarum : numquid facta digestionem impunitatis, jam statim sanus factus es? numquid jam non habes vulnus? numquid non est tibi necessaria superpositio medicinae? Sic multa diligentia necessaria est homini post confessionem et baptismum, ut vulnus peccatorum ejus et confessionis apertura sanetur. *Genimina viperarum*. Natura enim viperarum talis est, cum momorderit hominem, statim currit ad aquam; si autem aquam non invenerit, moritur. Ideo et istos vocabat genimina viperarum, qui peccata mortifera committentes, currebant ad baptismum, ut quemadmodum viperæ, per aquam periculum mortis evaderent. Item viperarum natura est, rumpere viscera matrum suarum, et sic nasci. Quoniam ergo Judæi assidue persequentes prophetas, corruperunt matrem suam synagogam, sicut ipsa lugens dicit in Canticis : *Filii mei dimicaverunt in me* (Cant. 4. 5) : ideo viperarum genimina nuncupantur. Item viperæ a foris speciosæ sunt, et quasi pictæ : ab intus autem veneno plene sunt. Ideo et hypocritas et Phariseos viperarum genimina appellat, quia hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu, et venenum malitiæ portabant in corde. Quis vobis ostendit? Nonne Isaias propheta ostendit vobis, dicens : *Lavamini et mundi estote* (Isai. 4. 16)? Absit. Ille enim sicut dicit, *Lavamini et mundi estote* (Ibidem) : ita etiam, *Auferite nequitiam ab animabus vestris, discite benefacere*. Si vos Isaias docuisset, numquam spem vestram in aqua tantummodo poneretis, sed etiam in operibus bonis. Numquid David propheta vobis ostendit dicens, *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor* (Psal. 50. 9)? Absit. Ille enim sic dicit postea : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humilitatum Deus non spernit* (Ibid. v. 19). Si ergo discipuli essetis David, cum spiritu tribulato et cum genua cordis ad baptismum veniretis. 9. *Nolite dicere, quia patrem habemus Abraham*. Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod filius fuit Noe? nonne separatus de medio filiorum? Qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animum factus est servus. Nec familia ejus sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abraham, quod patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? nonne separatus a genere suo positus est in caput fidelium, ut jam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam ejus sordidare paterni errores. Nam et aurum de terra nascitur, sed non est terra, et aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur. Et stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum collatum servatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis ejus non est ejus solius, sed communis videtur cum genere. Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis ejus, ejus solius est. Item, qui de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudine contemptibilitatis illius non ejus solius, sed etiam generis ejus. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudine illius, ejus solius est. Ideo melius est, ut in te gloriorum parentes, qui talem filium habent, quam tu glorieris in parentibus. Sic et vos nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abrahami : sed magis erubescite, quia filii ejus estis, et sanctitatis ejus non estis heredes. Ipse enim suo testimonio se convincit, quia de adulterio natus est, qui non similatur patri. Sermonem dictum ad Judæos convertamus ad Christianos : quia sicut Judæi putabant se propter hoc solum esse salvandos, quia erant filii Abraham : sic et multi insipientes Christiani per hoc solum putant se

esse salvandos, quia sunt Christiani ; ad quos convenienter dicit Joannes : *Nolite dicere, quia sumus Christiani, sed facite dignos poenitentiae fructus. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham*. Lapis quidem durus est ad opus : sed cum factum fuerit opus ex eo, defecere nascit. Sic et gentes cum difficultate quidem crederentur, tamen credentes permanent in aeternum in fide. 10. *Jam securis ad radicem arboris posita est*. Securis autem est acutissima ira consummationis, quæ totum præcisura est mundum. Et si posita est, quare non præcidit? aut si interni præcisura non fuerat, quare posita est? Quia rationabiles sunt arbores, et in potestate habent facere bonum, aut non facere : ut videntes ad radices suas positam esse securim, timeant præcisionem suam, et faciant fructum. Nam quamvis malus nec timore corrigitur, tamen bonus nisi timuerit peribit. Ergo denuntiatio iræ etsi in malis nihil agat, tamen a malis segregat bonos. Vide autem quod non ad ramos posita dicitur esse securis, ut cum præcisæ fuerint, iterum reparentur : sed ad radices, ut irreparabiliter extirpentur. Quare? Quoniam quamdiu mundus iste iniquus, et totus positus in maligno, non erat circa finem (1. Joan. 5. 19), castigabantur peccatores, non exterminabantur, propter duas causas. Primum quidem, quoniam oportebat homines esse in mundo, quamvis essent iniqui, quoniam et ipse mundus iniquus est. Deinde, quia mundo manente expectatio erat, si forte aliqui nascerentur justi ex generationibus injustorum. Nunc autem hoc quidem modo jam finiente, illo autem sancto jam appropinquante, non castigantur jam peccatores, sed evertuntur, propter duas causas. Primum quidem, quia jam nec expectatio potest esse, si forte ex generationibus injustorum aliqui aliquando justus nascantur. Deinde, quia nec convenit ut in illo sancto mundo homines sicut non sancti, sicut scriptum est : *Quoniam sancti inhabitabunt terram, iniqui vero expellentur ex ea* (Psal. 36. 41). Et iterum orat Isaias : *Tollatur impius, ut non vident honorem Domini Dei* (Isai. 26. 10). 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua ad poenitentiam : qui autem post me venit, fortior me est, cujus non sum dignus calcamenta solvere. Ipse baptizavit vos in spiritu et igne* (1. Joan. 26). Quoniam missus erat Joannes ad baptizandum, non tamen propter necessitatem dandi baptismatis, sed ut per occasionem ad baptismum venientibus præsentiam Filii Dei in corpore prædicaret, sicut ipse testificatur alibi dicens : *Sed ut manifestetur in Israel, ideo ego veni in aqua baptizare* (Joan. 1. 31) : ideo nunc ad baptismum venientibus et ipsum prædicabat apparituum confestim, et eminentiam potestatis ejus annuntiat. Pedes autem Christi intelligere possumus Christianos, in quibus ambulat, præcipue apostolos, cæterosque prædicatores, per quos discurrit : inter quos fuerat et Joannes Baptista. Calcamenta autem, quibus operit pedes, possumus intelligere firmitates quibus omnes operit prædicatores. Vis scire quam fortia sint calcamenta ipsius? Audi ipsum dicentem ad Jeremiam : *Ecce posui te in hodierna die sicut civitatem firmam, et sicut murum æreum* (Jer. 1. 18). Hæc ergo calcamenta Christi omnes prædicatores portant, et Joannes ipse præportabat : sed dignum se non esse pronuntiabat portare, ut majorem ostenderet gratiam Christi meritis suis. Joannes corporalis est, et aqua corpus est : ideo corpus cum corpore corpus baptizat. Christus autem spiritus est, et Spiritus sanctus spiritus est, anima quoque spiritus est : ideo spiritus cum spiritu spiritum baptizat. Et quoniam iudex est qui baptizat in igne, id est in tentationibus, Joannes cum sit corporalis, spirituale baptismum non potest dare, quia omnis beneficium major est quam beneficium ejus. Nemo potest dignius beneficium dare, quam ipse est : nec facit aliud quam ipse non est. In igne non potest baptizare homo, quia homo hominis non potest

<sup>1</sup> Montef. conjicit in margine, *gloriam*.

<sup>2</sup> V. D., *Nec facit alterum, quod ipse non est*. Editi in marg., *nec facit alias alterum quod ipse non est*.

esse iudex. Ille enim tentandi habet licentiam, qui habet remunerandi potestatem. Ergo Christi baptismus non solvit Joannis baptismum, sed in se inclusit. Qui enim baptizatur in nomine Christi, utrumque baptismum habet, et aquæ et spiritus: quia Christus spiritus erat, et corpus suscepit, ut et spirituale et corporale baptismum daret. Joannis autem baptismus non inclusit in se baptismum Christi: quia quod majus est, minus in se includit; quod autem minus est, majus in se includere non potest. Ideo Apostolus cum invenisset quosdam Ephesios Joannis baptismate baptizatos, iterum baptizavit eos in nomine Christi, quia in spiritu non erant baptizati (Act. 19. 3-5). (a) [Si ergo super Joannis baptismum, quod plenum quidem non erat, tamen rectum erat, iterum baptismum Christi dare licuit Apostolo, quomodo tu dicis, quia super baptismum meum melius non debes baptizare, quod nihil habet in se præter baptismi nomen? Deinde baptizantes, secundum mortem illius baptizamus, qui crucifixus est. Si ergo non Deus est crucifixus in carne secundum te, sed homo purus, jam secundum mortem puri hominis baptizas. Homo autem purus spirituale baptismum non potest dare, sicut supra diximus: et ideo baptismum tuum etsi non esset rectum<sup>1</sup>, tamen baptismum erat, id est, simile baptismum Joannis erat, id est, in aqua, non in spiritu. Ergo Paulus, Christi sequutus exemplum, baptizabat eos qui baptismate Joannis fuerant baptizati: quoniam et Christus iterum baptizavit eos qui a Joanne erant baptizati: sicut sermo demonstrat dicens: *Ego quidem vos baptizo in aqua, ille autem vos baptizabit in spiritu*. Nec videbatur iterum baptizare, sed semel: in quo enim amplius erat Christi baptismum quam Joannis, in hoc novum baptismum videbatur; et non iteratum. [Si ergo post baptismum Joannis, quod etsi perfectum non erat, tamen legitimum erat, baptizabat Christus, ut aliquid amplius daret hominibus, quomodo post impium baptismum non licet dare sanctum?] Videamus nunc et uniuscujusque baptismatis qualis sit utilitas. Et quamvis verbi baptismum non sit positum in hoc loco: tamen quia est, et Dominus<sup>2</sup> dixit de eo, *Et vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis* (Joan. 15. 3), et Apostolus ait, *Mundans eam lavacro aquæ in verbo* (Ephes. 5. 26): dicimus et de illo, quoniam verbum a sordibus ignorantie mundat, scientiæ lumen infundens: sed peccata non diluit, animam non adjuvat, nec concupiscentias malas præcidit ab ea, nec carnem a mala voluptate compescit. Hoc facit verbum fidei mundum quod faciebat antea lex: justitiam quidem ostendebat, animam autem non adjuvabat: quoniam omne verbum lucerna est, et non virtus. Item aqua proficit, quia peccata quidem, quæ jam processerunt in opus, abluit, et hoc, si penitit: animam autem non sanctificat, nec concupiscentias cordis aut cogitationes malas præcidit, nec repellit eas, sed nec carnales concupiscentias reprimit. Qui ergo non fuerit sic baptizatus, ut mereatur accipere Spiritum sanctum, in corpore quidem baptizatus est, et peccata ejus indulta sunt, sed in animo catechumenus est. Sic enim scriptum est: *Quia qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (Rom. 8. 9): propter quod caro ejus postea pejora ei germinabit peccata, quia non habet in se Spiritum sanctum conservantem se, sed vacua est domus corporis ejus. Propterea spiritus ille inveniens vacuum domum, et mundatam doctrinis fidei, quasi scopis, intrans septempliciter habitat in ea, quoniam verba fidei, quæ appellantur scopæ, ab ignorantia mundant, non a peccatis, vel concupiscentiis. Baptismum autem spiritus proficit, quia ingrediens spiritus circumplectitur animam et quasi muro quodam

inexpugnabili circuit eam: et non permittit ut carnales concupiscentiæ et cogitationes prævaleant contra eam. Non quidem facit, ut caro non concupiscat: sed tenet animam, ut non ei consentiat, neque vincatur ab ea. Ergo qui Spiritum sanctum habet, concupiscit quidem secundum carnem, sed secundum animam adjuvatur a spiritu, ut concupiscentiæ ejus non veniant ad perfectum. Tentationis autem et tribulationis baptismum igni hic comparatur: comburit enim carnem et coquit, ut nec concupiscat cito, sed ut nec germinet concupiscentias. Nam anima spiritus est, et spirituales pœnas timet, carnales autem non timet. Unde et sancti pœnas hujus sæculi contemnunt et futurum judicium timent, ubi spiritus cruciantur. Caro autem spirituales quidem pœnas non timet, carnales autem timet. Ideo mali non cessant peccare, nisi eos judicia carnalia et terrena compescant. Ideo ergo sciens Dominus, quia caro carnales tantummodo pœnas timet, spirituales autem non timet, super servos suos concupiscentias carnales mittit, tentationes et tribulationes, ut combusta caro timeat<sup>3</sup> disciplinam, et timeus angustias suas non concupiscat malum. Quia caro importuna, et concupiscens, si secura fuerit, et si non vincit servos Dei, tamen sordidat sanctitatem eorum, et inquietat, et requiescere non permittit.

*Justitia in tentationibus floret; variæ tentationum species.* — Unde justitia in tentationibus floret, in prosperitate autem marcescit. Quemadmodum si focum posueris super terram, comburit ipsas radices herbarum, et ut in loco illo jam non facile nascatur herba: sic et tentationis ignis positus super carnem, comburit radices concupiscentiarum in ea, ut non facile concupiscat. Vides ergo, quia aqua præterita lavat peccata: spiritus autem repellit concupiscentias, et prævalere non sinit: ignis autem ipsas concupiscentiarum radices comburit? Et aqua præterita tollit, spiritus præsentia impedit, ignis adversus futura præmunit. Quid est autem baptizare in igne, etiam sequens sermo demonstrat dicens: 12. *Habens ventilabrum in manu sua*. Ventilabrum est judicium, per quod Dominus singulos homines tentat, et cunctorum corda dijudicat. Ergo non mox ut quis in aqua vel spiritu fuerit baptizatus, statim ad perfectum est baptizatus, nisi Dominus eum invisibiliter baptizaverit in igne tentationis: quoniam si non fuerit quis tentatus, non potest esse probatus. Species autem tentationum sunt multæ. Tentantur etenim homines aut in infirmitatibus, aut in damnis rerum suarum, aut in mortibus carorum suorum, sicut Job et Tobias. Alii in cogitationibus perversis, aut in diffidentibus, sicut dicit propheta: « Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos, et cor meum: quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua » (Psal. 25. 2. 3). Item Salomon dicit de Christo: « Quoniam cum tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit enim: timorem et metum adducet super eum, et cruciabit eum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in tribulationibus ejus, et credat animæ ejus (Eccli. 4. 18. 19). Alii in persecutionibus, dicente propheta ex persona martyrum: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum, etc.* (Psal. 65. 10). Unde sciens Salomon, quoniam servos Dei oportet tentari, admonet dicens: *Fili, accedens ad servitum Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem (Eccli. 2. 1)*. Et ut breviter dicamus, omnis adversitas, quæ nos sine nostra occasione tribulat in hoc mundo, baptismum ignis est: quam si magnanimiter sustinueris, nihil murmurans contra Deum, imputatur tibi illa carnalis afflictio pro peccato quod commisisti. Si autem non peccasti, quod est difficile, et ignis ille tentationis quas comedat, ipsam animam tuam facit splendidiorum: et quanto gravior fuerit tentatio, tanto magis

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *etsi esset rectum*.

<sup>2</sup> Alii, *quia et Dominus, verbo, est, omisso*.

(a) Quæ uncinis clauduntur, in quibusdam exemplaribus desunt. Item desunt quæ infra inter uncinis etiam postui-

<sup>3</sup> V. D. et Editi in marg., *caro tenet*.

facit clarescere animam. Et in aqua quidem semel baptizamus, in igne autem pene dum vivimus<sup>1</sup>. Sicut enim vita nostra in mundo hoc numquam munda est a peccato (aut enim videndo, aut audiendo, aut loquendo, aut cogitando, quæ non expediunt, semper animus sordidatur), sic numquam a nobis ignis tribulationis recedere potest. Et vere optabilis res est sapientibus, quoniam scriptum est: *Beatus homo, quem Dominus arguerit super terram (Psal. 93. 12)*. Quamvis autem, secundum exitum rei, ignis et ventilabri unus est sensus: tamen sequens proprietates sermonum, puto differentiam ignis esse et ventilabri: ut omnis tribulatio, quæ contingit Christianis secundum carnem, sit baptismus ignis: persecutio autem gentilium vel hæreticorum sit ventilatio ventilabri celestis. *Et permundabit aream suam*, etc. Area est Ecclesia, horreum autem regnum celeste, ager vero hic mundus. Sicut ergo paterfamilias, mittens messores, metit festucas de agro, et comportat eas in aream, ut illic trituret et ventilet, et discernat tritum a paleis: sic et Dominus mittens apostolos, cæterosque doctores, quasi messores, præcidit omnes gentes de mundo, et in aream Ecclesiæ congregat. Hic ergo triturandi sumus, hic ventilandi. Sicut enim granum tritici, inclusum in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratum: sic et homo de impedimentis mundialibus et de rebus carnalibus, quasi in palea involutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Nam sicut quidem plenum granum mox ut leviter percussum fuerit, de palea sua exsilit foras: si autem subtilis fuerit, tardius egreditur: quod si vacuum fuerit, numquam egreditur, sed illic conteritur in palea sua, et ita cum paleis foras jactatur: sic omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, et boni cordis habet medullam, mox ut leviter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit et vadit ad Deum. Qui autem infidelis est et vacuum, quantumvis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea non egreditur: sic nec ille de carnalibus rebus, et de impedimentis mundialibus numquam egreditur, nec transit ad Deum, sed illic in malis constitutus conteritur, ut cum infidelibus quasi cum paleis foras projiciatur. Et sicut triticum primum quidem trituratur, et cum trituratum fuerit, in uno loco jacet cum paleis confusum; postea autem ventilatur, ut quæ fuerant jam disjuncta corporibus, separantur et locis: sic et populus in Ecclesia aut motibus conteritur carnalium passionum animam semper urgentium; aut castigationibus corporalibus, quasi virgis quibusdam; aut conculcationibus iniquorum et superbiorum<sup>2</sup>, quasi calcibus irrationabilium jumentorum: ut disjungantur fideles ab infidelibus per diversas contritionum species. Cum autem disjuncti fuerint ab invicem actibus, adhuc in una Ecclesia habentur commixti. Ideo orietur persecutio quasi ventus, ut ventilabro Christi jactati, qui jam disjuncti fuerant actibus, separantur et locis: ut sicut triticum mundum in granariis, sic sancti probati in regnis celestibus reponantur. Vides ergo quia tentatio non perdit, sed manifestat eos, qui in pace non apparebant? Sed forte dicis, Nonne inclius erat ut ab initio Deus omnes electos homines ad Christianitatem vocasset, ut non semper ventilaretur Ecclesia, sed magis in pace consisteret? Audi. Numquid tu potes, cum sit messis tua in agro, triticum a paleis separare? Etsi tentaveris, nec paleas a tritico separas, et triticum similiter cum paleis perdis. Sic non poterat fieri, ut Deus de Judæis aut gentibus jam electos sine tentatione discerneret et vocaret: quoniam qui non cognoscit Chr-

stum nec veritatem ejus, si erret aut peccet, non apparet utrum propter malum propositum suum peccet, aut propter ignorantiam. Qui autem cognoverit Christum et justitiam ejus, et erraverit aut peccaverit, tunc manifestum est, quia non ideo errat aut peccat, quia nescit quis sit Deus, aut quæ voluntas ipsius; sed quia non diligit voluntatem Dei. Hæc sine tentatione quomodo fieri possunt? Ecce enim si palma proposita non sit in stadio, atletam nolentem luctari culpares non potes quasi infirmum. Incertum est enim utrum ideo luctari non velit, quia infirmus est, aut quia non videt propositam palmam. Quod si palmam viderit, et luctari noluerit; tunc est manifestum quia propter desidiam suam non vult luctari. Sic et gentilis, qui resurrectionis præmia nescit, nec futurum esse judicium credit, non potest cognosci utrum ideo non faciat justitiam, quia non amat justitiam, aut quia nullam mercedem speret de ea. Si vero factus fuerit Christianus, et cognoverit futurum esse judicium; tunc peccans, manifestum est ideo peccare, quia non amat quod est bonum. Ad hæc forte dicis: Hæc secundum hominem dicis; Deus autem, qui cordium et futurorum cognitor est, poterat scire quis et qualis erat futurus. Sed audi. In judicio Christi justo non solum quæritur, ut Christus cognoscat se juste hominem judicare, sed etiam ut homo ipse cognoscat se juste judicari a Christo, testimonio cogitationum suarum et operum comprobatus: sicut scriptum est: « Cogitationibus invicem accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicaverit Deus occulta hominum » (Rom. 2. 15. 16). Item: « Ecce homo et opera ejus. » Item: « Arguam te, et stitutam contra faciem tuam peccata tua » (Psal. 49. 21). Si ergo homo non cognoscens Christum neque justitiam ejus, secundum scientiam Dei condemnatur a Deo, quomodo cognoscat se juste condemnatum? Nam Deus quidem cognitor cordis scit, quia juste eum condemnat: ipse autem peccator juste se condemnatum non intelligit, et dicere potest: Quoniam et ego, si cognovissem Christum, et mandata ipsius, servassem fidem ejus, et non declinarem a mandatis ipsius. Ideo ergo omnes ad agnitionem veritatis adduxit, ut manifesti sint peccatores quia non ignorantia justitiæ, sed malo proposito peccaverunt: et non ignorantes Christum recesserunt a Christo, sed magis partes diaboli diligentes. Si ergo quando ex Judæis et gentibus vocabantur, electi vocari non poterant: quanto magis modo non possunt fieri electi Christiani, cum omnes de Christianis parentibus generentur? Et non tantum ideo fiunt Christiani, quia credunt in Christum aut diligunt eum: sed quia de Christianis parentibus procreantur: et vocatio eorum fit non secundum fidem, sed secundum genus. Necessarium ergo est, ut omnes boni et mali fiant Christiani, et omnes agnitionem veritatis accipiant, ut et postea immissis tentationibus pauci eligantur de multis, ut impleatur quod dictum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi (Math. 20. 16)*. Numquid tu<sup>3</sup> reprehenderis, quare a tritico paleas separas et ita recondis? Nec enim ratio est, ut cum tritico reponas et paleas, quia nec sunt necessariae tibi ad usum. Et quomodo Deum culpenus, qui a fidelibus separat infideles, qui non proficiunt ad gloriam ejus? Et illæ quidem paleæ per naturam habent, ut sint paleæ, et triticum esse non possunt: infideles autem non per naturam habent, ut sint infideles, sed fiunt paleæ propria voluntate, expellentem a se medullam justitiæ. Si ergo illæ paleæ, quæ non possunt esse triticum, comburantur in igne: quanto magis infideles dignius comburantur, qui potuerunt esse triticum, nisi a se medullam justitiæ projecissent? Et vide quoniam non dixit, Mundabit aream suam, sed, Permudabit. Propterea enim<sup>4</sup> usque ad consummationem semper ne-

<sup>1</sup> Editi in marg., in igne autem sæpe dum vivimus. In textu vero in igne autem pæne.

<sup>2</sup> Codex V. D. et Editi in marg. conculcationibus inimicorum. Idem infra ideo movetur persecutio.

<sup>3</sup> Cod. V. D. et Editi in marg. reprehenderis quando c tritico.

<sup>4</sup> Vallis Dei Cod. et Editi in marg. Permudabit. Per tempora enim, quæ etiam lectio quadrat.



cesse est ut diversis modis tentetur Ecclesia, donec permundetur. Et ideo Ecclesia Christi numquam sine tentatione dimissa est. Et primum quidem ventilaverunt Judæi eam, deinde gentiles, modo hæretici: postmodum autem perventilavit Antichristus. Sicut enim quando permōdica aura est, non permundatur tota tritici massa, sed leviores quidem paleæ modica aura jactantur, graviore autem remanent: similiter remanent et vacua grana. Necesse est ergo, ut major expectetur ventus, ut et graviore paleæ, et vacua grana jactentur: sic et quando modica est tentatio, illi projiciuntur de Ecclesia, qui multum sunt infideles. Ideo necessaria est tentatio major, ut omnes infideles plenius expellantur, ut perpurgetur Ecclesia. Et modo quidem modico flatu tentationis sufflante pessimi homines recedunt: si autem surrexerit major, sicut erit sub Antichristo, tempestas, etiam illi qui videntur stabiles sunt exituri.

*Homilia quarta ex Cap. tertio (a).*

13. *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem.* Quando? Quando Joannes prædicabat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquet enim regnum cælorum (Matth. 3. 2).* tunc venit Jesus, ut testimonium acciperet a Joanne, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi (Joan. 1. 29),* et ut confirmaret prædicationem ipsius, ut videntes homines Christum, cum esset sine peccato, quasi peccatorem baptizari, dicant apud se: *Si ille de cuius innocentia ipse Baptista testimonium dedit, baptismum se necessarium habere putavit: quomodo nos contemnimus pœnitentiam, qui sumus cooperi peccatis?* Item testificatus erat Joannes, quoniam *Ego baptizo vos in aqua, post me autem veniet fortior me, ipse vos baptizabit in spiritu et igne.* Ideo tunc venit, ut etiam hoc testimonium ejus ostenderet verum, ut in baptismum ejus aperiantur cæli, descendat Spiritus, Pater clamet de cælo, et per hoc manifestum efficiatur, quia vere dignior erat Joanne qui baptizatus est a Joanne. Sicut enim cum processerit lucifer, lux non expectat occasum luciferi, ut ita procedat, sed adhuc eo ascendente egreditur et suo lumine obscurat illius candorem: sic et Joanne prædicante ante Christum, Christus non expectavit ut cursum suum Joannes impleret, et sic ipse veniret ad medium: sed eo adhuc docente apparuit, ut per comparisonem doctrinæ suæ vel operis, prædicationem Joannis faceret non videri justitiam. Unde postquam cepit Jesus prædicare, ad se currentibus universis, viluit doctrina Joannis. Unde discipuli ejus videntes dicebant ad eum: *Rabbi, ecce cui tu testimonium perhibebas, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum (Joan. 3. 26).* Deinde venit ad baptismum, non ut ipse remissionem peccatorum acciperet per baptismum, sed ut sanctificatas aquas relinquere postmodum baptizandis. Adhuc autem, ut qui humanam suscepit naturam, totum humanæ naturæ invenitur implese mysterium. Nam quamvis ipse non erat peccator, tamen naturam suscepit peccatricem: propterea etsi ipse baptismate non egebat, tamen carnalis natura opus habebat. 14. *Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Quo ego desidero ascendere, tu inde descendis. Ergo ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut justus efficiat, et dignus cælo. Ut autem ego te baptizem, quæ est ratio? Ut justus efficiaris? Sed ipse es justitiæ radix. Ut in cælum ascendas? Sed ipse natura in cælo es, etsi voluntate de cælo descenderis. Tu es spiritus, ego caro. Numquid caro spiritum sanctificare potest? Magis autem spiritus sanctificat carnem. Cujus enim creandi est virtus, ipsius est et sanctificandi potestas. Quis dives a paupere divitias querit? Magis autem pauper a divite divitias querit. Omne bonum de cælo descendit in terram, non de terra ascendit in cælum (Jacob. 1. 17).

<sup>1</sup> Idem, *insidentes*; forte melius.

(a) Homilia quinta in aliis exemplaribus, et in Cod. V. D.

Ille antiquus Lucifer, qui mane oriebatur, cogitavit apud se dicens: *Super cælum ascendam, etc. (Isai. 14. 13).* Si ergo ille angelus constitutus, pro sola cogitatione superbix depositus est de angelica gloria ad ignominiam tenebrarum: ego quid merear pati, si homo carnalis et corruptibilis constitutus, tantæ superbix opus implevero, et dignum me existimavero lotius creaturæ dominum baptizare? 15. *Et ait ei Jesus, Sine modo: sic enim nos oportet implere omnem justitiam.* Non denegat eminentiam potestatis suæ, sed mysterium dispensationis ostendit, dicens; *Sine modo.* Id est, Scio quia hoc est justum, ut tu a me baptizeris: sed *Sine modo*, ut justitiam baptismatis non verbis, sed factis adimpleam. Pius suscipiam, et postea predicabo. Quod ergo dicit, *Sic oportet nos implere omnem justitiam*, non hoc signat, ut si fuerit baptizatus: sed *Sic*, id est, quemadmodum baptismatis justitiam prius factis implevit, postea prædicavit; sic omnem justitiam non prius verbis quam factis implevit. Unde etiam Lucas testatur de illo, dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cepit Jesus facere et docere (Act. 1. 1).* Aut ita: *Sic oportet nos omnem justitiam implere*: id est, Quomodo et baptismi implevimus justitiam. Quomodo implevit baptismi justitiam Christus? Sine dubio secundum dispensationem humanæ naturæ: hominum enim est opus habere baptismatis, qui secundum naturam carnalem omnes sunt peccatores. Sicut ergo implevit justitiam baptismi, sic implevit et justitiam nascendi et crescendi, manducandi et bibendi, dormiendi et lassandi: sic et suscipienda tentationis, sic et timoris et fugæ, et tristitiæ: sic et passionis, et mortis, et resurrectionis implevit justitiam: id est, secundum dispensationem quam suscepit humanæ naturæ, omnes justitias istas implevit. Ergo sic et natus est, non ut homo purus, sed ut Deus et homo. Quasi homo, sic crevit, sic esurivit, sic tentatus est, sic lassatus est: non homo purus, sed Deus in homine; quasi homo, sic alligatus est, sic flagellatus, sic crucifixus et mortuus est: non ut homo, sed per dispensationem, Deus quasi homo. Si autem hæc omnia purus homo implevit, jam non secundum dispensationem humanam implevit omnia, sed secundum naturam. Quid autem dispensationis est, aut contra naturam, si ea, quæ passionis sunt, sicut homo passibilis patitur? Dum autem dicenti Joanni, *Ego a te debeo baptizari*, respondit, *Modo interim sine: ostendit, quia postea Christus baptizavit Joannem, quamvis in secretioribus libris manifeste hoc scriptum sit.* Et Joannes quidem baptizavit illum in aqua, ille autem Joannem in spiritu. 16. *Jesus autem baptizatus confestim ascendit de aqua.* Non invenio, qua causa positum est, quia *Confestim ascendit de aqua.* Quid enim interesset, si tardius ascendisset? Ergo potuit sic dicere: *Jesus autem baptizatus ascendit de aqua.* Puto autem factum Christi ad mysterium pertinere omnium qui post modum fuerant baptizandi: ideo dixit, *Confestim*, et non dixit, *Egressus est, sed Ascendit*: quia omnes, qui digne secundum omnia membra justitiæ formati et consummati baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt: id est, proficiunt ad virtutes, et ad dignitatem sublevantur cælestem. Qui enim ingressi fuerant in aquam carnales et filii Adam peccatoris, confestim de aqua ascendunt spirituales filii Dei facti. Et ne mihi dicas, quia multi quales fuerant ante baptismum, tales permanent post baptismum, etiam qui non in pœnitentia baptizantur, nec toto corde pœnitent se illos fuisse quod fuerunt, sed retento peccandi proposito baptizantur, ideo non proficiunt confestim de aqua. Si ergo quidam ex sua culpa non proficiunt baptizati, quid ad baptismum? Scriptura enim de potestate baptismatis loquitur. Quid potest eis præstare baptismum, qui indigni fuerint baptizati? Aut certe confestim ascendit de aqua, festinans ad tentationem contra diabolum, ad

<sup>1</sup> Idem, *carnalem omnino sunt.*



liberandum genus humanum. Misericordia eius urgebat eum. Sicut enim dux contra tyrannum deputatus ad bellum, mox ut signum expeditionis et protectionis acceperit, festinat exire, sciens quia tarditas ejus perditio est provinciae (nam tyrannus sciens adversus se principem deputatum, etsi lenius acturus fuerat, crudelius agit), sic et Christus, ex quo baptismatis signum accepit, festinabat accipere Spiritum sanctum, quasi arma caelestia, et exire, sciens quia tarditas ejus interitus erat mundi. Nam diabolus, audito quod Filius Dei descenderat in hunc mundum, adversus ipsum vehementius festinabat omnium hominum corda in peccatis et infidelitate concludere, putans se tantum posse perdere, quantum non posset Christus salvare. *Et aperti sunt ei caeli.* Non rupta est ei ipsa creatura caelorum, sed per baptismum oculi sensus ejus aperti sunt, ut videant quae sunt super caelos. Si enim ipsa creatura rupta fuisset, non dixisset, *Ei aperti sunt*, non tantum ei aperti fuissent: quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum: quod autem spiritualiter, illis solis qui illuminantur in Spiritu sancto: sicut Stephanus repletus Spiritu sancto dicebat: *Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei* (Act. 7. 55). Sed dicit aliquis, Quid enim? ante oculos Filii Dei clausi fuerant caeli, qui etiam in terra constitutus, erat in caelo? Si ea quae superius dixit, *Sic oportet, nos implere omnem justitiam*, bene intellexisti, non dubitas quod secundum mysterium aperti sunt ei caeli. Nam sicut secundum dispensationem humanam baptizatus est, secundum naturam autem divinam baptismum non egebat: sic secundam humanam dispensationem aperti sunt ei caeli, secundum naturam autem suam erat in caelis. Ergo non Deo aperti sunt posito extra carnem, nec puto homini extra Deum: sed Deo quasi homini, ut exemplo ejus intelligamus quia omnes homines recti, qui baptizati Spiritum meruerant accipere sanctum, similiter aperiantur eis caeli, et vident ea quae sunt in caelo: non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. Qui enim non credit ea quae gloriosa et terribilia a Deo reposita promittuntur in caelis, ante oculos cordis ejus obturati sunt caeli: qui autem firmiter credit, et quasi ad illud quod videt tendit, illi aperti sunt caeli: et cum corpore sit in terra, animo est in caelo. Si autem oportet credere, quia vere aperti sunt ei caeli, quia forte erant invisibilia quaedam obstacula prius, quibus obsistentibus animae defunctorum introire non poterant caelos: quae homines nec clausa possunt aspicere, nec aperta: tamen sive hoc modo, sive alio intelligantur caeli aperti, omnino sic est intelligendum, *Aperti sunt ei caeli*, id est, propter eum, gratia ejus. Aperti sunt autem caeli, non solum ei, sed omnibus propter eum. Etsi in singulis quibusque generationibus erant justii, quibus aperirentur, tamen iterum caeteris peccatoribus claudebantur: et nullus poterat esse tam justus, ut dignus esset aperire portas caelorum ad introitum omnium hominum. Postquam vero natus Christus, baptizatus est, sanctificatus est, gratia illius solius aperti sunt caeli. Utpote, si ab Imperatore quaeratur homo aliquod beneficium dignitatis et ipse non habet tantummodo fiduciam petendi, neque amicitiam impetrandi, vadit ad fratrem Imperatoris, aut ad amicum carissimum, ut intercedat ad illum: sic dicit illi Imperator, Ecce ego hoc beneficium non illi do, sed tibi, id est, propter te illi do (nam non illi donatur, cui datur, sed illi propter quem datur): sic et hic dicit: *Ei aperti sunt caeli*, id est, propter eum nobis aperti sunt. Vis autem manifeste scire, quoniam ante Christum caeli si aperiebantur, iterum claudebantur. Nam justii quidem forsitan ascendebant in caelum, peccatores autem nequaquam. Ideo autem dixi, forsitan, ne quibusdam placeat etiam ante Christi adventum justorum animas ascendere potuisse in caelum. Alioqui nullam animam ante Christum arbitror ascendisse in caelum, ex quo peccavit Adam, et clausi sunt ei caeli: sed omnes in inferno detentas propter quas etiam descendit ad in-

feros, sicut ipse testatur in Sapientia dicens: *Descendam ad inferiores partes terrae, et visitabo omnes dormientes, et illuminabo sperantes in Deum* (Eccli. 24. 45). Aperti sunt ei caeli. Sic aperti sunt, ut nunquam claudantur. Ecce baptizatus quidem Christo, aperti sunt ei tantum; postquam vero tyrannum vicit per crucem, et resurgens ab angelis portabatur in caelum, videntes angeli portitores, quia caeli jam nunquam erant claudendi, sed omnes justii et peccatores pariter ascensuri erant in caelum, et staturi ante tribunal Christi, quia non erant necessariae portae caeli, caelo postea nunquam claudendo: ideo non dicunt, *Aperite portas et introibit rex gloriae, jam enim erant apertae: sed, Tollite portas, principes, vestras* (Psal. 23. 7). Aut ita. Caeli sunt Scripturae divinae prophetarum et apostolorum, in quibus habitat Deus, de quibus scriptam est: *Quoniam video caelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti* (Psal. 8. 4). Ergo quando baptizatur, et meretur accipere Spiritum sanctum, adaperiuntur ei omnes Scripturae, ut intelligat quae ibi posita sunt mysteria veritatis. Propterea autem omnibus non aperiantur, quoniam quidam falsum baptismum habentes, non possunt accipere spiritum veritatis. Quosdam autem non baptismum impedit, ne accipiant spiritum veritatis, et aperiantur eis Scripturae, sed propositum malum, quamvis bene fuerint baptizati. Sicut enim in caelo celatur Deus, sic in Scripturis absconditur. Et sicut hoc caelum corporale omnes quidem homines vident, non autem aspiciunt Deum inhabitantem in eo: sic et Scripturas divinas omnes quidem homines legunt, non tamen omnes intelligunt Deum veritatis positum in Scripturis, nisi qui fuerit sic baptizatus, ut accipiat Spiritum sanctum. Unde et apostoli priusquam baptizarentur in Spiritu sancto, clausae eis erant Scripturae prophetarum exponentes de Christo, sicut scriptum est: *O tardi corde ad credendum in omnibus quae prophetae dixerant* (Luc. 24. 25)! Postquam vero aperuit eis sensum, inflato Spiritu sancto, tunc reseratae sunt omnes Scripturae ante oculos cordis eorum, ut intelligerent quae scripta erant de Christo. Et ideo forte hic dicitur, *Aperti sunt ei caeli* (Marc. 1. 10). Apud Marcum autem vidit sancti caelos: quoniam secundum hunc evangelistam Scripturae manifestae sunt, non consciatae: nam quotidie ad confirmationem fidei ex eis accipiuntur exempla. Secundum Marcum autem etiam scissae sunt, et inutiles factae, quia post Christum jam lege et prophetis non utimur, sed Evangelio Christi, quasi caelo sublimiore et nobiliori. *Et vidit Spiritum descendentem sicut columbam, et venientem super se.* In quo mysterio natus est Christus, in hoc mysterio et Spiritum sanctum accepit. Etenim Filio Dei baptismum recipiente, et Spiritu descendente, unus in forma stabat humana, alter in specie descendebat columbae, tertius autem nec in forma stabat humana, nec in specie descendebat columbae, sed in voce tantum audiebatur de sursum descendentem. *Sicut columbam.* Ideo Spiritus sanctus speciem columbae suscepit, quoniam praeter omnibus animalibus haec cultrix est caritatis. Omnes enim species justitiae, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere et servi diaboli in simulatione. Habet enim diabolus et mansuetos et humiles, habet castos et eleemosynarios et jejunos: et omnem speciem boni quam creavit Deus ad salutem hominum, ipsam speciem et diabolus introduxit ad seductionem, ut inter bonum verum et bonum simulatum confusio fiat: ut simplices homines, qui boni veri et boni simulati differentiam intelligere caute non possunt, demerant bonos Dei viros, incurrant in seductores diaboli. Solam autem caritatem sancti Spiritus non potest imitatus mundus spiritus imitari. Omnis ergo species justitiae in impostoribus invenitur, sola autem gratia verae caritatis non invenitur nisi in solis servis Dei. Ideo ergo hanc privatam speciem caritatis sibi soli servavit Spiritus sanctus, ut per nullius justitiam et testimonium sic cognoscatur ubi est Spiritus sanctus, quemadmodum per gratiam caritatis. 17. *Hic est Filius meus de-*

lectus, in quo complacui. Et vide quoniam in monte sic dicit: *His est Filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite* (Matth. 17. 5). Hic autem tantummodo dixit, *In quo complacui*: quia illic jam cognoscebant ex parte Filium Dei. Sed quia putaverunt errantes, Christum Moysi et Helix similem esse: ideo addit, *Ipsam audite*: non ut legem et prophetas non audiant, sed ut Evangelium amplius audiant, quam legem et prophetas, ut scirent quia ipse esset Dominus legis et prophetarum. His autem, cum non adhuc cognosceretur Christi persona, non conveniebat dicere, *Ipsam audite*: quoniam quando persona firmiter cognoscitur, tunc et doctrina fideliter suscipitur, quoniam personæ dignitas commendat personæ doctrinam.

*Homilia quinta ex capite quarto (a).*

1. Tunc Jesus ductus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo. Ex eo quod subjunxit dicens, *Ut tentaretur a diabolo*, ostendit quia a Spiritu sancto est ductus, sed non quasi minor majoris præcepto, sed nec quasi major minoris hortatu. Nam non solum ductus aut adductus dicitur, qui alicujus potestate ducitur: sed etiam ille qui alicujus rationabili exhortatione placatur: sicut scriptum est de Andrea: *Hic invenit Simonem fratrem suum, et dicit ei, Invenimus Messiam qui dicitur Christus, et adduxit eum ad Jesum* (Joan. 1. 41. 42). Ecce non potestate eum adduxit, sed ratione placavit. Quemadmodum si magister militum videat dominantem tyrannum, et det consilium regi, dicens: *Exi obviam illi, quia tota perit provincia: nam fortius est tua fama, quam mea virtus*. Et ecce rex a magistro militum ducitur, et tamen non est minor eo qui ducit. Ad diabolum Jesus ductus est, ut tentaretur: ad homines quidem diabolus vadit, ut tentet eos: non homines ad diabolum, ut tententur ab eo. Quoniam autem adversus Christum diabolus ire non poterat, ideo contra diabolum Christus processit. Constat in nobis quinque baptismata esse. Unum in verbo, sicut et Christus dicit: *Et vos mundi estis propter verbum quod loquutus sum vobis* (Joan. 15. 3). Secundum in aqua, sicut cunctis est manifestum. Tertium autem in spiritu, sicut scriptum est: *Joannes quidem baptizavit in aqua, vos autem in Spiritu sancto baptizabimini* (Act. 1. 5). Quartum vero in igne, quod est tentatio præsens. Quoniam autem baptizantur homines et in igne, testis est Dominus per Isaiam: *Et auferam, inquit, sordes filiorum Israel de medio eorum, et sanguinem eorum mundabo in spiritu judicii, et spiritu combustionis et ardoris* (Isai. 4. 4). Consequenter enim ait propheta: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum* (Psal. 65. 10). Et postmodum: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (Ibid. v. 12). Sicut enim aurum vel argentum combustis in fornace sordibus colatur, sic homo in fornacem tentationis missus, depositis peccatis sanctificatur. Quintum in morte, sicut ipse dicebat: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo turbor usque dum perficiatur* (Luc. 12. 50). Quoniam autem peccatum et in morte remittitur, docet Apostolus, dicens: *Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato* (Rom. 6. 7). Quale autem peccatum in morte remittitur, scit qui intelligit pro quali peccato introducta est mors. Nam si propter peccatum moritur homo, sine dubio solvitur propter quod moritur. Ideo Dominus postquam baptizatus est in verbo, factus est sub lege. A Joanne autem in aqua, a Patre vero in Spiritu: nunc a Spiritu ducitur in desertum, ut baptizetur in igne tentationis, postmodum baptizandus in morte. Age, nunc videamus qui sunt, qui baptizantur in igne, et quando baptizantur in igne. Ut autem sciamus, videndum nobis est, quid est quod dicit, *Tunc ductus est*. Quando? Quando Pater clamavit de cælo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui*. Vides ergo

quia nemo baptizatur in igne tentationis, nisi qui factus fuerit filius Dei? Quamdiu enim catechumenus est homo, nondum abrenuntiat diabolo, et omnibus operibus ejus plenius. Baptizatus autem Christo se tradit, dicens: *Abrenuntio satanae, et omnibus operibus ejus*. Ideo catechumeno ei constituto, quasi suo, parcat adhuc: post baptismum autem, quasi alienum factum, tota virtute satanas persequitur. Baptismum autem signaculum fidei est. Numquid miles post militiam signatur ut jam sedeat, et requiescat? Sed magis ante militiam, ut postmodum militet, et laboret. Nam et athleta ante certamen ungitur ut luctetur: sic et homo spiritualiter ideo oleo chrismatis ungitur, ut contra diabolum, quasi spiritualis athleta luctetur. Sed quid, quia multi cum tentati fuerint, superantur, et pereunt? Illi tales non a Spiritu ducuntur ad tentationem suscipiendam, nec sunt filii Dei: *Quoniam qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* (Rom. 8. 14): sed a peccatis expelluntur propriis. Qui autem a Spiritu Dei ducuntur ad tentationem, non superantur. Servi autem diaboli in igne non baptizantur. Quare? Quia non potest fieri ut depositis sordibus emundetur, qui totus est sordidus. Incipe laterem aqua lavare, numquid aliquando mundatur? Non, sed magis commoto luto, amplius sordidatur. Ille enim mundatur, in quo est aliquid boni, quo emundetur. Ut puta bonus homo, si carnalibus vitis fuerit sordidatus, tentatur, ut illud bonum ejus mundeur. In illo autem quid mundandum est in quo nihil est boni? Secundum hoc, cum videris aliquem perversum Christianum numquam tristari, aut periclitari: cum videris hæreticum numquam persecutionem tentationum pati, noli scandalum pati: nec dicas, *Quomodo hæretici persecutiones numquam patiuntur, sed semper fideles? quomodo mali homines numquam periclitantur, sed semper boni?*

*Filii Dei baptizantur in tentationis igne.* — Scito quoniam qui filii Dei sunt, hi tantummodo in tentationis baptizantur igne. Veniat tibi in mentem quod te docuit apostolus Paulus dicens: *Et omnes, volentes pie vivere in Christo, persecutionem patientur* (2. Tim. 3. 11). Mali autem homines et seductores proficiunt in pejus, errantes, et in errorem mittentes. Nunc videamus quando baptizantur in igne. Postquam fuerit homo baptizatus in verbo, instructus in fide, et postquam fuerit baptizatus in aqua, et postquam fuerit baptizatus in spiritu: in quarto loco baptizatur in igne. Multi autem et cum in aqua baptizati fuerint, non baptizantur in spiritu. Nisi enim quis ante baptismum aquæ sic deposuerit a se totum peccandi propositum, ut dignus sit Spiritum sanctum in templum sui cordis suscipere, non baptizatur in spiritu: quia Spiritus sanctus fugit hominem fictum, et non habitat in corpore subdito peccatis: et ideo non fit filius Dei (Sap. 1. 4. 5). Et hi sunt qui, cum tentati fuerint, superantur et pereunt: videntur quidem filii Dei facti, propter aquam baptismatis: revera autem non sunt filii Dei, quia non sunt in spiritu baptizati. Nam corpore quidem baptizati sunt, animo autem catechumeni sunt: quia aqua corpus baptizat, spiritus autem animam. Ergo non solum Christus ductus est in desertum a Spiritu, sed et omnes filii Dei habentes Spiritum sanctum ducuntur a Spiritu in desertum, ut et ipsi tententur a diabolo. Qui enim habent spiritum Dei, hi non sunt contenti sedere otiosi: sed ipse spiritus, qui est in eis urget eos ad aliquod opus apprehendendum magnum, cui diabolus adversatur, qui est in deserto. Ut autem intelligas, quia omne bonum, quod secundum Deum bonum est, in deserto est: videamus quid est desertum. Est autem desertum secundum Deum, et est desertum secundum diabolum. Natura carnalis domus diaboli est, et omnis injustitia epulatio ipsius est. Quantum ad Deum autem desertum est, quoniam non est in eo justitia Dei. Spiritus autem domus est Dei, et omnis justitia ejus epulatio est ipsius. Quantum ad diabolum autem desertum est, quia injustitia non est in eo, qua diabolus delectatur. Et

<sup>1</sup> Montef. conjicit in margine, *vivificatus*.

(a) Homilia sexta in aliis exemplaribus, et in Cod. V. D.

quae natura carnis domus diaboli est? Quia omne malum intus in carne est, quia secundum voluntatem carnis est: et intus in mundo est, quia secundum voluntatem mundi est. Omne autem bonum foris est extra carnem, quia non est secundum voluntatem carnis: et est foris extra mundum, quia non est secundum voluntatem mundi. Vides ergo quia omnis res spiritualis extra fines carnis est foris, et quasi in deserto est, et extra fines mundi est foris? Unde qui vivunt secundum Dei mandatum, exisse de mundo dicuntur non corpore, sed conversatione exisse dicuntur de carne, et in spiritu esse. Demus autem Dei spiritus est, quia omne bonum intus in spiritu est, quia secundum voluntatem spiritus est. Omne autem malum foris extra spiritum est, quia non est secundum voluntatem spiritus. Vides ergo quia omnis res carnalis foris, extra fines spiritus est, et in deserto est? Ergo quantum ad Deum, desertum est natura carnalis, ubi non est via iustitiae, in qua non invenitur aqua Spiritus sancti, et est vituperabile desertum, de quo et propheta dicebat: *Sitivit in te anima mea in terra deserta, et in via et in aqua* (Psal. 62. 2. 3). Quantum autem ad diabolum, desertum est omnis res spiritualis, et est laudabile desertum. De tali deserto dicebat Deus ad Pharaonem: *Dimitte populum meum, ut serviat mihi in deserto* (Exod. 5. 1). In tali enim deserto vult Deus omnes suos sibi servire. Ad tale desertum omnes filii Dei, qui habent Spiritum sanctum, exeunt ut tententur. Utopia proposuisti non ducere uxorem, duxit te Spiritus sanctus in desertum: id est, eiecit te extra fines carnis et mundi, ut teneris a concupiscentia carnis: quia non habet castitas in se ut delecteris in ea secundum carnem. Si autem intus eras in carne et in mundo, id est, secundum naturam carnis et mundi habebas uxorem, non tentabar. Quomodo enim tentetur libidine, qui quotidie est cum uxore? Proposuisti jejunare, extra fines carnis existi, et mundi, ut teneris in fame a spiritu gulae. Si autem in finibus carnis et mundi positus manducabas et bibebas, non tentabar a spiritu gulae in fame. Quomodo enim tentetur in fame a spiritu gulae, qui numquam esuriit? Sic et Dominus numquam tentatus fuisset in fame, nisi quadraginta diebus jejunasset et tunc esurisset. Item eleemosynas facere proponis, foras existi: quia natura carnis et mundi non delectatur dare, sed semper accipere. Si autem non dabas, non tentabar a spiritu avaritiae. Item proponis humilitatem servare, existi in desertum, ut teneris a spiritu superbiae: quia caro et mundus in humilitate non delectatur. Exsurget aliquis diaboli angelus, qui te conculcet, et irretet humilitatem servasse, dum vides quod in hoc saeculo humilitas contemnitur, et superbia honoratur. Et cum hos omnes spiritus viceris, novissime teneris a spiritu vanae gloriae. Incipis enim gloriari, quia viciisti: quia spiritus vanae gloriae praecipue a sanetitate nutritur. Scire autem debemus, quod filii Dei non possunt tentari a diabolo, nisi in desertum exierint, secundum ea quae diximus: hoc est, nisi proposuerint circa aliquas studere virtutes. Filii autem diaboli, et intus in carne, et in mundo constituti, confringuntur et pereunt. Quomodo? Utopia bonus homo, si uxorem habuerit, hoc est enim, esse intus in carne, non tentatur in libidine: id est, non fornicatur, sed sufficit ei uxor sua. Malus autem et intus in carne constitutus, id est, habens uxorem, fornicatur, et non est contentus una. Item filius Dei, id est, bonus homo, si intus in carne fuerit manducans et bibens, non tentatur in esca: id est, non inebriatur, non deliciatur, sed mensurate manducat et bibit. Filii autem diaboli, et intus manducans et bibens, non est contentus medicribus cibus et potibus: sed inebriatur, et ad lasciviores cibos extenditur. Item servus Dei, etsi intus sit in carne, nemini aliquid dans, non tentatur, quia alteri non tollit: malus autem intus nemini dat, et tamen alienum tollit: et sic in omnibus rebus tractans invenies. Vides ergo quia est et ista differentia inter filios Dei, et inter filios diaboli? Quia filii diaboli

non exeunt ad diabolum ut tententur, sed diabolus venit ad eos ut tentet: id est, non exeunt extra carnem ad illum, sed intus in carne dominantur ab illo. Quid enim opus habet foras ad certamen exire, qui non desiderat vincere? Sed diabolus venit ad illos, quasi ad familiam suam. Filii autem Dei foras exeunt, ut tententur ab illo, id est, extra fines carnis: quia si intus fuerint in finibus carnis, non potest ad illos venire diabolus, quia filii Dei sunt: nec potest illos tentare, sicut supra diximus. Ergo quia diabolus non potest intrare ad illos, ideo qui sunt gloriosiores filii Dei, extra fines carnis exeunt contra illum, quia victoriae gloriam concupiscunt: propterea in hoc loco non diabolus venit ad Christum ut tentaret eum, sed Christus exiit ad diabolum, ut tentaretur ab eo, dans dilectis suis exemplum. Haec omnia diximus propter illud quod ait: *Tunc Jesus ductus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo*. 2. *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, esuriit*. Non solum ideo tentabatur, quia jejunabat, sed ideo jejunabat, ut tentaretur<sup>1</sup>. Jejunium autem non est tantum irritatio passionis, sed repugnatio. Si ergo jejunaveris, ut non intres in tentationem, placuerit autem Deo inducere te: non dicas, quia perdidisti fructum jejunii mei. Nam etsi non tibi proficit jejunium tuum, ut non teneris: tamen ad illud sine dubio tibi proficiet, ut a tentationibus non vincaris, sicut Christo profuit. Multis modis diabolus audierat, quia Christus natus est in hoc mundo, aut angelis praedicantibus ad pastores, vel pastoribus referentibus ad Mariam, vel magis querentibus in Jerusalem eum adorare, cujus viderant stellam, vel Joanne ostendente: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. 1. 29). Sed faciebat eum incertum natura ejus carnalis. Dicebat enim apud se: Hic non potest esse filius Dei, qui de muliere et de viro natus est. Nam et ideo de desponsata et in domo habita natus est, ut partus virginis diabolo celaretur. Si autem de simplice virgine natus fuisset, facile poterat cognoscere diabolus, quia filius est Dei. Cogitaret enim apud se: Maria fornicata non est: si autem fornicata fuisset, ego sine dubio scirem, quia omnis fornicatio me ministrante committitur. Sine dubio iste Filius Dei est. Nec enim potest fieri, ut de muliere homo sine viro nascatur. Ideo desponsata intravit domum Joseph, ut dum maritalis conceptio astrimatur, unigeniti Dei nativitas non cognoscatur? Hic est rex gloriae, qui pannis involutus, nec locum in diversorio potuit invenire, sed in praesepio positus est? Hic est creator rerum, qui crevit, et per singulos<sup>2</sup> aetatis gradus ascendit? Hic est ille sanctus, qui cum peccatoribus, ut peccator, est baptizatus? Quid ergo? Ipse eum tentabo, et si quidem invenero eum hominem, sicut puto, dominabor illius, sicut omnium hominum: si autem invenero eum, sicut audio, Filium Dei, postmodum recedam ab eo, nec congrediar contra eum: quoniam qui vadit contra fortiorem, occasionem illi victoriae providet: si autem subduxerit se, evacuat virtutem ipsius. Sciens ergo Dominus cogitationes diaboli, quia volebat eum tentare, processit contra eum: non quasi Deus, sed magis quasi homo, nec in toto quasi Deus, nec in toto quasi homo. Nam quemadmodum quadraginta diebus non esurire non erat hominis: sic aliquando esurire non erat Dei. Jejunavit ergo quadraginta diebus propter duas causas: primum, ut nobis adversus tentationes jejunandi daret exemplum: deinde, ut quadragesimi jejunii nostri poneret mensuram. Esurivit autem, ut ne nimis supra mensuram jejunans manifeste intelligeretur Deus, et sic diabolo quidem spem tentandi exstingueret, suamque victoriam impediret. Itaque diabolus, quia videns per quadraginta dies jejunantem desperaverat, postquam

<sup>1</sup> V. D. et Editi in margine, *jejunabat quia tentabatur*.

<sup>2</sup> *Qui crevit, et per singulos*. sic V. D. et Editi in marg. recte. Editi in textu *qui crevit omnia* et; sed est repetitio.

sensit esurientem, iterum cœpit sperare, et sic accessit ad extra esurientem, et invenit intus numquam esurientem. Et dum tentat esurientem, vincitur a non esuriente. 3. *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* O cæcitas diaboli manifesta! Quomodo suspicatus est eum non esse Filium Dei, quem post quadraginta dies esurientem sensit, et per quadraginta dies non esurientem non intellexit? Nam sicut esurire hominis est, ita per quadraginta dies non esurire hominis non est. Non cogitavit, quoniam qui vere non esurit, voluntarie esurire potest; qui autem vere esurit, per tot dies non esurire non potest. Fortis ad ea quæ infirma sunt descendere non potest, infirmus autem ad ea quæ fortiora sunt ascendere non potest. Sic ergo magis ex eo, quod per tot dies non esurierat, intelligere debuerat, quia Deus est, quam ex eo quod post tot dies esurit, quia homo est. Nam Deus que hominis sunt agere potest: homo autem quæ sunt Dei agere non potest. Sed forsitan tu dicis: Moses et Helias quadraginta dies jejunarunt, et homines erant. Sed illi jejunantes esuriebant, et sustinebant: iste autem quadraginta diebus non esuriit. Hoc est enim quod dicit: *Et eum jejunasset quadraginta diebus, postea esuriit.* Esurire enim et non manducare patientiæ est humanæ: non esurire autem divini naturæ. Qui ergo quadraginta diebus non esuriit, postea esuriens, demonstravit quia esuritio ejus voluntaria fuit, non necessaria. Quid ergo est? Sicut semper diabolus omnes homines excæcabat, ut non intelligerent quod est bonum: sic modo invisibiliter ipse a Christo est excæcatus, ut non cognosceret verum. Cogitavit enim apud se: Si poterit de lapidibus facere panes, vere Filius Dei est: si autem non poterit, homo est. Sed quæ fuit cogitatio ista? Per hoc enim numquam poterat cognoscere, si Filius Dei erat, an non. Primum si Filius Dei erat, nec esuriebat. Quomodo enim non vincat necessitatem naturæ carnalis, qui ipsam necessitatem in natura creavit? Et ut quid faceret de lapidibus panes, qui panem cum omnibus aliis ex nihilo, cum voluit, fecit? Deinde etsi esuriebat propter corpus, et volebat facere, faciebat quando ipse volebat, non quando diabolus provocabat. Si ergo non faceret, quod et fecit: unde sciebat, utrum ideo non fecit, quia non potuit quasi homo, aut quia noluit quasi Deus, quod et fecit? Nam nec fecit, nec dixit, Possum, et nolo, ut ne se ostenderet Filium Dei. Nec dixit, Non possum, ut non se ostenderet mendacem, constans se hominem, cum esset Deus. Sed quid? 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei (Deut. 8. 3).* Non dixit, Non in pane solo vivo, sed in omni verbo Dei, ut non videatur de se dixisse: sed medie, *Non in solo pane vivit homo.* Quid aliud poterat respondere et Filius Dei abscondens se, ne ostendatur quod potest, et homo astutus excusans se, ut non ostendatur quod non potest. Sic ergo cum ex hoc responso nihil certum addiscere potuisset, utrum Deus esset, an homo, assumpsit eum ad aliam tentationem, dicens apud se: Iste qui in fame non vincitur, etsi non est Filius Dei, tamen sanctus est. Valent enim homines sancti et spirituales fame non vinci. Sed postquam omnem necessitatem carnis vicerint, per vanam gloriam cadunt. Ideo cœpit eum tentare in vana gloria. 5. *Et assumpsit Jesum in sanctam civitatem.* Quando audis dicentem, Ductus a diabolo, nihil cogites de potentia diaboli, quia potuit ducere Christum: sed de patientia Christi mirare, quia sustinuit ut a diabolo duceretur. Ergo in sequente Domino non infirmitas, sed patientia est; in ducente autem diabolo non virtus, sed superbia est: quia volentem Christum non intelligens, quasi invitum ducebat. Ille ductus est, ut nos voluntatem diaboli non sequamur. *Et statuit eum supra pinnaculum templi.* Sed forte cogitamus, quo modo in corpore constitutum, omnibus videntibus statuit itum super templum? Si potentiam Christi consideramus, intelligibilia inveniuntur omnia. Forsitan enim diabolus, quantum ad se, sic eum assumebat, ut ab omnibus videretur: ipse autem

nesciente diabolo invisibiliter sic agebat, ut a nemine videretur: sicut scriptum est de eo: *Ipse autem transiit per medium eorum, et abiit sic (Luc. 4. 50).* Si enim Habacuc homo constitutus, a nullo est visus, quando ab angelo per comam captis portabatur de Judæa in Babyloniam: quanto magis est credibilis de Christo non fuisse visum, cum volens a diabolo assumeretur? *Et statuit eum supra pinnaculum templi.* Cogitavit enim apud se: si miserit se per aerem, scio quoniam est Filius Dei: sine dubio enim mittet se, ut cognoscatur quod est; si autem non potuerit se mittere, scio quoniam homo est. Sicut ergo concupiscentia vanæ gloriæ ipse ruit de cælo: nam cum esset angelus, volens se ostendere Deum, perdidit et illud quod erat, dum voluit apparere quod non erat: sic putavit et Christum concupiscentia vanæ gloriæ ferri. Nam sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus. Et dicit ei: 6. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Per hanc propositionem, quomodo poterat cognoscere si Filius Dei est, an non? Primum volare per aerem non est proprium opus Dei, quia nec hoc est utile alicui, vel ad animam, vel ad corpus. Si ergo nulli necessarium est, neque proficit ad salutem: volaverit autem aliquis provocatus, propter ostentationem solam hoc facit: et est hoc ex diabolo magis quam ex Deo. Si ergo homini dignitose et sapienter sufficit esse quod est, et non est necessarium ei apparere quod non est, quia hoc non homini prodest, quod videtur ab aliis, sed quod est apud se: quanto magis Filius Dei ostendere se necessarium non habet sine causa alicujus utilitatis, cui nihil necessarium est, sed totum possidet in natura, de quo nemo potest tantum cognoscere, quantum est apud se? Si ergo non volaverit, quomodo poterat per hoc cognoscere, utrum non potuit propter infirmitatem quasi homo, aut noluit propter vanitatem quasi Deus? Quia non creditus fuerat, sed tentatus. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Vide superbiam inimici, quomodo ipsa invitatio ejus injuriosa est. Numquid non poterat dicere, Descende per aerem ambulans? Sed quid? *Mitte te deorsum.* Nec timuit cogitans, Ne forte si inventus fuerit Filius Dei, inveniar illi fecisse injuriam. Sed nihil dubitat dicere, nec facere, qui nihil sibi reliquit quod speret. Et vide, non impulit, non tetigit, non appropinquavit: sed tantum dixit: *Mitte te deorsum, si es Filius Dei: ut sciamus, quia omnis, qui obaudit diabolo, ipse se deponit deorsum.* Nam diabolus ad malum hortari potest, cogere autem non potest. *Scriptum est enim: Quoniam angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollant te (Psal. 90. 11).* O diabole, quomodo Filius Dei angelorum manibus portatur legisti, et quia super aspidem et basiliscum calcas non legisti (*Ibid. v. 13*)? sed exemplum illud quidem profert, quasi superbus: hoc autem tacet, quasi astutus. Nam et vere Filius Dei angelorum manibus non portatur, sed ipse magis angelos portat. Nec enim creatura portat Creatorem, sed Creator creaturam. Si autem creatura bajulat Creatorem: ergo Creator antequam faceret creaturam, a quo portabatur? Nam vere, etsi portatur manibus angelorum, non ideo portatur ut non offendant ad lapidem pedem suum quasi infirmus, sed propter honorem potestatis, quasi Dominus. Scriptum est: *Qui sedes super Cherubim, appare (Psal. 79. 2).* Et illud quidem, quod diabolus refert, quia in persona Christi dicitur, verum est. Sicut enim dicitur: *Quoniam tu es, Domine, spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum, etc. (Psal. 90. 9).* Sed non de Christo dictum est tantum, sed de omni homine justo, quorum personam Christus suscepit. 7. *Respondit ad eum, Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Non dixit, Non tentabis me Dominum Deum tuum, ne se manifestaret Deum: sed ita, *Non tentabis Dominum Deum tuum:* quod poterat dicere et omnis homo Dei, tentatus a diabolo: quoniam et qui hominem Dei tentat, membrum diaboli est.

*Tria retia diaboli, quibus itaqueat animas.* — Sic ergo ex hoc responso incertus transit ad tertiam. Divit enim apud se: Tria hæc retia habeo extensa super omnem mundum, ut quisquis evaserit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ: qui evaserit de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia avaritiæ. De his autem tribus retibus nullus hominum ad perfectum evasit: et si evasit, non integer, sed contritus evasit. Hic autem jam retia ventris dirupit, retia vanæ gloriæ transivit. Ponam ei nunc retia avaritiæ, et ostendam illi omnia regna mundi. Si concupierit ea, scio quia homo est. Nam omnes homines propter gulam, et propter pecuniarum avaritiam, et propter vanos honores serviunt mihi: si autem contempserit ea, scio quia Filius Dei est. Nec enim potest desiderare quæ ipse creavit, nec delectatur terrenis, qui fruitur caelestibus. Nam etsi aliis mentiebatur diabolus, sua esse omnia, apud se tamen sciebat quia non erant ejus, sed Dei. 8. *Et sic assumpsit eum super montem excelsum valde*, quem ipse diabolus, circumiens omnem terram, excelsiorem cæteris cognoscebat, et ostendit illi omnia regna mundi, et honores eorum. Forte tractas apud te, qualis potuit esse ille mons, de quo omnis terra videbatur: aut si erat super omnem terram, quomodo tamen poterat inde, quantum ad carnem, totam terram illi ostendere? Nam etsi, quantum ad divinitatem suam, videbat: tamen, quantum ad diabolum, ostendere illi non poterat, quem hominem æstimabat. Sed ita intelligendum est, *Assumpsit eum super montem excelsum valde*: quia quanto magis excelsior fuerit mons, tanto magis aspicientes ex eo spatiosior terra videtur. Ostendit autem ita, non ut ipsa regna, vel civitates eorum, vel populos, vel argentum, vel aurum videret: sed partes terræ, in quibus unumquodque regnum, vel uniuscujusque regni civitas posita erat: ut puta si ascendas super excelsum locum, digito extenso dicam tibi, Ecce ibi est Roma, aut ibi est Alexandria, non sic ostendo tibi, ut ipsas videas civitates, sed partes terræ in quibus posite sunt. Si enim nautæ unam stellam aspicientes, non dicam ad unamquamque provinciam, vel insulam, sed ad unamquamque civitatem, et ad singula loca, quæ petunt, sine aliquo errore aut devagatione dirigunt cursum: quanto magis diabolus, qui princeps aeris constitutus, totam terram non solum sciebat, sed etiam et videbat, poterat Christo ergo et singula loca certissime digito demonstrare, et uniuscujusque regni honores et statum verbis exponere? Nam non solum ostensum dicitur, quod ostenditur ad videndum, sed etiam quod exponitur ad intelligendum, sicut scriptum est: *Ascendamus in domum Dei Jacob, et ostendet nobis viam suam, et ambulabimus in ea (Isai. 2. 3)*. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si proci dens adoraveris me.* Considera quomodo omnis promissio ejus irrationabilis est, et mendax. Certe uni dare non poterat omnia, nisi ab omnibus omnia tolleret: si autem ab omnibus omnia tolleret, a nemine adoraretur, cum diabolus neque ex amore, neque ex timore adoraretur ab aliquo, sed quia promittit divitias, aut dat. Quomodo autem expediebat diabolo ab omnibus omnia tollere, et uni dare, ut ab omnibus contemnatur, et ab uno colatur? Sed neque illud dicere possumus, ut unusquisque quidem sua teneret, iste autem super omnia esset. Unus enim super omnem mundum neque est, neque fuit aliquando, neque fieri potest, ut non sit illi aliquis non subditus. Primum, propter Deum, quia non concedit diabolo et hoc facere posse. Secundo, propter ipsum diabolum. Gaudium enim, et gloria, et potestas diaboli, in quo est, nisi in superbia, et in invidia, in ira, in vana gloria, et his similibus? Ubi hæc exercentur, unum regnum stare non potest, sed necesse est, ut dividatur in plura. Ubi autem hæc non exercentur, diabolus non colitur, neque regnat. Quomodo ergo regnum sibi tolleret, et illi daret? Deinde, quid si sancti erant in mundo aliquod regnum tenentes? Nam si peccatori dare et tollere potest divitias, sanctis neque dare, neque tollere

potest. Putasne, semper voluit tollere divitias Job? Sed non potuit, nisi quando permissus est. Numquid non voluit, si potuisset tollere regnum de manu David? Nam vere non est mundus diaboli, neque regna illius. Scriptum est enim: *Per me reges regnant, et per me tyranni scribunt justitiam (Prov. 8. 15)*. Sed ea, quæ per iniquitatem aguntur in mundo, ut puta per furtum, aut per vim acquisisti divitias, aut aliqua perditione animæ tuæ suscepisti honores: illas tibi divitias diabolus dedit, sed non ipsæ divitæ diaboli sunt, sed provisio earum<sup>1</sup>. Res autem ipsæ illius sunt, qui creavit eas ad probationes sanctorum et peccatorum. Et inter duas conditiones posuit illas in medio, ut et diabolus possit illas dare, et Deus. Nam dans potestatem diabolo, non a se dimisit, ut si quidem cum peccato acquirantur, per diabolum dentur: sin autem sine peccato, per Deum. Ecce enim oculos nostros, et aures, et os, et cætera membra, inter duas conditiones sic creavit in medio, ut et diabolus aperiat oculos hominis, et Deus. Si enim ad turpem rem aperuit homo oculos, diabolus aperuit oculos ejus: si autem ad justitiam, Deus. Numquid ex hoc, quia membra nostra interdum a diabolo aguntur, volentibus nobis, jam membra nostra diaboli sunt? Sic et divitiæ quamvis interdum a diabolo dentur, tamen diaboli non sunt. Si enim vere consideres, magis divitiæ ipsæ in potestate sunt hominis, quam in potestate diaboli. Nam diabolus non quibus ipse vult, divitias dare potest, sed qui vult ab illo accipere. Homo autem in potestate habet, a quo vult eas accipere, sive a diabolo, sive a Deo. 10. *Tunc dicit ei Jesus: Vade retro, satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Deut. 6. 13)*. Finem tentandi diabolo imponit dicens, *Vade retro, satana*, ut ne progrediatur ulterius tentans. Diabolus autem, sicut rationis est intelligere, id est, sicut rationabiliter intelligi potest, non quasi obaudiens ad præceptum, recessit: sed aut ipsius Christi divinitas, aut Spiritus sanctus, qui erat in eo excussit inde diabolum: quod ad nostram consolationem proficit maxime, quia non tamdiu homines Dei diabolus tentat, quamdiu vult, sed quamdiu Christus eum permittit, vel Spiritus sanctus, qui est in eis. Diabolus enim, quantum ad se, numquam cessaret tentans: nec enim habet alium actum. Non manducat, non bibit, non dormit, non opus aliquod aliud operatur, nisi ut tentet, ut fallat, ut subvertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc et gaudium. Propterea, infatigabilis est in malo; sed potentia Dei<sup>2</sup> repellit eum, etsi permittit eum paulisper tentare, propter fidem probandam, tamen repellit eum propter infirmam naturam. Adhuc vide, cum Christus in prima tentatione passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi diabolo: *Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut fiat panis*: non est exasperatus, nec in increpationem vel abjectionem ejus est excitatus: sed sustinuit, et mitis permansit; tamen contra verba tentationis congrua dedit exempla. Similiter et in secunda, quamvis esset injuriatus, dicente sibi diabolo: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*: turbatus non est, nec increpans ei dixit: *Vade retro, satana*. Nunc autem quando diabolus Dei sibi præsumpsit honorem, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si proci dens adoraveris me*, et hoc quæ sivit fieri sibi a Christo, quod soli Deo fieri debebat: exasperatus est, et iratus est, et increpavit eum, et repulit dicens: *Vade retro, satana; scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*: ut nos illius discamus exemplo, nostras quidem injurias illatas ab impiis, sive in dicto, sive in facto, magnanimiter sustinere, Dei autem injurias et contemptum nec usque ad auditum sufferre: quoniam tu propriis injuriis esse quempiam patientem, laudabile est: injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. Hactenus simpliciter diximus de tentationibus, qui-

<sup>1</sup> Editi in marg. et v. D. sed *omissio earum*. Fortè melius.

<sup>2</sup> *idem, sed misericordia Dei.*

bus tentatus est Dominus : nunc breviter <sup>1</sup> perstringamus quid ad nostram aedificationem significant Christi tentationes.

*Aliud corporis, aliud animæ jejunium.* — Frequenter diximus, corporis quidem jejunium esse, abstinere a cibis; animæ autem jejunium, abstinere ab omni re mala: quia sicut caro delectatur cibo, sic spiritus abstinere a carnis peccato. Secundum hoc jejunium Christi in nobis intelligimus esse abstinentiam peccatorum. Si enim manducatio Adæ de ligno scientiæ boni et mali, prudenter ab omnibus est recepta, appetitio est peccati prohibita: consequenter et jejunium Christi intelligendum est in nobis abstinentia a peccato. Quod si jejunium est abstinentia rei malæ, sine dubio et desiderium ejus esuritio est ipsius, et usus rei ipsius intelligitur panis. Proponens ergo jejunium sibi Christus, et non superatus desiderio panis a diabolo sibi propositi, hoc nos docet, ut si aliquis, utpote filius Dei, opus eligens magnum, exierit in desertum, sicut diximus supra, et proposuerit se abstinere ab aliquo usu corporali et delectabili, quod est jejunare, propter vivificationum Dei mandatum, ne interrumpat. Si autem loquente in cogitationibus suis diabolo, et ad usum rei illius provocante interrupit, utens peccavit potius quam usus est, et peccatum sibi convertit in usum, hoc est, lapidem in panem. Et quamvis ab illa re se abstinere decreverit, qua uti potuit sine peccato, si non decrevisset, tamen quia decrevit abstinere ab illa, usum rei illius judicavit esse peccatum, id est, lapidem. Propterea si usus fuerit eo, peccatum sibi sumpsit in usum, id est, lapidem sibi mutavit in panem, dirumpentem magis quam nutrientem. Sicut et Apostolus de mulieribus viduitatem promittentibus dicit: *Quæ cum deluserint Christum, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (1. Tim. 5. 11. 12). Sed deprimens desiderium suum quasi esuritionem, respondeat in cogitationibus suis diabolo sibi persuadenti, quia non in usu rei illius solo vivit homo perfecte: et si vivit, secundum corpus vivit, et non secundum animam. Penissimè autem vivit in observantia mandatorum Dei: et ideo forte non simpliciter dicit, Dic lapidi ut fiat panis, ne de quacumque lapide dixisse intelligatur: sed ita, Dic huic lapidi, id est, quem ego tibi ostendo. Item ascensio super templum moraliter intelligitur exaltatio cordis sanctorum ad sanctitatem. Statio autem super pinnam templi, exaltationis ipsius mora. Quando enim quis, inflatus mente carnis suæ, exaltatus fuerit quasi sanctus, et gloriosus fuerit quasi consummatus, ductus est a diabolo quasi super templum: et quando existimaverit se consistere in sanctimoniam summitate, et in ipsa æstimatione jactantiæ fuerit demoratus, positus est super pinnam templi, et stat ibi. Convenienter ergo et ordinate exposuerunt evangelistæ. Postquam enim exposuerunt, Christum in tentatione jejunii superasse diabolum, in sequenti loco exposuerunt ductum esse a diabolo super templum: quoniam victoria tentationis, et expletio alicujus operis magni, gloriationem operatur, et fit causa jactantiæ. Sed vide quoniam Christus jejunium quidem uliro suscepit, super templum autem diabolus eum duxit: ut et tu, qui filius Dei es, ad jejunium quidem morale, id est, ad abstinentiam laudabilem rei cujusdam sponte procedas, et alacriter: extolli autem ad fastigium sanctitatis non acquiescas, quia nemo extollit se ad sanctitatis altitudinem, nisi ducente diabolo. Nec enim ideo acquievit Christus duci et constitui super templum, ut tu moraliter imitator ejus existens, ascendas per jactantiam cordis tui ad altitudinem sanctitatis. Nec enim volens ascendit, quantum ad corpus, sed ideo acquievit duci et constitui super pinnam templi, et audire præcipitii verba: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*: ut tibi ostendat exaltationis exitum metuendum: id est, ut demonstret tibi ruinæ periculum, quod omnes glo-

riantes subsequi solet, sicut testatur Sapia, dicens: *Ante ruinam exaltatur cor hominis, et ante gloriam humiliatur* (Prov. 18. 12). Consequenter et Dominus dicit: *Onnis qui se exultat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (Luc. 14. 11). Si ergo times ruinam de fastigio sanctitatis, fuge exaltationem cordis ad sanctitatem, et non patieris ruinam de fastigio sanctitatis. Cur autem omnem jactantiam subsequatur ruina, causa est manifesta. Quoniam omnis qui confidens est in operibus suis, et gloriatur, securus est; qui autem securus est, non timet: et qui non timet, nec cavet; qui autem non cavet, quando non sperat, supplantatur a diabolo, et dejicitur. Qui autem nihil se existimat esse, in inferiori parte templi consistens, quantum ad se, causa humilitatis, sollicitus est de se; qui autem sollicitus est, et timet; qui autem timet, circumspicit semetipsum, et non sinit duci se a diabolo super templum. Talis fuit et ille qui dicit: *Non quod jam perfectus sim, aut jam justificatus sim*, etc. (Philip. 3. 12; 1. Cor. 4. 4). Si ergo Paulus timuit se dicere esse perfectum, quis audeat se existimare perfectum? Si ergo perfectus filius Dei es, et aliquam laudabilem abstinentiam suscepisti, quasi exiens in desertum, his duabus tentationibus Dominus tentatus est propter te, ut non interrumpas opus tuum, sed ad perfectum deducas: cum autem perduxeris ad perfectum, non glorieris. Si autem mediocris es filius, et nullum ausus es affectare pro virtute certamen, tentatione tertia tentatus es: propter te ductus est super montem excelsum, et audivit verba perniciose, *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*: ut tu non desideres magnus et altus fieri in hoc mundo. Ascensio enim montis illius est processio ad magnitudinem vel altitudinem divitiarum et gloriæ hujus mundi: quoniam ipsa processio eorum de superbia cordis descendit. Et vide quomodo per ordinem dicit, prius ductus est super montem; deinde gloriosa mundi ei ostensa sunt; in tertio loco posita est ei conditio, ut si adorasset diabolum, omnia fierent ejus. Sic et tibi contigit, qui altus et magnus fieri festinas in mundo, et ascendis in montem, quem diabolus sibi elegit ad seducendum. Cum enim volueris fieri altus et magnus, quod est ascendere in montem, diabolo te ducente, incipis die ac nocte cogitare de divitiis acquirendis, de suscipiendis honoribus, et ante oculos mentis tuæ semper illa universa proponere: scito quia princeps mundi gloriosa regni sui tibi ostendit. Cum autem senserit te diutinus hujusmodi cogitationibus in concupiscentias eorumdem honorum accensum, in tertio loco tales tibi providet causas, ut necesse sit tibi, si volueris illa consequi, diabolum adores, relinquens fidem Dei, et servias ei, negligens justitiam Dei: si autem elegeris adorare Deum in fide ejus, et servire ei secundum mandatum ipsius <sup>1</sup>, illa omnia non consequaris. Ideo docet Paulus apostolus: « Obsecro autem vos, fratres, studium habere quietis, et negotii proprii, et operandi manibus vestris, et nullius desiderium sit vobis ad ea quæ foris sunt » (1. Thess. 4. 11). Et iterum: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas divitiarum: quam quidam appetentes, circa fidem naufragaverunt » (1. Tim. 6. 8-10). Ergo omnia Christo promissa sunt, et omnia Christus contempsit, ut ne gloriam Dei diabolo daret: ut et tibi etiam si totus mundus fuerit datus, tantum ut dimittas Deum, non facias amplius divitias, quam gloriam Dei: nec enim justum est, propter creaturam continere Creatorem, sed propter Creatorem creaturam: quoniam divitiis tibi Deus dare potest, divitiæ autem tibi Deum dare

<sup>1</sup> Editi sic habent: *et servire ei secundum mandatum ipsius observare*: at illud, *observare*, quasi expungendum notatur in margine Editorum, et a Codice V. D. abest.

<sup>1</sup> Idem, eadem aliter.



non possunt. Non enim propter se tentatus est, sed propter nos, et non sibi vindicat, sed nobis. 11. *Tunc reliquit eum diabolus, et accedentes angeli Dei ministrabant ei.* Non dixit: Et descendentes angeli Dei ministrabant ei, ut ostendat, quia semper ad ministerium ejus angeli erant in terris: sed tunc, præcipiente Domino, recesserunt ab eo, ut locus diabolo adversus Christum daretur, ne forte angelos videns circa eum, non appropinquaret ad eum. Sic enim invisibiliter fit omni homini Christiano. Duo enim sunt angeli permanentes cum hominibus, scilicet bonus et malus. Quamdiu circa nos est angelus bonus, numquam nos in tentationem potest impellere angelus malus. Secundum dispensationem autem Dei recedit aliquantulum angelus bonus; magis autem non recedit, sed abscondit se, invisibilem se reddens ante diabolum: quoniam nisi voluerit angelus bonus, a diabolo non videtur. Subtrahit ergo se, ut det diabolo licentiam tentandi, et stans expectat tentationis eventum. Quando ergo aliqua concupiscentia malæ rei ascenderit super cor tuum, et pulsat aliquod genus peccati, non est circa te angelus bonus, sed diabolus loquens in corde tuo tentat te pariter et compellit. Si tu ergo permanseris confringens cor tuum, magis autem diabolum in corde tuo confringens, cum non te potueris superare, discedet a te. Quando recedente concupiscentia incipit cor tuum exultare, quia evasisti impetum illum malum, et quasi quidam spiritus in te tacente lætatur, et gratias agit Deo: cognosce quia recessit a te diabolus, et post tentationis victoriam accedens angelus ministrat tibi, et ille loquitur in te, et gaudium operatur. Quoniam autem ministrabant ei angeli, scimus: in quibus autem rebus illi ministrabant, scire non possumus. Utrum ad sanitates infirmitatum, quemadmodum et per angelum Raphaellem sanavit Tobiam (*Tob. 3*): an ad correctionem animarum, an ad effugationem demonum, quoniam quidem multa opera sua per angelos facit, verum est. Angelis autem facientibus, ipse facere videtur, qui dat illis faciendi præceptum et potestatem. Tamen manifestissimum est, quia etsi ad opus ipsius ministrant ei, non propter necessitatem impotentiae ejus ministrant ei, sed propter honorem potestatis ipsius. Nam ministrant ei et non adjuvant eum.

*Homilia sexta ex cap. quarto (a).*

12. *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, recessit in Galilæam.*— A quo? Sine dubio a Deo: quia in virum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus. Nam peccator in peccatorem aliquid forsitan potest, quia nec est valde sub cura Dei peccator: in hominem autem Dei sine dubio nihil potest, quia *Protector est Deus omnium sperantium in eum (Psal. 17. 31)*. Sic enim dicit et alibi: *Nonne duo passeræ veneunt dupondio<sup>1</sup>, et unus ex eis non cadit super terram sine præcepto Patris vestri? Quanto magis vos modicæ fidei? Vestri autem capilli capitis numerati sunt omnes (Matth. 10. 29. 30)*. Omnis homo, quantumvis fuerit malus, priusquam aliquam faciat iniquitatem, quasi tardior est ad opus iniquitatis: quod si semel coeperit facere iniquitatem, jam paratio fit ad omne opus iniquum. Sicut enim bestia, quamvis sit naturaliter sæva, tamen si excitata non fuerit, non se facile super hominem jactat: si autem homine occiso, vel aliqua bestia, sanguinis acceperit gustum, jam si viderit hominem, sine aliqua mora irruit super eum: sic et Herodes, etsi proposito erat iniquus, tamen postquam propter correptionem adulterii sui est exasperatus, opus pessimum ausus est facere, et Joannem recludere in carcerem, seipso iniquior: et audacior quidem fuerat sibi metipso factus cum omnibus consentientibus sibi Judæis in mortem

Joannis. Quod sciens Dominus, recessit inde, non ipse timens mortem, sed propter duas causas. Primum, ut passionem suam opportuno tempore reservaret: deinde, ut nobis fugiendi periculum tentationis daret exemplum: non quia ille timebat periculum tentationis, sed quia nos aliter non omnem toleraremus tentationem. Si enim ideo pro omnem viam justitiæ præcessit quasi magister, ut nos eum sequamur quasi discipuli, manifestum est quia non consideravit quid ipse posset, sed quid nos poteramus implere. Si autem ea fecisset Christus quæ ipse poterat facere, et non nos: discipuli ejus esse non poteramus, sequi eum non prævalentes. 13. *Et relicta civitate Nazareth, veniens habitavit in Capernaum in finibus Zabulon et Nephthim, 14. ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon et terra Nephthim, via maris trans Jordanem, Galilææ gentium (Isai. 9. 1)*. Sicut docet historia, hæc tribus ante omnes transmigratæ sunt in Babyloniæm. Convenienter ergo quos ante omnes ira Dei percussit, ipsos primum Dei misericordia visitavit: et qui primi ducti sunt in captivitate corporalem, ipsi prius de spirituali captivitate reducti sunt. 16. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et qui sedebat in regione et umbra mortis, lux orta est eis (Ibidem, v. 2)*. Sedebant in tenebris Judæi, qui fuerunt sub lege, in qua Dei justitia non fuerat manifesta: etsi erat illi justitia, tamen in figuris quibusdam et mysteriis rerum carnalium fuerat cooperta. Quæ enim est lumen justitiæ in circumcisione præputii? Tenebræ enim erant maxime secundum legem, quæ non ad manifestandam Dei justitiam data fuerat, sed ad puniendam duritiam cordis eorum: sicut ait Dominus, *Propter duritiam cordis vestri Moses ista mandavit (Marc. 10. 5)*: et non ad salvandos eos, sed ad excæcandos, ut inebriati per legem non cognoscerent lumen, quod non merebantur videre in tenebris, id est, in peccatis. Lumen magnum, id est, Christum. Nam multa lumina fuerant inter Judæos. Lumen fuerunt Moses, et Aaron, et Josue, et cæteri iudices et prophætæ. Omnis doctor lumen illorum est, quos illuminat docens: sicut scriptum est, *Vos estis lux mundi (Matth. 5. 14)*. Magnum autem lumen est Christus. In regione autem et umbra mortis sedebant gentiles, aut quia iniquitates mortiferas faciebant, aut quia colebant idola et demones, quorum cultura ducebat eos ad mortem æternam. Judæi autem, qui secundum legem opera faciebant, ideo in tenebris erant, et non in regione et umbra mortis, quia etsi non erat quidem justitia quam faciebant, tamen facientibus eam etsi gloria non dabatur, tamen mors æterna non contingebat, quia Dei tenebant mandata. Umbram autem mortis æstimo esse peccatum idololatriæ. Sicut enim qui vivunt in agnitione Dei et Christi, quamvis agnitio ipsa sit vita, tamen donec sunt in sæculo isto, non sunt in vera vita, sed in umbra vitæ, quoniam per fidem ambulant, et non per speciem, et per speculum in ænigmate vident, non facie ad faciem (2. Cor. 5. 7): sic qui in erroribus idolorum vivunt, licet ipse error sit mors, tamen nondum sunt in vera morte, sed in umbra mortis, donec in isto sæculo sunt (1. Cor. 13. 12). Quoniam autem ignorantia Dei umbra est mortis, testatur propheta dicens: *Et declinasti semitas nostras a via tua, et cooperuit nos umbra mortis (Psal. 45. 19. 20)*. Sine dubio enim aperiet eum ignorantia Dei, cujus vita de via Dei fuerit declinata. Regio autem mortis mundus est iste. Sicut enim illa terra vivorum est, de qua dicitur: *Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal. 26. 13)*: sic terra hæc regio mortis est. Propterea ad plenum Deo placere non possumus, degentes in ea, quia ipsi etsi vivi sumus propter opera viva et fidem Christi, tamen quia in mundo vivimus, cui diabolus principatur, coinquinati sumus. Ideo et Paulus dicebat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus (Rom. 7. 24)*? Corpus enim hoc, corpus est mortis, quia non vitalibus, sed mortiferis voluptatibus est subjectum. Et vide quam proprie qui-

<sup>1</sup> In Evangelio legitur, *nonne duo passeræ usse veneunt*. (a) Est homilia septima in Codice V. D.



dom dixit propheta, Judæos quidem vidisse lumen magnum, gentibus autem ortum esse : quoniam apud Judæos erat agnitio Filii Dei, non autem videbant eum, qui sedebat in tenebris legis, aut peccatorum : apud gentes autem nunquam fuit agnitio Filii Dei. Ideo a Judæis quidem dicitur visus, gentibus autem ortus. Dicitur autem Capernaum inter fines Judæorum et gentium posita esse. 47. *Ex tunc cepit Jesus predicare et dicere : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ex tunc, id est, ex quo testificatus est a Joanne. Nec enim prædicare creditur poterat, nec testis Patris existere, nisi testificatus fuisset ab eo : quia nemo potest alterius esse testis idoneus, nisi qui ipse fuerit testificatus ab altero. Testificatus autem est ab eo sic : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. 1. 29)*. Ut omnis qui ordinatur ad prædicandum, bonum testimonium habeat a populo, et ab his qui sunt foris, sicut ait Apostolus. Qui enim bene vixit, se solum salvat : qui autem bonam habet opinionem, multos ædificat (1. Tim. 3. 7). Quid autem prodest, si bonam vitam agendo te unum salves, et malam famam habendo plurimos scandalizes? *Ex tunc cepit Jesus predicare*, ex quo in aqua quidem baptizatus est a Joanne : in spiritu autem a Patre, ut possit de seipso alios baptizare, secundum hominem dico : [ quia si non fuisset baptizatus, alios baptizare non poterat ]. Quomodo autem nudus vestiat nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum divitem? Sic et ipse, qui baptizatus non est, quomodo alteri potest baptismum dare? Secundum hoc et de hæreticis dicitur : quia ubi est fides, illic est Ecclesia : ubi Ecclesia, ibi sacerdos : ubi sacerdos, ibi baptismum : ubi baptismum, ibi Christianus. Ubi autem fides non est, ibi nec Ecclesia est : ubi Ecclesia non est, nec sacerdos est : ubi sacerdos non est, nec baptismum : ubi baptismum non est, nec Christianus fit aliquis. Quid ergo reprehendit quasi secundum baptismum, qui non intelligit quod est primum? *Ex tunc cepit Jesus predicare*, ex quo tentatus est. Famam autem vicit in deserto, avaritiam sprexit in monte, vanam gloriam repercutit super templum : ut nobis ostendat, quia qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi hujus bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet, Christi vicarius faciens, justitiam Christi prædicare : quoniam ex istis tribus caminis omnis diabolice fraudis <sup>1</sup> flamma succenditur. Item ex quo traditus est Joannes, ex tunc prædicare cepit. Nam si vivo Joanne prædicare cœpisset, sine dubio vilem fecisset Joannem, et inventa fuisset prædicatio ejus superflua quantum ad istius doctrinam : quemadmodum si in uno tempore lux cum lucifero oriatur, gratiam luciferi celat. Quam sapienter inde prædicationis suæ sumpsit initium, quod prædicare consuevit erat Joannes : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (Matth. 3. 2)* : non ut conculcet Joannis doctrinam, sed ut magis confirmet. Nam si illo adhuc docente hæc eadem prædicasset, forsitan conculcare videretur : nunc autem quia eo incluso repetit, non conculcat, sed confirmatio invenitur. Confirmavit autem Joannis doctrinam, ut testem eum verum fuisse demonstraret. Quoniam si Joannes verus est testis, et testimonium ejus verum est, quod dixit de Christo : si autem falsus est testis, et omnia illa gloriose falsa fuerunt, quæ dixit de Christo. Ergo dum Joannis doctrinam confirmat Dominus, seipsum commendat. *Pœnitentiam agite*. Creator humanæ naturæ scit quid necessarium habet humana natura. Sciens etenim Dominus, quia nullus hominum per ignorantiam justitiæ peccat, sed dum sequitur delectationem carnalem, contemnit gloriam spirituales, ideo statim non justitiam prædicavit, quam omnes cognoscere, sed pœnitentiam, quam omnes indigebant. Quis ergo veniens contra judicium Dei ausus est dicere, quia ego volo bonus esse, et

non possum? Dominus enim, qui in primis non justitiam, sed pœnitentiam prædicavit, non naturæ ignorantis, sed voluntatis culpam in peccatoribus esse demonstrat. Pœnitentia enim correctio est voluntatis, non emendatio malæ naturæ. Nam si emendatio naturæ esset pœnitentia, Creator Dominus noster venisset in mundum, ut sui operis culpam emendaret, non nostros errores. *Appropinquabit enim regnum cœlorum*, id est, beatitudo regni cœlestis : quam præparavit fidelibus Deus, ac si dicat, Parate vos per pœnitentiam et per patientiam ad percipiendam beatitudinem regni cœlestis : qui appropinquabit tempus mercedis reddendæ. Qui mala timetis, aut concupiscitis bona, attendite, quia appropinquabit regnum cœlorum. Si vos mala non terrent, vel bona delectent : aut si regna non concupiscitis, vel tormenta timeat. Gaudeant justi, quia jam finiuntur mala eorum, et incipiunt bona. Lugeant peccatores, quia jam transeunt bona eorum, et incipiunt mala. Quid nocuit hominibus justis, quia mala passi sunt, cum cœperint esse in bonis? Nam et recordatio transactorum malorum non solum non nocet, sed adhuc magis delectat. Nam mala quamdiu præsentia sunt, gravia videntur : cum vero transacta fuerint, recordatio eorum gloriatio est. Aut quid prodest peccatoribus, quia bona sunt consequuti, cum cœperint esse in malis? Nam recordatio transactorum bonorum non solum non adjuvat, sed adhuc amplius gravat. Nam quamdiu præsentia sunt, delectabilia videntur : cum vero transacta fuerint, recordatio eorum magis affligit. Et ista prædicatio pœnitentiæ qualem fructum contulit Christo? Seminavit verbum pœnitentiæ, et immaculatos prædicatores justitiæ messavit.

*Homilia septima ex capite quarto (a).*

18. *Ambulans autem Jesus secus mare, vidit duos fratres, Simonem et Andream.* — Priusquam aliquid dicat aut faciat, vocat apostolos, ut nihil eos lateat nec verborum Christi nec operum, ut postmodum fiducialiter dicere possint : *Non possumus enim nos quæ vidimus et audimus non loqui (Act. 4. 20)*. Vidit eos, non corporaliter, sed spiritualiter : non ad facies eorum, sed ad corda respiciens. Et elegit eos, non quasi apostolos, sed quia apostoli poterant fieri. Sicut artifex si videbit gemmas pretiosas, et non dotatas, elegit illas, non quod sint, sed quod fieri possunt ; habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit : sic et Dominus videns illos, non opera eorum elegit, sed corda. *Mittentes retia*, et futuræ dignitatis gratiam artificii sui opere prophetantes. Ut intelligamus, quia non solum ista secunda piscatio spiritualis a Deo eis erat donata, sed etiam prima illa corporalis Dei providentia in eis fuerat ordinata. Nam sicut qui retia jactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus est, sed quos Deus ei transmisserit, illi intrant in retia : sic et doctor quando divini sermonis retia super populum jaciat, nescit qui sunt accessuri ad Deum, sed quoscumque Deus excitaverit, illi adhærent doctrinæ. Ergo sicut in piscatore labor solus requiritur piscandi, Deus autem transmittit capturam : sic et in doctore nihil requiritur nisi instantia doctrinæ : populum autem non corrigit homo, sed Deus. Sic enim dicit Dominus per prophetam : *Dic hæc ad Jesum filium Josedech sacerdotem magnum : Si bene custodieris aulam meam, dabo tibi qui habitent in ea (Zach. 3. 7)*. 19. *Et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri pisces hominum.* Id est, Faciam vos doctores, ut cum reti verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falso, et fluctuabundo, et tempestuoso, et instabili, et perfido, et semper periculoso, et nemini unquam tuto, ubi homines non ambulat, sed feruntur inviti, quasi nolentes. Violentia enim diaboli concupiscentias multas inoperans eis mentitur se facturum eorum voluntatem : quia cum delectatione compel-

<sup>1</sup> Quæ uncinis clauduntur, in quodam exemplari desunt.

<sup>2</sup> V. D. et *Κηλὶς τοῦ μαρι,* diabolice conflationis.

(a) Est Homil. octava in Cod. V. D.

lit in mala opera, ut homines alterutrum se comedant, sicut pisces fortiores semper devorantes infirmiores: ne translati vivant in terra fructifera corporis Christi, facti membra corporis ejus, in terra fructifera, in terra dulci et semper tranquilla: ubi non est tempestas ad eversionem, nisi forte ad tentationem fidei, et patientiæ fructificationem. Ut homines ambulent, non ferantur: ut se alterutrum non comedant habitantes, sed foveant. Ecce do vobis Evangelium in manibus novum, et alterum rete diversarum sententiarum, et obligatarum parabolarum, virtutum admirandarum, et multiformium doctrinarum narrationibus crebris quasi fluctibus huc et illic discurrentibus textum, minis iudiciorum, et promissionibus beatitudinum, quasi quibusdam nodis indissolubilibus colligatum, præscientiis et occultarum cogitationum cognitionibus, dæmonum confessionibus, et resurrectionibus mortuorum nimis confirmatum: ita ut in sinu suo tutissimo diligenter possit rationabilium hominum continere captivam, ut non det eis ex aliqua potestate exeundi occasionem, quasi per aperturam aliquam neglectam a Spiritu sancto, qui texuit eam. Et hoc dicit aliquis intra se: Non sine causa sequuti sunt Jesum talia promittentem. Quid enim? Tibi minima repromittit? Num non si bene conversatus fueris, regnum cæleste tibi promittit? num non vitam æternam? num non angelicam naturam? num non hæreditatem secum? Et quare non sequeris eum? Sed illi sequuti sunt eum, quia cælestium bonorum amatores erant, non terrenorum. Tu autem eum non sequeris, quia non cælestium, sed terrenorum amator es. Homo enim carnalis nullum bonum credit esse bonum, nisi carnale: et nusquam credit esse jucunditatem, nisi quæ est super terram. Non ergo illi doctorum cupierunt honorem, sed doctorii operis lucrum, sicut exitus contestatus est. Si enim apostoli facti, honoribus apostolatus sui fructi sunt, sine dubio apostolicum cupierunt honorem. Si autem non solum apostolatus sui honoribus fructi non sunt humilitatis causa, sed etiam propter hominum salutem et gloriam Christi passi sunt diversa supplicia, manifestum est quod tunc non apostolicum cupierunt honorem, sed questum apostolici operis et laboris. Sciebant enim quam pretiosa est anima hominis, quam grata est apud Deum salus ipsius, quanta merces est hominem ædificare secundum Deum. Concupierunt et sequuti sunt: tu autem non concupiscis talia hæc. Quomodo enim desideres alium posse salvari, qui teipsum salvare non curas? 20. *Et relicta retibus sequuti sunt eum.* Ne aliquis Christianus dicat, Numquid non possum divitiis diligere, et Christo placere? ideo relinquentes retia sua apostoli nos docuerunt, quia nemo potest terrena possidere, et perfecte ad cælestia pervenire. Considera quomodo inter cælum et terram aer medius constitutus separat creaturam utranque, ut ostendat quia inter cælestia et terrena nulla potest esse commixtio. Cælestia enim spiritualia sunt et levia, et naturaliter semper sursum potentia. Terrena autem ponderosa sunt, et semper deorsum deponentia. Si igitur spiritualia tenueris, sursum te ducunt: si terrena, deorsum te deponunt. Igitur relinquunt retia, ne magis facerent eis impedimentum laboris, quam additamentum utilitatis. 21. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, componentes retia, et similititer vocavit eos.* Erant enim habitatione cives, dilectione concordēs, arte officii pares, fraternitatis pietate conjuncti: ideo sic vocavit et istos, ne tot bonis rebus conjunctos dissimilis vocatio separaret. Gratiose aliquis de hac duplici fratrum utilitate loquitur est, quoniam omnis Ecclesia præcipue in caritate fuerat construenda, sicut ipse dicit: *Hoc est autem mandatum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos (Joan. 13. 34. et 15. 12).* Et iterum: *In hoc cognoscet homines, quod mei estis discipuli, si caritatem habueritis inter vos.* Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem cemento mediante constringitur,

sic in ædificio Ecclesiæ Christianæ ad Christianam caritate mediante connectitur. Ideo super fraternitatem caritatis Ecclesiæ composuit fundamenta, ut radicibus caritatis exuberans quasi humor ascendat in ramos. Et hoc super naturalem caritatem, ut non solum per gratiam, sed etiam per naturam ipsa caritas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in Veteri Testamento: ædificaturus enim populum illum per legem, supra Moysen et Aaron fratres posuit ædificationis initium. Quoniam autem abundantior gratia futura erat Novi Testamenti quam Veteris, ideo populum illum quidem ædificavit secundum unam fraternitatem, hunc autem secundum duas. *Componentes retia.* Quod est maxime paupertatis indicium. Vetera componebant, quia nova inde emergent non habebant. Et quod ad majorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo occurrerant, ut secum eum bajularent in navi, non ut ille istos adjuvaret in opere, sed ut isti illum consolarentur sua presentia. Quoniam autem illi quidem referuntur mittentes retia sua, per omnes evangelistas, isti autem componentes: sine ratione esse non credo, maxime cum poterant dicere sine damno aliquo intellectus: Et ibi vidit illum et illum, et non dicere, *Componentes retia sua.* Item æstimare illos quidem quasi velociores ad prædicandum, quia jam mittentes erant retia sua, istos autem quasi pigriores, quia adhuc componentes erant retia, non sumus ausi: quia differentiam illorum talium cognoscere est solius Dei. Ne forte ergo propter Petrum illi dicti sunt mittentes retia sua, isti autem propter Joannem componentes: quia Petrus prædicavit tantum Evangelium, et non composuit, sed Marcus ab eo prædicata composuit; Joannes autem et prædicavit Evangelium, et ipse composuit. Et non solum composuit, sed etiam omnium evangelistarum retia ipse composuit. Nam cum omnes humana Christi pene sola composuissent, iste commisit eis etiam divina ipsius, ut nullam relinqueret Spiritus sanctus scandali aperturam in eis, unde pisces egrederentur. Et ut nunc dicamus, quod supra in textura retis omisionis: quia circumposuit ei quasi plumbea gravia, id est, inextinguibilem flammam et immortalium vermium supplicia ponderosa, ut possit facile humanorum cordium penetrare profundum.

22. *Veniens ad Christum, tria relinquere tenetur. — At illi, relicto patre, et navi, sequuti sunt eum.* Vide quia Petrus quidem et Andreas dicuntur reliquisse retia: Jacobus autem et Joannes, patrem et navim. Tria sunt enim generaliter omnia, quæ relinquere debet omnis, qui venit ad Christum: actus carnales, substantiam mundialem, parentes carnales. Per retia enim piscationis actus carnales relinquendi significantur: per navim autem substantia: per patrem vero omnes parentes. Et vide, quia prius retia relicta significantur, postea navis, in tertio loco pater: quia prius convenit actus mundiales relinquere: ipsi sunt enim, qui præcipue nocent ad spiritualia. Secundo substantiam, quia non tantum nocet aliquid habere in mundo, quantum agere aliquem actum; tamen et hoc ipsum habere nocet. In novissimo, parentes, qui et ipsi quidem nocent, tamen minus nocent quam divitiæ et actus hujus sæculi. Reliquerunt ergo navem, ut fierent ecclesiasticæ navis gubernatores; reliquerunt retia, ut jam non pisces apportarent ad civitatem terrenam, sed homines ad civitatem cælestem; reliquerunt unum patrem, ut fierent omnium spiritualium genitores.

#### Homilia octava ex capite quarto (a).

23. *Et circumibat Jesus totam Galilæam.* — Omnis rex pugnaturus contra adversarium regem, prius congregat exercitum, et sic vadit ad pugnam: sic et Do-

(a) Hæc homilia septima deberet inscribi: nulla quippe in hoc exemplari homilia septima habetur.

minus contra diabolum pugnaturus, prius congregavit apostolos, et sic cœpit per totam Galilæam Evangelium prædicare. Expugnatio enim diaboli prædicatio est veritatis: sagitta mortifera est in visceribus ejus sermo justitiæ. Dejectio ejus est opus signorum, spoliatio potestatis ejus est conversio fidelium. Et rex quidem terrenus congregat exercitum, ut illorum laboribus ipse gloriam consequatur: iste autem congregavit apostolos, non ut illorum laboribus ipse gloriam consequatur, sed ut suo labore illis victoriam præstet. Circumibat totam Galilæam, sicut studiosus medicus circumibat graviter agrotantes, singulis quibusque passionibus adhibens congruas medicinas: quia debiles illi ad medicum venire non poterant. Et Dominus quidem circumibat singulas regiones. Nos autem qui sumus uniuscujusque regionis pastores, etsi regiones circumire necessarium non habemus, tamen singulas species passionum populi circumire et considerare debemus: id est, diligenter attendere, qui sunt in populo qui avaritiæ morbo laborant, ut aliquem sermonem de avaritiæ malo faciamus ad medicamentum sanitatis illius qui avaritiæ stimulis agitatur, secundum Pauli sententiam dicentis: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, etc.* (1. Tim. 6. 8. 9). Item debemus illis providere, qui in populo ardentibus libidinis febribus valde laborant: et ut ad remedium passionis eorum aliquod medicamentum in Ecclesia proferamus de apotheca medicinali Apostoli, dicentis: *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, etc.* (1. Cor. 6. 18). Et quemadmodum paterfamilias studiosus scit in domo sua quid unusquisque necessarium habet: ita et sacerdos singulorum mores et actus et conversationem debet indiscere, ut quale quibusque medicamentum necessarium fuerit administret: cui consolationem, consolationem: cui increpationem, increpationem. Cui autem asperior increpationis medicina fuerit posita secundum qualitatem passionis illius, non debet indignari: quia nec infirmus irascitur contra medicum, si posuerit aliquam medicinam mordentem. Non enim considerat asperitatem medicinæ, et irascitur, sed considerat benevolentiam medici, et sustinet: quia prodesse illi desiderat, non nocere. Sicut autem infirmus, qui ipse venit ad medicum, ex parte jam sanus est: sic et ipse peccator, qui venit ad sacerdotem, et doctrinæ aut pœnitentiæ medicinam querit, ex parte jam justus est. Illum autem gravis tenet infirmitas, quem sacerdos sequitur verbis, et ille spiritualium verborum medicamentum non sentit, nec melioratur, sed quasi qui stomachum patitur, quidquid manducaverit et biberit, iterum vomit. Sic et illa anima patiens quicquid audierit, statim de sensibus suis projicit foras: sic illi infideles Judæi quibus dictum est: *Omne escam abominata est anima eorum* (Psalm. 106. 18): id est, omne escam doctrinæ animam nutrientem. *Docens et prædicans Evangelium regni.* Aliud est docere, aliud est Evangelium prædicare. Docebat enim eos, dicens eis justitias naturales, quas etsi ille non diceret, ipsa ratio naturalis illos doceret: utputa castitatem, humilitatem, patientiam, et cætera his similia: quæ homines etsi non audiunt, tamen a semetipsis bona esse intelligunt, sicut ait Apostolus ad Romanos: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, etc.* (Rom. 2. 14). Sed forte dicit: Si ea eos docebat, quæ omnes intelligunt, quid opus habebat eos docere? Audi. Doctrina non tantum propter manifestationem rerum obscurarum inventa est, quantum propter excitationem cordis et spiritus. *Talis est enim humana natura: utputa prævalentibus delectationibus carnalibus in homine, scientia quæ est in eo justitiæ naturalis excluditur, et quasi in oblivionem deducta, de memoria foris expellitur et obdormit.* Cum ergo cœperit

doctor in illis reprehendere et repercutere mala carnalia, et terrere de futuro judicio: quasi precisi delectationibus carnalibus, iterum scientiam in memoriam eorum reducit, et in sensibus reparat. Unde et gladius dicitur sermo divinus: quia sicut gladius carnes præcidit, sic et sermo divinus concupiscentias carnales. Et quemadmodum si tollis herbas de agro, triticum convalescit in illo: sic et concupiscentia si præcidatur ab homine, justitia convalescit: quia sicut herbæ suffocant triticum, sic et concupiscentiæ carnales offocant disciplinam. Vides ergo quia doctrina non novas scientias introducit, sed oblitias commovefacit? Si ergo sermo humanus tantam habet virtutem, auribus sonum præstans, putas quid agebat sermo dominicus, cum esset spiritus vivus, non tantum in auribus sonans, sed et in cordibus operans? Evangelium autem prædicans, mysterium justitiæ promittebat. Evangelium enim est nuntium bonum. Bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo celestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, et immortalitas vitæ, hereditas regni celestis, et possessio gloriæ sempiternæ, societas angelorum, et communicatio Spiritus, et fraternitas Christi, et paternitas Dei. Hæc omnia antiqui homines manifeste nec audierant, nec sperabant. Et ideo præmium boni operis non sperantes, justitiæ contempserunt laborem, et transtulerunt se ad delectationes carnales. Quia omnis justitia molesta est omnibus in carne viventibus, propterea labor justitiæ non sustinetur, nisi merces eorum expectetur. Ideo ergo illis beatitudinem evangelizabat celestem, ut corda eorum ad patientiam boni operis excitaret et desiderium celestium præmiorum, aut docens, aut interpretans eis prophetias de suo ipsius adventu: ut ipsa interpretationis doctrina esset propter increpationem, et evangelizatio propter denuntiationem futurorum honorum in ipso. *Et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in plebe.* Quod dixit, *Languorem*, ad passiones pertinere voluit corporales: quod autem dicit, *Et omnem infirmitatem*, ad passiones animæ spirituales. Non enim pauciores morbi animam vexant quam corpus. Etsi quidem dixisset, *Sanans languores et infirmitates*, poteramus utrumque ad passiones intelligere corporales, ut languores quidem intelligerentur graviore passiones, infirmitates autem lætia leviora. Nunc autem cum dicens, *Omnem languorem*, omne genus sive gravium, sive levium passionum concludit, alterius clausulæ videtur adjectio esse superflua, nisi unam quidem ad passiones corporales intelligamus, alteram autem ad spirituales. Possumus tamen et utramque clausulam, ad utrasque intelligere passiones ita: id est, *Omnem languorem*, sive corporalem, sive spirituales: et, *Omnem infirmitatem*, sive corporalem, sive spirituales: ut languorem quidem intelligamus animæ morbum passionis alicujus, infirmitatem autem infidelitatem: utputa qui avaritiæ morbo subditus est, aut libidinis, aut vanæ gloriæ, languorem animæ patitur: qui autem mysterium vocationis Dei ignorat, ille infirmus habetur in fide. Multi enim sunt qui possunt bona opera facere, et Deo placere, sed non faciunt: quia mysterium vocationis Dei ignorant, et ipsi sunt infirmi. Quidam autem sic passionibus carnalibus sunt mancipati, ut etiam si sciant mysterium vocationis Dei, tamen bene agere non permittuntur, et ipsi sunt languorem habentes. Sed passiones corporales divinitatis virtute sanavit, spirituales autem verbo pietatis. Sicut enim medicina languenti corpori, sic verbum prodest animæ agrotanti. Deinde vide, quod non prius posuit, *Sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem*, sed primum, *Prædicans et docens Evangelium regni*, et postea, *Sanans*, propter duas causas. Primum, quia miracula virtutum ædificant animas secundum verba pietatis. Ideo autem præmittitur, quod magis necessarium æstimatur. Deinde quia non

verba pietatis virtutes miraculorum commendant, sed virtutes miraculorum veritatis sermones. Nec ideo credebatur Christus posse facere virtutes, quia veritatem prædicabat: sed ideo<sup>1</sup> credebatur veritatem prædicare, quia poterat facere virtutes. 24. *Et obtulerunt ei omnes male habentes, et curavit eos (Marc. 1. 34)*. In quibusdam locis ponit, *Et multos curavit (Luc. 7. 21)*, sicut et ibi: *Et quotquot tetigerunt eum, sanati sunt (Matth. 14. 36)*. Hic autem simpliciter dicit, *Et curavit eos*: significans quia omnes curavit. Sicut novitius medicus intrans in civitatem, et volens ostentationes dare artificii sui, omnes venientes ad se curat, et non tantum cogitat de mercede accipienda, quantum de opinione sua commendanda; cum autem manifesta fuerit fama ejus bona, tunc secundum laborem suum incipit exigere et mercedem: sic et Dominus incipiens prædicare, non secundum iudicium quosdam, sed omnes indifferenter sanabat; postquam vero illum omnis Judæa cognovit, beneficia sanitarum digno pretio fidei venumdabat, dicens unicuique, *Fiat tibi secundum fidem tuam (Matth. 9. 29)*. Non tamen omnes, sed illos, quos secundum præscientiam suam ante præparaverat, quam venirent.

*Homilia nona ex capite quinto.*

*Cur Christus ut doceret, in montem ascenderit. —*

1. *Videns autem Jesus turbas multas, ascendit in montem.* Omnis artifex secundum professionem suam, opportunitatem operis videns, gaudet. Carpentarius si viderit arborem bonam, concupiscit eam præscindere ad opus artificii sui; agricola si viderit terram pinguem, desiderat eam arare. Et quid dico de rationalibus hominibus? ipse irrationalis equus de stabulo exsiliens, si viderit campos patentes, rapit frenum, et excitatur ad cursum: sic et Dominus videns magnam congregationem populi, excitatus est ad docendum. Sic et omnis sacerdos cum viderit ecclesiam plenam, gaudet animus ejus, et delectatur ut doceat: si autem viderit ecclesiam vacuum, confunditur, et nihil dicere potest. *Ascendit in montem.* Numquid non poterat ibi docere, ubi jam populus erat? Sed propter duas rationes ascendit in montem. Primum, ut impletur prophetiam Isaïæ dicentis: *Super montem excelsum ascende tu, qui bene annuntias Sion (Isai. 40. 9)*. Deinde, ut mysterium pietatis ostenderet. Ascensio enim ejus est altitudo virtutum. Ascendit ergo in montem, ut ostendat nobis quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet qui docet justitiam Dei, pariter et qui audit. Qui docet, verhorum suorum sit ipse exemplum, ut magis opere doceat quam sermone, sicut ait Apostolus ad Timotheum: *Exemplum esto omnium fidelium (1. Tim. 4. 12)*. Qui autem ambulat per convallia vitæ terrenæ, obscuras semitas calcat, et loquitur altos sermones: non alterum instruit, sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, et de monte loqui: sed aut ubi stas, inde loquere; aut unde loqueris, ibi sta. Si in terra est animus tuus, ut quid de cælo loqueris? Si ergo in terra tu stas, de terra loquere: si autem de cælo loqueris, in cælo consiste, ut dicas cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in cælis est (Phil. 3. 20)*. Ille autem populus, qui audit justitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum consistere, quia discipulus imitator debet esse magistri. Si autem in peccatis vivas, et audias justitiæ verba docentem, iudicium tibi, non salutem acquiris. Audis enim, ut ne ignorantia vel excusationem habeas ante Deum. Ecce, homo si quæcumque artem ex toto corde voluerit discere, puta pingere aut ædificare, cum frequenter magistrum suum audierit aut viderit, tollit se in secreto, et accipit ferramentum, et ipse se tentat, si potest jam facere quod frequenter audivit vel vidit. Sic et tu, si facere justitiam non vis, ut quid prædicatorem

justitiæ audis? ut quid doctorem illum appellas, cuius non vis esse discipulus? Intellige ergo: dico enim tibi rem naturalem, secundum loci istius scripturam. Si tu es super montem, et prædicator in valle, tu sursum constitutus audis vocem illius, quia vox melius sursum ascendit: si autem tu steteris in valle, et doctor tuus super montem loquatur, non multum tibi proficit loquela ipsius. Ergo in primo loco populus se debet considerare qualis sit, in secundo loco qualem habeat sacerdotem: quia doctor malus bono populo non multum nocet, bonus autem doctor malo populo non multum prodest. Nunc autem populus seipsum non videt, quem primum videre debet: sed semper sedens iudicat de moribus sacerdotum. Ideo ergo præsens scriptura nos docet, ut tam doctor quam populus super montem sanctitatis ascendat, qui vult audire pietatis doctrinam. Aut certe ita: Mons Ecclesiæ appellatur, de quo dicit propheta: *Mons Dei, mons ubi (Psal. 67. 16)*. Ascendit ergo Christus in montem, ut illic discipulis suis mysteria traderet veritatis, ostendens quoniam omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem Ecclesiæ debet ascendere: sed non in omnem montem, sed in montem uberem. Sunt enim et hæreticorum montes, non autem uberes, sed coagulati: in quibus non veritatis mysteria traduntur, sed mendacia expugnantia veritatem. Ideo et eos qui in tales montes ascendunt, reprehendit Spiritus sanctus per prophetam dicens: *Ut quid suspicitis montes coagulatos (Ibidem. v. 17)*? Coagulati enim dicuntur hæresium ecclesiæ, quia *Coagulatum est sicut lac cor eorum (Psal. 118. 70)*. 3. *Beati pauperes spiritu.* Quamvis ipsas beatitudines exponat ex parte et evangelista Lucas, tamen istæ beatitudines perfectiores illis intelligendæ sunt: quoniam illæ in loco campestri dictæ sunt, istæ autem perfectis super montem. Illæ medioeribus, istæ autem perfectis, et rectoribus populorum, sicut fuerunt apostoli, ad quos dicta sunt hæc: cuius differentia rationem largius exposuimus ibi. Ideo illic simpliciter pauperes dixit: hic autem pauperes spiritu. Pauper spiritu est humilis corde (*Luc. 6. 20*): id est, pauperem spiritum habens, qui non magna sapit de se. Sicut ex diverso dives spiritu intelligitur magna de se sapiens, et superbus, qui non implet mandatum Christi dicens: *Nisi conversi facti fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum cælorum (Matth. 18. 5)*. Qui enim jam conversus factus est sicut puer, ille est et pauper spiritu. Et qui pauper est spiritu, ille conversus factus est sicut puer. Et secundum testimonium quidem Christi, et Apostoli, *Plenitudo legis dilectio est (Rom. 13. 10)*; tamen nutrix dilectionis humilitas est, et totius mali odii mater superbia. Ergo totius boni initium humilitas est, et totius mali superbia. Denique et perditionis initium a superbia coepit per diabolum, initiumque salutis ab humilitate per Christum: propterea convenienter et omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Et quare non manifeste dixit, *Beati humiles spiritu*? Ego hunc potui tantummodo rationis invenire colorem, ut non solum humiles ostendat, sed etiam indigentes humiles, qui sic sunt humiles, ut semper adiutorium Dei sint mendicantes. Unde in *Græco* non dicit, *Beati pauperes*: sed, *Beati egeni*, vel, *Beati mendici*. Nam pauper est, qui angustiam quidem habet, non autem tantam, ut mendicare cogatur. Secundum quam differentiam et propheta dicit: *Beatus qui intelligit super mendicum et pauperem (Psal. 40. 2)*. Ergo ideo dicit, *Beati mendici spiritu*, ut in ultima necessitate humiles ostendat. Si ergo dixisset, *Beati humiles spiritu*, nihil amplius significasset, quam humiles: nunc autem et humiles, et secundum fidem humiles, et intelligentes unde sit adiutorium hominis. Sunt enim multi naturaliter humiles spiritu, et non ex fide. Hi tales non pulsant adiutorium Dei. Qui autem secundum fidem humiles sunt, et intelligentes, dum nimis timent de se, adiutorium Dei pulsare non cessant. *Quoniam ipsorum est*

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *quia non miracula virtutum ædificant animus, sed verba pietatis. Ideo autem.*

*regnum cælorum.* Quid enim? aliorum virtutes alias studentium non est regnum cælorum? Etiam. Nam sicut cætera vitia deponunt ad inferos, maxime tamen superbia, quia radix omnium malorum superbia est: sic et omnes virtutes inducunt in regnum cælorum, maxime tamen humilitas, quia radix omnium malorum superbia est: sine dubio et radix omnium bonorum humilitas est (*Luc. 14. 11*); et quia proprium est, ut qui se exaltat, humilietur: sic et qui se humiliat, exaltetur. 5. *Beati qui lugent.* Et qui sua quidem peccata lugent, beati sunt, id est, mediocres beati: beatiore autem sunt, qui aliena lugent peccata, quoniam qui aliena lugent peccata, certum est quia non habent sua quæ luceant. Tales convenit esse doctores omnes, et qui sunt super montem. Nam cum sint omnes doctores populi Christiani patres, quomodo possunt esse sine luctu, cum videant quotidie Christianorum animas usque ad infernum cadentes? Num de angelis, qui exituri sunt in fine sæculi, ut signent servos Dei, qui lugent de alienis peccatis, sic scriptum est per Ezechielem: *Ita per Jerusalem, et signate omnes qui lugent super iniquitates quæ fiunt in medio Jerusalem (Ezech. 9. 4).* Jerusalem enim vero est Ecclesia Christi, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis. *Quoniam ipsi consolabuntur.* Si consolatio lugentium est cessatio luctus pœnæ, quoniam qui sua lugent peccata, consequuti indulgentiam consolabuntur in sæculo illo: qui aliena lugent peccata, quomodo in sæculo illo consolabuntur? Numquid desinent de peccatoribus lugere? Etiam. Quoniam quamdiu sunt in mundo, nescientes providentiam Dei, nec intelligentes ad plenum qui diabolo compellente delinquent, et qui non ex proposito malo diligunt mala, omnes peccantes lugent, omnes a diabolo circumveniri et cogi putantes. Cum vero in sæculo illo providentiam Dei cognoverint, et intellexerint manifeste, quoniam qui Dei fuerunt, perire non potuerunt, qui autem perierunt, non fuerunt Dei, quia de manu Dei nemo rapere potest: deposito de eis luctu, consolabuntur, et siue mixtura alicujus doloris, in sua sola beatitudine lætabuntur. Nam quamdiu caritas est sanctorum ad peccatores, et luctus est. Ibi autem nec caritas est sanctorum ad peccatores, nec luctus, etiam si propinqui fuerint, sicut docet parabola, in qua dives dicit ad Abraham: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia graviter crucior in hac flamma (Luc. 16. 24).* Numquid misertus est ibi Abraham super filium suum ardentem? Nam qui fuerat epulatur, in qua parte corporis sui plus peccaverat, id est, in gula, in ea amplius torquebatur.

*Mansuetus quis.* — 4. *Beati mansueti.* Mansuetus enim neque irritat malum, neque irritatur a malo, neque adversus eum prævalet causa peccati, neque adversus alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi: sed magis contentus est injuriam pati, quam facere. Nam nisi contentus fuerit homo ut noceatur, numquam potest esse sine peccato: quia sicut et zizanix nunquam sunt minus in agro, sic non sunt minus irritatores in mundo. Ille est ergo vere mansuetus, qui cum nocitus fuerit, nec cogitat malum facere, nec facit. *Quoniam ipsi hereditabunt terram.* Sine dubio terram vivorum, de qua scriptum est, *Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal. 26. 13).* Terra autem hæc, sicut quidam dicunt, quamdiu est in hoc statu, terra est mortuorum, quia vanitati subjecta est; cum autem liberata fuerit de corruptionis servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, terra fit vivorum, ut immortales hereditent immortalitatem. Alterum exponentem legi, quasi cælum, in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra vivorum, quæ, quantum ad nostram regionem inferiorem, cælum est, quantum autem ad illud superius cælum, terra dicitur. Alii dicunt, quia corpus nostrum in terra est, et quamdiu quidem subiaceat morti, terra

est mortuorum; cum autem fuerit transformatam, et conforme factum corpori gloriæ Christi, erit terra vivorum, et hereditabunt eam æternam æterni, et spiritualem et sanctam spirituales et sancti. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Esurire et sitire justitiam est desiderare justitiam Dei. Ut sive faciant homines justitiam Dei, sive audiant, non quasi inviti audiant vel faciant justitiam Dei, sed ex desiderio cordis: quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Unde Dominus per Joannem, non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodo sitiens, dicens: *Qui sitit, veniat ad me, et bibat (Joan. 7. 37).* Æstimo quod non sine ratione esurire dixit justitiam et sitire. Nunc ergo esurit justitiam, qui secundum justitiam Dei desiderat conversari, quod est recti cordis: sitit autem justitiam, qui scientiam Dei acquirere cupit, quam potest consequi ex studio Scripturarum, quod est docilis viri. *Quoniam ipsi saturabuntur.* Videlicet largitate remunerationis Dei. Quoniam majora erunt præmia Dei, quam desideria avara sanctorum. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi miserebitur Deus.* Non tantum ille misericors est, qui miseretur aut pauperi aut pupillo, aut viduæ: hæc enim misericordia et apud illos invenitur frequenter, qui non cogitoscunt Deum; ille autem verus misericors est, qui inimico proprio miseretur et benefacit ei, secundum quod scriptum est: *Diligite inimicos vestros, et benefacite eis qui vos oderunt (Luc. 6. 27).* Nam et Deus non solum super gratos pluviam dat, aut solem suum jubet oriri, sed etiam super ingratos. Unde et ita dicit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, etc. (Luc. 6. 36).* Et vere beatus est ille talis, quoniam misericordia ejus, si quidem non habet peccatum, quod difficile est in hominibus, proficit illi ad additamentum justitiæ: si autem habet, ad remissionem peccati, quoniam potest fiducialiter dicere, *Dimitte mihi debita mea, sicut et ego dimitto debitoribus meis (Matth. 6. 12).* 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Dupliciter est videre Deum, et in hoc sæculo, et in illo. In hoc quidem sæculo, secundum quod scriptum est: *Qui videt me, videt et Patrem meum (Joan. 14. 9).* Mundo enim corde sunt, qui non solum non faciunt malum, nec cogitant, sed adhuc etiam qui omne bonum et faciunt semper, et cogitant. Quia est interdum facere bonum, et non cogitare, qui non propter Deum faciunt bonum, et tale bonum non remunerat Deus: quia non remuneratur a Deo bonum quod fit, sed id quod bene fit. Qui autem propter Deum facit bonum, sine dubio et cogitat bonum. Qui ergo omnem justitiam facit, et cogitat mente sua, Deum videt, quoniam justitia figura Dei est. Deus enim justitia est. Secundum ergo quod eriperit se quis a malis, et fecerit bona, secundum illud et Deum videt, aut turbulente, aut munde, aut modice, aut amplius, aut ex parte, aut perfecte, aut interdum, aut semper, aut secundum possibilitatem humanam. Hoc ipso modo et qui male agit et cogitat, diabolum videt, quia omne malum diaboli est figura. In sæculo autem illo hoc modo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, jam non per speculum in ænigmatate sicut hic (1. Cor. 13. 12). 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pax est unigenitus Deus, de quo dicit Apostolus: *Ipse enim est pax nostra (Ephes. 2. 14).* Qui ergo pacem diligunt, filii sunt pacis.

*Pacifici qui.* — Pacifici autem non solum dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant: sed etiam illi, qui immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Multi enim sunt, qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, et ipsi inimicis suis numquam ex corde reconciliantur. Isti tales illusores sunt pacis, non amatores. Pax enim illa beata (*bona*) est, quæ in corde posita est, non in verbis. Vis cognoscere qui est vere pacificus? Audi prophetam dicentem: *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum (Psal. 35. 14).* Id est, lingua tua malum sermonem non dicat. Sicut enim ignis de modica scintilla ma-

• Alii, de peccatis lugere.

gnum conflât incendium : ita et sermo malus de levi occasione magnam succendit inimicitiam. Plus latius dolum loquuntur, qui pacem portat in labiis, et malitiam servat in corde. Si Christianus es, aut quod loqueris, hoc cogita : aut quod cogitas, hoc loquere. *Diverte a malo, et fac bonum (Psal. 33. 15)*. Non dixit Noli accedere ad malum, sed, Recede a malo. Ille autem jubetur recedere, qui accessit. Sciens ergo misericors Deus incontinentiam nostram, quoniam si dixisset, Noli accedere ad malum, aut pauci, aut nullus hoc poterat adimplere : nam pene omnes homines parati sunt ad malum : ideo sic dicit : Bonum quidem fuerat, si nec accederes ad malum ; si autem quasi homo naturæ carnalibus motibus excitatus accessisti ad malum, saltem vel propter considerationem divini timoris recede a malo. Quoniam accedere ad malum forsitan secundum carnem humanæ infirmitatis est : permanere autem in malo, et exsequi malum, malignitatis est, et non infirmitatis. *Inquire pacem, et sequere eam (Ibid.)*. Non dixit, Si te pax sequatur, suscipe eam : sed, Et si te fugerit, sequere eam. Utpote si (quod humanum est) cum aliquo feceris litem, si quidem ille te prius invitat ad pacem, pax te sequitur, cum gaudio suscipe eam. Quod si ille quasi malus permanet in malo, pax absconditur ab oculis tuis : tu quasi filius pacis pulsa janua pacis, et hoc est inquirere pacem. Nec dicas, Ille mihi prior injuriam fecit, et prius me debet rogare. Gloriosior es tu, si nocuus pacem petieris, quam si vindictam desiderares. Quare ergo pacem, ut invenias præmium pacis. *Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Non dixit, Beati qui a gentibus persecutionem patiuntur, ne putes illum solum beatum, qui persecutionem patitur propter idola non colenda. Ideo et qui ab hæreticis persecutionem patitur, propter veritatem non relinquendam, beatus est : quia propter justitiam patitur. Gentiles enim Christum denegant, hæretici autem veritatem Christi. Qui autem veritatem Christi denegat, ipsum denegat Christum. Christus enim veritas est. Et ideo hæretici, qui non propter Christum persecutionem faciunt, sed propter veritatem Christi, in prima facie Christiani videntur, revera autem gentiles sunt. Non solum hæreticis, sed etsi aliquis ex potentibus, qui videntur esse Christiani, forsitan propter peccata sua correptus, factus fuerit tibi inimicus, et persequutus te fuerit, beatus es cum Joanne. Nam et Joannes Baptista neque propter gentilitatem, neque propter hæresim interfectus est, sed quia corripiebat Herodem propter adulterium ejus. Sed et omnes prophetæ neque a gentilibus regibus, sed a suis occisi sunt : non propter gentilitatem, sed quia corripiebant eorum peccata. Si autem qui a suis ipsis propter causam Dei aliquid patitur, non habet mercedem, nec prophetæ habuerunt. Si autem verum est, quod prophetæ martyres sunt, sine dubio et qui propter causam Dei aliquid patitur, etsi a suis patitur, mercedem habet. Ideo non posuit Scriptura personas persequentium, sed solum causam persequutionis, ut tu non aspicias quis te persequitur, sed ut quid te persequatur. Quid ergo, si quis te persequutus fuerit, non propter causam Dei, sed propter privatam rem ? Utpote, ut auferat aliquam rem tuam : ille quidem qui te sine causa est persequutus, reus est : tu autem beatus non es, quia non propter justitiam persequutionem passus es, sed propter privatam causam. Plane si volueris illud implere, quod dictum est : *Qui te percusserit ad maxillam unam, præbe illi et alteram ; et qui vult auferre quæ tua sunt, noli vetare (Infra v. 59. 40)* : tunc vere beatus es, quoniam etsi ab initio non propter causam Dei persequutionem patiebaris, postea tamen aut damnatum aut injuriam passus es propter Deum. Si autem resisteris etiam cum peccato, et non potueris pati, beatitudinis perdidisti mercedem. *11. Beati eritis, cum vos exprobraverint homines*. Postquam loquutus est de persequutionibus sustinendis,

tamquam si respondeat quis ad Deum : *Domine, quid si persequutionem quidem passi non fuerimus propter te, vel propter justitiam tuam, in opprobrium autem venerimus, et in blasphemiam hominum iniquorum? Beati, inquit, eritis, non solum cum persequutionem passi fueritis, sed etiam cum vos exprobraverint homines*. Ecce multi homines propter causam quidem Dei sunt nobis inimici, sed non aperte nos persequuntur, forsitan quia nec possunt ; tamen circumcumbentes omnia, blasphemant nos et dicunt de nobis quæ sunt probrosa. *Beati eritis cum vos exprobraverint homines, et dixerint omne verbum malum adversum vos, mentientes propter me (Matth. 10. 42)*. Sicut enim verum est, quoniam qui calicem aquæ nobis porrexit, merces ejus non perit : sic qui vel unius levissimi verbi nobis injuriam fecerit, anima nostra vacua non erit a mercede. Ut ergo blasphematus sit beatus, duo hæc convenire debent : ut mendaciter blasphemetur, et propter Deum blasphemetur ; alioqui si unum defuerit, jam non est beatitudinis merces. Utpote si quis dixerit de te quod est turpe mendacium, sed non propter causam Dei, sed propter privatam aliquam inimicitiam dolens, ille quidem peccavit, tu autem mercedem justitiæ non habes : nisi forte cum possis reblasphemare, non reblasphemasti propter justitiam Dei : aut cum possis te revindicare, non revindicasti : et tunc beatus es, et causa privata facta est tibi causa Dei. Quod si propter causam quidem Dei blasphematus es, tamen quod dictum est de te malum, verum est : iterum non es beatus, quia verum dictum est de te : et illa blasphemia pertinet tibi non ad mercedem justitiæ, sed ad vindictam peccati. Ideo utrumque posuit, et *mentientes, et propter me. 12. Gaudete et exsultate. Quare? Quia merces vestra multa est in cælo*. Ponderate confusionem terrenam cum gloria cælesti, et videte si non multo levius est, quod patimini super terram, quam quod expectatis in cælo. Sed forte dicis, Quis potest blasphematus mendaciter, non dicam gaudere, sed vel magnanimiter ferre? Quisquis vana gloria non delectatur. Qui enim concupiscit quæ in cælo sunt, opprobria non timet in terris : nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid iudicet Deus de ipso. Qui enim lætatur de laude hominum, et quantum lætatur, tantum contristatur : ille et de vituperatione hominum contristatur, et tantum contristatur, quantum lætatur. Qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Unusquisque ubi gloriam querit, illic timet confusionem. Qui gloriam querit in terris, confusionem timet in terris. Qui autem gloriam non querit nisi tantummodo apud Deum, ille non timet confusionem, nisi tantummodo Dei. Si miles periculum belli sustinet, dum sperat victoriæ prædam<sup>1</sup> : quanto magis vos opprobria mundi non debetis timere, qui regni cælestis præmium expectatis?

#### *Homilia decima ex capite quinto.*

*Doctor omnibus debet esse virtutibus ornatus. — 13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? etc.* Quasi interrogantibus apostolis, ad quos sit omnia ista loquutus, utrum generaliter ad populum, aut ad ipsos : volens ostendere quoniam ad ipsos præcipue hæc loquebatur, addit, *Vos estis sal terræ*. Hoc quod dicit, *Vos estis sal terræ*, ad illud respicit, quod superius dixit : *Quia doctor omnibus virtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper, ut avaritiam libera voce castiget. Debet esse semper spirans et lugens, sive sua, sive aliena delicta, ut confundat eos, qui nec peccare dubitant, priusquam peccent, nec postquam peccaverint, tristantur, quia peccaverunt. Ideo suspiret et plangat, ut per hoc ostendat, quia gravis et periculosus est mundus iste fidelibus. Debet esuriens et sitiens esse justitiam, ut pigros circa ope-*

<sup>1</sup> V. D., sperat inde capere prædam, non male. Editi in marg., sperat in corpore prædam, perperam.



ra bona, vel lectionem fiducia liter verbo Dei aut increpationis flagello<sup>1</sup> valeat excitare, magis exemplo suo, quam voce. Debet esse mansuetus, ut magis indulgetur quam vindicando regat Ecclesiam: ut magis ametur quam timeatur. Debet esse misericors aliis, sibi autem austerus, ut sibi quidem grave pondus justitiæ ponat, aliis autem leve. Debet esse mundo corde, ut non solum non se immisceat circa negotia sæcularia, sed nec cogitet de mundo. Sicut enim oculus quanto mundior fuerit, tanto longius videt: sic et anima quanto longius fuerit a sollicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximior est. Cujus autem cordis oculus mundum aspiciat, illius mens non potest Deum videre. Sit autem pacificus, ut tota Ecclesia ejus quasi una sit anima. Ubi autem concordia non est, nec oratio illic exauditur, nec oblatio suscipitur: quia nec ibi est Deus, ubi discordia dominatur. Debet autem et paratus ad passionem esse, non vana desideria martyrii habens, sed constantiam fidei martyribus dignam. Nam quantum ad sapientes, et miles non ille paratus dicitur ad bellum, qui concipiscit exitum, sed qui potens est exire. Si ergo omnibus his virtutibus fuerit ornatus, tunc est quasi optimum sal, et totus populus de illo conditur magis videndo eum, quam audiendo. Nam prima doctrina est videre bonum, secunda autem audire. 14. *Vos estis lux mundi.* Dum consideramus quod opus est salis, quod lucis: admonet nos, ut queramus ob quam causam apostoli salii sunt comparati, ob quam autem causam luci. Salis opus est rem in eo statu tenere, in quo invenerit eam, ut ad deterius eam mutari non sinat, ad melius autem perducere non potest. Utpote tenet carnem, ne putrescat; putridam autem non potest tenere incorruptam. Lucis autem opus est ipsas solvere tenebras, et ea, quæ fuerunt in tenebris, illustrare. Sic et apostoli cæterique doctores sal quidem sunt populi Christiani jam cognoscentis Deum, servantes eum in ipsa agnitione Dei, et sanctitate, id est, terræ cultæ, quæ jam verbo crucis quasi vomeri aratroque subjecta est. Lux autem sunt gentium, producentes eas ad scientiæ lumen, vel cæterorum qui forte in Ecclesia ceciderunt in tenebris peccatorum. Item bona conversatio sacerdotis, sine verbo, tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem ignorantem ad scientiam veritatis non potest. Item verbum quidem ignorantem adducere ad scientiam veritatis et sine conversatione bona potest: tenere autem in fide, vel sanctitate, absque bona conversatione non potest, magis autem et scandalizat: sicut in sequentibus ostendemus. Ergo propter bonam conversationem suam sacerdotes sunt sal, quoniam bona conversatio sacerdotum conditura populi est. Propter verbum autem doctrinæ lux, quoniam verbum ignorantie lumen est. Prius autem vocavit eos sal, postea autem lux (*sic*), aut quia prioris loci est servare quos habes, secundi autem vocare quos non habes. Aut quia prius est bene vivere, secundum autem bene docere. Nam per bonam conversationem ascenditur sine dubio ad scientiam: a scientia autem nescio si ad bonam conversationem omnimodo veniatur. Propterea scientes quidem sine timore Dei multos videmus: timentes autem Deum sine scientia nullum videmus. Aut quia propter Judæos priores dicti sunt sal, non adducetes eos ad scientiam Dei, sed condientes ipsos in ipsa scientia. Lux autem, propter gentes in secundo loco vocatas. Ideo et per comparisonem congruam introducens addidit, dicens: *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Quamvis enim ipsa voluerit<sup>2</sup> esse velata, mons ipse, qui portat eam, facit eam omnibus manifestam: sic et apostoli, et sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, monte excelso, non possunt esse absconditi: et si voluerint se abscondere, Chri-

stus ipse manifestat eos, qui bajulat eos. Quæ est hæc civitas? Ecclesia est sanctorum; de qua dicit propheta: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (Psal. 86. 3). Cives autem ejus sunt omnes fideles, de quibus dicit Apostolus: *Vos estis cives sanctorum, et domestici Dei* (Ephes. 2. 19). Turres illius sunt prophete, de quibus dictum est: *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (Psal. 121. 7). Sicut enim de turribus jacula contra omnes hostes jactantur, sic de prophetis libris contra vanas gentilium fabulas et contra insanas hæreticorum disputationes salutaria veritatis proponuntur exempla. Portæ autem ejus sunt apostoli, de quibus dictum est: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob* (Psal. 86. 2): quia per illas totus populus intrat ad fidem. Muri autem illius sunt sacerdotes, cæterique doctores, de quibus dicit propheta ad hanc Jerusalem spiritualem: *Et alienigenæ ædificabunt muros tuos* (Isai. 60. 10): quoniam ex gentibus vocati, facti sunt sacerdotes, et gubernatores Ecclesiæ. Sicut enim muri omnem gentilium et hæreticorum impetum ipsi suscipiunt, qui tamquam arietibus quibusdam, sic assiduis persecutionibus feriunt clerum, id est murum Ecclesiæ. Et sicut mortiferas sagittas, sic insana verba perversæ cogitationis eorum<sup>1</sup>, de impia cordis pharetra procedentia, doctores quasi lapides vivi suscipiunt, et fidei virtute constringunt. Hæc ergo civitas posita est super montem: id est, apostoli, prophete cæterique doctores, ædificati in Christo. Mons enim Christus est, de quo ait Daniel: *Ecce lapis excisus est sine manibus, et factus est mons magnus, et occupavit totam terram* (Dan. 2. 34. 35). Nunc per alteram comparisonem vult ostendere, quare sanctos suos ipse Christus manifestat, et non sinit eos esse abscondos. Id est quia 15. *Nec qui accendunt lucernam, ideo eam accendunt, ut ponant sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Qui sunt accensores lucernæ? Pater et Filius. Quæ est illa lucerna? Verbum divinum, de quo dictum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (Psal. 118. 105). *Ut luceat*: id est, appareat, et illuminet qui sunt vel in domo Ecclesiæ, vel in domo omnium mundorum. Quod est candelabrum? Ecclesia, quæ bajulat verbum vite. Consequenter dicit et Paulus: *Inter quos lucetis sicut luminaria in sæculo, verbum vitæ continentes* (Philipp. 2. 15. 16). Consequenter et omnis ecclesiasticus vir, habens verbum Dei, dicitur candelabrum. Modii autem sunt homines mundiales, vacui a Deo, et ab omnibus quæ sunt Dei. Dicuntur autem modii, quoniam sicut modii desuper quidem vacui sunt, desubtus autem pleni: sic omnes mundi amatores et carnis, in spiritualibus quidem et divinis, quæ superiora recte esse dicuntur, vacui sunt et insensati: in inferioribus autem, id est in mundialibus et terrenis, aliquatenus pleni videntur et sapientes. Propterea sicut in modio si volueris aliquid reponere, necesse est ut cadat deorsum ad inferiora ejus et tenebrosa: sic homini carnali, et mundiali, et vacuo, si dixeris aliquid quod est Dei, non illud tenet in superiore parte mentis suæ: aut cordis, nec portat illud in ore; sed confestim cadit de mente ejus et corde deorsum in terrena et tenebrosa, ut nec illi prosit, nec aliis. Si autem et aliqua tentatio facta fuerit propter verbum veritatis, statim reversatur in terram, et aspiciens terram, quasi modius, verbum Dei sub se tenet absconditum. Reversatus est enim et aspiciens terram, et abscondens verbum sub se, quando propter aliquam causam terrenam non est ausus palam proloqui fidei veritatem, aut injurias carnales<sup>2</sup> timens, aut mortem, aut damna, aut cætera, quæ obstruunt carnales homines, ut verbum, quod crediderunt, libere non audeant profiteri. Nunc autem sciens, quoniam ille est laudabilis doctor, qui facit quod docet, addidit et dicit:

<sup>1</sup> Vel lectione fidei, vel increpationis flagello. Sic habent V. D. et Editi in margine.

<sup>2</sup> V. D. et Editi in marg., esse celata.

<sup>1</sup> Idem, perversæ confessionis eorum, vel, professionis eorum, nam dubie legitur. Max idem, confringunt. Itæc.

<sup>2</sup> V. D. et Editi in marg., aut invidias carnales.



16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum qui in caelis est. Id est, Sic illuminate, docete, non ut verba vestra tantummodo audiant homines, sed ut opera vestra bona videant, ut quos illuminaveritis per verbum quasi lux, condiciatis per exempla operum vestrorum quasi sales: quoniam qui docet, et facit quod docet, vere ille docet: qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. Et melius est facere, et non docere, quam docere, et non facere. Quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem docet, et non facit, non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moveatur ad peccandum, cum viderit ipsos doctores pietatis peccantes? Ergo per illos quidem doctores qui docent et faciunt, magnificatur Deus: per eos autem qui docent, et non faciunt, blasphematur. Utpote, si bene doceant sacerdotes, et melius vivant, videntes gentiles dicunt: Benedictus Deus, qui tales habet servos. Vere enim eorum Deus verus est Deus. Nisi enim ipse esset justus, numquam populum suum circa justitiam sic teneret. Nam disciplina domini ex moribus familiae demonstratur. Non sicut nostri philosophi, qui magna loquuntur, et nec modica faciunt. Si autem bene doceant, et male conversentur, videntes dicunt: Qualis est Deus eorum, qui talia agunt? numquid sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operibus eorum? Patres nostri, sicut illi existimant, idola colentes, omnem justitiam servaverunt: isti autem gloriosos loquuntur sermones, et ignominiosa opera faciunt. Vides quomodo Deus per malos Christianos blasphematur? Nec potest dominus bonam opinionem habere, qui malam familiam habet. Unde dictum est ad populum Dei: *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes* (Isai. 52. 5). 17. *Nolite putare quia veni solvere legem, aut prophetas.* Propter duas causas dicit non se venisse ut solveret legem, sed ut adimpleret. Primum, ut discipulos suos, quos omnibus bonis operibus adornatos esse debere supra docuerat, his verbis ad suum provocaret exemplum: ut quemadmodum ipse omnem legem implebat, sic et illi omnia etiam minima legis festinarent implere. Deinde, quia futurum erat, ut Judaei calumniarentur eum in sabbatis operantem, et lepram tangentem, quasi solventem legem, ideo priusquam incurrat in calumniam, calumniatoribus satisfacit, dicens: *Nolite putare quia veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Lex et prophetae duo haec agunt. Et de Christo prophetant<sup>1</sup> et legem vivendi constituunt: quae utraque Christus implevit. De se quidem sic, quando natus est, et vocatus est Emmanuel: quando circumcisus est: quando praesentatus est in templum, et oblatum est pro illo sacrificium, scilicet duo turtures, aut duo pulli columbini: quando in Aegyptum fugit, legem adimplevit: quando in Nazareth conversatus est: quando cum asino in templum ingressus est: quando a pueris laudatus est: quando crucifixus est inter iniquos: quando felle et aceto potatus est: quando in manibus Patris sui spiritum commendavit: quando vestimenta sua dividenda reliquit: quando descendit ad inferos, et visitavit omnes dormientes: quando ascendit in strepitu: quando sedit ad dexteram Patris: quando adhuc venturus est, vocans terram a solis ortu usque ad occasum: quando sederit in valle Josaphat, et judicaverit omnes gentes, adimplet prophetias: quia nisi haec facta fuissent, mendaces erant prophetae: nunc autem omnes impleti sunt, et adhuc implebuntur, cum stellae ceciderint, cum sol tenebratus fuerit, cum luna sanguineo colore mutata fuerit, cum caelum plicatum fuerit sicut liber. Secundum autem modum videndi, legem implevit duobus modis. Primum exteriores quidem legis figuras solvens, interiores autem veritates ejus adimplens. Utpote, in lege praecipit omne opus servile in

sabbato quemquam facere non debere, praeterquam quod sit omni animae, scilicet quod est necessarium vitae humanae: hoc figurale est, quia sic Deus in sabbato<sup>1</sup> cessat ab opere. Spiritualiter secundum Evangelii veritatem, opus servile peccatum est: *Quoniam omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. 8. 34). Omne autem opus bonum non est servile, sed liberale, et pro animae fit libertate, licet videatur ipsum opus in prima facie corporale. Vides ergo quia Christus sabbatis operans adimplevit legem, non solvit: manifestavit, non occultavit? Item in lege fuerat scriptum, lepram tangere non oportere. Hoc figuratum est. Lepra enim intelligitur peccatum. Christus ergo tangens lepram, non solvit legem, sed adimplevit. Mundans enim leprosum, justitiam operatus est, non peccatum. Et per hoc justitiam tetigit, non peccatum, quod est vere lepra. Nam ille qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, certum est quia nunquam tetigit lepram: id est, peccatum (Isai. 53. 9). Merito ergo dicit, *Donec omnia fiant.* 18. *Amen dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Quoniam quae ab initio mundi usque ad finem erant futura, eorum mysteria sunt prophetata in lege, ut ne videatur aliquid eorum quae sunt Deus antea non cognovisse, propterea dicit, Non potest fieri ut transeat caelum vel terra, donec omnia, quae in lege prophetata sunt, rebus ipsis fuerint adimpleta. Ingenuus homo, si vel in vili mendacium inventus fuerit, erubescit: et quomodo Deus quod promisit in lege, non faciat, aut aliter faciat? Vir sapiens quod dixerit, verbum suum non relinquit vacuum: et quomodo verba divina sine exitu vacua poterunt remanere? Deus hominem punit, si quod docet alius, ipse non fecerit: quomodo Christus, quod loquutus est in prophetis, non adimplevit in opere? Deinde implevit legem in minimis istis. 19. *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum.* Sed primum videamus, quae sunt ista minima mandata. Et alii quidem aliter interpretati sunt, alii autem aliter. Puto autem, ipse Dominus manifeste ostendit quae sunt, dicens demonstratorie: *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis: id est, quae modo dicturus sum.* Nam talis est mos loquendi in Scripturis: quae post modicum dicturi sunt, quasi jam dicta demonstrantur, sicut est ibi, *Audite haec, omnes gentes* (Psal. 48. 2). Quae haec, nisi quae in sequentibus versiculis erant dicturus? Mandata igitur Moysi in actu facilia sunt, *Non occides, non adulterabis*: et ideo in remuneratione modica, in peccato autem magna. Mandata autem Christi, id est, Neque irascaris, neque concupiscas, ipso actu difficilia sunt, et ideo in remuneratione magna sunt, in peccato autem minima. Quomodo autem abstinere ab homicidio aut adulterio facile est, patet. Ipsa enim criminis magnitudo voluntatem facienti repercutit, et ideo non habet laudem qui abstinet se ab illis, quia non est labor abstinere se ab illis. Nam omne malum, quanto gravior crimen est, tanto levius videtur ad non faciendum, et gravior facit peccatum, si fuerit factum. Non irasci autem difficile est in actu, quia dum levis culpa putatur, non facile servatur a multis. Et multum laboriosum est posse non irasci, quia naturaliter in hominibus iracundia est plantata, et ideo in remuneratione magna sunt, quia difficile est et laboriosum abstinere ab eis. Propterea et si iratus fuerit homo, aut concupierit, est quidem peccatum, quia malum est: non tamen est grave peccatum, quia difficile est abstinere ab eis. Ergo minima mandata ista dicit Christi mandata, Non irascaris, non concupiscas. Quae in observando quidem magna sunt, in peccando autem minima videntur, quantum ad homines negligentes. Ergo illi, qui levia peccata committunt, minimi sunt in regno Dei: id est, qui iratus fuerit, et iratus grande peccatum non fecerit in actu,

<sup>1</sup> Al. baptizant.

<sup>1</sup> Idem in marg., quia nec Deus in sabbato.

a pœna quidem securus est, non tamen est in gloria : quia etsi nihil tale committit, tamen quia sequutus est iram suam, et non illam repressit in corde suo, peccavit. Unde jubet nos propheta, si irati fuerimus, ut compuncti in cordibus nostris iracundiam reprimamus, sciens quoniam si per iracundiam vel leviter peccaverimus, peccatores sumus. Item qui concupiscit, etsi non fecerit, peccavit. Quare? Quia vel omnino voluit. Qui ergo doctor est, si ab omnibus abstinerit, magnus est : si autem vel levia hæc peccaverit, nihil illi prodest sacerdotalis dignitas ejus : sed projectus a primo ecclesiastico choro, fit inter eos qui nec in pœna sunt, quia non fecerunt grave peccatum : non tamen sunt in gloria, quia peccati rugam aut maculam susceperunt.

*Homilia undecima ex cap. quinto.*

20. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Phariseorum, non intrabit in regnum cœlorum.* Scribarum et Phariseorum justitiæ sunt mandata Moysi : impletiones autem mandatorum illorum sunt mandata Christi. Hoc est ergo quod dicit : Nisi quis supra legis mandata, et hæc mea præcepta, quæ apud illos minima existimabantur, impleverit, non intrabit in regnum cœlorum : quoniam illa, sicut diximus, de pœna quidem liberant, quæ scilicet transgressoribus legis debetur, non autem introducunt in regnum : hæc autem et de pœna liberant, et in regnum introducunt. Cum autem sit id ipsum, solvere minima hæc mandata, et non custodire, quare supra quidem de solvente dicit : *Qui solverit unum de minimis istis, minimus vocabitur in regno Dei*, ostendens eum etsi minimum, esse tamen in regno : hic autem de non conservante dicit, *Nisi abundaverit justitia hominis Christiani plus quam scribarum et Phariseorum, non intrabit in regnum cœlorum?* Qui enim non intrabit in regnum cœlorum, extra regnum erit. Sed vide quia minimum esse in regno id ipsum est et non intrare in regnum. Esse enim aliquem in regno non est et regnare cum Christo, sed esse tantum in populo Christi. Tamquam si dicat : Qui solverit et docuerit sic, inter Christianos quidem erit, tamen minimus Christianus, vel cum minimis Christianis. Qui autem intrat in regnum, fit particeps regni cum Christo, sicut et alibi dicitur bono servo : *Intra in gaudium Domini tui (Matth. 25. 21)* : hoc est, ut simul gaudeas cum Domino tuo. Consequenter et iste qui non intrat in regnum cœlorum, gloriam quidem regni cœlorum non habebit cum Christo, erit tamen in regno cœlorum : id est, in numero eorum super quos Christus cœlorum Rex regnat. Nunc jam incipit ostendere et docere quæ sunt minima ista, quorum solutionem prædixerat esse periculosam.

*Lex per gratiam non auferitur.* — 21. *Scitis, inquit, quia dictum est antiquis, Non occides : 22. ego autem dico, Si quis iratus fuerit fratri suo sine causa, reus erit judicio.* Hæc impletio legis secundum modum vivendi secunda facta est. Faciens enim hæc Christus et docens, implevit legem, non solvit. Non enim est Christi mandatum contrarium legi, sed latius quam lex. Mandatum Christi legem in se tenet inclusam, lex autem non tenet Christi mandatum. Qui ergo implet Christi mandata, tacite in eis implet et legis. Nam qui non irascitur, multo magis nec occidit : qui autem implet legis mandatum, non omnino implet et Christi. Frequenter enim et homo non quidem occidit propter timorem vindictæ, tamen irascitur. Vides ergo, quia lex impleta est per gratiam, non sublata? Deinde sine mandatis his Christi nec possunt stare legis mandata. Nam si concedatur licentia irascendi, datur et causa homicidii faciendi. Ex ira enim homicidium generatur. Tolle autem iram, et homicidium non fit. Omnis enim, qui irascitur sine causa, quantum ad voluntatem suam homicidium facit, etiamsi non facit propter metum. Ideo dolor quidem non est illis, quemadmodum si factum fuisset, peccatum au-

tem tale est irascentis. Ideo Joannes in canonica sua Epistola dicit : *Qui odit fratrem suum sine causa, homicida est (Joan. 3. 15)*. Vide sapientiam Christi. Volens ostendere, quia ipse est Deus, qui aliquando loquutus est in lege, et qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ante omnia mandata posuit in lege, illud ipsum mandatum posuit et nunc in principio mandatorum suorum. In primis scriptum est in lege, *Non occides (Exod. 20. 13)*. Ideo hic statim ab homicidio cœpit, ut per concordiam mandatorum ipse inveniat dictator fuisse legis et gratiæ. *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio.* Ergo qui cum causa irascitur, non erit reus. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Justa ergo ira mater est disciplinæ. Itaque non solum non peccant, qui cum causa irascuntur : sed e contra, nisi irati fuerint, peccant : quia patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam bonos invitat ad malum : quia malus quidem, quamvis incorruptus fuerit<sup>1</sup>, non emendatur : bonus autem nisi corruptus fuerit, perit quia in corpore<sup>2</sup> magis prævallet malum quam bonum. Iracundia quæ cum causa est, non iracundia est, sed judicium. Iracundia enim proprie intelligitur commotio passionis. Qui autem cum causa irascitur, ira illius jam non ex passione est, sed ex causa : ideo judicare dicitur, non irasci. Puto autem quod non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de spiritu. Nec ad carnem loquitur, sed ad animam, sicut et in sequentibus ostendemus. Scit enim Dominus, quia etsi mandaverit carni, caro ei non obaudit. Nec enim est possibile, ut caro non conturbetur : *Quia sapientia carnis inimica est in Deum : legi enim Dei non est subjecta (Rom. 8. 7)*. Nec enim potest, dicente Job, *Homo natus de muliere (Job. 14. 1)*, plenus iracundia, non irasci. Quando ergo homo irascitur, et non vult facere quod ira compellit, caro ejus irata est, animus autem ejus non est iratus. Ergo multi sunt, quorum caro irascitur, anima autem non irascitur. Item multi sunt, quorum caro non irascitur, anima autem eorum irascitur, id est, qui videntur patientes et taciti, et occulte cogitant malum, et semper quærunt opportunitatem occidendi. *Si quis dixerit fratri suo, Racha, sine causa, reus erit concilio.* Id est, ut sit unus ex concilio eorum, qui adversus Christum fuerunt, sicut apostoli in canonicis suis interpretantur. *Si quis autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ.* Racha quidem dicitur Hebraice vacuus, quamvis quantum ad sensum verbi, unum est dicere, Fatue, et, Racha. Nam qui vacuus est, ille fatuus est : et qui fatuus est, sine dubio vacuus est, et utriusque verbi una videtur esse injuria. Nam sicut indigna res est illi dicere, Fatue, qui habet in se sapientiam spirituales in agnitione Dei Patris et Christi : sic indigna res est, dicere hominem vacuum, qui habet in se Spiritum sanctum. Nam nemo dicitur vacuus, qui habet in se Spiritum sanctum, et nemo fatuus, qui Christum cognoscit. Et quare illud quidem verbum, id est Racha, habet pœnam concilii : hoc autem verbum, Fatue, gehennæ? Nam si unum peccatum est, una debet esse et pœna amborum. Sed quantum ad dicentis propositum, differentiam jam habent hæc verba, etsi quantum ad sensum similia sunt. Racha enim vulgare verbum erat apud Judæos, quod non ex ira, neque ex odio, sed ex aliquo motu vano dicebant, magis fiducia causa, quam iracundiæ. Nam unaquæque provincia habet in consuetudine aliquod exprobratorium verbum, quod non rixæ causa, sed familiaritatis gratia dicere solent ad eos, quorum fiduciam habent. Utpote, patronus suscepto liberto suo, aut dives pauperi, aut urbanus rustico, contemnens personam ejus, magis quam inimicans. Sed forte dicis, si Racha iracundiæ causa non dicitur, quare peccatum est? Quia contemptionis causa dici-

<sup>1</sup> Idem in marg., *quamvis corruptus fuerit.*

<sup>2</sup> Forte melius legeretur, *in corpore.*

tur, non ædificationis. Nam etsi persona illius tibi contemptibilis videbatur, tamen dignitas Christianitatis illius contemptibilis non erat. Et si illum aspicere non volebas, tamen Christum, qui in eo est, aspicere debuisti. Deinde et alia ratione peccatum est dicere Racha, quia etsi ille aliquid vanum audire merebatur, te tamen dicere vanum aliquid non oportebat, cum sic scriptum est : *Amen dico vobis, pro omni verbo otioso, quodcumque loquuti fueritis, dabitur rationem* (Matth. 12, 36). Quicquid non est lumen, tenebra est : sic et quicquid bonum non est, malum est. Dicit Apostolus : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat* (Ephes. 4, 29). Et non dicit, Si quis bonus, tantummodo, sed, *Si quis bonus ad ædificationem fidei*. Si ergo nec bonum verbum sine causa dicere debemus, nisi fuerit pro occasione ædificationis, ne ipsum verbum bonum, dum sine causa dicitur, inveniat esse otiosum, et fiat malum : quanto magis illud verbum dicere non debemus, quod a semetipso naturaliter malum est, et ad injuriam pertinet audientis ? Deinde, numquid membrum oris nostri, quod ad ædificationem aliorum creatum est, aut ad usum corporis, aut ad gloriam Dei, trahimus illud ad ministerium vanitatis ? Omnis enim sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. Vanum ergo sermonem dicentes, non tantum ideo peccamus quia per illum sermonem aliquem lædimus, sed quia damus locum in nobis immundis spiritibus agendi quod volunt. Hoc sciens Salomon, dicebat ad Dominum : *Duo postulo a te, ne auferas gratiam tuam a me, priusquam moriar, et vanum verbum non exeat de ore meo* (Prov. 30, 7, 8). Si enim vasa sanctificata ad privatos usus transferre peccatum est et periculum, sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacratis de regno depositus est, et de vita (Dan. 5) : si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, (a) [ in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur ] : quanto magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum preparavit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult ? Si quis autem dixerit, *Fatue*, in communi intelligendum est ubique, *Sine causa*. Id est, qui iratus fuerit sine causa : qui Racha sine causa dixerit, qui *Fatue* sine causa dixerit. Si autem cadere cum causa peccatum non est, quanto magis cum causa *Fatue* dicere, non est peccatum ? Nam et verbum malum species est aliqua castigationis, et apud sapientem durius est quam flagellum. Quid enim si talis fuerit causa, ut non verbis, verum verberibus proferatur vindicta ? Ecce enim et Apostolus dicit, *Fatue* : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit* (Gal. 3, 1) ? Sed non peccavit, quia iusta causa fuit dicendi. Ita ad discipulos in via Christus : *O stulti et tardi corde* (Luc. 24, 25). 23. Si ergo offers munus tuum ad altare. Quoniam superius dixerat, *Qui irascitur fratri suo sine causa*, hoc : *Qui autem dixerit, Racha*, illud : *Qui autem dixerit, Fatue*, istud : consequenter subjungit : *Si offers munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris, quod habet aliquod adversus te frater tuus. Habet scilicet, si iratus es fueris sine causa, si dixisti ei Racha, vel Fatue, sine causa. Si ergo ex his levibus causis offenso fratre, et non placato, impossibile est munus Deo offerri, et suscipi : quomodo ante conspectum Dei ingredientur, qui fratres suos conculcavit, prædantur, et alia multa in viduis et orphanis nefanda committunt ? In primis scire debemus, quod quamdiu fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur, vel si quid aliud bonum fecerint, quia nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum. Utpote, si de illo bene loqueris apud istum, displices isti, et in suspicionem venis quasi plus diligas illum : et si ad illum bene loqueris de isto, displices illi, et in suspicionem venis, quasi plus dili-*

(a) Quæ uncinis clauduntur, in quibusdam exemplaribus desunt.

gas istum. Ideo et Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu ipsi inter se fuerint inimici, quia si illi misericordiam fecerit, iste contristatur : etsi non contristatur, quia nihil potest agere contra Deum, tamen non congaudet in beneficiis ejus. Si autem aliquid poterat contra Deum, irasceret ad Deum, quia miseratus est inimicum ejus. Similiter et si isti misericordiam fecerit, ille contristatur. Considera qualem habet Deus conscientiam circa nos, et quomodo fidem servat hominibus, quia nos perfecte diligit, ideo inimicis nostris non vult esse amicus. Utpote, duo inimici estis fideles ; ideo tibi non vult esse amicus, quia illi amicus est : et ideo illi non vult esse amicus, quia tibi amicus est. Ergo te diligens, illi est inimicus, et illum diligens, tibi est inimicus. Numquid propter se Deus non suscipit munera nostra, sed propter nosipsos ? Alteri adversatur Deus, dum alteri conscientiam servat : et dum ambos diligit, nulli vult esse amicus propter inimicitias amborum. Ergo Deus fidem nobis servans, inimicorum nostrorum an icus fieri non vult, et nos fidem non servamus, si inimicos ejus diligimus, et amicos odimus. Qui enim amicus est infidelium, et inimicus fidelium, amicos Dei odit, et inimicos Dei amat. Si autem fidem Domino servarem, sicut ille nobis, numquam infidelium amicitias coleremus, numquam nos infidelium matrimonio jungeremus. 24. *Dimitte illic munus tuum, et vade reconciliari prius fratri tuo*. Vide misericordiam Dei, quomodo hominum utilitates amplius aspicit, quam suos honores. Si enim suos honores magis aspiceret, sic dixisset : Interim offer munus tuum et postea vade, et reconciliare. Nunc autem dicit : Vade primum, et reconciliare, et sic veniens offeres. Tamquam si dicat ad illum : Vade. Ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter exspecto Dominus servos tantummodo ut vos in amicitiam veniat. Vade ergo, ut scias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quam munera : quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum ; caritas enim illorum Dei gloriam operatur. Ne dicas, Ille mihi nocuit, non ego illi : ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tuæ jubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare, ut duplicem gloriam consequaris : unam, quia nocitus es, alteram, quia prior rogasti. Si enim in illum nocuisti, et ideo rogasti, parcat tibi Deus quod nocuisti, quia prior rogasti : tamen nullam habes mercedem, quia reus constitutus rogasti. Si autem ille te læserit et prior rogaveris, magnam habebis mercedem. Festina ergo inimicum tuum prævenire ad amicitiam, ne forte, te tardante, ille præveniat te ad rogandum, et rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam si ille te nocuit, et ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim justitiam fecisti ante Deum, si rogatus te placaveris ? Non enim volens te Deus subternere sub pedibus ejus, jubet te prius rogare, sed volens tibi humilitatis gloriam prætereundere<sup>1</sup>. Sed forte dicis : Ecce ego volo reconciliari : sed dic mihi, quomodo reconciliabor ? Qualis præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare. Si verbis offendisti, verbis reconciliare. Omne enim peccatum, quomodo committitur, eo modo et poenitetur. Utpote, cogitasti male facere alicui Christiano ; non potes manus tuam offerre ante Deum, quia habes in corde tuo nocendi propositum. Recogita bene, quod cogitaveras male, et poenitisti. Nam cogitationis peccatum contraria cogitatione dissolvitur. Quis testis ? Propheta. *Quæ dicitis, inquit, in cordibus vestris, et in calicibus vestris compungimini* (Psal. 4, 5). Vides quia irasci naturæ est, exæqui autem iracundiam voluntatis ? Si autem verbis læsisti fratrem tuum, vade, et verbis satisfac ei ex toto corde, et poenitisti. Quoniam autem verborum peccatum, verborum satisfactione dissolvitur, testis est Aaron. Cum enim detraxisset de Moysæ, vadens verbis roga vit

<sup>1</sup> Idem in marg., *gloriam providere. Sed.*

eum, dicens: *Rogo, Domine, ne inferas in nos peccatum hoc, quia ignoravimus quod peccavimus in te* (Num. 12. 41). Si autem operibus aliquem offendisti, puta, alicujus peccatiam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam abstulisti, redde ei quæ abstulisti, et permittisti. Quoniam autem abstractæ rei peccatum rerum recompensatione dissolvitur, testis est Zachæus, dicens: *Domine, quæcumque fraude abstuli, reddo in quadruplum* (Luc. 19. 8). Si autem rem quidem alicujus non tuleris, sed forte castigaveris hominem impotentem injuste, dona ei aliquid pro injuria dignum: sicut scriptum est in lege: *Si percusseris servum tuum, et fregeris illi dentem, dimitte eum liberum* (Exod. 21. 27). Secundum hoc intelligendum est, et si castigaveris aliquem, injuriæ peccatum beneficio est dissolvendum. Alioquin nisi quem factis læsisti, factis placaveris, sine causa oras ad Dominum, sine causa elemosynas facis de rebus, quibus alios exspoliasti. Quid prodest tibi, si alter pro te oret ad Deum, et alter adversus te interpellet Deum? Etsi ad istius orationem vult tibi Deus misericordiam facere, illius interpellatio non permittit. Melius est, ut etsi nemini prodes, nemini noceas, quam ut alios spolies, et alios vestias. 25. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via, ne forte tradat te adversarius judicii, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris*. Festinat Dominus, ut ad amicitiam festinemus inimicorum nostrorum, quamdiu vivimus in hac vita (vita enim omnium hominum communis est ista vita carnalis, per quam omnes homines transeunt, boni et mali), sciens quam periculosum est, si unus ex inimicis, pace non facta, fuerit mortuus: nam postea etsi voluerint pacem facere, non possunt, cum fuerint separati. Si autem quamdiu in via hujus vite es, non feceris pacem cum adversario, quem læsisti, sed sic inimicantes per mortem ieritis ante judicem Christum, tradet te Christo, convincens te reum in iudicio ejus, et iudex tradet te ministro, id est, angelo pœnarum crudeli, et ille mittet te in carcerem gehennæ. Et qui in hoc sæculo si pacem fecisses, etiam gravissimi operis poteras accipere indulgentiam, sicut scriptum est: *Caritas operit multitudinem peccatorum* (1. Petr. 4. 8): si semel condemnatus fueris missus in carcerem, jam non solum de gravibus peccatis, sed etiam pro verbo otioso, quod loquutus es, id est, si Racha alicui dixisti, pro eo sunt exigenda a te supplicia. Tradet autem te iudici adversarius tuus, etsi te prius rogaverit ille. Dicit enim Salomon: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius* (Prov. 25. 21. 22. et Rom. 12. 20). Congerere autem carbones ignis quid est aliud, nisi magis reum facere ante Deum? Si ergo qui benefacit inimico, magis illum reum facit ante Deum: consequenter et qui prius rogat inimicum suum, reum illum facit ante Deum. Frequenter homines in hoc sæculo mittuntur in carcerem pro peccato: id est, in angustias et tribulationes diversas. Nam plerumque peccantes in hominibus mittuntur in tribulationes diversas: sed non intelligimus. Angustiæ autem hujus mundi, carceres appelluntur.

*Homilia duodecima ex cap. quinto (a).*

27. *Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis* (Exod. 20. 14): 28. *ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Ecce alterum mandatum, minimum quidem apud Judæos tunc, et nunc apud omnes qui non multum curant de anima sua, nec judicant cor suum, qui irasci proximis suis sine causa aliquid non putant esse peccatum: nec concupiscere tantum mulierem alienam putant esse peccatum, opere concupiscentiæ non subsecuto. Magnum autem est apud timentes Deum et cor suum dijudicantes. Magnum est etiam apud Deum, qui non tantum

opus hominis aspicit, quantum cor. Quo mandato lex non solvitur, sed impletur: quia sine hoc mandato stare non potest legis mandatum. Omne enim adulterium ex concupiscentia nascitur. Quomodo ergo tollitur adulterium secundum legis mandatum, nisi præcisa fuerit concupiscentia secundum Christi mandatum? Quoniam ergo sicut ira mater est homicidii, sic concupiscentia mater est adulterii: consequenter sicut qui irascitur fratri suo sine causa, occidit eum in corde suo, etsi non occiderit eum propter vetum vindictæ<sup>1</sup>, aut propter impotentiam suam, etiam homicida est apud Deum, qui non magis opus considerat, quam affectum: sic qui concupiscit mulierem alienam, jam mœchatus est eam in corde suo: etsi non habuerit eam, causa aliqua obsistente, etiam adulter est apud Deum, qui magis aspicit voluntatem quam opus, quoniam opus ei adulterii committendi defuit, non voluntas. Sed ne forte homines humanæ naturæ mysterium ignorantes, dum considerant, quia generaliter omnis natura carnalis subdita est passionibus istis, et nemo est hominum, etiam sanctorum, qui se omnino ab ira vel concupiscentia valeat separare, æstimant Christum, quasi impossibilia ista mandantem, occasionem sibi querere, per quam homines faciat reos, quoniam omnis, qui impossibilia mandat, occasiones offensionis seminat, et causas puniendi requirit: ideo pauca de divisione voluntatum animæ corporisque tractemus. Sicut duas in nobis habemus naturas, animæ scilicet et carnis: sic duas habemus voluntates, unam animæ, alteram carnis: duas iras, unam animæ, et alteram carnis: duas concupiscentias, unam animæ, et alteram carnis. Et natura quidem carnis ab his omnibus non potest se separare. Nam necesse habet et irasci, et concupiscere, etsi non vult, quoniam non est in arbitrio suo creata: id est, non est nunc in arbitrio suo, sicut creata fuit, sed sub lege peccati. Venundata enim est sub peccato: propterea de illa dicit Apostolus: *Sapientia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei subjecta non est, nec enim potest* (Rom. 8. 7). Anima autem in arbitrio suo creata est secundum legem justitiæ Dei: propterea potest et non irasci, si vult: et non concupiscere, si vult. Quando ergo irascimur et concupiscimus, si displiceamus nobis, et festinemus reprimere vel iram vel concupiscentiam nostram, manifestum est, quia caro nostra irascitur aut concupiscit sola, non anima nostra. Quando autem complacemur nobis in his, et decernimus si poterimus nostram implere iracundiam, vel concupiscentiam nostram: tunc et anima irascitur et concupiscit simul cum carne. Propterea sciens Deus, quia carnis natura subdita ei non est, nec potest non irasci, non mandat carni quæ mandat. Quis enim sapiens illi ponit præceptum, qui etsi vult, non potest obaudire? Sed ad animam loquitur, et animæ mandat, quæ potest Deo in omnibus obaudire: quæ potest, etiam carne irascente et concupiscente, ipsa nec irasci, nec concupiscere. Si ergo ad animam loquitur, et de concupiscentia animæ loquitur, dicens: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eum in corde suo*: id est, non si quis concupiverit secundum desiderium inevitabile carnis, sed, si quis concupierit secundum voluntatem animæ, et consensum, decernens et statuens implere quod cupit: ille talis etsi nihil gesserit, jam tamen corde adulter est ante Deum, quia forsitan impeditus est ab opere, non compunctus in voluntate. 29. *Si dexter oculus tuus scandalizaverit te, erue eum*. Puto quod omnis merces justitiæ nostræ in hoc posita sit, quia omni tempore contra carnem nostram luctamur: quia *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (Gal. 5. 17). Sic enim ait propheta: *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam renes mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea* (Psal. 37. 7. 8). Si ergo secundum prophetam non est sanitas in carne nostra, quot oculos quis ha-

<sup>1</sup> Commelin. et Morel. vox, non, omittitur.

(a) In Codice V. D. hæc Homilia præcedenti jungitur.

<sup>1</sup> V. D. et Editi in margine, propter metum videntium.

bet, aut quot dextras in corpore suo, ut secundum utilitatem carnis sufficiat poena membrorum? Sed videamus, ne forte vel sic possibile est intelligere de oculo corporali, vel de manu. Sicut enim totus homo quamdiu peccat, vivit peccato, mortuus est autem iustitiæ, sicut scriptum est: *Et vos, cum essetis mortui peccatis (Ephes. 2. 1);* cum autem homo conversus fuerit ad iustitiam, vivit iustitiæ, mortuus est autem peccato; sic et unumquodque membrum, utputa oculus, quamdiu quidem male aspiciat, integer quidem est peccato, ejectus est autem iustitiæ: cum autem desierit male aspiciere, ejectus est a peccato, integer est autem iustitiæ. Sed neque sic convenit. Nec enim habet rationem hæc interpretatio plenam, propter quod dicit, *Si dexter oculus tuus scandalizaverit te.* Quid enim? quando dexter scandalizat, sinister quid facit? numquid contradicit dextro, ut dexter quidem quasi reus ejiciatur, sinister autem quasi innocens reservetur? Sed puto ad animam hæc cuncta referri, sicut diximus supra. Oculum igitur dicit animæ, id est, mentem per quam anima videt. De quo et alibi dicit: *Si oculus tuus fuerit simplex, etc. (Matth. 6. 22).* Oculum autem iste carnalis non est oculus, sed est speculum oculi illius interioris, id est mentis. Habet enim et corpus suam mentem, sicut et animam suam: sicut testatur Apostolus, de mente quidem animæ dicens hoc modo: *Igitur ego ipse mente quidem servo legi Dei, carne autem legi peccati (Rom. 7. 25).* De corporis autem mente sic: *In status mente carnis suæ, et non tenens caput (Col. 2. 18. 19).* Similiter et de manu, vel de pede. Dextra manus hominis est voluntas animæ: sinistra autem manus est voluntas corporis est. Hæc autem corporea manus non est manus, sed organum manus illius. Nisi enim voluntas, aut bona, aut mala, moverit eam, ad nihil movetur. Dextra itaque manus hominis est voluntas animæ: sinistra autem manus est voluntas corporis. Ideo enim partes animæ dextræ vocantur, corporis autem sinistra: quoniam anima in arbitrio suo creata est, ad quod voluerit declinare, sive ad bonum, sive ad malum: et sub lege iustitiæ creata est, ut recta videat, recta audiat, et agat, et ambulet. Partes autem corporis sinistra dicuntur, quia non est in arbitrio suo creata caro, ut, sive ad bonum, sive ad malum declinare voluerit, possit: sed in malo creata est sub lege peccati, nec potest aut videre, aut audire, aut agere rectum. Sic et omnes sancti dextri dicuntur, peccatores autem sinistri. Unusquisque ergo nostrum habet dextrum oculum et sinistrum: dextrum quidem, mentem animæ, sinistrum autem, mentem carnis; dextram autem manum, voluntatem animæ, sinistram autem, voluntatem carnis. Quando ergo ex passione carnis concupiscimus sicut homines, animo autem resistimus concupiscentiæ nostræ, sinister oculus scandalizat nos: id est, mens carnis, non mens animæ. Sinistra manus scandalizat, et non dextra: id est, voluntas carnis, non voluntas animæ. Vide nunc quia non jubet carnis mentem ejicere, vel carnis præcidere voluntatem. Nec enim fieri potest, ut caro aliquando cesset a desiderio malo. Desideria autem carnis retinere quidem possumus, ut non faciamus quod desiderat caro: præcidere autem non possumus, ut non desideret. Quando autem ex proposito animæ volumus malum, tunc dextra manus, id est, oculus dexter nos scandalizat, et dextra voluntas. Illic oculus et istam manum præcidere jubet, quam et possumus præcidere: quoniam anima in arbitrio suo est, ut ad quod voluerit, valeat declinare. Caro autem non in arbitrio suo est, sed in malo: vendita est sub peccato, et non potest bonum velle. Ideo autem caro sinistra dicitur, anima autem dextra, quoniam caro ad tentationem nobis creata est, anima autem ad salutem. Hæc est, sicut arbitror, loci istius interpretatio vera. Possumus tamen et alium invenire colorem. Respectus vel consideratio mentis oculus est animæ, videlicet voluntas alicujus operis faciendi, et movens manum ad aliquod opus. Manus animæ

est secundum ea quæ diximus. Utpote erat mulier quædam religiosa, vel virgo, vel vidua: respexi et consideravi, et dixi: Debeo visitare illam mulierem assidue, ut si quid religionis ignoret quasi mulierem, instruam eam, et confirmem ipsam in ipso bono proposito ejus. Bonus respectus est iste, et dexter oculus: sed dum assidue visito eam, decidi in laqueum desiderii ejus: et ille bonus respectus meus, et dexter, factus est mihi in scandalum. Quid ergo oportet fieri? Ejicere talem illum respectum bonum, qui generatus est mihi malum. Aut sic. Vidi orphanam quamdam, et dixi, Debeo illam in domo mea accipere, et educare, donec veniat tempus nubendi: et vadens cœpi ei subministrare quæ necessaria erant. Bonum opus hoc, et dextra manus hæc est: sed dum causa subadministrationis video eam, decidi in laqueum desiderii ejus: et illud bonum opus meum, et dextra manus facta est mihi in scandalum. Vel ita. Videntes me quidam agere fiducialiter cum ea, scandalizati sunt, dicentes: Quid sibi vult hoc esse, quod iste sic familiariter loquitur cum puella? Oportet ergo præcidere tale opus bonum, quod vel mihi vel alteri generat malum. Nam et quod alteri generat malum, mihi generat: quia per me factum est, ut alter scandalizaretur in me. Et hæc propositionis gratia diximus: verumtamen generaliter omne bonum, quod vel nos vel alios scandalizat, præcidere debemus a nobis. Nam quale est illud bonum, ex quo nascitur malum? Melius est enim, ut sine uno respectu aut uno opere bono salvemur, quam ut, dum omnia opera bona voluerimus facere, cum omnibus pereamus. Sed et alii aliter interpretantur hunc locum. Vult, inquit, Christus, ut non solum de periculo nostri peccati curemus, abstinentes nos ab omni concupiscentia mala, sed etiam ne vel propinqui nostri, vel aliqui ad nos pertinentes, turpe aliquid agant. Utpote, habes aliquem vel filium, vel fratrem, vel amicum, qui sic bene aspiciat res tuas, quasi proprius oculus tuus, et habes eum pro oculo dextro. Aut habes aliquem, qui est tibi quasi dextra manus, quasi propria manus tua, et est tibi quasi dextra manus. Et illum talem si cognoveris aliquid turpiter agere, præcide eum ab anima tua, et projice longe abs te, quia scandalizat te: quia non solum pro peccato nostro, sed etiam pro peccato proximorum nostrorum, quod tamen possumus cohibere, nisi aut cohibuerimus, aut repulerimus a nobis, dabimus rationem. Et quoniam omnes Christiani unum corpus sumus, et alter alterius membra: melius est, ut sine uno aut altero membro tali salvemur, quam ut, volentes illos tales habere, et ipsi pereamus cum eis. 31. *Dictum est antiquis, Si quis vult dimittere uxorem, det illi libellum repudii.* 32. *Ego autem dico, Si quis dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæcham. Et si quis dimissam duxerit, mæchatur.* Nunc tertium mandatum mandatum, minimum apud indiscipulatos et lascivos, qui nullum æstimant esse peccatum, uxorem dimittere dato libello repudii, sine quo neque stare potest legis mandatum. Quomodo? Quando primum Moyses filios Israël eduxit de Ægypto, genere quidem erant Israelitæ, moribus autem Ægyptii. Propter quod more gentilium contingebat, ut vir odiret uxorem. Et quia dimittere illam non permittebatur, paratus erat interficere eam. Aut si non interficiebat propter timorem legis, tamen assiduus cruciatibus affligebat. Ideo jussit dari repudium, non quia bonum erat, sed quia remedium erat mali peioris: ne dum facere malum vetantur, facerent pejus. Ergo propositum fuit legis repudium dare mandantis, ut ne homicidium fiat. Numquid in facto solo fit homicidium? nonne et in voluntate? Et curam hominibus quidem in facto fit homicidium, coram Deo autem in voluntate. Sicut enim qui irascitur fratri suo sine causa, etsi non potuerit occidere eum, occidit eum tamen in corde suo: sic et qui concupiscit mulierem, etsi non habuerit eam, adulteratus est eam in corde suo, quia voluntas ejus impedita

est, non correcta. Sic qui odit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et sic eam odit, ut dimittat eam, ut et nisi haberet licentiam dimittendi eam, occidit eam : in corde suo occidit eam, quantum ad Deum, quia opus homicidii defuit ei, non occidendi voluntas. Vides ergo quia lex præcipiens dari repudium, opus homicidii compescuit, non peccatum? Et non solum homicidii crimen non sustulit, quantum ad Deum, sed etiam alterum dimissionis introduxit peccatum. Quoniam libellus repudii testimonium est soluti conjugii, numquid justitia solvendi conjugii? Propterea, dato repudio, solum quidem conjugium publicatur, peccatum autem solutionis magis exaggeratur. Tamen cum de irascente sine causa, et de concupiscente faceret verbum, competenter intulit mandatum de uxoribus non dimittendis. Si enim qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio : quomodo non erit reus, qui sine culpa fornicationis sic odit uxorem, ut etiam dimittat eam? Sed dicis, Multas habet culpas uxor mea. Quid enim? tu autem sine culpa es? Si enim extraneorum vitia supportare debemus, dicente Apostolo : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi (Gal. 6. 2)* : quanto magis debemus uxorem? Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, adulteratur eam in corde suo : quomodo non pro adulterii condemnatur, qui dimittens uxorem, occasionem dedit adulteriorum committendorum, ut et illa adulteretur in alterum, et alter in illam? Nam vir Christianus non solum se coinquinare non debet, sed nec aliis coinquinandi se occasionem præbere. Alioquin illorum criminem ad istius redundat peccatum, qui aliis committendi criminis factus est causa. Vide etiam, quia qui secundum legem repudiium dat, quatuor committit iniquitates. Primam, quia quantum ad Deum existit homicida : secundam, quia dimisit non fornicantem ; tertiam, quia fecit eam adulterari ; quartam, quia et accipiens eam, fecit adulterium. Nichil autem horum committitur, ubi servatum fuerit Christi mandatum. 35. *Item dictum est, Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. 34. Ego autem dico, non jurare omnino, etc.* Ecce quartum mandatum, quod minimum putant avari, qui bene jurare non putant esse peccatum, sine quo non potest stare legis mandatum. Nam nisi juramentum interdicatur, non possunt amputari perjuria. Ex juramento enim perjurium generatur. Nemo est enim, qui frequenter jurat, et non aliquando perjuret. Propter hoc admonet Salomon : *Non assuescas juramento os tuum ; multus enim casus in illo (Eccli. 23. 9)*. Sicut enim qui facit consuetudinem multa loqui, necesse est ut aliquando et importuna loquatur, et qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutere, necesse est ut aliquando et injuste percutiat : sic qui facit consuetudinem jurare in rebus idoneis, frequenter et in rebus superfluis etiam nolens consuetudine trahente perjurat. Nam omnium rerum consuetudinem, quando voluerimus quidem, tunc facimus, sed non quando volumus, tunc repellimus eam. Et qualis est contra jurantes Dei sententia, docet Salomon : *Vir, inquit, multam jurans, non exiet plaga de domo ejus (Ibidem v. 12)*. Si ergo a jurantibus plaga non recedit, quomodo a perjurantibus aliquando recedit? Dic mihi, amice, jurando quid proficis? Nam si adversarius tuus crederet bene te juraturum, numquam te jurare compelleret : sed quia perjuraturum te æstimat, ideo te jurare compellit. Et cum juraveris, non quasi in veritate juramenti tui placatus tacet, sed quasi in damnatione perjurii tui vindicatus recedit. Juramentum enim numquam bonum exitum habet. Quidam enim æstimabunt te avaritiæ causa jurasse, quidam autem et perjurasse. Qui autem de te bene voluerint suspicari, etsi pejerasse te non credunt, tamen in veritate te jurasse affirmare non possunt. Nemo autem potest defendere te et religiose egisse. Ideoque jurans, inimicis tuis in opprobrium venis, amicis autem tuis in suspicionem. Sed forte dicis, Quid faciam? Non mihi credit, nec vult

credere nisi juravero. Acquiesce magis pecuniam perdere, quam salutem. Pretiosior tibi videatur anima tua, quam res tua. Si rem aliquam perdidideris, vivere potes : si Deum perdidideris, quomodo vives? An nescis quia quod invitus amittis propter Dei timorem, majorem mercedem habes pro illo, quam si eleemosynam dedisses? Quia quod cum majore collectatione facimus, pro illo dignius coronamur. Ecce, amice, admoneo te, ne aliquando hominem jurare compellas. Sive existimas eum bene juraturum, recede ab eo : sive existimas eum male juraturum, magis recede ab eo : quia etsi ille bene juraverit, tu quantum ad conscientiam tuam perjurii illius factus es causa, quia hoc proposito eum jurare compellis, non ut juret, sed ut perjuret. Si autem bene eum juraturum putares, nec jurare compelleres. O insipientes, qui alterum jurare compellis, nescis quid agis. Ille etsi perjuraverit, vel cum lucro perjurat, tu autem sine lucro perjurii illius particeps inveneris. Qui mentiri non dubitat, nec perjurare timet : qui enim mentitur, veritatem in corde suo transgreditur ; qui autem perjurat, in verbis suis transit Deum. Quid ergo interest inter Deum transire, et veritatem transgredi, cum et ipsa veritas sit Deus? Hæc sola est differentia, quia veritatem mentientes in corde transimus, perjurantes autem Deum in verbis : nam verbo hominibus satisfacimus, conscientia autem Deo. Ipse Deus, qui perjurare vetuit, ipse et postea non jurare mandavit. Qui ergo in jurando non timet Dei præceptum negligere, nec in perjurando timebit. Quid autem vis? Timet Deum, aut non timet Deum. Si timet, etiam sine juramento non mentitur : si autem non timet, neque cum juramento potest dicere veritatem.

*Contra clericos qui Evangelia porrigunt juraturis.* — Audite vos, clerici, qui jurantibus Evangelia sancta porrigitis<sup>1</sup> : quomodo potestis ab illo juramento esse securi, qui semen perjurii datis? Numquid qui ignem portat, unde conflatur incendium, alienus est ab illo incendio? Aut qui gladium porrigit unde homicidium committitur, nonne est socius homicidii illius? Sic et qui occasionem perjurii præstat, collega fit perjurii ejus. [Si erat bene jurare justum, juste dicebatis<sup>2</sup>, quia dedimus illis Evangelium ut jurent, non ut perjurent : nunc autem cum sciatis, quia et bene jurare peccatum est, quomodo potestis esse liberi, qui occasionem datis unde peccetur in Deum?] Cesset ignis, et incendium non fit ; subtraha gladium, et homicidium non committitur : sic tolle juramentum, et perjurium non fit. Hæc de illis dicta sunt, qui jurant per Deum : eorum autem, qui jurant per elementa, execrabilior iniquitas est. Cælum enim, et terram, et cætera Deus ad ministerium sibi creavit, non hominibus ad juramentum. Ecce enim in lege præcipitur, ut per nullum juretur, nisi per Deum : qui ergo jurat per cælum aut per terram, aut quidquid illud est, per quod jurat, deificat illud. Propterea idololatram se facit omnis, qui per aliquid aliud a Deo jurat, etiamsi jurare liceret : quia non reddit Domino Deo suo juramenta sua, sed elementis, et sic dupliciter peccat. Primum, quia jurat ; deinde, quia deificat per quem jurat. Et vide quia per singula hanc rationem dat, cur quis non debeat jurare per elementa. *Neque per cælum, inquit, quia thronus est Dei : id est, non Deus 35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, non dea. Neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis, non magnus rex. 36. Neque per caput tuum, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* Ac si dicat : Cujus momenti es, ut per te jures? numquid potestatem habes vel unum capillum album facere, aut nigrum? Sive ergo per filios suos juret quis, sive per se, sive per aliquem, meliorem facit illum, quantum ad se, quam Deum. 38. *Audistis quia dictum est anti-*

<sup>1</sup> v. D. et Editi in marg., *sancta portatis... qui sanctum perjuris datis.*

<sup>2</sup> v. D., *Si erat bene jurare, juste dicebatis, etc.* Monetur in margine Editorum hæc abesse a quibusdam exemplaribus.



*quis, Oculum pro oculo, dentem pro dente : ego autem dico vobis, non resistere malo.* Quintum mandatum minimum, quantum ad homines crudeles, qui peccare se non arbitrantur, quæ reddiderint mala pro malis, non considerantes, quæ dicuntur in Psalmo : *Si reddidi retribuētibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis, etc. (Psal. 7. 5).* Quæcumque enim ille dinumerat merito se pati debere, si reddiderit retribuētibus sibi mala, sciant Christiani omnia illa merito se esse passuros, si reddiderint retribuētibus sibi mala. Nam et casuri sunt ab inimicis suis inanes, et persequuntur et inimicis animas eorum, et comprehensurus et conculcaturus in terra vitam eorum, et gloriam eorum in pulverem deducturus. Tamen sine hoc minimo mandato legis mandatum non potest stare. Quomodo? Lex præcipiens oculum pro oculo, dentem pro dente, tale habet propositum, ut unusquisque, dum timet de suo membro, parcat alterius, et nemo malus inveniat. Sed quia vae mundo a scandalis : quamdiu enim vivimus in hoc mundo, cui diabolus principatur, necesse est abundare maledicentes, percutientes, et persequentes. Si ergo incipimus secundum legis mandatum omnibus reddere mala pro malis, omnes efficimur mali, et solum est propositum legis, et dum voluit malos facere bonos, etiam bonos fecit malos. Si autem secundum Christi mandatum non resistatur malo, etsi mali non læduntur, tamen boni permanebunt boni : et sic per mandatum Christi impletur et legis mandatum. Nam qui mandatum legis implet, non simul implet et Christi : qui autem Christi implet, simul implet et legis. Ut puta, qui percutit, contra legem agit : qui autem repercutit, secundum legem facit, non autem et secundum Christi mandatum. Qui autem secundum Christi mandatum, neque percussus repercutit, tacite et legis voluntatem implevit. Nam qui percussus non repercutit, multo magis nec ab initio percussisset : quia non venit Christus solvere legem, sed adimplere. Sed dicis, quia dignus est ille repercuti, qui contra legem percussit. Etiam. Sed tu non es dignus repercutere, quia illius discipulus es, qui maledictus non remaledixit, percussus non repercutit, crucifixus pro crucifixibus se oravit. Si repercusseris, ergo primum denegasti, te Christi esse discipulum, non verbis, sed factis. Deinde cum ejeceris oculum pro oculo tuo, et freris dentem pro dente tuo, numquid per hoc restituatur membrum tuum in loco proprio? Si ergo non reddideris malum pro malo, et si membrum corporis reddideris, vel lucrum patientiæ acquisisti. Si autem reddideris : et corporis damnum passus es, et salutis. 39. *Sed si quis te percusserit in maxillam, præbe ei alteram.* Non enim diabolus tantum de vulnere humani corporis gaudet, sed et magis in vulnere animæ delectatur : ideo enim excitat aliquem qui te percutiat, ut dum tu excitatus repercutis eum, pecces, et uno ictu vulneret ambos. Scit enim, quia vulnus corporis cito sanatur : vulnus autem animæ in quibusdam vix cum labore, in quibusdam autem nunquam sanatur. Ideoque si repercusseris eum, in prima quidem facie illum vicisse videris, re vera autem a diabolo victus es. Et putas quia te satiasti de illo, vere autem diabolus satiasti de te. Si autem non repercusseris eum, ab homine quidem victus videris, diabolum autem vicisti. Hæc secundum justitiam Dei. Videamus autem secundum utilitatem carnalem. Numquid si repercusseris eum, compescuisti eum, ut jam non te percutiat? Sed magis excitasti eum, ut adhuc te percutiat. Nam iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur. Quenadmodum si ignem cum igne coniungas, major flamma succenditur : si autem non repercusseris eum, ille jam stabit : si quidem sapit, confusus : si autem non sapit, satiatus : et non solum iterum te non percutit, sed forsitan compunctus corde pœnitet, quia te vel semel percussit. Attamen etsi sic insanus est, ut nec patientiam tuam intelligat, ne confundatur in facto suo : numquid potes tu

te amplius vindicare, quam Deus erat te vindicaturus? Ideoque si repercusseris eum, perdidisti vindictam, quia teipsum vindicasti : et liberasti eum da, manibus Dei, quia reddidisti illi quod fecit. Si ergo fortiter irasceris, patientius age, ut melius vindiceris, scilicet per Deum. 40. *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Primum indigna res est, ut homo fidelis stet in iudicio ante conspectum iudicis infidelis. Nam etsi infidelis non est, certe secularis est. Et qui te venerari debuerat propter dignitatem fidei, iudicat te propter necessitatem causæ, et perdes dignitatem Christi propter negotium mundi. Nonne melius est, ut perdas res mundiales, quam gloriam sempiternam? Si enim rem perdidisti propter Christum, Christus tibi rem restituere potest : si autem propter rem perdidisti Christum, res tibi non potest restituere Christum. Deinde necesse est, ut humilies te coram iudice, et subditus illas illi propter necessitatem causæ. Et forsitan qui propter Deum non fueras te humiliatus, humilias te propter lucrum, et facis rem pretiosiorum quam Deum. Tertio, quia omne iudicium irritatio cordis est, et cogitationum malarum. Si semel in iudicium ingressus fueris, jam non desideras ut veritas causæ appareat, sed ut quocunque modo victor existas. Si autem videris quod causa tua, sicut frequenter solet fieri in iudiciis, aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis expugnetur : necesse est similiter et te aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis, causæ tuæ adesse festines. Et si ab initio consilium non habuisti, ut sic ageres, postea sic agere ipsius controversiæ necessitas te compellit. Nam primum pro lucro tantummodo festinabas, postea jam et pro pudore contendis. Et magis contentus es etiam peccare tantum, ut vincas, quam vinci tantum, ut ne pecces. Hæc Deus illis mandat, qui magis diligunt Deum, quam mundum. Nam qui lucrum animæ magnum esse existimat, damnum rei modicum putat : nam qui damnum rei magnum existimat, lucrum animæ minimum putat. Qui ergo difficilior putat rem dimittere, quam in iudicio introire, hoc cogitet, quia difficilior est de iudicio sine peccato exire. Facilius est enim ante iudicium rem dimittere, quam iudicio evitare peccatum. Nam ante iudicium, sicut diximus, una causa avaritiæ te compellit, post ingressum etiam causa pudoris. Et qui unam causam vincere non potuisti propter timorem Dei, duas quomodo vincas? Ergo sicut Joseph dimisit pallium in manu meretricis, et fugit cum meliore pallio castitatis : sic et tu proice pallium in manus calumniatoris, et fuge cum meliore velamento justitiæ, ne forte dum vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas. Deinde si viderint infideles te Christianum pro iniuriis injurias rependere graviores, pro terrenis facultatibus, et usque ad perniciem animæ secularia pulsare iudicia contra directorem injustum : quomodo credant spem regni celestis esse veram, quam prædicant Christiani? Facile enim spernunt terrena qui caelestia sperant. Qui autem terrena magno opere complectuntur, nescio si firmiter caelestia credunt promissa. Non solum ergo propter læsionem animarum nostrarum percipientem sustinere debemus, auferenti quæ nostra sunt non repugnare, sed etiam propter demonstrationem indubitabilem Christi promissionum : ut ille qui viderit te injurias proprias negligentem, terrenas etiam res quasi nihil spernentem, intelligat, quia vere est certissima spes Christianorum in caelis, pretiosior omnibus rebus terrenis, et vita jucundior omni frui-tione vitæ istius carnalis. 41. *Si quis te angustaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ut patientia tua vincat illius crudelitatem, et ostendas quia major est benignitas Dei in sanctis, quam malitia diaboli in iniquis hominibus. Si autem tantum vadis quantum ille te cogit, quomodo cognosceris servus Dei? Nam in necessitate bonitas non apparet. Quod ergo cogit te, vade propter necessitatem hominis violenti : quod non te cogit, vade propter gloriam Dei benigni. Si



unum vadis, putat te hominem qualemcumque feceris, et non pœnitet, quia te angariavit: si autem amplius vadis, intelligit, quia servus es Dei. et ideo incipit illum pœnitere, quia vel unum te angariavit; et hoc tuum additamentum non fit illi majus auxilium, sed pœna prioris audaciæ. Deinde si illum quidem diabolus excitavit ad te angariandum, et tu videns tibi injuriam fieri, et aut verbis illicitis contradicas, aut factis non bonis resistas: et lucrum sanctitatis, quod multis forsitan bonis operibus acquisisti, propter dolorem modicum perdis. Quid ergo? Unum vade, ut satisfacias homini; alterum vade, ut te ostendas, et illum castiges; tertium, ut diabolum superabundanter confundas. Deinde hæc omnia mandata in pauperis persona conveniunt: dentem autem hominis divitis et potentis quis excutit? Utinam ille alterius non excuteret. Tunicam divitis et potentis per calumniam quis tentat auferre? Utinam ille per calumniam alterius non auferret! Divitem et potentem quis angariat? Utinam ille alterum non angariaret! Ergo dives infructuosus est. Et quomodo adimpleat justitiam legis, et gratiæ, ut fiat servus Dei perfectus? Quomodo? Si quis mutuum pecuniam petierit ab eo, det illi. Lex enim est, ut alterius non tollas, etsi tuum non des. Gratia autem, ut alterius non tollas, et tuum des. Qui ergo mutuum pecuniam dat, et legem implet et gratiam. Nam qui de suis libenter dat, et multo magis alterius bona non tollit. Dives ergo per patientiam non potest tentari, neque probari, quia nemo illi cito violentiam facit: in largitate autem tentatur. atque probatur. Item pauper per largitatem non potest tentari et probari, quia non habet unde largiatur, et ideo per patientiam tentatur, atque probatur, si benignitas ejus per injuriam non mutatur. Denique si veritatem considerare volumus, et intelligere rationem: quia divitiarum nostrarum non sunt nostrarum, sed Dei. Deus enim dispensatores nos divitiarum voluit esse suarum, non dominos: et ideo cui voluerit, dat eas; et a quo voluerit, tollit: illud proprie nostrum est, quod in nostra est potestate habere, si volumus. Quomodo autem nostrum dicatur, quod etsi volumus, habere non possumus, nisi nobis fuerit datum? Deinde considera, ut quid tibi magis divitias credidit, quam illi? numquid ex alia massa luti te fecit, ex alia illum? et pro te Christum tradidit, pro illo autem aliquem angelorum? Si per omnia sic illum diligit, quomodo te, non ideo dedit tibi divitias, ut habeas eas, sed ut teneris in eis. Ideo admonet Apostolus: *Divitibus hujus mundi præcipe non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed largos esse communicatores bonorum* (1. Tim. 6. 17). Nam pauper in sanctitate melior est, quam tu in rebus secularibus. Tuæ res proficiant ad illius sustentationem in hoc sæculo, ut et illius sanctitas proficiat ad tuam sustentationem in illo: sicut ulmus infructuosa dat humorem viti, et vitis pro se et pro ulmo profert fructum. Ergo jubet nos Christum mutuum dare pecuniam, non tamen sub usuris: quia qui sub usuris mutuum dat, in prima quidem facie sua videtur dare, revera autem non sua dat, sed alterius tollit. Nam videtur quidem necessitati succurrere, revera autem in majorem mittit necessitatem. De uno vinculo solvit, et multis vinculis alligat: et non propter justitiam Dei dat, sed propter proprium lucrum. Similis enim est pecunia usuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percuitur, quasi delectatus vadit in somnum, et sic per suavitatem soporis moritur: sic et qui accipit sub usuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit: et sic per suavitatem beneficii non sentit quomodo captivus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, et corrumpit: sic usura per totas facultates ejus discurrit, et convertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam consersionem corrumpit, et trahit illam, et facit illam totam fermentum: sic quem usura in domum alicujus intraverit, totam substantiam ejus ad se trahit, et convertit in debitum.

*Homilia decima tertia ex cap. quinto.*

43. *Audistis quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (Levit. 19. 18). 44. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Ecce sextum mandatum legem adimpleus, minimum apud homines odibiles et invicem odientes, qui inimicum odire debere improba voce pronuntiare non erubescunt. Quod si justum fuisset inimicos odire, Deus te inimicum ex gentibus nunquam in suam suscepisset dilectionem. Ille pro te et Filium suum per omnia humane compassionis opprobria tradidit<sup>1</sup> usque ad mortem, ille te inimicum suum adoptavit, colendum Unigenito tuo fecit, et tu vel nudam dilectionem inimico tuo reddere non vis? Quid tamen mirum, si grave illis videatur inimicos amare, qui nec amicis suis sinceram conscientiam servant? Nam cum sit mundus iste scandalis plenus, si amicos voluerint diligere tantum, non poterunt invenire quos diligant. Hodie enim iste illum offendit in re tali, cras ille istum offendit in altera re, et ita fit, ut si decreverit homo inimicos suos odire, necesse est ut odiat omnes, et odiat ab omnibus. Vides quia sicut ex ira homicidium nascitur, et ex concupiscentia adulterium: sic ex odio inimicorum præciditur etiam dilectio amicorum. Si autem ad tempus sustines eum quasi inimicum, postmodum victum benevolentia tua amabis eum quasi amicum. Puto quod non tantum pro inimicis nostris Christus illa mandavit, quantum pro nobis: non quia illi digni sunt, ut diligantur ab aliquo, sed quia nos non sumus digni, ut aliquem odiamus. Odium enim spiritus est tenebrarum, et ubicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis<sup>2</sup>. Ergo non tantum ideo jubet diligere inimicos, ut illos diligamus, quantum ut a nobisipsis quod malum est repellamus. Et ideo non dicam, si læseris inimicum, sed si oderis eum tantum, amplius tibi nocuisti secundum animam, quam illi secundum corpus. Et illi forsitan nihil nocet odiens eum, te autem ipsum sine dubio lædis. Si ergo peperceris inimico, tibi amplius pepercisti, quam illi. Et si benefeceris ei, tibi amplius præstitisti, quam illi. Iterum commemoro quod superius dixi. Quoniam ignorantibus mysterium naturæ humane impossibile videtur diligere inimicum. Et vere impossibile est, quantum ad carnis naturam, quia passionibus subjacet: quantum autem ad animam, possibile est, quia proprii judicii est ideo: ut regere et retinere potest carnem a passionibus. Nunquam enim anima passibilem regeret carnem, si ipsa passionibus esset subjecta. Puto autem, sicut illud quod dictum est: Ego autem dico, Non concupisces: non loquitur Deus ad carnis naturam, quæ non potest fieri ut non concupisecat quod suum est: sed ad animam, quæ non concupiscere potest. Nam quando quis corporalibus quidem motibus excitatur, voluntas autem illius non inclinatur, ut faciat opus quod facere instigatur, sed stabili proposito, continentia et operatione justitiæ, irrationabiles motus corporis frangi, et si corpore concupiscit, animus ejus non concupiscit; si autem consenserit explere quod cogitat, tunc vere dicitur animo concupiscere: sic et in hoc loco: caro quidem inimicum suum diligere non potest, quemadmodum nec est possibile, ut injuriam non sentiat sibi illatam; anima autem inimicum diligere potest, quia dilectio vel odium carnis in sensu est, animæ autem in intellectu. Propterea anima quidem secundum rationem vertitur, caro autem invertibilis in passione tenetur: quoniam anima libera est, et sub principatu Dei est; caro autem captiva est, et sub principatu diaboli est, sicut et mundus qui in maligna positus est, quoniam et ipsa caro de mundo est. Quando ergo nocemur ab aliquo, etsi odimus eum, non tamen exsequimur odium nostrum, considerantes Dei justitiam, sed magis confringentes motus doloris nostri, et benedicimus ei, et benefacimus. Cognosce

<sup>1</sup> V. D. et Editt in marg. *opprobriis tradidit.*

<sup>2</sup> Idem in marg. *pulchritudinem sanctitatis, quæ lecto quadrat.*

quia caro quidem nostra odit inimicum suum, quæ nocita diligere non potest, anima autem diligit inimicum. Alioquin si unusquisque motus suæ carnis consideret, nullum bonum facere invenitur: quia omne bonum, adversante carnis natura, contradicentibus nobisipsis explemus. Deinde qui te innocentem injuriatur, si incipias considerare quomodo a diabolo possidetur et agitur, quomodo voluntatem suam adimplet per ministerium ejus, non solum non irascaris ei, sed adhuc misereberis ejus: misratio autem excitat affectum<sup>1</sup>. Vis ergo diligere inimicum tuum? Si injuriam pateris, noli injuriam presentem aspicere, sed considera gloriam, quam pro mercede in judicio consequuturus es. Si æquanimitè supportare volueris, si dampnum passus fueris, noli hoc dampnum aspicere, sed illud patientiæ lucrum. Illis enim totum videtur difficile, qui retributionem non sperant futuri judicii. *Et benefacite iis, qui oderunt vos.* Sciens Dominus, quia carnis dilectio ex beneficiis carnalibus nascitur, ubi non fuit prius, et nutritur etiam, ubi fuit prius: ideo jubet nos benefacere inimicis, ut eorum odia nostris beneficiis compescantur. Si enim dando et accipiendo amicitia nascitur, quæ non erat prius: consequenter et odium, et omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Ergo benefacite odientibus, ut ex vestra benevolentia ipsi se judicent, quia injuste vos odiunt. *Orate pro calumniantibus vos.* Orantes pro inimicis, non tantum illos, quantum nos commendamus Deo: et magis exaudimur pro inimicis orantes, quam pro nobis. Qui enim pro se orat, non gratiæ opus exsequitur, sed naturæ. Quis enim pro se non orat? Qui autem pro inimico suo orat, digne exauditur, quia gratiæ opus exsequitur.

45. *Ut sitis filii Patris vestri.* In quo enim alio cognoscetur quia filii sumus Dei, nisi fuerimus similes Deo? Filii enim carnales frequenter simulantur carnalibus patribus, in facie, aut in loquela, aut in risu, aut in aliquo corporis signo: filii autem spirituales in sanctitate. Et illi quidem etsi similes fuerint, laudem nullam merentur, et si dissimiles, nullam vituperationem: quia non est in potestate hominis qualem accipiat corporis qualitatem. Filii autem Dei, si quidem similes fuerint, laudandi sunt: si autem dissimiles, nimis vituperandi, quia in potestate uniuscujusque est mensura faciendæ justitiæ.

46. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Qui amicos diligit, propter se diligit, non propter Deum, et ideo nullam habet mercedem: delectat enim eum ipsa dilectio. Qui autem inimicum suum diligit, non propter se diligit, sed propter Deum: ideo magnam habet mercedem, quia contradicit motibus suis. Ubi enim labor seminatur, illic meretur fructus.

48. *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester perfectus est.* Qui diligit amicum, peccatum quidem non facit, justitiam autem non operatur. Dimidium enim bonum est, hominem discedere a malo, et non sequi bonum: perfectum est autem, ut non solum fugiat malum, sed etiam faciat bonum. Ideo dicit, Perfecti estote, ut et amicos diligatis propter peccatum vitandum, et inimicos propter justitiam habendam: quoniam illud de pœna liberat, hoc autem ducit in gloriam: nec enim est perfecta Dei imago, quæ non per opera similat Deum. *Ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum jubet oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Caute posuit dicens, *Super justos et injustos, non, Super injustos, ut justos, quia omnia bona Deus non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos sanctos.* Contentus est enim magis, ut peccatores contra meritum suum bonis Dei fruantur, quam ut justis contra meritum suum a bonis ejus fraudentur. Similiter et quando Dominus a peccatoribus irritatur, castigationem suam non propter homines bonos mittit, sed propter solos peccatores: tamen æqualiter et justos tangit, quemadmodum et peccatores. Nam quemadmodum in bonis non separat peccatores a

justis: sic nec in malis separat justos a peccatoribus. In bonis peccatores a justis non separat, ne separati cognoscant se abjectos esse et desperent: in malis justos a peccatoribus non separat, ne separati cognoscant se electos, et glorientur: maxime cum nec malis bona prosint, sed noceant magis, nec bonis mala noceant, sed prosint magis. Nam male viventes dum bona percipiunt, ad præjudicium suum percipiunt: et boni dum mala patiuntur, ad lucrum justitiæ eis procedit.

1. (a) *Attendite autem ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* (Cap. vi.) In superioribus Christus mandavit diligere inimicos, benefacere eis. Videns autem quia in ipso beneficio laqueus diaboli latebat inclusus, qui bonorum operum solet perdere fructum: nam vana carnis natura, quemadmodum primum difficultis est ad benefaciendum, ita etsi benefecerit, facilis est ad jactantiam boni operis: propterea et in hac parte nos instruit, dicens: *Attendite vobis ne eleemosynam vestram coram hominibus faciatis:* ut bonum vestrum non ad ministerium vanitatis proficiat, sed ad usum salutis. Quod autem præ omnibus vitiis carnalibus periculosius esse in hominibus intellexit, hoc cautius cavendum mandat, dicens: *Attendite ne eleemosynam vestram coram hominibus faciatis:* quoniam omnia pene mala servos diaboli vexant. Concupiscentia autem vanæ gloriæ non solum servos diaboli, sed etiam servos Dei, et viros fideles impugnat: magis autem servos Dei, quam servos diaboli. Ubi enim res agitur gloriosa, ibi facilius locum invenit gloriatio: is occasio. *Attendite.* Quid autem attendamus? locum secretum ubi homines non sunt? Sed quid prodest, si in loco quidem homines non fuerint, in corde autem fuerit cogitatio vana? Melius est ergo, ut in corde non sit cogitatio vana, quam ut homines non sint in loco. Si ergo cor nostrum attendere debemus, non oculis carnalibus aspicere, sed sensu vigilare necesse est circa cor: invisibilis enim est serpens et lubricus, quem observare jubemus, et latenter in sensus ingreditur, et seducit. Ideo enim non potest eum caro sordida aspicere, sed anima munda. Sicut enim in loco mundo et specioso, si modica sordes fuerint, de longe apparet: si autem ipse locus sordidus fuerit, quantumvis stercoris jaceat ibi, non apparet: nec enim potest requiri, si est ibi aliquid stercoris<sup>1</sup>, ubi totum est stercus: sic et in corde mundo si surreptio inimici successerit, mox cor suum homo rectus discernit, quia a spiritu alieno pulsatur: si autem cor fuerit iniquitatibus plenum, suggestionem diaboli in se facile non intelligit. Quomodo enim introitum ejus intelligat, qui semper in eo est? Ideo et ante præmisit, dicens: Ne irascaris, ne concupiscas, ne jures, ne malum pro malo reddas, ne odias proximum tuum: quoniam qui malis omnibus istis subjectus, cor suum non potest attendere, nec intelligere diaboli seductionem in eo, quia in veste candida macula cito apparet, nigra autem vestis etsi tota sordidata fuerit, non cito apparet. Et quomodo non potest fieri, ut coram hominibus eleemosynam faciamus, aut facientes non sentiamus? si præsertim aliquo occurrerit pauper, quomodo detur ei absconse? Nam etsi non videtur quod datur, tamen videtur quia datur, ducendo eum secreto.

*Non prohibetur coram hominibus dari eleemosyna, sed vanæ gloriæ venatio inlubetur.* — Sed considera, quia non dixit tantummodo, *Ne coram hominibus faciatis:* sed addidit, *Ut videamini ab eis.* Qui ergo non ideo facit, ut ab hominibus videatur, etsi coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus fecisse. Ergo si sic facere eleemosynam non est possibile, ut nullus videat, aut sentiat: tamen eo proposito facere, ut non ab hominibus videamur, possibile est. Dicit enim Dominus: *Sic luceat lumen vestrum*

<sup>1</sup> Editi in marg. et Codex V. D. *aliquid mundum.*

(a) Ille incipit Homil. XII in Codice RR. PP. Carthusianorum Vallis Dei.

<sup>1</sup> Item in marg. *creat affectum.*

coram hominibus, ut videant homines opera vestra bona, etc. (Matth. 5. 16). Sicut ergo accensa lampas abscondi non potest: sic nec opus justitiæ potest celari. Ergo non eleemosyna ingrata est ante Deum, quæ hominibus visa fuerit, sed quæ ideo facta fuerit, ut ab hominibus videatur. Utpota, omnis homo qui aliquid opus facit, cujus causa facit id quod facit, in corde suo illius aspicit et personam. Ecce facis epistolam, ut aliquem salutes amicum; quamdiu scribis, semper in corde tuo amici illius vides personam, propter quem scribis epistolam. Item artifex tenens opus in manu, semper eum præ oculis suis habet, qui ei opus commisit faciendum, dum cogitat quomodo illud facere mandavit: sic et qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo, propter quem facit. Ideo etsi venerit ut quibusdam presentibus faciat, tamen animus ejus homines illos non videt, etsi ipse videatur ab eis. Numquam transisti per viam aliquid cogitans, et a multis quidem hominibus visus es, ipse autem nullum vidisti, intendens in id quod cogitabas? Quia animus sine corpore apud seipsum potest videre quod cogitat, corpus autem sine animo nihil potest videre. Ergo similiter et e contrario fieri potest, ut quis, nullis presentibus, eleemosynam faciat, et tamen, presentibus hominibus, videatur fecisse; utputa qui propter homines eleemosynam facit: id est, qui desiderat ut ab hominibus videatur, semper in corde suo personas hominum videt: ideo etsi venerit ut faciente eo nullus sit præsens, tamen coram hominibus fecisse videtur, quia cor ejus semper hominum personas videbat. *Alioquin non habebitis mercedem apud Patrem vestrum.* Et mandatum dat, et poenam proponit, ut vanitatem humanam etsi non amor justitiæ tenet, vel timor damni refrenet. Scit enim Dominus vanitatibus subditam esse carnis naturam: quia omnis homo quantum ad carnem delectatur hominibus apparere. Non enim fieri potest, ut caro nata de vanitate non sit vanitatis amatrix: nec Dominus admoneret nos, ut ne coram hominibus faciamus, nisi sciret omnes homines velle coram hominibus facere. Quis mandat alicui, Ne forniceris, nisi quem intelligit esse lascivum? quis mandat alicui, Nolite inebriari, nisi quem ebriosum esse cognoscit? Sic et admonitio Christi de fugienda vanitate demonstratio est vanitatis humanæ. Attamen mandat, quia eisi caro vana vanitatem desiderat, et terrena conditio gloriam suam querit in terra, quia non potest terrestris natura gloriam desiderare cælestem: tamen anima quæ de veritate nata est, potest fugere vanitatem terrenam. Caro animæ subjecta est, non anima carni. Caro enim adversus animam certare potest, vincere non potest, nisi ipsa anima consenserit ut vincatur. Anima autem adversus carnem et certat, et vincit. Ergo et qui plena quidem voluntate propter homines facit, ille propter homines fecisse videtur: super cujus autem cor cogitatio quidem vana ascendit, desiderans hominibus apparere, anima autem intelligens vanis cogitationibus contradixit, et repulit consilium carnis, ille propter homines non videtur fecisse: quia secundum carnem quidem voluit, secundum animam autem noluit. Et quod cogitavit, passio carnis est: quod elegit, judicium animæ. Nam si propter vanam carnis concupiscentiam dicimus eleemosynam factam esse ingratham, nullum bonum hominis acceptabile potest esse ante Deum, cum nullum bonum libere homo facere potest, sed semper contra malas concupiscentias carnis certando faciamus bonum. Quis autem est homo castus? numquid qui non concupiscit? Absit: sed qui concupiscentiam suam vincit. Quis est mansuetus? numquid qui non irascitur? Absit: sed qui refrenat iracundiam suam. Sic non ille propter Deum videtur facere eleemosynam, qui humanam gloriam non concupiscit, sed qui humanam gloriam animæ contradictione confringit. Alioquin in omni opere bono nec habemus mercedem, nisi malis contrariis urgeamur per carnem. In

omni enim opere bono scandalum diaboli positum est, sicut scriptum est de dæmonibus: *Juxta semitam scandala posuerunt mihi* (Psal. 139. 6): ut ipsum bonum non sit securum, si solum: sed juxta malum positum, semper tentatum sit, et probatum. Sicut enim ubicumque fuerit triticum, necesse est ut inveniantur illic et zizania: sic ubicumque fuerit bonum Dei, illic erit et scandalum inimici. Quid ergo? Ecce proposuisti facere eleemosynam, sed ascendit super cor tuum velle hominibus apparere, numquid debes subtrahere manum tuam, ut ne des locum vanæ cogitationi, dicens apud te: *Melius est nec facere bonum, ne tantum inveniar propter homines facere?* Absit: sed perlice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanæ resistere, perdas opus bonum. Veniat tibi in mentem, quod Dominus ait de tritico et zizaniis: *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne eradicantes zizania, simul eradicetis et triticum* (Matth. 13. 30). Triticum est enim voluntas bona, quam seminat Deus in homine: zizanium autem est cogitatio mala, quam diabolus seminavit per carnem. Cum ergo omni voluntati bonæ adhaereat et desiderium malum, si volueris malam cogitationem tuam ad plenum tollere, simul tollis et opus bonum. Nam et ipse diabolus ex consilio seminavit zizanium suum in tritico Dei, ut atrita zizania ejus suffocent triticum Dei: aut si quis voluerit diaboli zizanium tollere, simul eradicet et triticum Dei. Numquid et continens, aut virgo, mox ut concupierit, jam cecidit? Tantum plena voluntate non concupiscat, ut velit implere concupiscentiam suam: si autem ex necessitate carnis concupivit, et contradixit concupiscentiæ suæ, non peccavit, sed magis gloriosior est effectus, quia vicit tamquam si non fuisset pulsatus. Quid ergo dicit Scriptura? *Sine ut maturescant utraque: id est, Adimple opus tuum, et duc ad perfectum: et sic illa quidem vana cogitatio quasi zizanium exsiccat, id est, solvitur, evacuatur, et perit: bonum autem opus quasi triticum manet.* Nam sic intelliges, si ex voluntate tua fuerit illa vana concupiscentia, aut ex necessitate carnis. Si ex voluntate tua fuit, doles si te facientem eleemosynam tuam nullus aspexit: si autem gaudes postea, quia eleemosyna tua in silentio facta est, scio quia concupiscentia tua non fuit ex animo tuo, sed ex necessitate carnis: et ideo quasi zizanium aruit. Sic et continens concupiscentiam suam probare potest. Si ex animo ejus est quod concupiscit, si etiam postquam transierit concupiscentia, voluntatem habet peccandi: tunc ex voluntate ejus est concupiscentia. Si autem gaudet, quia non prævaluit adversus eum concupiscentia, sed confusa recessit, intelligat, quia zizanium fuit ex necessitate carnis natum, et non fuit animæ ejus voluntas. *Non habebitis mercedem apud Patrem vestrum.* Quid enim a Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, et ab eo recipitur: quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, et a nullo speratur. Quid est enim aliud hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus? Cessaverunt homines loqui, et perdidit fructum suum, quia propter homines fecit, ut ab eis laudaretur. Quæ est autem sapientia, res dare, et verba vacua comparare: aut certe mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in cælis, et fugientes hominum sermones eligere? Melius est enim non facere quam propter homines facere. Qui enim non facit, etsi in cælo non invenit, vel super terram nihil perdit: qui autem propter homines facit, et in terra perdit, et in cælo non invenit. Vel illum aspice, a quo laudem expectas; quid sentit de te? Ideo te laudat, quia propter Deum te facere putat. Si autem intelligeret quia propter eum facis, non te laudaret, sed vituperaret magis. Quid ergo illi placere festinas, qui si te aliquando intellexerit, deridebit? Sic est homo, qui propter homines facit bonum: sicut mer-

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg. *fugitivos hominum.* Utraque lectio quadrat.

lenarius malus, qui intra tempus locationis suae comedit omnes mercedes suas: cum autem tempore completo recesserit, nudus egreditur. Sic ergo vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omnium bonorum suorum accipere desideravit in saeculo<sup>1</sup>. 2. Tu ergo cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae. Vere enim subresponsor est, qui propter homines facit. Aliud enim habet in corde, et aliud monstrat in opere. In facie quidem propter necessitatem hominum facit, et videtur misericors: in corde autem propter vanam gloriam suam agit, et est vanae gloriae mercator. Tuba enim est omnis actus vel sermo, per quem operis jactantia demonstratur. Puta, qui quando videt aliquem praesentem, facit eleemosynam, extra autem non facit: hoc tuba est, quia per hoc ejus jactantia praedicatur. Item qui intercedente aliquo facit eleemosynam, ubi autem non est intercessor, non facit: haec consuetudo mala tuba est. Item qui si viderit honestiorem personam, quae potest referre, dat ei: obscuro autem, et alligato pauperi passionibus nihil dat: et hoc tuba est, etiam si in loco secreto fecerit, eo tamen proposito, ut laudabilis videatur: primum, quia fecit, secundo, quia absconse: ipsa absconso tuba est eleemosynae ejus, et quicquid illud fecerit homo, per quod apparet, aut vult apparere, quia fecit, tuba est: quia per illud ipsa eleemosyna dum fit, elamat de se. Ideo non tantum locus, nec actus secretus servandus est, sed magis voluntas secreta. Nam in omni actu carnali diabolus fraudem facere potest, in sola conscientia non potest fieri dolus: quia hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Numquid non intelligit homo hoc esse: vanum, quod ab hominibus vult videri? Sed cogit amare quod intelligit vanum. Quid miserius quam natura humana? Omne animal potest amare quod sibi intelligit bonum, et odire quod intelligit malum: solus homo, quod intelligit malum, amare cogitur, et odire quod intelligit bonum: quia duas habet in se adversantes naturas. Quod carni placet, animae displicet; et quod animae placet, carni displicet: ut, sicut ait Job, omnis vita nostra tentatio sit. Quod si omnis vita nostra tentatio est, omnis vita nostra et lucrum est. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Jam dudum significavimus haec omnia ad animam dici, non ad carnem, quod hic sermo manifeste declarat. Alioqui quantum ad corpus, quomodo potest fieri ut nesciat sinistra quid dextera faciat, cum ambae manus in adjutorium sibi invicem sint creatae, ut altera alteri administret, nec cito invenitur opus quod una manus sine altera possit implere? Sed secundum quod diximus supra, dextera manus est voluntas animae, semper ad bonum contendens; sinistra autem voluntas carnis, semper Deo contraria. Nesciat ergo carnis voluntas, quod facit voluntas animae. Quando ergo voluntas est nobis faciendi eleemosynas propter Deum, voluntas est animae, et dextera manus nostra. Si subeuntem nobis voluntatem vanam, ut ab hominibus videamur, id est voluntatem carnis, et manum sinistram represserimus, nescit sinistra voluntas quid facit dextera. Si autem subeunt hujusmodi<sup>1</sup> vanae voluntati consenserimus, conjunximus sinistram voluntatem dextrae, et dextram sinistrae: et notum fecimus sinistrae quod dextera operabatur. Aliter certe, sicut apostoli interpretantur in libro Canonum, qui est de episcopis. Dextera est populus Christianus, qui est ad dexteram Christi: sinistra autem omnis populus, qui est ad sinistram. Hoc ergo dicit, ne Christianum facientem eleemosynam, qui est dextera, infidelis aspiciat, qui est sinistra. Christianum autem si Christianum viderit eleemosynas facientem, non est contra Christi praecipuum, quoniam ambo dextera sunt. 4. Sed sit eleemosyna tua in absconso. Non tantum in abscondito loco, quantum in abscondito conscientiae. Nam si anima citra claustra bonae voluntatis inclusa sit, corpo-

rales actus nostros abscondere possumus: si autem anima per varias cogitationes fuerit evagata, nihil prodest actus corporales abscondere: quia sic abscondimus, ut amplius publicemus. Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto. Vide quia absconsum cordis, non loci significat. Deus enim in absconso cordis est, non in absconso loco. Considera quia non ideo voluit Deus nos in absconso facere, ut non apparat opus nostrum. Alioqui quomodo dicit: Sic luceat lumen vestrum, ut videant homines opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui in caelis est (Math. 5. 16)? Sed ut ipse id ostendat. Nam gratius est omne bonum, quod a nobis absconditur, a Deo autem ostenditur. Nam si tu teipsum ostendas, pauci sunt qui te laudent: id est, qui non intelligant, quod tu latere potueris: qui autem intellexerit, vituperat magis, non laudat. Si autem te Deus ostendat, nemo vituperat, nisi forte malus, cui displicet bonus. Impossibile est enim, ut bonum opus hominis in abscondito dimittat Deus: sed in hoc saeculo manifestat eum, et in illo glorificat, quia gloria Dei est. Sicut autem opus malum hominis ad gloriam diaboli est; in eo enim malitiae ejus virtus ostenditur: sic et opus bonum gloria Dei est; in eo enim gloria ejus ostenditur<sup>1</sup>. Sicut ergo diabolus, qui suggerit malum fieri, ipse manifestat malum: ut puta ipse suggerit adulterium facere, et ipse manifestat adulterium: ipse suggerit homicidium, et ipse publicat homicidium: sic Deus, qui dat bonum fieri, ipse publicat omne bonum in manifesto, id est, in saeculo illo futuro, quia hic merces justitiae manifesta non potest esse: puta pro bono opere tuo, si te fecerit divitem: quoniam hic non solum boni, sed etiam mali divites sunt, magis autem mali quam boni, ideo merces justitiae in divitibus non apparet. Si tibi dederit habere filios, et filios filiorum, qui etiam in bonis et malis indifferenter et boni et mali inveniuntur: et ideo justitiae merces manifesta non potest esse, cum omne homini, quod est in hoc saeculo desiderabile, inter bonos et malos commune est: ideo si bonis datum fuerit, non apparet. Illius autem saeculi bona non sunt communia inter bonos et malos, sed tantum bonorum. Ideo cuicumque illic benefecerit Deus, manifestum est quia pro mercede justitiae suae meruit illud bonum: nisi forte sic in hoc mundo reddit in manifesto, faciens eum omnibus manifestum, et glorificans eum, ut omnes, cognoscentes eum Dei hominem esse, venerentur eum. Aut si secundum opera aestimetur, et status bonorum mundi istius: ut puta, multi incurrunt mala, et boni et mali, in saeculo isto: unde intelligimus quis tentatur in eis quasi bonus, et quis punitur quasi malus, secundum opera. Si cujus enim opera videamus bona, scimus quia tentatur quasi justus: cujus autem mala, dicimus quia punitur in eis, quasi peccator. Sic et bona mundi videmus et peccatores habere, et interdum justos: propterea secundum opera est manifestum. Quoniam malus quidem, si bona in hoc mundo fuerit consequutus, dicimus quia nutritur hic inde iniquitas ejus, ut illic intereat gravius. Si autem bonus, dicimus quia reddidit et Deo mercedem justitiae suae. 5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant stare in synagoga. De oratione sermo est nobis, quam solam quasi spirituale talentum anima offert Deo de visceribus suis. Omnem enim justitiam, quam facit homo, secundum potentiam suam facit, et de potentia sua profert: solam autem orationem secundum fidem suam facit, et ex fide sua profert. Vis autem scire quam pretiosa sit oratio? Nulla justitia thymiama assimilatur, nisi oratio sola: sicut in revelatione Joannis ostenditur, quomodo magnus angelus ante conspectum altaris processit, habens in manu thuribulum incensi odoramentorum, et dictum est ei: Istae sunt orationes sanctorum (Apoc. 8. 5. et 5. 8). Sicut enim thymiama bene conlectum delectat hominem odorantem: sic oratio justis suavis est ante Deum. Vis

<sup>1</sup> In margine conjectum est, hujus mundi.

<sup>1</sup> Idem in marg. gratia ejus ostenditur.

autem scire dignitatem ejus? Mox ut de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis, et offerunt ante Deum, sicut dicit archangelus ad Tobiam: *Ego sum, qui orationem tuam obtuli ante Deum* (Tob. 12. 12). Vis scire virtutem ipsius? Oratio trium puerorum fecit, ut ignis ardens non adureret eos, sed delectaret: ut flamma quidem videretur in specie, umbraculum autem esset in opere suo. Quanto ergo gloriosa est, tanto caute servanda est, ne propter homines facta vilescat. *Qui amant in synagogis orare.* Putas quia in synagoga vetat orare, in conventu hominum? Sed eo proposito in conventu hominum vetat orare, ut videatur a conventu: alioquin in conventu fidelium orare laudabile est, sicut dictum est: *In ecclesiis benedicite Dominum.* Et iterum: *Adorate Dominum in regni sancta ejus* (Psal. 67. 27 et 28. 2). Puto autem et hoc ad locum non refert Dominus, sed ad propositum orantis: quoniam qui sic orat, ut videatur ab hominibus, mens illius non Deum aspicit, sed homines, qui sunt ibi, et videtur sibi in medio multorum orare. Ille talis quantum ad propositum suum in synagoga orat. Ejus autem orantis mens solum aspicit Deum, si in illa hora est mens ejus, quasi nullum habeat circa se, quia mens illius nullum videt, qui propter neminem orat. Et ideo quauvis in synagoga orat, tamen in secreto apud se videtur orare. Deinde ut orans nihil novum faciat, quod aspiciant homines: nec quis voce clamet, ut audiat ab aliis, nec expandat manus suas, ut Phariseus in templo, ut videatur a multis: neque pectus suum aperte percutiat, sed absconse sicut publicanus in templo, neque impudenter oculos tollat ad cælum, ut notabilis fiat: et ita quem nemo audit clamantem, nemo aspicit tale aliquid facientem, et inter multos stans, in secreto est. *Et in angulis platearum:* Non dixit, In plateis: sed, *In angulis platearum:* ut ne si in plateis oraverint, quasi simulatores religionis vituperarentur, sed in angulis, ut videantur absconse orare. Astuta vanitas! Sciunt enim quia hoc ipsum absconse orare laudabilis est: ideo fingunt se abscondere ut dupliciter laudentur. Primum, quia orant; secundo, quia absconse orant: et amplius se manifestant per hoc ipsum quod se abscondunt. Dic, hypocrita, ut quid vis ut videaris orans? Nonne quia laudabilis res est orare? Ut quid ergo non vis esse laudabilis, qui vis ut lauderis? O insana vanitatis! esse nolunt, quod desiderant apparere. *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Unusquisque ubi seminat, ibi metet: et quod seminat, hoc et metet. Propter homines orant, non propter Deum: sic et ab hominibus, non a Deo laudantur. Mendaciter orant, cum non orent: et mendaciter laudantur, cum non sint laudabiles: speciem vacuum religionis vendunt, et verbum vacuum laudis emunt. Sicut oratio eorum Deum non delectat, sic nec laus hominum eos adornat. Quod enim in verbo positum est, laudiu est, quando dicitur verbum: cum autem finitum fuerit verbum, finitur et bonum, quod positum erat in verbo. 6. *Tu autem cum oras.* Tu qui vis, ut exaudiaris, non ut videaris: qui esse vis laudabilis, non apparere: qui in auribus Dei, non in oculis hominum loqueris. *Intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum.* Ut nemo sit ibi, nisi tu, qui oras, et ille, quem oras: et ne quis tecum sit alter, præter eum, quem necessarium habes. Testis enim orantem gravat, non adjuvat: quia Deus orationibus non existigit, sed placatur. Alterum dico alterius cordis. Qui autem ejusdem sunt cordis, etsi multi fuerint oratores, unum sunt, quia unus spiritus orat in omnibus, sicut dictum est: *Omnium autem credentium erat cor unum, et anima una* (Act. 4. 52). Melius hæc enim spiritualiter intelliguntur ad animam dicta. Cubiculum enim est cor vel intellectus interior, id est, spiritualis: sicut scriptum est: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (Psal. 4. 5). Ostium autem est sensus carnalis exterior, per quem omnia bona vel mala super animam intrant. Sicut in

Canticis ex persona Ecclesie Sapia dicit: *Ecce dilectus meus<sup>1</sup> pulsat ostium.* *Aperi mihi, soror mea, proxima mea* (Cant. 5. 2). Pulsat autem Christus hominem Christianum aut per Scripturas divinas, aut bonas cogitationes super cor ejus inducens: et ille qui suscipit eas, aperit Christo: qui autem expellit, claudit. Jubet ergo ut anima interiori ingrediatur intellectum, quando orat; ut nihil cogitet, nisi de quo orat, et quem orat; ut claudit ostium sensus sui carnalis, ut omnes cogitationes carnales et sollicitudines foras excludat. Si autem orans de carnalibus rebus cogitaveris, non introisti in interiori intellectu, nec clausisti ostium sensus: et ideo tacite cum cogitationibus superfluis anima loquens, orationis perdit tempus<sup>2</sup>. Secundum hoc et illud superius intelligi potest. In media enim synagoga orat, qui in medio multitudinis malarum cogitationum orat, undique mundialibus sollicitudinibus circumdatus. Quando enim orans cogitat de uxore, de filiis, de mancipiis, de domo, de possessionibus, de pecoribus, de militia, de lucro, de capsis, et aliis quæ sunt innumerabilia, quæ super cor incaute orantis ascendunt: non e tibi videtur hæc synagoga malorum? Omnes enim istæ variæ species cogitationum diversi sunt immundi spiritus. Quomodo ergo non in media synagoga orat anima tua, quando tot secum immundi spiritus habuerit spectatores et colloquentes? Possumus intelligere et ostium domus os corporis, ut non clamosa voce oremus Deum, sed desiderio tacito. Nam ex clamosa oratione multa mala nascuntur, maxime hæc tria. Primum, qui clamose orat, non credit Deum ubique esse, et absconsa audire. Ideo dupliciter Deum honorat, qui absconse orat: primum, quia orat: secundo, quia credit eum absconsa audire, sicut et audit. Nam Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientia recta placandus: quia non est vocis auditor, sed cordis. Secundum autem malum, quod mysteria secretarum petitionum tuarum, quas forte non oportebat alterum scire præter te et Deum, in auribus bonorum hominum et malorum audienda committis, et non solum non audiris a Deo, quia indisciplinate orasti, sed adhuc ab hominibus derideris, quibus absconsa tua manifestasti. Tertium vero malum, quia clamose orans, juxta te alterum non permittis orare. Vocibus enim tuis rapis sensum illius ad tuos sermones, et ideo non solum non exaudiris, quia male oras: sed adhuc peccatum colligis, dum orare alios non permittis. Sic ergo ora, sicut audisti in libro Regnorum Annam orantem, quæ figuram portabat Ecclesie, de qua dictum est: *Labia quidem ejus morchantur, vox autem ejus non audiebatur.* (1. Reg. 1. 15.) *Et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi palam.* Ut tunc cognoscant homines quod orasti (a), cum viderint te accepisse quod orasti. 7. *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.* Quos orant gentiles videamus, ut sciamus quare sic orant. Orant demones, qui etsi audiunt, exaudire non possunt. Nam neque mala præstare possunt, nisi permiserit Deus. Orant reges mortuos, Jovem, Mercurium, ceterosque, quorum crimina sunt manifestiora quam nomina, qui nec cum viverent, poterant adjuvare. Orant idola insensata, quæ nec audire possunt, nec dare responsum. Juste ergo diu clamant ubi qui exaudiat non est. Propterea cum sacerdotes Baal deos suos clamarent propter sacrificia comburenda, deridens eos Helias dicebat: *Clamate, clamate fortiter; forsitan dormiunt dii vestri* (5. Reg. 18. 27). Sic et modo quasi dormientem Deum accusat, qui orationem suam longo sermone prosequitur. 8. *Sci enim Pater vester quid vobis necessarium sit antequam*

<sup>1</sup> V. D., *Ecce frater meus.* Editi in marg., *Ecce frater meus,* quæ fortassis est vera lectio, efformata ex voce ἀδελφίδου.

<sup>2</sup> In margine conjectum est, *fructus.* Hoc melius quadraret.

(a) Sic V. D. et Editi in marg., quæ lectio seriei accommodatior videtur illa, quam Editi in textu præferunt, *quem orasti.*

etatis eum. Si ergo præcognoscit quid volumus, non deo oramus ut exponamus Deo quod volumus, sed ut placeat ei præstare quod desideramus. Et si Deus placandus est, non docendus: non est ei necessaria longa narratio, sed bona voluntas. 9. Sic ergo orabitis vos.

*Homilia xiv. ex capite vj.*

9. *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum*, etc. Patrem se magis, quam Dominum vult dici, ut nobis magnam fiduciam daret ad petendum, et spem largam ad impetrandum: quia servi non semper impetrant quod petunt; nec enim semper ex bona conscientia quæ justa sunt petunt. Nam frequenter servi non considerant quid ad utilitatem domini pertinet, sed ad suam; ideo non merentur semper audiri. Filii autem semper impetrant, quia ex bona conscientia quæ justa sunt petunt: nec considerant magis quid ad utilitatem suam pertinet, quam ad patris; ideo semper merentur audiri. Et tu si filium Dei te credis, illa pete quæ et tibi expediunt accipere, et illum decet præstare: si autem semper ab eo petas carnalia et terrena, aut difficile impetras, aut forte nec impetras. Quomodo tibi illa præstat libenter non habenti, quæ etsi habeas, ubique admonet te ut contemnas? *Pater noster. Noster*, dixit, non, Meus: libenter audit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed pro altero orat. Pro se enim orare naturæ est, pro altero autem gratiæ: pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem caritas fraternitatis hortatur. Dulcius est autem ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat. *Qui es in caelis*. Vult ut sciamus nos Patrem habere caelestem, ut erubescamus nos terrenis rebus substernere, scientes nos Patrem caelestem habere. Sicut enim degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris, sic et Christianus injustus ad blasphemiam pertinet Dei justii. Nam sicut per bonos Christianos Deus glorificatur, sic per malos blasphematur. *Sanctificetur nomen tuum*. Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat homines? aut quod sanctum est, ut quid sanctificatur? Sed in se quidem sanctum est; hoc autem quæritur, ut sanctificetur in nobis: id est, ut nos illum sanctificemus in nobis, ut cum nos illum sanctificaverimus in nobis, tunc ille nos sanctificet in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur a Deo. Sanctificamus autem Deum in nobis, quando scientes eum sanctum, timemus, et solliciti vigilamus, ne forte violentiam sanctitatem<sup>1</sup> nominis ejus in nobis per opera nostra mala. Sicut qui præclara veste vestitus est, fugit omnem rem sordidam, ne forte coinquinet eam, et perdat gratiam candoris ejus: sic qui suscipit Deum in corde suo et spiritu suo, sollicitus esse debet, ne forte contamineat eum, sciens quia si contaminatus fuerit in nobis, ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet: tamen contaminationis suæ injuriam graviter nostro vindicabit interituro.

*Regnum Dei quid.* — *Adveniat regnum tuum*. Regnum Dei dicitur retributio vel tribulatio, quam accipiunt aut justii pro mercede justitiæ, aut peccatores pro culpa peccati. Regnum Dei dicuntur et sanctii, sicut scriptum est: *Et colligent zizania de regno ejus* (Matth. 13. 41), hoc est, de populo Christiano. Regnum Dei dicitur et justitia, sicut dicitur: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (Matth. 21. 43). De omnibus unus est intellectus. Aliud est regem esse, et aliud regnare. Ecce enim Deus naturaliter rex est, sed non in omnibus regnat: nec omnes homines sunt regium ejus, quia nec faciunt omnes voluntatem ipsius. Nam in iniquis hominibus non Deus, sed diabolus regnat, ejus faciunt voluntatem. Unde sapienter ait Apostolus, dicens: *Adversus rectores hujus mundi tenebrarum harum* (Ephes. 6. 12). Non dixit, *Adversus rectores hujus mundi*, tantummodo: sed addidit, *Mundi tenebrarum*, quia non

totius mundi sunt domini dæmones, sed tantummodo tenebrarum, quæ sunt in mundo. Tenebræ autem mundi dicuntur homines iniqui: sicut et sanctii mundi lux appellantur. Sicut ait Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (Ephes. 5. 8). Quia sicut per sanctos Deus ostenditur in hoc mundo, sic per iniquos homines obscuratur. Et potestatem quidem habet Deus in hominibus<sup>1</sup> et perdere omnes si vult, sicut et ipsum principem peccatorum diabolus. Nam sicut diabolus, cum sit in potestate Dei, tamen quoniam quantum ad propositum suum non vult esse Dei, non est de regno Dei: sic et omnes peccatores quamvis sint in potestate Dei, tamen quia nolunt esse sub Deo, non sunt regnum Dei. Nam vere justum regnum est, quando et rex vult homines habere sub se, et cupiunt homines esse sub eo. Quando autem rex per violentiam cogit esse sub se, illud quantum ad veritatem non est regnum, sed tyrannis. Ideo et Deus, quamvis habeat homines in potestate, tamen volentes recipit tantum, ut non sit tyrannus, sed rex. Diabolus plane tyrannus est, quia et nolentes compellit facere voluntatem suam. Quid est ergo quod dicit? Quia interim duo sunt regna in mundo, Dei et diaboli, id est, justii et iniqui: et hoc quæritur, ut tollatur de medio regnum diaboli, id est, iniqui: et veniat tantummodo regnum Dei, id est, justii: et ideo dicit, *Tuum unum regnum adveniat*, quia interim non omnes sunt Dei<sup>2</sup>. Quod tunc fiet, quando omnes iniqui cum principe suo diabolo mittentur in stagnum flammæ inferorum. Omnes autem sanctii resurgent, et euntes in obviam Domino venient in aere, et semper in hoc mundo erunt cum ipso, ut omne quod est in hoc mundo, totum sit Dei. Sic intelligendum est et de justitia, quoniam modo et justitia et iniquitas regnant: cum autem extincta fuerit iniquitas, sublato diabolo, tunc justitia sola regnabit. *Fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra*. Numquid non facit Deus quod vult ubique? Dictum est enim, quia, inquit, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra, in mari, et in omnibus abyssiis* (Psal. 134. 6). Sed hoc quæritur, ut in nobis fiat voluntas Dei, id est, ut eam nos faciamus. Quamdiu ergo regnum mixtum est in terra, sit quidem voluntas Dei in hominibus, sed non sicut in caelo. In caelo enim omnes angeli nullius faciunt voluntatem, nisi Dei tantummodo: in terris autem non omnes faciunt Dei voluntatem: iniqui enim diaboli faciunt voluntatem. Cum ergo regnum diaboli, hoc est, iniqui sublati fuerint de hoc mundo, tunc omnes, qui sunt super terram, solius Dei faciunt voluntatem, sicut angeli omnes in caelo. Communiter autem accipi debet quod ait, *Sicut in caelo, et in terra*: id est, *Sanctificetur nomen tuum*, sicut in caelo, et in terra. *Adveniat regnum tuum*, sicut in caelo, et in terra, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra*. Et vide quam caute loquutus est. Non dixit, *Pater, sanctifica nomen tuum in nobis, adduc regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis*: ne seipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut regnum suum super quos vult adducere, aut voluntatem suam in quibus vult facere, et per hoc inveniat Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit, *Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatem tuam*, sicut in caelo, et in terra: ne hominum tantummodo videatur esse quod sanctificant Deum, aut quod suscipiunt regnum ejus, aut quod faciunt voluntatem ipsius: sed medie dixit, et impersonaliter: id est, *Sanctificetur, adveniat, fiat*: ut utriusque personæ opus necessarium demonstraret, quia et homo Deum necessarium habet, et Deus hominem ad justitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adjutorium Dei: sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec

<sup>1</sup> Apud Commelin. et Morel. legitur, *in honoribus*.

<sup>2</sup> Item in marg., *non sunt omnes justii*.

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *jugulemus sanctitatem*.



terra sine semine, nec semen sine terra fructificat : sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine iustitiam operatur in homine. Ac si dicat, Si hæc agitis, hæc oratis, digni filii estis huiusmodi patris. 11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In prima quidem facie sic videntur verba sonare, ut qui dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, non habeant in crastinum, aut in procrastinum præparatum, ut possint dicere, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qui autem in crastinum paratum habet, aut in quinque, aut in decem dies, quomodo potest dicere, *Panem meum quotidianum da mihi hodie?* Illud enim petitur, quod interim non habetur : quod autem possidetur, ut quid adhuc requiritur? Quod si est, oratio ista aut paucis potest convenire, aut forsitan nulli. Quis enim illa fidelis, ut cum possit amplius habere, tamen amplius sibi non reservat, nisi quotidianum victum? Forsitan solis conveniebat apostolis, qui docendi gratia per singulas civitates omni tempore vagabantur, et ipsa vagatio amplius quotidiano victu possidere non poterat. Sed ita debemus aptare Christi doctrinam, ut omnes in ea proficiant, ne forte communis medicina iustitiæ, quæ ad salutem omnium est præparata, dum aut paucis, aut nulli prodest, inveniatur esse superflua. Ita ergo intelligendum est, quia non solum ideo oramus, *Panem nostrum da nobis*, ut habeamus quod manducemus, sed ut quod manducamus de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum commune est inter justos et peccatores, frequenter autem et abundantius peccatores habent quam iusti. De manu autem Dei accipere panem non est commune, sed tantum sanctorum<sup>1</sup>. Præparare ergo non velant hæc verba, tamen cum peccato præparare velant. Nam qui cum iustitia præparat, illi Deus dat panem quem manducat : qui autem cum peccato, illi non dat Deus, sed diabolus. Nam omnia quidem a Deo creantur, non tamen a Deo omnia subministrantur. Vel intelligendum est ita, ut dum a Deo datur, sanctificatus accipiatur : et ideo non dixit, *Panem quotidianum da nobis hodie* : sed addidit, *Nostrum*, id est, quem habemus jam præparatum apud nos : illum da nobis ut dum a te datur, sanctificetur. Ut puta si laicus offerat sacerdoti panem, ut sacerdos accipiens sanctificet, et porrigat ei : quod enim panis est, offerentis est : quod autem sanctificatus est, beneficium est sacerdotis. Numquid non suffecerat sic dicere, *Panem nostrum da nobis hodie?* Ut quid ergo addidit, *Quotidianum?* Ut luxuriosos cibos compescat. Ut tantum quis manducet quantum ratio naturalis exigit, non quantum lascivia carnis impellit. Si enim tu in uno convivio tantum expendas quantum in pluribus sufficere poterat, verbi gratia, hominibus centum moderate viventibus, aut tibi ipsi centum diebus discipline viventibus, jam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum. Aut certe sicut supra dixit de eleemosynis, aut de oratione, ut non coram hominibus faciamus : non quia hoc possibile erat omnino, sed ut doceat nos omnino speculationem hominum fugere velle, ut si possibile est, nec videatur : quod possibile non est : sic et hic docere nos volens, ut de nullo simus in hoc mundo solliciti, nisi de solo simplici victu, sic mandavit orare, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : non quia illicitum iudicavit plus habere hominem Christianum, quam panem quotidianum : sed hoc docere voluit, ut si possibile est, neque pane quotidiano plus habeat : quod possibile non est, quantum ad possibilitatem humanam. Item quare non solum dixit, *Panem quotidianum da nobis*, sed addidit, *Nostrum panem?* Propter duas rationes. Primum, quoniam omnia qui dat nobis Deus, sive orantibus, sive militantibus, non nobis solis dæ, sed etiam aliis per nos, ut de eo, quod accepimus a Deo, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non po-

test dicere, *Panem meum da mihi* : nec enim panem suum tantummodo manducat, sed etiam alienum. Deinde qui de iustitia acquisitum panem manducat, suum panem manducat : qui autem cum peccato, alienum. 12. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Cum qua spe orat qui inimicitiam servat adversus alterum, a quo forsitan læsus est? Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim, *Remitto*, et non remittit : sic a Deo petit indulgentiam, et non illi indulgetur. Si ergo qui læsus est, sine spe orat<sup>1</sup> Deum, nisi indulserit ei, a quo læsus est : quomodo, putas, orat qui non solum ab altero læsus non est, sed ipse per iniustitiam alios lædit et gravat? Sed multi nolentes dare veniam peccantibus in se, fugiunt istam orationem orare. Stulti : primum, quoniam qui non sic orat quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus. Secundo, quia nec Pater libenter exaudit orationem, quam Filius non dictavit. Cognoscit enim Pater Filii sui sensus et verba, nec suscipit quæ usurpatio humana excogitavit, sed quæ sapientia Christi exposuit. Ergo orationem quidem dicere potes : circumvenire autem et fallere Deum non potes, nec accipis indulgentiam, nisi prius indulseris ipse. 13. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Quoniam multa et magnifica supra mandavit hominibus, ut Deum Patrem suum dicant, ut genus suum de celo cognoscant, ut regnum Dei petant venire, ut non sint solliciti unde pascantur, quæ omnia magnæ spei et iustitiæ signa sunt : ideo nunc additur humilitatis doctrina, ut dum dicunt, *Ne nos inducas in tentationem*, cognoscant se esse infirmos, et consideratio infirmitatis causam gloriationis exstinguat. Duo ergo petimus, primum, ut non inducat nos in tentationem : secundo, ut si induxerit, liberet de periculo tentationis. Nam vere, si secundum veritatem iustitiæ suæ examinaret homines Deus, nullus posset fieri salvus. Ideo autem difficile tentat, sciens infirmitatem nostram. Aut si tentat, non tamdiu tentat, quamdiu nos vincamus tentationem, sed quamdiu vincere nos velle ostendimus : id est, non virtutem nostram tentat, sed voluntatem : Apostolo nos confirmante, et dicente : *Tentatio vos non apprehendat ; nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere* (1. Cor. 10. 13), etc. Volens enim glorificare hominem, tentat eum, non ut cum magno iudicio glorificet, sed ut ne sine causa glorificet. *Quoniam tuum est regnum, et virtus, et gloria.* Tria autem hæc ad tria quæ superius dixit pertinentia introduxit. Quoniam dixerat supra, *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum*, ac si dicat aliquis, Ergo non habet Deus regnum in terra, quia oratis ut veniat? id respondet ad illud, *Quoniam tuum est regnum.* Item quoniam dixerat, *Fiat voluntas tua, sicut in celo et in terra* : ac si dicat aliquis, Ergo non potest Deus facere quod vult in terris, quia oratis ut fiat voluntas ejus? ad hoc respondet, *Quia tua virtus est* : tamquam si dicant, Non ideo optamus regnum tuum in nobis, aut fieri voluntatem tuam in terris : quia non est regnum tuum in terris : quia non est regnum tuum in mundo, nec potes facere quod vis in terris ; sed quoniam regnum tuum vita æterna est, et voluntas tua iustitia est. Propterea nec redigis aliqueum sub regno tuo nisi ipse voluerit : nec operaris in aliquo voluntates tuas, nisi ipse consenserit. Propterea oramus, ut illuminati a te, velimus suscipere regnum tuum in nobis, et optemus facere voluntatem tuam. Item quoniam dixerat, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie : et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo* : ad illa respondet, *Quia tua est gloria.* Vere enim, quia, si nihil deest timentibus Deum, Dei gloria est : si illis dimittentibus debitoribus suis, Deus dimittat eis peccata eorum, Dei gloria

<sup>1</sup> Idem in marg., sed tantum iustorum.

<sup>1</sup> Idem in marg., sine causa orat.



est : si autem non dimittentibus eis dimittat, non est gloria Dei, quia nec est justum iudicium eius. Si non inducat in tentationem, aut inductos si propter justam aliquam causam liberet, gloria Dei est. Et generaliter quicquid supra orare precepit, cum fuerit a Deo praeistitum, Dei gloria est. 15. *Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis.* Nam et superius cum dixisset, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* : non dixit, Sicut et nos dimittemus, ut prius nobis Deus dimittat, postea nos debitoribus nostris. Scit enim Dominus omnes homines esse mendaces : quoniam etsi acceperint remissionem peccati sui, ipsi debitoribus suis non dimittunt. Ideo sic dicit, *Dimitte vobis, sicut nos dimittimus* : ut prius dimittamus, postea petamus dimissionem, et a Deo remissionem peccatorum accipiamus.

*Homilia xv. ex capite rj.*

*Tria prima mala, gula, avaritia, vana gloria. Tria prima bona, eleemosyna, oratio, jejunium. — 16. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Omnium malorum prima et fortiora sunt tria mala : id est, gula, avaritia, et vana gloria. Adversus quae Dominus tentationis suscipiens bellum, pugnavit pro nobis. Contra gulam in eremo, contra avaritiam super montem, contra vanam gloriam super templum. Item omnium bonorum prima et fortiora sunt tria bona, eleemosyna, oratio, et jejunium. Et vide quomodo adversus tria mala inventa sunt tria bona, id est, eleemosyna contra avaritiam, jejunium contra gulam, oratio contra vanam gloriam. Dic nobis, Ecce jejunium contra gulam venit, quia contrarium est jejunium gulae : et eleemosyna contra avaritiam convenit, quia avaritia congregat, eleemosyna autem dispergit : oratio quomodo convenit contra gloriam vanam? Audi. Omnia mala, quae sunt in mundo, habent contraria bona, per quae superentur : utputa, fornicatio castitatem, superbia humilitatem, iracundia mansuetudinem. Et nullum est malum, quod non habeat contrarium bonum, per quod superetur, dempta vana gloria. Ideo quantavis bona feceris, volens comescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam : et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit : ideo non exstinguitur per bonum, sed magis nutritur. Denique inter homines peccatores tentatio vanae gloriae non habet locum. Fornicarius enim, aut raptor, quomodo tentetur in vana gloria, qui non habet unde glorietur? Illi autem tentationem vanae gloriae patiuntur, qui tale aliquid faciunt, unde gloriuntur. Ergo nullum remedium potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio sola : et haec ipsa vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si forte bene oraveris. Altera de eleemosyna, et jejunio, et oratione divisio in lege scripta est : *Non intres ante conspectum Dei tui vacuus (Exod. 23. 15).* Vacuus autem intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemosynam facit. Non solum in Veteri Testamento, sed etiam in Novo praecipitur, ut per singulas septimanas unusquisque Christianus aliquid in gazophylacium mittat, ad orationem venturus, sicut ait Apostolus : *Unusquisque vestrum per singula sabbata quod illi placuerit apud se reponat, ut non, cum venero, tunc collectae fiant (1. Cor. 16. 2).* Item dicit Salomon : *Ante orationem prepara animam tuam (Eccli. 18. 23).* Ille preparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernae, ita et bona opera excitant fidem cordis, et dant confidentiam animae apud Deum orandi. Ergo eleemosyna preparatio est orationis. Item jejunium est adiutorium orationis, quia oratio sine jejunio gracilis est, et infirma. Nam oratio illa est fortis, quae fit in spiritu humiliter et corde tribulato, sicut et Propheta dicit : *Sacrificium Deo spi-*

*ritus contribulatus, cor contritum et humilatum Deus non despiciit (Psal. 50. 19).* Spiritum autem humilem et cor contribulatum habere non potest, qui manducatur et bibit, et delicias fruitur : quia panis cor confirmat, vinum autem iustificat (*Psal. 105. 15*). Spiritum autem carnis humilem esse non permittit virtus, quae fit ex pane, et cor contribulatum esse non permittit jucunditas, quae venit ex vino. Ideo quaecumque sancti pro aliqua necessitate voluerunt exorare Deum, jejunium cum oratione junxerunt : sicut Daniel, et ceteri. Unde quia virtus orationis jejunium est, nunquam separantur ab invicem, sed ubique simul ponuntur. Oratio et jejunium de morte liberant. Item : *Hoc genus non ejicitur, nisi in jejunio et oratione (Matth. 17. 20).* Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite : sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. Sed ex his tribus bonis prima est oratio, quia eleemosyna quidem de rebus exit, jejunium autem de corpore : oratio vero nec de rebus nec de corpore, sed de animo procedit et de corde : ideo quasi prima dignitas et de duobus, media ponitur inter duas. Prima eleemosyna, secunda oratio, tertia jejunium. Et quare eleemosyna ante orationem praecedit? Quia mediatrix est, et preparatrix viae ante faciem orationis, ut post eleemosynam sequens oratio preparatum locum misericordiae inveniat apud Deum. Ideo autem jejunium sequitur orationem, quia non oratio jejunium est adiutorium, sed jejunium orationis. Et non oratio fit propter jejunium, sed jejunium propter orationem : ideo jejunium non ante orationem praecedit, sed oratio ante jejunium. Tertia divisio. Item eleemosynam facere, aut orationem, aut jejunare, non est omnium hominum, sed tantum justorum. Qui autem peccat, et eleemosynam facit, perdit quod facit. Pro cessante enim peccato peccatoris datur eleemosyna, non pro occurrente : id est, quando poenitet nos quod fecerimus, non ut per poenitiam peccandi licentiam comparemus. Item ille orat, qui jam non peccat : qui autem orat et peccat, non rogat Deum, sed deludit Deum. Item ille jejunat, qui non peccat : qui autem peccat et jejunat, non ad gloriam Dei jejunat, nec se humiliat, sed substantiae suae parit. Denique considera in superioribus, ex quo cepit Christus apostolis suis salutaria dare praecepta, non statim in primis mandavit de eleemosyna, aut jejunio, aut oratione : sed prius expellit mala, postea introducit bona. *Scriptum est. Non occides : ego autem dico, Nec trascaris. Scriptum est. Non perjurabis : ego autem dico, Nec jurabis. Scriptum est. Non adulterabis : ego autem dico, Non concupisces. Scriptum est. Oculum pro oculo : ego autem dico, Non omnino resistere malo. Scriptum est. Diffes amicum tuum, et odles inimicum : ego autem dico, Diligite inimicos (Matth. 5. 21. sqq.).* Postquam ergo ab his omnibus malis hominem spoliavit, tunc dicit, *Videte ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus (Matth. 6. 1),* etc., ostendens quoniam nisi homo ab illis omnibus recesserit prius, sine causa facit haec bona. Prius oportet mala dimittere, et sic bona suscipere, quia non potest fieri homo novus, nisi desierit esse vetus. Qui autem mala non dimittit, et bona suscipit, bonorum suorum gratiam perdit : quemadmodum si quis homo in os suum aliquid dulce mittat cum amaro permixtum, dulcedo illa non dat suum saporem. *Nolite fieri tristes, sicut hypocritae.* Sive de eleemosynis dicens, sic dicit, *Ne coram hominibus fiant : sive de oratione sic, Nolite esse sicut hypocritae in angulis platearum orantes : sive de jejunio, hoc ipse dicit. Vides quia sciebat Dominus vanam gloriam ex omni bono procedere. Ideo illam spinam, quae assidue nascitur in terra bona, jubet praecidere, ne spina vanae gloriae effocet jejunium fructum. Numquid potest fieri, ut non sentiat qui jejunat? Sed melius est ut jejunium tuum te ostendat, quam ta jejunium tuum. Sciens autem Dominus, quia non potest fieri, ut sit hilaris qui jejunat : ideo non dixit, Nolite esse tristes : sed, Nolite fieri tristes.*

Aliud enim est esse tristem, et aliud tristis fieri. Qui enim naturaliter propter assiduum jejunium tristis est, ille est tristis, non autem fit: qui autem per imposturas aliquas pallentes apparent, illi non sunt tristes, sed fiunt. Si ergo qui jejunit et tristem se facit, hypocrita est: quanto magis iniquior est, qui non jejunit, sed argumentis quibusdam in facie sua pingit venalem pallorem, quasi jejunii signum? Displicet ei natura sua, quia non potest mentiri quod non facit, et misera facies carnis argumentis quibusdam innocens castigatur, quia fraudibus non consentit. Puto quod omnis sensatus intelligit, quia hæc verba carnaliter non intelliguntur. Nec enim potest fieri, quod qui jejunit non appareat tristis, nec mandat Dominus quod adimplere non possumus. Si enim ideo jubet nos non fieri tristes, ut ne per ipsam tristitiam appareamus hominibus jejunare: quare mandat caput ungere, et faciem lavare? Sic enim ipsa unctio capitis, et lavatio faciei, si a jejunantibus semper servantur, nihilominus sunt signa jejunii. Sed hæc spiritualiter ad animam referuntur, ut ne tristitia spiritualis faciem spiritualem exterminet. Facies autem spiritualis animæ est conscientia ejus, vel cor, sicut ostendit propheta, dicens: *Tibi dixit cor meum, Dominum requiram, et acquisivit te facies mea (Psal. 26. 8)*. Non enim facies carnis Deum quærit, sed conscientia. Item quoniam facies conscientia appellatur ostendit Jacob, cum fuisset luctatus cum homine: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (Gen. 32. 30)*. Vere enim tunc facie ad faciem Deum non vidit, quia in schemate hominis luctatus est contra eum Deus. Nam schema corporale velamentum est Dei, non proprietas Dei. Sed monte vidit Deum. Unde et Israel vocatus est, id est, mens videns Deum. Si autem facies ejus Deum vidisset, utique sic vocandus fuerat, facies Deum videns. Quid ergo? Facies animæ conscientia appellatur. Sicut enim in conspectu hominum gratiosa facta est facies pulchra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. Item aliud est gaudium corporale, aliud spirituale. Gaudium corporale est risus, jocus, et cæteræ delectationes carnales. Gaudium spirituale est spes, sicut ait Apostolus: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes (Rom. 12. 12)*. Videt quia potest fieri ut tristantes carnaliter, spiritualiter gaudeamus in spe? Hoc enim dicit de Spiritu sancto propheta: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (Psal. 45. 5)*. Item est tristitia corporalis, et est tristitia spiritualis. Tristitia corporalis est afflictio carnis: tristitia autem spiritualis, desperatio et infidelitas animæ. Ergo dicens: *Nolite fieri tristes*, hoc dicit, Nolite propter homines jejunare. Qui enim propter homines jejunit, tristem facit conscientiam suam, id est, desperantem. Quomodo enim conscientia ejus hilaris sit, et sperans in Deum jejuni suo, qui non propter Deum, sed propter homines jejunit? Sic et omnes hypocritæ, qui propter homines jejuant, exterminant facies suas, id est, conscientias suas. Quomodo enim exterminatas conscientias non habeant ante Deum, qui fingentes se propter Deum jejuare, non propter Deum jejunant, sed propter homines, volentes fallere et Deum, et homines? Aut ita: *Nolite fieri tristes, sicut hypocritæ*: id est, Nolite sine spe et sine fide jejunare. Sine spe autem jejunit, qui non se abstinere a peccato, nec facit justitiam. Nam sicut bona opera spem generant, id est, gaudium spirituale: sic mala opera desperantem, id est, tristitiam spiritualem. Qui enim peccans jejuat, sine spe jejunit: id est, non habet, unde speret, et gaudeat, sed est animus ejus desperans, et tristis. Jam autem quomodo peccatum et desperatio exterminant faciem conscientia, nullus ignorat. Nam semper vulnerata est conscientia ejus qui peccat. Sic ergo omnes hypocritæ jejuant, non bonis actibus exhilarantes conscientiam suam in spe, sed malis operibus contristantes in desperationem. Hypocrita est ergo omnis, qui peccans jejuat. Quid est ergo, cum gaudio jejunare, nisi prius

spiritualiter jejunare, deinde carnaliter? Nam sicut omne bonum est spirituale, sic est et carnale: et omne malum est spirituale et carnale. Utpote, fornicatio carnis est meretricatio, fornicatio autem spiritualis est prævaricatio. Castitas carnis est necesse mulierem: castitas spiritualis, fidelem esse Deo. Humilitas corporalis assurgere homini, verbum dicere molle: humilitas spiritualis, qui in corde suo alterum existimat meliorem quam se. Superbia corporalis, asper sermo: superbia spiritualis, qui se meliorem putat esse, quam alterum. Sic et jejunium corporale est, et spirituale. Corporale jejunium est abstinere a cibis, spirituale jejunium est abstinere a peccatis. Nam sicut caro delectatur manducando, sic spiritus carnis delectatur peccando. Unde sapientes omne peccatum libidinem vocant, quia omne peccatum cum delectatione committimus. Ideo et circumcidebatur libidinis membrum, ut in mysterio generaliter omnium malorum delectatio tolleretur, quæ mala faciunt animum tristem, id est, desperantem. Qui enim a cibis jejunit, non ab operibus malis, ille apparet jejunare, non autem jejunat: quia quantum ad homines jejunat, quantum ad Deum autem pessime epulatur malis. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Delectatio illa laudis tandem sentitur, quamdiu auditur: mox autem ut aures transierit, transit et delectatio laudis. *17. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava*. Tu qui misericors es, qui magis jejunas corde quam corpore, qui magis abstinere a peccato quam a cibo: et ideo non hominibus, sed Deo jejunas. Qui enim peccantes jejuant, hominibus jejuant, non Deo, et ideo hypocritæ sunt: qui autem vere Deo jejuant, non tantum a cibis se abstinere, quantum ab omni actu iniquo: quoniam sicut cibus carnem delectat, sic omne malum delectat spiritum carnis. Quid ergo? Quando jejunamus, si infundamus oleum capiti nostro, vere vanum est: etsi lavemus facies nostras aqua. Et quis facie non lavata procedit? Magis enim, si hoc facimus, quasi per signa hæc lavationis et unctionis publicamus nos jejunare. Quid ergo? Simplex interpretatio hujus loci hæc est, quoniam per aggregationem intelligenda sunt ista, sicut et cætera ante dicta, tamquam si dicat: Sic longe te facere debes ab ostentatione jejunii tui, ut si potest fieri, quod non decet, etiam ea facias, quæ ex diverso luxuria et epulationis videntur esse indicia. Spiritualiter autem sic, sicut ex superioribus patet, quia facies animæ conscientia intelligitur: Projice ergo abs te avaritiæ sordes, perjurii stercorea, malitiæque putredinem: et lavasti faciem, id est, conscientiam tuam aqua prophetica, de qua dicit Isaias: *Lavavimus, et mundi estote, auferite nequitiam ab animabus vestris (Isai. 1. 16)*. Si enim abstuleris nequitiam ab anima tua, lavasti conscientiam tuam, et bene jejunas. Item caput tuum Christus est. Sitientem pota, esurientem ciba, argentem vesti, et sic pretiosissimam myrrhæ, id est, oleo misericordiæ unxisti caput tuum, id est, Christum, qui clamat in Evangelio, dicens, quia *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis*. Quoniam autem omnis justitia in his duobus consistit: primum ut ne facias malum; secundum, ut facias bonum: ad id, quod pertinet ad fugienda peccata, dixit, *Lava faciem tuam*: ad illud autem, quod pertinet ad facienda bona opera, *Unge caput tuum*, et es amabilis sicut Maria, quæ postquam conscientiam suam lacrymis poenitentia lavit, postea infudit oleum super caput Christi, et impleta est domus odore: ita et tuorum operum fama, si fueris talis, totam implebit Ecclesiam. Et quam proprie dixit, faciem quidem lavare: caput autem non lavare, sed ungere. Quamdiu enim sumus in corpore, conscientia nostra semper sordida est in peccatis. Caput autem nostrum Christus lavationem non habet, sed solam unctionem: quia *Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (Isai. 53. 9)*. *19. Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram*. Præsens capitulum ad præcedens non habet consequentiam ratio-

nem, quia illud de jejuniis dictum est, hoc autem de elemosynis. Quid ergo est? Si memores sumus, nihil de elemosyna, vel de oratione, vel de jejuniis Dominus docuit supra: sed simulationem eorum compevit tantum, ut nec coram hominibus faciant ea, ut videantur ab eis: non quia possibile est sic ea agere, ut non ea videant homines, sicut diximus supra; sed sollicitum fecit hominem, ut quantum ad se sic festinet agere ea, ut non videatur: ut ipsum bonum opus homini Christiano<sup>1</sup> magis in affectu sit, quam in actu. Et convenienter, quoniam et supra legis quidem mandata magis ad opus respiciebant, quam ad affectum: id est, *Non occides, non adulterabis, etc.*: Christus ad supplementum eorum spiritualiora introduxit mandata, ad affectum magis respicientia, quam ad actum: *Ego autem dico, Ne irascaris, ne concupiscas, etc.* Sic et hic, ut boni simulatione<sup>2</sup> præcisa, opera eorum bona ad cor magis respiciant, quam ad aspectum. Quoniam ergo, sicut exposuimus, nihil docuerat Christus de illis, nunc secundum tres supradictas justitias, elemosynæ, orationis et jejunii, tres consequentias introduxit doctrinæ: unam ad elemosynam, alteram ad orationem, tertiam ad jejuniis. De quibus singulis demonstrabimus in proprio loco. Et ad elemosynam doctrina subsequens hæc est: *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, ut talis ordo sit narrationis: Cum facis elemosynam, noli taba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit elemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto. Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram. Et hic dat consilium, ut elemosyna fiat: in secundo loco ostendit, quæ utilitas est in elemosyna faciendâ: in tertio loco, ut neque timor inopie accidentis impediatur voluntatem elemosynæ faciendæ. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, quia non estis de terra, nec de terra venistis, sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram; sed de cælo estis, et de cælo venistis, et iterum redituri estis in cælum, nisi ultro remanere volueritis in terra. Illic ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes. Vis autem scire, quia peregrinus es in hoc mundo? Audi prophetam dicentem: *Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua (Psal. 118. 19)*. Quæ est ergo insipientia, ut contentus sis super terram? id est, in alienis vis servire diabolo, cum possis in cælis, id est, in propriis, regnare cum Christo? *Ubi tinea et conestura exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur*. Omnia bona mundi triplex interitus tollit. Aut enim a semetipsis veterascunt, et tinea, sicut vestimenta: aut ipsis dominis luxuriose viventibus comeduntur, sicut cæteræ facultates: aut ab extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel quolibet alio iniquo modo diripiuntur. Quia omnes fures dicuntur, qui per iniquitatem festinant aliena facere sua. Sed dices, Nunquid omnes qui hæc habent, perdunt ea? Ventilum vestimentum meum, et non tinea: parcius ago, et facultates meæ non comeduntur: sollicitè ago res meas, et non diripiuntur a furibus. Interim quidem sic dicam, quia si non omnes perdunt, tamen multi perdunt. Quid ergo? melius est super terram reponere, ubi incertus est conservationis eventus, an in cælo, ubi est certa custodia? Hic si non custodieris, perdes: si custodieris, timore et sollicitudine cruciaris. Illic autem, etsi dormis, a Deo servantur: et cum recordatus fueris, spe gratularis. Quæ est autem stultitia illic relinquere, unde exiturus es, et illic non præmittere, quo iturus es? Vere autem male servatas divitias, etsi corporaliter non perdidisti, spiritualiter perdidisti, quia nec proficiunt tibi ad*

usum salutis. Quicquid enim pro anima tua leceris, hoc est tuum: quod autem reliqueris, perdidisti. Nam quod corporaliter male congregatur, spiritualiter dispersum videtur, et perditum: quod autem corporaliter bene dispergitur, spiritualiter illud congregatum et repositum videtur in cælo. Nunc autem ponit quæ sit utilitas in elemosyna faciendâ, dicens: *21. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum*. Qui collocat thesauros in terra, non habet quod speret in cælo. Ut quid enim aspiciat in cælum, ubi nihil repositum habet? Propterea sive lætatur, in carnalibus et terrenis lætatur: sive tristatur, de carnalibus et terrenis tristatur. Qui autem divitias suas reponit in cælo, non habet spem in terra. Ut quid enim delectetur in terra, qui nihil habet in terra? Ideo sive lætatur, in spiritualibus lætatur: sive tristatur, de spiritualibus tristatur. Ergo peccatorum et lætitia mala, et tristitia pejor, quia aut de lucro terreno lætantur, aut de damno tristantur: justorum autem et lætitia bona, et tristitia melior, quoniam aut de justitia lætantur, aut de peccato tristantur. Si enim aliqua causa mortis advenit, si quidem spes illius in terra sit, tristatur, quasi de domo sua ad peregre vadens, ut non dicam ad tormenta<sup>1</sup>: si autem spes ejus in cælo sit, gaudet quasi de peregre ad domum propriam reversurus, ut non dicam<sup>2</sup> ad regnum cælestis. Secundo, qui thesaurizat in terris, dupliciter facit peccatum. Primum, quia male congregat: secundo, quia cor habens in terra, numquam quæ Dei sunt recordatur, sed semper quæ terræ. Et qui thesaurizat in cælo, dupliciter justitiam facit. Primum, quia bene fecerat: secundo, quia spem habens in Deo, semper quæ Dei sunt cogitat et meditat, et non quæ terræ. Et quemadmodum qui semel congregare coeperit in terra, ipsa concupiscentia terrena facit eum magis sollicitum esse, nec solum ne minuat inde, sed ut magis auget: sic et qui thesaurizat in cælo, ipsa concupiscentia spiritualis facit eum sollicitum, non solum ut non periat quod habet, sed adhuc ut auget super id quod habet. *22. Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Prius commemorare debemus, quia non de corporali oculo loquitur sermo, nec de hoc corpore, quod videtur a foris. Alioqui dixisset, Si oculus tuus sanus fuerit, aut infirmus: nunc autem dixit, *Simplex et Nequam*. Non enim omnis qui benignum habet oculus, omnino et corpus ejus lucidum est: nec enim omnis qui malignum oculus habet, corpus ejus in tenebris est. Quid enim, si benignum oculus habet, et infirmum, numquid corpus ejus in lumine est? Aut si malignum et sanum, numquid corpus ejus in tenebris est? Ergo Corporis, non a foris, sed ab intus, id est, corporalis naturæ. Lucerna autem ejus est mens, per quam anima videt Deum. Unde Jacob est appellatus Israel. Israel autem Hebraice interpretatur mens videns Deum. Postquam ergo dixit, *Theaurizate vobis in cælo, quoniam ubi thesaurus tuus fuerit, ibi erit et cor tuum*: convenienter subjunxit, (a) *Lucerna corporis tui oculus tuus est. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: ut ostendat, quia qui elemosynas facit, cor ad Deum habere debent: qui autem cor habet ad Deum, illius oculus lucidus est: id est, illius mens spiritualis et munda est, nec terrenis concupiscentiis sordidata, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. 5. 8)*. Sicut enim qui graves oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro tenebrosoque loco, melius videt: si autem ponas eum in sole, nihil videt, quia oculus ejus non suffert solis candorem: sic homo mundialis, qui oculum, id est, mentem terrenis desideriis sordidam habet, et turbulatum, si ponas eum in rebus mundialibus, sapiens et astutus est: si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit, quia mens

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *opus omni Christiano*.

<sup>2</sup> Idem in marg., *ut omni simulatione*.

<sup>1</sup> Idem in marg., *ut dicam ad tormenta*.

<sup>2</sup> Melius legeretur, *ut dicam*.

(a) Hic incipit Homil. XV. in Cod. V. D.

illius desideriis corrupta terrenis justitiæ bonum non sentit. Non sentit, dico, non nescit: scit autem, sed non sentit bonum justitiæ, quia nec delectatur in eo: præoccupatum enim habet cor circa delectationem terrenam. 23. *Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quæ sunt in nobis tenebræ? Sensus carnales, malevoli et iniqui, qui semper desiderant quæ sunt tenebrarum, et non lucis. In quo enim alia delectatur carnis natura, nisi in avaritia, in libidine, in superbia, in deliciis, cæterisque malis, quæ ad tenebrosam mortem deducunt? Et qui intelligit quid est, quod *Caro concupiscit adversus spiritum* (Gal. 5. 17), ille intelligit quia tenebræ sunt carnis natura. Qui ergo oculum habet mundum, id est, mentem spiritualem, cælestia semper aspicientem, corpus suum servat lucidum, id est, sine peccato. Si enim caro desiderat ea quæ diximus mala, secundum suam naturam homo habens mentem lucidam, et spem ad Deum, justitiæ consideratione dijudicat eam, et divini timoris virtute repercutit eam: et sic quamvis nolentem, tamen servat eam lucidam, id est, sine peccato. Intellexisti ergo, quomodo qui oculum habet simplicem, corpus suum lucidum habet: qui autem oculum, id est mentem habet aut malignitate aliqua tenebrosam, aut divitiarum concupiscentia turbulentam, tenebrosum possidet corpus? Nam quæ res faciunt mentem hominis spiritualem esse mundam, ipsæ res ex diverso faciunt carnalem et sordidam. Quomodo fit munda mens illius, qui facit eleemosynas, et spem habet in cælo, spes autem in Deum facit mentem spiritualem et mundam: sic qui divitiis congregat cum peccato, spem suam ponit in terra: qui autem spem habet in terra, illius mens carnalis est et immunda. Illius ergo tota caro in tenebris est, id est, in peccatis. Quomodo? Quando enim caro secundum suam naturam, sicut diximus, concupiscit perversa, homo spem habens in terra, et mentem concupiscentiis turbulentam, non ei contradicit, nec justitiæ consideratione dijudicat, nec iudicii futuri virtute repercutit: quia nec videt cum sit cæcus, nec intelligit esse malum quod malum est, et si vult, non potest, quia spem non habet nisi in saculo. Scimus autem quia spes nobis præstat virtutem, ut carnalibus concupiscentiis resistamus: qui autem spem non habet in cælo, virtutem non habet resistere concupiscentiis suis, et ideo fit caro illius tota tenebrosa. Et ut brevius et manifestius exponamus: anima priusquam peccet, divino auxilio confortata, regina et domina est corporis sui, et quasi libera et regina sedet in throno cordis sui, et gubernat corpus suum quasi palatium suum, nec potest illam vincere caro. Si autem gravibus se peccatis obligaverit, tunc divino auxilio destituta, et in potestate spirituum immundorum redacta, fit debilis et infirma, ut non jam sit domina corporis sui, sed ancilla magis: et jam non caro animæ subjecta est, sed anima carni, nec quod vult anima, caro facit, sed quod caro coegerit, hoc anima facit. Intellexisti ergo, quomodo qui oculum mentis sordidum habet, totum corpus illius tenebrosum est? *Si autem lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt?* Sicut supra diximus, tenebrosa est semper carnalis natura, quia semper peccatrix est: etsi non peccet, contradicente sibi anima, tamen recte peccatrix et tenebrosa vocatur, quia semper habet caro peccandi propositum, ut frequenter etiam justæ animæ surrepat, ut quod suum est agat. Quis enim est ita fidelis, qui nunquam vel ex parte est a carne victus? Et si est, rarus est. Lumen autem est in corde, sicut jam frequenter audistis, anima Deum videns, id est, spiritualis. Si ergo ipsa anima, divina cum sit, et data est ad illuminandum illam carnem, fiat quasi carnalis, et terrenis concupiscentiis contenebrescat, terrena semper aspiciens, illius talis hominis caro jam vide quomodo involuta sit in tenebris peccatorum. Si enim, sicut diximus, in viro justo contradicente sibi rationali anima, semper caro surrepat animæ, et

quod suum est agit: quantis putas in homine malo iniquitatibus se involvet caro, quando anima quæ contradicere illi debuerat, consentit ei, consimilia concupiscens? Per alteram Lucæ quidem speciem, tamen eundem sensum exponit Lucas, primum mandans: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quod possidetis, et date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælo* (Luc. 12. 32. 35), et cætera. Deinde ait, *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis* (Luc. 12. 35. 36): ostendens quia nemo potest habere lumbos præcinctos ad exeundum de hoc mundo, nec lucernas ardentes, nec expectare dominum suum, nisi qui vendunt quod habent, et dant eleemosynas, et faciunt sibi sacculos qui non veterascunt, et thesaurum non deficientem in cælo.

*Homilia xvj. ex capite vj.*

24. *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diligit: aut unum sustinebit, et alterum contemnet* (Luc. 16. 13). Videamus in primis, quomodo dicta præcedentia subsequantur verba præsentia. Superius præcepit eleemosynas facere, dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*, quoniam qui thesaurizaverit thesaurus sibi in cælo, ille cor habet in cælo, et spem ad Deum: ille habet oculum animæ simplicem, id est, mentem mundam et spiritualem, et semper non terrena, sed cælestia meditantem. Qui autem habet mentem mundam et spiritualem, ille potest corpus suum servare lucidum, id est, sine peccato. Qui autem non facit eleemosynas, nec cor habet in cælo, nec spem in Deum: nec mentem mundam et spiritualem, neque potest corpus suum servare lucidum, id est, sine peccato: quia nemo potest duobus dominis servire, *Deo et mammonæ*, id est, divitiis. Mammonæ enim Syriaca lingua divitiæ appellantur. Sicut ergo qui duos dominos habet, necesse est, ut unum amet, et alterum odiat, unum contemnat, et alteri obediat: sic et qui vult Deum amare, necesse est, ut odiat divitiis: qui autem voluerit amare divitiis, necesse est, ut odiat Deum: et qui vult mandata Dei facere, necesse est, ut odiat divitiis: et qui vult mandatis Dei obedire, necesse est, ut contemnat avaritiæ mandata facere: et qui voluerit avaritiæ mandata facere, necesse est, ut contemnat Dei mandata. Considera autem, non dixit, *Nemo potest habere Deum et divitiis*: sed, *Nemo potest Dei esse servus et divitiarum*. Aliud est enim habere divitiis, aliud autem servire divitiis. Si habes divitiis, et divitiæ illæ non te faciunt superbum aut violentum, sed secundum quod potes, das impotentibus, dominus es divitiarum tuarum, non servus: quia non te divitiis tuæ tenent, sed tu divitiis tuas. Si autem divitiæ tuæ superbum te faciunt, aut violentum, et constructus avaritiæ nemini aliquid præstas, tunc servus es divitiarum tuarum, non dominus: quia divitiæ tuæ te tenent, non tu divitiis tuas. Nunc jam docet, ut ne timor inopiæ impediatur ab eleemosynis voluntatem, dicens: 25. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis in cordibus vestris, quid manducetis*. Nam sollicitudo desperationis est filia, quia desperatio sollicitudinem generat. Quid est quod dicit, *Ideo dico vobis?* et quid? Ut eleemosynas faciatis, ut thesaurizantes in cælo, cor mundum habeatis, sperantes in Deum. Qui autem sperat in Deum, ille non est sollicitus quid manducet, aut quo vestiatur: quoniam nulla res est quæ facit homines desperare in aliqua necessitate, nisi ista res, quia non habet spem in Deum. Ne ergo mihi dicas, Numquid volo esse sollicitus? Sed ipsa res me cogit. Numquid nolo sperare in Deum? Sed non possum. Cor enim meum non me audit. Nescis quid pateris; langues, et tamen causam tui languoris ignoras. Vis ostendam tibi causam, ut in omni necessitate nunquam desperes? Fac bene, et operare justitiam, ut spem habeas apud Deum, et non desperabis in terra.

Bona enim opera sunt quæ sperare faciunt, et mala opera desperare compellunt. Propterea non dixit propheta: Spera in Deo, et inhabita terram, et pasceres in divitiis ejus: sed, *Spera in Deo, et fac bonitatem, et inhabita terram* (Psal. 36. 3). *Ne solliciti sitis quid manducetis*. Non dixit, Nolite laborare: sed, Nolite solliciti esse. Ergo solliciti esse vetamur, laborare autem jubeamur. Sic enim et Dominus loquens ad Adam, non dixit, Cum sollicitudine facies tibi panem: sed, Cum labore et sudore faciei tuæ. Ergo non sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis. Sicut laborantibus enim pro præmio diligentiae, Deo præstante, panis abundat: sic dormientibus et negligentibus pro pœna negligentiae, Deo faciente, subducitur. *Nonne anima plus est quam escam, et corpus plus quam vestimentum?* Confirmat spem nostram, primum de majore ad minus descendens, deinde a minore ad majus ascendens. Quomodo si animam dedit, escam non dabit? Si corpus plasnavit, vestimentum non providebit? Nisi voluisset esse quod est, non crearet. Quod autem sic creavit, ut per escam servetur, necesse est, ut det ei escam, quamdiu vult esse quod fecit. Quid est a minore ad majus? 26. *Videte volatilia cæli, neque seminant neque metunt*, etc. Si avidus præstat alimentum, hominibus non præstabit alituram? si illi non laborantes, inveniunt escas, homo non inveniet, cui Deus dedit et operandi sapientiam, et fructificandi spem? Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? Omnia Deus in sapientia fecit, hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundum sapientiam suam. Quanto ergo pretiosior hominis creatio, quam animalium, tanto major sollicitudo Dei de hominibus, quam de animalibus. Omnia Deus animalia fecit, ut tamdiu sint, quamdiu sunt, cum vero mortua fuerint, fiant tanquam quæ non fuerunt: hominem autem, ut non solum ante mortem, sed etiam post mortem vivat: magis autem post mortem, quam ante mortem: quoniam ante mortem in tentatione vivit, post mortem autem in gloria. Si ergo illis occurrit, quos sic creavit, ut tantummodo vivant<sup>1</sup>: hominibus non occurreret, quos fecit, ut in perpetuo vivant? 27. *Quis vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* 28. *Et de vestimento quid solliciti estis?* Si ergo cogitando modicam partem corpori vestro addere non potestis<sup>2</sup>, quomodo cogitando salvandi estis in toto? Deus, qui te ex nihilo formavit in utero, et de periculo cum periculo nascentem de utero matris eripuit, te non solum non cogitante, sed neque sciente. Deus, qui per singulos dies incrementa corporis tui dat, et sapientia facit, te non intelligente. Si ergo in te ipso quotidie providentiam operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? *Considerate lilia agri, quomodo in tempore opportuno crescunt, tempore statuto formantur. In frondibus vestiuntur candore, implentur odoribus: et quod terra radici non dederat, neque radix illi, invisibili operatione Deus largitur: neque plus istis, et minus aliis: sed in omnibus eadem providentia plenitudo servatur, ut non a seipsis nata, neque eventu acta putentur, sed Dei providentia intelligantur esse disposita. Non laborant, neque nent. Dicendo, Non laborant, intelligi vult homines<sup>3</sup>: dicendo autem, Neque nent, mulieres: quoniam virorum vita seminationibus, mulierum autem lanificio sustentatur. 29. Neque Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur. Quia Salomon etsi non laborabat, neque sollicitus erat quid vestiret, tamen vel jubebat, vel disponebat, vel sciebat. Ubi autem jussio et dispositio, illic et ministran-*

tium offensa frequenter invenitur, et jubentis iracundia excitatur: hæc autem nesciunt quomodo sic coronantur<sup>4</sup>. Illi homines ministrabant, istis Deus. 30. *Si enim fœnum agri, quod hodie est, et cras in cibarium mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Si ergo floribus sic occurrit, qui sic nati sunt, ut tantummodo videantur et pereant: homines negliget, quos sic creavit, ut non pro tempore videantur, sed ut in perpetuo sint? Qui intelligit quid est homo, non desperat de Deo: qui autem desperat de Deo, præcit quid est: quoniam homo in Deo, et Deus in homine est. 31. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Deus enim hæc in natura creavit, quasi regulam terræ mandans: *Produceat terra herbam pabuli* (Gen. 1. 11): ideo vult aut non vult, bonis et malis germinat: quia terra ministrare jussa est, non judicare. Bonum autem et malum non in natura creavit, sed in arbitrio nostro posuit, ut quod volumus, simus. Ideo bonis palma proponitur, malis autem pœna. Quæ est ergo sapientia, de eo esse sollicitum, quod, etsi sollicitus non fueris, habebis: et de illo non esse sollicitum, de quo si sollicitus non fueris, perdes? Nam escam, etsi sollicitus non fueris de ea, invenies: justitiam autem, nisi sollicitus fueris, non apprehendes. 32. *Hæc enim omnia gentes quaerunt.* Quia in rebus humanis fortunam esse credunt, non providentiam, neque judicio Dei vitas suas gubernari aestimant, sed incerto duci eventu: ideo merito timent, merito solliciti sunt, et desperant, quasi qui neminem habeant gubernantem. Qui autem credit, se judicio Dei gubernari, non incerto duci eventu, escam quidem suam in manu Dei committit, sciens quia neminem sine voluntate et judicio Dei fames aut nuditas occidit. Cogitat autem de bono et malo, sciens quia nisi sollicitus fuerit, nec malum fugiet, nec bonum apprehendet: ideo dicit, 33. *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus.* Regnum Dei est retributio honorum operum et malorum: justitia autem est via pietatis, per quam itur ad regnum. Si ergo die ac nocte cogitas, qualis erit gloria sanctorum, vel qualis erit interitus impiorum et peccatorum, necesse est ut aut propter timorem pœnæ terribis recedas a malo, aut propter desiderium gloriæ excitatus festines ad bonum. Et si quotidie cogitaveris, quæ sit justitia Dei, et quid odit, quidve amat, ipsa justitia ostendet tibi vias suas. Nam justitia sicut odientes se fugit, sic amantes se sequitur. Nec enim daturi sumus rationem utrum pauperes fuerimus, aut divites, quia nec fuit hoc in nostra potestate: sed si bene egimus aut male, quod in nostro jacet arbitrio. Dictum est ad hominem: *Maledicta terra in operibus tuis* (Gen. 3. 17). Vides quia propter peccata hominum maledicatur terra, ut non germinet; benedicatur autem, cum bona opera fecerimus? Tu ergo quære justitiam, et non tibi deerit panis: quoniam sicut propter mala opera fructus terræ subducitur, sic propter bona abundat. Propterea dicit, *Quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* 34. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* Jam diximus, quoniam quod dicit, hodie, hoc solum significat, quo opus habeas in vita nostra præsentis. Quod autem dicit, cras, quod superfluum est supra necessitatem ostendit. Nihil ergo curetis superfluum habere, quam necessarium est vobis in vita præsentis ad vitam quotidianam. Quod autem superfluum fuerit, quod est cras, curabit se: ac si dicat, Superflua quantumque congregaveris, illa seipsa curabunt. Te quidem non eis fruente, ipsa autem inveniunt dominos multos, qui ea procurant, nisi placuerit ipsis. Quid ergo curas de illis, quorum testamentum aliis es dimissurus? *Sufficit enim tibi vestimenta sua*: ac si dicat: Sufficit tibi labor et ministerium patris in vita propter usum quotidianum, quos necessarios habes. Noli superfluo pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fructu autem alterius. Multitiam autem dici ipsam afflictionem appellat solli-

<sup>1</sup> Sic recte V. D. et Editi in marg. In textu vero, *videantur*, minus comode.

<sup>2</sup> *Addere non potestis*, iidem in marg. In textu legebatur, *adhibere non potestis*.

<sup>3</sup> Sic locum restitimus ex codice V. D. Ante legebatur, *Disposita. Numquid laborant? numquid nent?* Dicendo, non *acmunt* (in marg. *laborant*) virus *confortat*.

<sup>4</sup> Forte legendum, *ornantur*; quæ vox melius quadrare

citudinam præsentium et laborum : non sicut Manichæi dicunt, malam esse ipsam creaturam Dei.

*Homilia xvij. ex capite vij.*

1. *Nolite judicare, ut ne judicemini : nolite condemnare, et non condemnabimini.* Quidam hunc locum secundum hujusmodi sensum exponunt, dicentes, quia Dominus hoc mandato non prohibet Christianos ex benevolentia corripere alios Christianos dignos correptione : sed ne aut per jactantiam justitiæ suæ Christianos despiciant peccatores, derogantes frequenter de multis, et ex solis plerumque suspicionibus odientes cæteros et condemnantes, et sub specie pietatis proprium odium exsequentes. Et ut ne sic quidem Christiani corripiant Christianos, convenit sermo, qui dicit : *Nolite judicare.* Si autem non<sup>1</sup> corripuerint, utrum conveniat illud quod dicit : *Ut non judicemini*, nescio. Numquid propter illud solum, si sic non corripuerint peccatores, consequentur indulgentiam peccatorum suorum, secundum quod dictum est, *Et non judicabimini* (Luc. 6. 37)? Si enim judicantes, sicut judicare non decet, male faciunt : sine dubio non judicantes, veniam peccatorum priorum ex hoc non consequentur, quia non judicaverunt male. Quis enim consequitur indulgentiam mali sui prioris, quia non addidit et alteram malum? Certe si in se peccantes non judicaverint, nec ipsi judicabuntur a Deo pro suo peccato. Hæc diximus, volentes ostendere, quia hic sermo non est positus de proximis non judicandis, qui peccant in Deum, sed qui in nos peccant. Quid ergo est? Usque nunc exposuit consequentiam ad justitiam elemosynæ pertinentem, nunc autem incipit exponere consequentiam ad justitiam orationis respicientem. Et est doctrina hæc quodammodo pars ipsius orationis, ut sit talis ordo narrationis : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Nolite judicare, ut non judicemini.* Qui enim non judicat proximum suum propter peccatum, quod fecit in ipsum, illum nec Deus judicat propter peccatum, quod fecit in ipsum : sed dimittit Deus debitum ejus, sicut et ipse dimittit debitoribus suis. Sicut autem cætera universa mandata generaliter cunctis mandavit, tam sacerdotibus, quam laicis, præcipue tamen doctoribus, qui quanto majores sunt in ordine, tanto perfectiones esse debent in disciplina : sic et hoc mandatum de proximis non judicandis ad omnes quidem pertinet, præcipue tamen ad doctores. Unde quædam sunt mandatorum istorum, quæ si diligenter aspicias, pene nec conveniunt laicis, nisi forte parum ; doctoribus autem omnino conveniunt : quale est hoc ipsum quod sequitur : 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* 5. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Videre enim festucam in oculo fratris omnium est : ejicere illam posse non est omnium, sed tantum doctorum, qui per doctrinam, vel increpationem secundum Deum possunt ejicere de mente fratris sui peccatum, vel magnum, vel modicum. Sicut et illud quod dicit : 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras miseritis ante porcos.* Habere enim vel sancta, vel margaritas, et posse dispensare vel bona vel mala, et discernere qui hominum sunt canes, qui porci, non est omnium hominum, sed sanctorum. Vult ergo Dominus doctores Christianorum sicut in omni justitia, sic et hoc primum facere, deinde docere : ut doctrinam suam bonam meliori cum vita commendent, ut bene docendo scientiam inserant, melius autem vivendo timorem : quia tales sales sunt terræ, condientes omnes suæ vite exemplo, et lucensque doctrinis illuminantes. Quis autem audiat illum docentem, qui se ipsum non audit? Ideo dicit ad omnes, præcipue ad doctores : *Nolite judicare, ut non judicemini.* Quoniam si doctor memor sit injuriæ et doloris, et memoriam malitiæ servet in anima sua, solvitur totus Ecclesie status, sive ad tempus respicias apostolorum, sive ad

<sup>1</sup> In alijs legitur : *si autem corripuerint.*

nostrum. Tunc enim, sicut legimus, difficile aliquos convertebant ad fidem Christi, nisi multa prius paterebantur ab ipsis. Nam quasi lassato diabolo, et devicto per sufferentiam eorum nimiam usque ad mortem, et relinquente corda infidelium et jam non habente virtutem amplius eos armare, accedente gratia Dei convertebantur ad Christum. Si ergo memores fuissent injuriarum, quas fuerant passi ab eis, numquam postmodum eos in caritate docuissent, numquam eos libenter ad fidem Christi postmodum recepissent. Sed et nunc cum frequenter doctores offendantur a laicis, sive juste, sive injuste, diabolo seminante occasiones, si memores sint injuriæ et doloris, totam solvant Ecclesiam. Nam ubi recordatio injuriæ aut doloris in medio est, nec doctor benevolenter docet laicum, nec libenter eum laicus auscultat : et doctor forsitan vel invitatus aperit os suum ad docendum : laicus autem cum sit omnino sine timore Dei, nec usque ad faciem contentus est eum audire, sed converso egreditur dorso, et se et illum sperniens, et amplius se quam illum, et non sentit animæ suæ dispendium efferatus, sicut nec bestia irritata vulnus in se fixum. Hoc caput Lucas evangelista late prosequitur, dicens : *Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini : dimittite, et dimittentur vobis : date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et commotam, et superfuentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis* (Luc. 6. 37. 38). Et quis sit ille, qui nec judicat : quis autem, qui judicat quidem, et non condemnat : et quis est, qui condemnat quidem, et tamen dimittit : et quis est, qui dat, exposuimus tibi : et quoniam superflua quidem mensura datur ei, qui nec judicat : commota autem ei, qui judicat quidem, non autem condemnat : bona autem ei, qui condemnat, sed dimittit. Quoniam sicut major est superflua mensura, quam commota, et commota major est, quam bona et justa : sic perfectior est ille, qui nec judicat, quam ille, qui judicat, et non condemnat, et ille, qui judicat, et non condemnat, melior est illo, qui condemnat, et dimittit. Hic autem Matthæus omnia illa brevi sermone conclusit, dicens : *Nolite judicare, ut non judicemini.* 2. *In quocumque enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis : intelligens quoniam judicii sermo ad omnia pertinet illa. Nam qui judicat tantum peccantem in se, et non condemnat, judicat : et qui non solum judicat, sed etiam condemnat, judicat : hoc ipsum enim condemnare judicare est. Ergo pro illo, quod Lucas dixit, Nolite judicare, aut judicantes, nolite condemnare, iste dixit : In quocumque judicio judicaveritis, judicabitur de vobis : id est, Si judicaveritis et non condemnaveritis, simili judicio et vos quidem judicabimini a Deo, sed non condemnabimini : si autem et judicantes condemnaveritis, simili judicio et vos judicabimini, et condemnabimini. Et quod ille dixit : Dimittite, et dimittentur vobis : iste dixit, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis : hoc est, Si non rogati dimiseritis peccatum proximis vestris, sed solo respectu Dei, et Deus ex se, prius quam rogetur a vobis dimittet vobis ; si autem rogati veniam dederitis, et Deus tunc dabit vobis veniam, cum dignis precibus et congrua lamentatione eum ronaveritis. Quoniam ergo dixerat præcipue, sicut diximus, doctoribus, Nolite judicare, ut non judicemini : convenienter addit, et dicit, 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem vero in oculo tuo non vides? Id est : Qui trabem in oculo tuo non vides, ut quid vides festucam in oculo fratris tui? Ac si dicat : Melius est nec docere, nec reprehendere laicum, quam docere et reprehendere, et teipsum in reprehensione consistere : quoniam talis doctrina doctoris non est audibilis, sed derisibilis. Propter quod omnis sacerdos si vult docere populum, prius seipsum doceat : si autem seipsum non vult docere de omni quod docet, nec seipsum arguere de omni quod arguit, nec alios doceat, nec arguat quemquam, ut si judicium Dei non evadit, vel hominum opprobrium*



non patiatur. 4. *Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo?* Id est: Cum qua facie arguis peccatum laici fratris tui, ipse in eodem, aut in majore peccato existens? Non times, ne audias ex diverso, *Medice, cura teipsum (Luc. 4. 23)?* Si medico opprobrium est, qui nec alterius sanitatem habet in potestate, nec suam, si alios velit curare, et ipse debilis sit, quasi testimonium imperitiæ suæ portat in corpore suo propriam passionem: quomodo doctori non sit opprobrium alios velle eruiere a peccato, et ipsum in majoribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum eruiere a peccato, quam alios? Aut ita: *Quomodo fratri tuo dicis?* id est, Quo proposito putas? ex caritate cordis dicis, ut salves proximum tuum? Non; sed ut te similes justum. Si autem vere ex caritate cordis argueres proximum tuum, ut salvares, teipsum ante salvares. Numquid possibile est ut benevolentior sis alteri, quam tibi? ut quid cum teipsum nolis salvare, alterum velis? Omnis ergo doctor, qui alterum in qualicumque reprehendit delicto, et ipse in eodem constitutus, non se prius expurgat, certum est quia alloquens in ecclesia non alios vult salvare, sed per bonam doctrinam malos actus suos celare, et scientiæ laudem ab hominibus quaerit, non ædificationis mercedem a Deo, et est hypocrita. Ideo competenter addit et dicit: 5. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Hypocrita est enim omnis doctor, qui non prius facit bona, et postea docet. Dum enim bona docet, profitetur se justum coram hominibus: dum autem male agit, peccatorem se constituit intra se. Hoc ergo dicit: Vis libere et fiducialiter reprehendere laicum, et ejicere de oculo mentis ejus peccatum? Prius tuam ipsius mentem purga ab omni malo, ut cum tu argueris laicum pro peccatis ejus, ex diverso laicus non habeat, unde redarguat te pro peccato tuo. Nam incipiet te timere in se, cum non invenerit quod contemnat in te. Omne autem peccatum non secundum actum suum dijudicatur, an modicum sit, aut magnum, sed secundum peccantis personam. Laicus enim etsi magnum fecerit peccatum, modicum est, et festuca est, quantum ad sacerdotis dico peccatum, quia laicus est: doctor autem, etsi modicum fecerit peccatum, magnum est, et trabs est, quantum ad laici dico peccatum, quia doctor est. (a) 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculerent eas pedibus suis, et conversi disruptant vos.* Cum supra dedisset Dominus mandatum omnibus, præcipue autem doctoribus, ut diligerent inimicos suos, et benefacerent eis: iterum paulo ante, ut ne judicarent eos, qui peccant in ipsis: considerans, quoniam qui persequuntur sacerdotes Dei, aut injuriunt eos, aut lædunt, plerumque aut infideles sunt, quales sunt gentiles vel hæretici: aut si sunt Christiani, sordidi sunt et insensati, quia nec considerant, nec intelligunt, sacerdotes Christi vicarios esse Christi, et Christum: et quoniam qui honorat sacerdotem Christi, honorat Christum: et qui injuriat sacerdotem Christi, injuriat Christum, ne forte consequenter cogitantes intra se sacerdotes dicant, Si jubemur diligere inimicos nostros, et benefacere eis: si jubemur nec judicare eos peccatores, qui peccant in nos: sine dubio sicut debemus diligere eos, et benefacere eis, sic non debemus eos judicare peccatores, qui peccant in nos: ut non solum nostra, sed etiam quæ propria Dei sunt, eis communicemus, ut sit plena misericordia nostra, sicut et Dei: ideo talem estimationem eorum provido sermone compescuit, dicens: *Nolite sanctum dare canibus, et margaritas vestras nolite mittere ante porcos.* Ac si dicat, Mandavi vobis diligere inimicos vestros, et non judicare eos, ut vos exhibeam misericordes ad illos, ut beneficiatis eis de corporalibus vestris, non de meis spiritualibus

bonis, quoniam<sup>1</sup> in natura vobis communes sunt, et non in fide. Mandavi autem vobis, ut non judicetis eos, qui in vobis peccaverint. Id vero non ideo præcepi, ut mysteriorum meorum secreta non pandatis eis, qui nolentes me scire, blasphemant, et spernunt. Videte Patrem vestrum Deum, ad cujus exemplum volui vos esse misericordes: carnalia beneficia dignis, et non dignis similiter præstat, numquid gratias spirituales? Nec enim dixi vobis de illo, qui Spiritum sanctum jubet descendere super gratos et ingratos, et dat benedictiones suas super justos et injustos: propter quod in vestris quidem estote simplices et benigni, in meis autem prudentes et cauti. Si tu vestiariarium tuum studiosum, et clavicularium cellarii tui fidelem tibi requiris: quanto magis Deus talem requirit dispensatorem gratiarum suarum, qui bene tractando gratias ejus, faciat gratiores, non, male dispensando, reddat ingratas? Sicut enim si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos, sed e contra canes coinquinant sanctum, et porci margaritas sordidant, vel confringunt: ita si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis, aut mysteria secreta credideris, nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis eos illuminant, sed e contra ipsi sanctum coinquinant, et mysteria veritatis blasphemant. Canis et porcus ambo quidem immunda animalia sunt: sed canis ex omni parte immundus est: nam nec ruminat, nec ungulam habet fissam. Porcus autem ex parte immundus est: nam quoniam ungulam habet fissam, mundus est: quoniam autem non ruminat, immundus habetur. Propter quod canes puto intelligendos gentiles, vel hæreticos omnino immundos: nam etsi propter actus suos malos immundi sunt, et propter perfidiam suam vel idololatriam amplius sunt immundi; porcos autem, Christianos carnalibus et immundis voluptatibus deditos, quoniam propter fidem quidem suam mundi sunt, propter actus autem suos sordidos habentur immundi. Aut canes quidem gentiles: porcos autem hæreticos, propter aliquid eorum modicum mundos: quia vel nomen Domini invocare videntur, sed ex moribus intelligis, qui sunt canes, vel porci. Canis naturale est improbum esse, numquam vocem mittere propter aliquam alteram causam, sicut cætera alia animalia, nisi ad abigendos supervenientes; interdum autem et de superfluo in aërem latrat. Tales sunt omnes gentiles, vel hæretici inapprobables, latrantes plurimum adversus servos Dei, latrantes aliquando et adversus Deum blasphemias: ululantes aperte, et nunquam os suum aperientes ad bonum, sed semper ad malum. Item porci proprium est in cæno se volutare, et nunquam in cælum aspicere, nec quaerere dominum suum, nisi cum esurierit. Tales sunt etiam Christiani, qui in carnalibus immunditiis delectantur, nec aspiciunt aliquando cælos, nec quaerunt Deum, nisi cum necessitas eis advenerit: et illi, qui quidem evomunt malum, quando bene judicantur de malo: revertantur autem ad vomitum suum, sicut canes, quando nihilominus agunt malum: et isti projiciunt stercora peccatorum suorum, quando poenitent: revertuntur autem ad stercora sua, sicut porci, quando omissam repetunt vitam. Nunc videamus, quæ sunt sancta, et quæ sunt margaritæ. Non enim distinxit, quid sit, sanctum dare, quid non dare, cum sit inter sanctum et sanctum differentia sanctitatis: sed generaliter omne quod sanctum est, vetuit dare. Ergo sanctum est baptismum; propterea non est dandum, nisi jam fidem habentibus. Sancta est gratia corporis Christi; propterea illis solis danda est, qui jam per baptismum facti sunt filii Dei, et per impositionem manus. Benedictus panis sancti sunt; propterea illis porrigenda sunt, qui capaces facti sunt benedictionum per fidem. Item mysteria veritatis margaritæ sunt,

(a) Hic incipit Homil. in Cod. V. D.

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *spiritualibus passim, quoniam.*



quia sicut margaritæ inclusa cochleis positæ sunt in profundum maris : sic et divina mysteria, in verbis inclusa<sup>1</sup>, posita sunt intus in altitudine sensus Scripturarum sanctarum. Et sicut non omnis homo potest se mergere, et de profundo tollere margaritas, nisi artifex, qui habet usum rei illius : sic non omnis homo potest descendere in altitudinem sensuum, et illic invenire mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis, qui habet exercitationem spiritualium narrationum Dei. Propterea margaritæ non sunt dandæ, nisi desiderantibus veritatem, et cum ratione humana viventibus. Si ergo talibus porcis secretorum mysteriorum miseris margaritas, cœnosæ vitæ delectatione mente gravati, non intelligunt pretiositatem earum : sed æstimantes eas similes esse cæteris fabulis mundialibus, similiter eas carnalibus actibus conculcant : et post modicum conversi per inobedientiam, rumpunt præbitores earum : frequenter autem et scandalizati in eis, calumniantur expositores earum, quasi dogmatum novorum seminatores. Et si talibus canibus, qualibus diximus, dederis sancta, suscipiunt, quasi canes, sine discretionem, et sordidis actibus suis conculcant ea, et pro nihilo æstimantes quæ acceperunt, conversi disputationibus suis, quasi latratibus irrationabilibus, rumpunt veritatis prædicatorem. Et puto, non sine rationabili differentia sanctum quidem canibus dare vetuit Dominus, margaritas autem non dare porcis. Et de margaritis quidem possumus dicere, quia si porcis mitti velantur minus immundis, quanto magis canibus plus immundis? De sancto autem dando idem æstimare non possumus. Quid est enim, si plus immundis dare non convenit, minus autem immundis oportet? Idcirco neque vetitum intelligimus, neque mandatum : forte quia frequenter et manuum imponimus, et benedictionem damus etiam porcorum more viventibus Christianis, non quia illi merentur accipere, sed nos ex nobis contra justitiam, dare usurpamus, ne forte plenius scandalizati pereant. Ideo jussum non est, quia injustum est : vetitum autem non est, quia infirmitati fuerat ignoscendum. Sed quia de sanctis cepimus dicere, non est tacendum, quoniam aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat : sanctificatum autem alterum sanctificare non potest, quamvis ipsum sit sanctum. Uputa, signas panem tuum, quem manducas, sicut ait Paulus : *Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (1. Tim. 4. 5) : sanctificasti eum, non fecisti sanctificationem. Quod autem sacerdos de manu sua dat, non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est : quoniam hoc non solum datur, quod videtur, sed etiam illud, quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet et animalibus jactare, et infidelibus dare : quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est, quod in mensa manducatur : omnes de mensa manducarent, et nemo de manu sacerdotis acciperet. Unde et Dominus in via non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophræ, et socio ejus (Luc. 24). Et Paulus navigans non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ, et cæteris discipulis suis (Act. 27). Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum : quia non solum sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, et sanctificat accipientem.

*Homilia xviii. ex capite vij.*

7. *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Transitum consequentem de capitulo ad capitulum invenire difficile est. Ideo diversa proponimus secundum diversas æstimaciones interpretum. Sciens Dominus, quoniam quæcumque mandaverat supra, hominibus impossibilia erant : et quantum ad naturam humanam, supra naturam. Nam qui se non abstinere a cædibus, quomodo potest ab-

tinere se ab ira? Qui non se abstinere a fornicatione, quomodo se abstinere a concupiscentia? Qui non se abstinere a perjurio, quomodo se abstinere a juramento? Qui alios ferire non cessat, quomodo se præbeat feriendum? Qui nec amicum suum sincere diligit, quomodo diligit inimicum? Quid autem sic impossibile est, quomodo eleemosynas facere, vel orare, vel jejunare, et nolle hominibus apparere? Quid autem difficilius est, quam non judicare peccantem in se, aut nihil sanctum vel secretum dicere aut dare indignis? Necesse est enim ut et multos sibi faciat inimicos. Quoniam ergo majora erant mandata, quam virtus humana est, transmittit eos ad Deum cujus gratiæ impossibile nihil est, dicens : *Petite, et dabitur vobis* : ut quod ex vobis hominibus consummari non potest, per gratiam Dei adimpleatur. Quoniam creaturam sensibilem Deus armatam et munitam creavit. Alios enim munivit veloci pedum cursu, alios armavit unguibus, alios velocibus pennis, alios dentibus, alios cornibus : hominem autem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse. Et in eo quod infirmiorum eum fecit omnibus, in ipso fortiores eum voluit esse in se. Nam sciens Deus, quia cognoscere et colere Deum vita æterna est, ignorare autem, et contemnere, perditio sempiterna, nec ita infirmum eum creavit, ut omnino nihil boni facere posset, ne quem super omnia, et propter quem omnia fecerat, omnibus inveniretur esse deterior : nec ita potentem eum creavit, ut etiam sine Dei auxilio ex seipso facere posset quod vult, ut infirmitatis suæ necessitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. Et vere justissima res est, ut factura necessarium habeat suum factorem. Si enim omnis virtus hominis in Deo est, et tamen contemnit omnium bonorum suorum auctorem : quanto magis negligeret Deum, si potentia ejus esset in ipso? Aut ita : quoniam ad sanctificandam orationem quædam dederat eis observandæ bonitatis mandata, dicens : *Nolite judicare, ut non judicemini* : competenter addidit, *Petite, et dabitur vobis* : tanquam si dicat : Si hanc elementiam servaveritis ad inimicos, quam mandavi vobis : quicquid vultis, petite, et dabitur vobis : et quicquid desideratis invenire, quærite, et invenietis : et quicquid clausum vobis videtur, pulsate, et aperietur vobis. Gratia vos prosequente, petite precibus die ac nocte orantes. Quod si misericordiam suam protraxerit Deus ad tempus, volens tentare constantiam fidei tuæ, tu a petitionibus tuis non recedas. Sicut enim qui vere esurit, tãdiu petit cibum, donec impleat necessitatem corporis sui, nec potest cessare, necessitas enim urget, quia sine cibo vivere non potest : ita et qui vere desiderat gratiam Dei, cessare non potest a petendo, sciens quia salvus fieri non potest sine gratia Dei. Adhuc quærite, interrogantes sacerdotes cæterosque habentes scientiam spiritualium Scripturarum, sicut præcepit lex : *Interroga patrem tuum, et dicet tibi : seniores tuos, et annuntiabunt tibi* (Deut. 52. 7). Quærite studio et labore, legentes Scripturas legis et prophetarum. Nam Deus ita nos disposuit esse, ut nec studentes et laborantes circa Scripturas acquiramus salutem scientiæ sine gratia Dei, ut ne nobis imputemus quod scimus : nec tamen gratiam acquiramus, nisi studuerimus et laboraverimus circa Scripturas, ne donum Dei detur negligentibus. Gratia enim adiutorium est infirmitatis humanæ : adiutorium autem non dormientibus datur, sed festinantibus, et prævalentibus<sup>2</sup>. Sicut enim in bello non omnis, qui pugnat, vincit, nemo tamen vincere potest, nisi pugnaverit : sic non omnes, qui student et legunt, acquirunt scientiam spirituales, nemo tamen acquirere potest, nisi qui aut studiosus fuerit ad legendum, aut assiduus ad audiendum. Et infideles quidem, et non timentes Deum invenitur scientiam legendo et studendo, sed non illam quæ ex Deo est, quæ per Spiritum sanctum datur, sed

<sup>1</sup> Idem in marg. : in libris inclusa.

<sup>2</sup> Alias, non prævalentibus.

hanc quæ est ex natura carnali, quæ per exercitationem carnis acquiritur, quam habuerunt etiam et gentilium studiosi. Multa enim differentia est inter scientias istas. Qui enim orationibus non instat, nec operibus bonis, sed per solum studium lectionum factus est sciens, quando aliis prædicat, ipse sibi non sentit quod prædicat. Si de ira Dei loquitur, alios forsitan terret, ipse autem non timet: si de misericordia, alios quidem forsitan consolatur, ipse autem non gaudet: alios admonet credere, et ipse non credit eis quæ dicit. Sed quando alios docet, ab intus conscientia ejus ridet sibi de verbis suis: quia scientia, quæ ex solis lectionibus est, ex ore procedit: quæ autem de Spiritu sancto est, de corde profertur, et ideo spiritualis scientia non solum dicitur, sed et sentitur: non tantum in Scripturis legitur, sed ex corde suggeritur: et ideo si alios terret, ipse amplius timet: si consolatur, ipse melius gaudet: et omne quod loquitur, non tantum legit, sed experimento probavit. Ideo ergo petamus Deum, et operemur bona, ut non carnalem, sed spiritualem scientiam mereamur. Et hoc est quod dicit, *Pulsate, et aperietur vobis*. Pulsat enim Deum, qui facit bona opera ante Deum oratione, jejuniis, et elemosynis. Sicut enim qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed et manu: sic qui bona opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus bonis. Scriptum est enim, *Concupisce sapientiam, serua justitiam, et Deus præbebit eam tibi (Eccli. 1. 55)*. Sed quid dicis? Hoc ipsum peto, ut sciam et faciam: et quomodo possum facere priusquam accipiam? Etiam quod potes fac, ut amplius possis: et quod scis serua, ut amplius scias. Justitia enim ipsa se operatur, et ipsa se manifestat. Quomodo? Dum tu justitiam operaris in te, justitia te operatur in se. Nam omne artificium seipsum operatur: ut puta, operaris vineam, colligis fructus ejus, et delectatur in eis, melius operaris. Vides quia ipsa se colit fructificando tibi, dum colitur? Sic ex diverso, qui opus peccati exsequitur, ipsum cum peccatum sit spiritus immundus, operatur in eo delectationem peccandi: ut dum delectatur circa peccatum, amplius peccet. Sic et qui justitiam operatur, cum sit et ipsa justitia Spiritus sanctus, operatur in eo delectationem justitiæ faciendæ, ut delectatus circa justitiam, amplius faciat. Tale est quod dicit Sapientia: *Cogitatum habe in præceptis Dei, et in mandatis ejus meditare semper, et ipse confirmabit cor tuum: et concupiscentiam sapientiæ tibi dabit (Eccli. 6. 37)*. Vides quia ipsa justitia se operatur, te tantummodo inchoante et laborante? Sed et ipsa se adaperit, dum colitur. Sicut enim qui peccat, dum peccat, magis atque magis tenebrescit mens ejus, et a luce veritatis recedit, ita ut nulla scientia salutaris remaneat in eo, nisi sola malignitas, de qua dicit Salomon: *Sapientia impiorum nequitia scientiæ est (Eccli. 19. 19)*: sic et qui justitiam operatur, dum operatur, magis atque magis clarescit mens ipsius, et ad notitiam sapientiæ majoris ascendit, et ipsa se justitia quasi speculum offert ante oculos cordis ipsius. Deinde si opera justitiæ non facis, id est, si non pulsas, nec orare ex fide potes. Nam virtus orationis est opus justitiæ. Oratio autem quasi odor suavitatis est operis boni. Sicut ergo res aliqua sine odore potest esse, odor autem sine re aliqua esse non potest: sic opus sine oratione aliquid est, oratio autem sine opere bono nihil est: et si oras, non ex fide oras. Nam sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur: sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera enutritur. Aut ita: cum supra mandasset omnibus, præcipue autem doctoribus, ut diligenter inimicos suos, et non judicarent quasi peccatores offendentes se: consequens erat, sicut jam diximus, ne forte sub obtentu dilectionis et bonitatis etiam sancta Dei et secreta communicarent eis. Ideo constituit ne faciant hoc, dicens: *Nolite sanctum dare canibus*. Nunc autem dat eis consilium bonum, ut si diligant inimicos suos, quasi Dei benigni imitatores, et velint eos etiam secundum

Deum salvare, petant Deum pro illis, et dabitur eis: quærant eos, qui perierunt in peccatis, et inveniant eos, Dei gratia demonstrante: pulsant eos, qui sunt in erroribus conclusi, et aperiet eos Deus, ut habeat sermo eorum ad animas eorum ingressum: ac si dicat de Christianis, qui porcorum more viventes perdidissent per se imaginem Dei, et cadentes ab homine porci facti sunt, et perierunt: Quærite eos admonendo benevole, promittendo eis misericordiam Dei, et in spem eos adducendo. Sic enim et Paulus cum, qui quasi porcus et non homo indifferenter conjugium maculaverat patris, quæsit, et per gratiam Dei invenit (1. Cor. 5). Gentiles autem vel hæreticos, qui verisimilibus persuasionibus mendaciorum circumsepti sunt, et conclusi intra claustra perfidiæ, pulsant eos doctrinis assiduus, et aperiet eos Deus, solvens claustra perfidiæ, et habebitis in eis ingressum: sicut Christus dicit in Revelatione Joannis: *Ecce ego sto ad ostium, et pulso: et qui aperuerit mihi, introibo ad illum, et cænabo cum illo, et ille mecum (Apoc. 3. 20)*. Ergo non temerando sancta Dei vel peccatores, vel gentiles, vel hæreticos debemus velle salvare sub obtentu misericordiæ: hoc enim temeritatis est, non bonitatis: sed Deum quidem petendo pro eis, ipsos autem vel quærendo, si perierunt, vel pulsando, si clausi sunt. Et tunc, si et nos digne petimus, et illigabiles facti sunt, et ex canibus et porcis immundis reformati efficiuntur homines sancti, et sic joate et digne sancta participabunt, et audient secreta mysteria. 8. *Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur*. Quoniam dixerat, *Petite, quærite, pulsate*: ne forte aliqui peccatorum audientes dicant, Etiam, ista facere dignos hortatur; nos autem indigni, et si petierimus, non accipiemus: etsi quasi verimus, non inveniemus: etsi pulsaverimus, non nobis aperietur: vide quomodo eandem clausulam repetendo, tam justis, quam peccatoribus misericordiam Dei commendat, dicens: *Omnis qui petit, sive justus sit, sive peccator, tantum petere non dubitet, quærere non negligat, pulsare non cesset: cum constet neminem sperni, nisi qui petere dubitaverit a Deo, quærere neglexerit, pulsare cessaverit. Ut autem cognoscamus bonitatem Dei, dicamus de Deo, sicut Christus dixit de nobis. Dixit enim supra: Diligite inimicos vestros (Math. 5. 44), et cætera hujusmodi: et addidit, Si autem diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis? nonne gentiles hoc faciunt (Ibid. v. 46. 47)? Nos ergo dicamus de Deo: Si Deus tantummodo justos suos et amicos exaudit et adjuvat, quam laudem bonitatis meretur? nonne et homines, cum sint mali, amicos suos rogantes se audiunt, et beneficia eis præstant? Vides ergo, quoniam Dominus dicens, Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, qui solem suum oriri jubet super justos et injustos, et dat pluviam super gratos et ingratos (Luc. 6. 36, Math. 5. 45), bonitatem Dei voluit demonstrare, quia tam justis quam peccatoribus parata est bonitas ejus. Nec enim credibile est, ut opus bonitatis hominibus quidem injungat in malis constitutus, ipse autem non faciat cum sit bonus. Ergo omnis qui non habet justitiam, aut ut credat de regno cælesti, ut facere valeat justitiam, aut certe non petivit fideliter, aut non quæsit studio et labore, aut non pulsavit operibus bonis: ideo non est duritia Dei<sup>1</sup> non præstantis, sed culpa hominis negligentis. 9. *Quis vestrum habens filium, et si petat ab eo panem, numquid lapidem porriget ei? et si petat ab eo piscem, numquid serpentem porriget ei? et si petat ab eo panem, numquid lapidem porriget ei? et si petat ab eo piscem, numquid serpentem porriget ei? et si petat ab eo panem, numquid lapidem porriget ei? et si petat ab eo piscem, numquid serpentem porriget ei?* Vide quomodo nos ad spem divinæ bonitatis inclinat, ne forte aliquis considerans, quanta est differentia inter Deum et hominem, et ponderans peccata sua, dum non sperat impetrare, nec incipiat petere: ideo patrum et sanctorum similitudinem introduxit, ut etsi propter peccata nostra desperemus, propter paternam veritatem,*

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., non est justitia Dei.

bonitatem Dei speremus. Panis est verbum de notitia Dei Patris. Lapis est omne mendacium, et quicquid illud habet in se scandalum offensivum ad animum. Unde dicit propheta ad justum : *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum (Psal. 90. 12)*. Omnis enim justus custoditur ab angelis, ne forte in occasionem offensivam incurrat pes conversationis ipsius. Piscem autem intelligere possumus verbum de Christo : serpentem autem ipsum diabolum. Ut ergo impetremus quod desideramus, duo hæc convenire debent. Unum quidem, ut petas oratione, et quæras studio, et pulses operibus : alterum autem, ut panis aut piscis sit, quod petis. Si autem quæ non expediunt petis, hoc est, carnalia, quæ nocent animæ tuæ, quasi lapis aut serpens, non tibi præstat, etiamsi petas, quia pater benignus est. Alioqui si præstat nociva petenti, non est pater, sed inimicus. 11. *Si vos, cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit spiritum bonum petentibus se?* Non quia apostoli erant mali, sed quantum ad comparisonem Dei, qui solus singulariter est bonus, omnes mali videntur. Sicut ad comparisonem nivis aut solis omne mundum sordidum videtur, et omne lucidum obscurum. Et vere, cum omnes patres mali sint præter Deum, ecce si hodie pater injuriam patitur a filio, statim affectus illius mutatur in odium, et irascitur illi forsitan et castigat. Non quia ille faciens injuriam patri peccavit ante Deum, ideo pater suus illi irascitur, sed quia illi fecit injuriam. Alioqui si pater, injuriam passus, non propter injuriam suam irascitur filio, sed propter illius peccatum, in omni peccato filiorum similiter irascitur. Nunc autem, quando ipsi injuriam patiuntur, dolent et fremunt : quando autem aliter filii eorum peccaverint in Deum, nec curant. Deus autem offensus ab homine, non ideo irascitur, quia ipse cum esset Deus constitutus, ab homine est contemptus, sed quia homo offendens Deum perdit animam suam. Vere ergo non irascitur de injuria sua, sed dolet de perditione humana. Et si castigat, non ut suam injuriam vindicet, sed ut illum corrigat ad salutem. Audi eum per prophetam dicentem : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo in virga injustitias eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis (Psal. 88. 31. 33. 54)*, etc. Quoniam vero non omnia petentibus præstat, sed bona tantummodo, ideo non dixit, *Quanto magis Pater vester dabit petentibus se : sed addidit, Bona petentibus se. 12. Omnia ergo, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis.* Supra propter sanctificandam orationem mandavit, ut non judicent qui peccant in ipsos : ita ex necessitate ab ordine suæ narrationis excedens, introduxit alia quædam quale est, *Quid tu vides festucam in oculo fratris tui?* et illud, *Nolite sanctum dare canibus*, etc., quæ sequuntur. Nunc ad mandatum quod cœperat rediens ait : *Omnia, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, facite et vos eis* : id est, Non solum mando, *Nolite judicare, ut non judicemini*, quod omnes homines sibi fieri volunt, ut eum nocuerint aliquibus, non judicentur ab eis : sed etiam *Omnia, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, vos facite eis*, et tunc impetrabiliter potestis orare. Nam quæcumque lex et propheta sparsim in omnibus præceperunt Scripturis, in hoc compendioso comprehenduntur mandato, quasi innumerabiles arboris rami in una radice. 13. *Intrate per angustam portam.* Tertia hæc consequentia ad tertiam justitiæ jejunii pertinet, et est pars doctrinæ de jejunio facta : ut sit talis ordo narrationis : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne appareas hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Intrate per angustam portam : quoniam omnis quidem justitiæ introitus ad vitam æternam angustus est homini viventis in carne, propter adversitatem naturæ carnalis : nullus autem sic est angustus et laboriosus, quomodo jejunii simpliciter consummati : et ut scias attende. Omnes qui-

dens passionibus carnales dicuntur, et sunt, quia spiritu carnis moventur, sive ira, sive superbia, sive invidia, sive avaritia, sive vana gloria : præcipue tamen tres sunt quasi naturales, et intimæ, et propriæ carnis passionibus : esca et potus, deinde amor viri ad mulierem, et mulieris amor ad virum. In tertio loco sonnus, quoniam sine illis quidem passionibus ipsa natura carnis consistere non potest. Ergo quasi partes quodammodo et supplementa sunt naturæ carnalis : nam ad omnes illas passionibus necessitas naturæ carnalis urget, sed præsumptio spiritus carnis : ad istas autem ipsa necessitas naturæ carnalis. Ideo et gravius est eas a natura carnali præcidere, quam cæteras passionibus. Nam omnes illas passionibus præcidere labor est per collocationem cordis : istas autem passionibus præcidere non solum labor est per collocationem cordis, sed consumere et contrahere ac interficere ipsam naturam carnalem, et quasi truncare substantiam ipsam : quemadmodum si quis præcideret a corpore aliquod membrorum ipsius. Si ergo hæc tres passionibus naturales sunt, et intimæ, et propriæ naturæ carnalis : nullius passionibus abstinentiam sic sanctificat corpus, quomodo abstinentia harum, ut sit homo castus, ut sit jejunos, ut sit in vigiliis perseverans. Et nulla illarum passionibus sic coinquinat corpus, quomodo passionibus istæ, ut sit homo aut fornicarius, aut epulor, aut deditus somno ; ideo et Apostolus dicit : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (2. Cor. 6. 18)*, quia proprie de ipsa natura carnis passio fornicationis egreditur. Et Dominus in Evangelio epulatorem proponit divitem, cui pauper Lazarus adiacebat : et Abraham non dicit ei, Fili, recordare, quia tu hoc et hoc fecisti in vita tua, et nunc cruciaris : sed, *Quia bona recepisti in vita tua (Luc. 16. 25)*. Et ubique Dominus in Evangelio præcipit assidue vigilare. Ergo propter omnes quidem justitias, præcipue autem propter laboriosissimum jejunium dicit : *Intrate per angustam portam*, etc. Porta perditionis est diabolus, per quam introitur in gehennam ; porta autem vitæ est Christus, per quam introitur in cælestia regna : de qua dictum est : *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam (Psal. 117. 20)*. Lata autem porta dicitur esse diabolus, non magnitudine potestatis extensus, sed effrenatæ superbiæ licentia dilatatus. Tale aliquid Dominus dicit, *Beati pauperes spiritu (Matth. 5. 3)*. Pauper spiritu est, qui cum sit magnus, radicem se ostendit. Dives autem spiritu est, qui cum sit modicus, ostendit se magnum : sicut diabolus superbia animi elatus, qui cum esset minister Dei in cælo, quasi Deus super cælos extendere se usurpavit contra Deum. Porta autem angusta dicitur Christus, non parvitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus, sicut ipse de se testimonium dat : *Videte quia mitis sum, et humilis corde (Matth. 11. 29)*. An non tibi videtur potestate latissimus, humilitate autem angustus, qui cum esset Dominus majestatis, quasi homo in hoc sæculo voluit apparere, et quem totus non capit mundus, seipsum intra angustias uteri virginialis inclusit ? Et alias intelligitur diabolus porta lata, et Christus angusta, quoniam diabolus omnibus peccatis involatus et universam mundi sarcinam bajulantes recipit, et ducit in mortem : Christus autem non recipit in se, nisi qui se omnibus peccatis exuerint, et deposuerint omnem sarcinam mundi, et facti fuerint subtiles et spirituales, ut quales intrant in mundum, tales exeant de mundo. Adhuc latus dicitur diabolus, quoniam apud illum sine lege sunt omnia : Christus autem angustus, quoniam sub ratione legis apud eum universa consistunt. Quicquid enim sine lege solutum est, latum est : quod autem sub lege est, semper angustum est. Via autem perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem spatiosa, quia non est intra regulam veritatis et disciplinæ in-

<sup>1</sup> Editi in marg. habent, *De ipsa natura corporalis passio. V. D. autem, corporis passio.*

clusa, sed per diversa carnalium voluptatum diffusa. Ambulantes in ea non quod debent agere, hoc agunt, sed quicquid eos delectaverit, hoc sequuntur. Voluntas eorum lex est ipsorum : et non ipsi sub lege sunt, sed lex est sub illis. Via autem vitæ est omnis iustitia. Dicitur autem esse arcta, quia intra regulam veritatis et disciplinæ est inclusa, et ambulantes in ea non quod delectat eos, hoc faciunt, sed quod debent : quia lex non voluntas eorum est, nec lex est sub illis, sed ipsi sub lege. Considerandum est autem, quia via ducit ad portam, et nisi quis ambulaverit per viam, non potest pervenire ad portam : sic et qui iustitiam faciunt, ipsi soli possunt cognoscere Christum, et intrant per ipsum. Qui autem non ambulat per viam iustitiæ, impossibile est, ut vere cognoscant Christum, quamvis multi etiam non ambulantes per iustitiam videantur cognoscere Christum. Si autem nec fuisti nec es in via iustitiæ, et putas te cognoscere Christum, mentiris. Sicut enim qui audit quia mel dulce est, nec gustat de illo, nomen quidem mellis cognoscit, gratiam autem ejus naturæ ignorat : sic et qui audit quia Christus Filius Dei est, iustitia autem ejus non fuerit usus, tantummodo nomen Christi cognoscit, gratiam autem naturæ ejus ignorat. Ideo non dixit propheta, Audite et videte quoniam suavis est Dominus : sed, *Gustate et videte (Psal. 35. 9)*. Quando ergo aliquid audimus de Christo, nomen Christi cognoscimus tantummodo, ut diximus : quando autem iustitiam facimus ejus, ipsum Christum gustamus. Similiter nec incurrit in manus diaboli, nisi qui in via ambulat peccatorum. Vis non incurere in diabolum? Declina a via, quæ ducit ad illum, et nullam habet in te diabolus potestatem : si autem ambulaveris in via, quæ ducit ad illum, jam non diabolo imputes perditionem tuam, quasi ille te traxerit ad se, sed tibi, quia tu ivisti ad illum. Numquid porta ducit ad viam? Sed via ducit ad portam : sic non prius diabolus homines ducit ad peccata, sed peccata ad diabolum ducunt. Vides ergo, hæc via perditionis quam nociva est, quam spatiosa est? Et ideo non solum volentes, sed et nolentes incurrunt in eam : et difficile est, ut natus in hoc mundo aliquantulum non incidat in eam. Quasi lata enim de longe videtur, et ideo etiam infantes, antequam viam vitæ videant, vel intelligant, istam vident : et cum intraverit quis in eam, prout vult, se agit, nec coangustatur in aliqua parte ita ut delectet eum ambulare per eam. Ambulant enim in ea gaudentes, ridentes, non solum manducantes et bibentes, sed etiam devorantes et inebriantes. Ambulant in ea divites, mentientes, perjurantes, aliena tollentes, et se divites facientes. Ambulant in ea cum uxoribus ; non solum cum uxoribus, sed etiam fornicantes et adulterantes. Quid sit tribulatio, nesciunt. Et quis non delectetur quantum ad carnem ambulare per eam? Hæc autem iustitiæ via angusta primum nec facile videtur : et ideo qui vult intrare in eam, necesse est ut aliquantulum evagetur in via illa spatiosa, donec ante considerans aliquando inveniat istam : et cum intraverit in eam, non prout vult, agit. Ex omni enim parte coangustatur, ita ut poeniteat eum intrasse in eam. Ambulant enim tristes, lugentes, jejunantes, etsi manducantes et bibentes, tamen non sine lege timoris manducantes et bibentes. Ambulant pauperes, etsi divites, non sibi, sed aliis : aliena non tangentes, sua dispergentes. Ambulant casti, etsi cum uxoribus, tamen non sine legis timore amorem suum dispergentes, blasphemati, injuriam passi, et spoliati. Et quem non poeniteat, quantum ad carnem, intrasse in eam? Et ne mireris qui dixi, quem non poeniteat intrasse per eam, audi prophetam dicentem : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns (Psal. 72. 3)*. Ideo videntes homines hanc tribulatam et angustam viam, multi recedunt ab ea, et quidam ab initio, nec accedunt ad eam, nec volunt eam videre. Quidam autem concupiscentes volunt eam videre, et accedunt ad eam ; sed dum considerant angustias et

labores ejus, recedunt ab ea. Alii autem audaciores, et intrant in eam ; sed postea, dum non sustinent labores et angustias ejus, iterum reversi egrediuntur de ea. Adhuc autem spatiosa dicitur illa via etiam hæc de causa, quia omnia quæ sunt, uxores, filii, parentes, amici, aurum, argentum, vestimenta, domus, possessiones, omnes species honorum ciborum et potuum, omnia artificia, omnes negotiationes, militia, honores, et quicquid in hoc sæculo est, quod aut visum delectat, aut auditum, aut odoratum, aut gustum, aut tactum, via perditionis sunt : non quia omnes, qui ambulant in illis rebus, peccant, sed quia omnes istæ res ad peccatum compellunt. Via autem vitæ angusta est, quia una est species : id est, abstinencia omnium rerum. Qui enim separat se ab omnibus rebus illis, salvatur. Non dicimus quia omnes, qui sunt in illis, pereunt : sed quoniam qui se separant ab illis omnes salvantur. Separant autem se non corpore, sed animo : non loco, sed actu. Nam quamvis sit in mundo, non videtur esse in mundo, qui non utitur mundo.

#### *Homilia xix. ex capite vij.*

*Christus ostentationem prohibet. Nihil sic bonum pellit ut simulatum bonum.*— 15. *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* : 16. *a fructibus eorum cognoscetis eos*, etc. Supra mandavit apostolus suis Dominus, ne eleemosynas faciatis coram hominibus, ut videantur ab eis, sicut hypocritæ : et ut ne orent, ut ab hominibus videantur, sicut hypocritæ : et ut ne jejunent coram hominibus se ostendentes, sicut faciunt hypocritæ : et docuit illos, ut ne faciant sic, et instruxit eos, quia possibile est in hypocrisi et eleemosynas facere, et orare, et jejunare : propter quod quasi jam ad cognoscendum<sup>1</sup>, quia hæc omnia in hypocrisi fieri possunt, loquitur, dicens : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces*. Quæ sunt vestimenta ovilia? Species videlicet simulatæ religionis. Eleemosyna simulata vestimentum ovile est, non opus ovile. Oratio simulata vestimentum ovile est, non opus ovile. Jejuniium simulatum vestimentum ovile est, non opus ovile : et ceteræ species pietatis, quibus se vestiunt lupi rapaces. Nulla autem res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum. Nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur : malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur, et ideo conjunctum bono exterminat bonum. Sic servi diaboli tunc pessime Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos : de quibus admonet discipulos suos Christus, magis autem nos omnes per illos, dicens : *Attendite a falsis prophetis* : quia magna virtus est hominum cognoscere malum<sup>2</sup>, et firma tutela salutis est scire quem fugias. Hæresis quidem periculosa res est, sed utilis valde. Periculosa quidem, quia multi seducuntur per eam, et pereunt : utilis autem est, quia tentantur fideles per eam, et ab infidelibus segregantur. Qui murmurat de periculo tentationis, murmuret necesse est de prænio probationis. In nullo enim negotio potest requies inveniri, nisi præcesserit labor : quanto magis in spiritualibus rebus, nisi præcesserit tentatio, non potest esse probatio! *Attendite a falsis prophetis*. Primum scire oportet, quia sunt omnino falsi Christiani. Nam nulla res perdit viros Christianos magis quam hæc : quia quoscunque viderint dici Christianos, quasi Christianos eos æstimant. Si enim constat quia sunt falsi Christiani, aut ille est falsus Christianus, aut tu : si non tu, ille : si tu, non ille : si ille, ut quid illum Christianum æstimas, de quo tibi Christus mandavit? Quia Christianus non est, quem Deus suum non confitetur fi-

<sup>1</sup> Montef. in margine conjicit, *cognoscendum*.

<sup>2</sup> V. D. et Editi in marg., *virtus est boni cognoscere malum*.

hiam : tu quomodo tibi existimas fratrem? Sed forte dicis, Quomodo dicere illum possum non esse Christianum, quem video Christum confitentem, altare habentem, sacrificium panis et vini offerentem <sup>1</sup>, baptizantem, Scripturas sanctorum legentem, omnem ordinem sacerdotii habentem? Vir sapiens, si non confitetur Christum, et manifesta esset gentilitas illius, et si seducebaris per eam, insaniam erat, qua seducebaris : nunc autem qui confitetur Christum, sed non sic, quemadmodum mandavit Christus, negligentiam tuam est, si ab eo seduceris. Qui enim in occultam foveam cadit, negligens esse dicitur, quia non caute prospexit : qui autem in manifestam foveam cadit, non negligens dicitur, sed insanus. Quæ autem de similitudine ecclesiasticorum mysteriorum dixisti, hoc audi responsum. Quoniam et similia hominis habet membra, et per omnia hominem imitatur, nunquid propterea dicenda est homo? Sic et hæresis omnia Ecclesiæ habet et imitatur mysteria, sed non sunt Ecclesiæ. Deinde sciens Dominus, quia non erant manifesti gentiles, sed absconditi sub nomine Christiano : ideo non dixit, *Aspicite : sed, Attendite*. Aspicere enim est simpliciter videre : attendere autem, est caute considerare. Ubi enim certa res est et indubitabilis, aspicitur : ubi autem incerta et dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Christus, quia est in illis aliquid, quod aliis pro alio videbatur, aliud desuper positum, aliud intus inclusum : ideo dixit, *Attendite*, ut scias, quia non corporali aspectu attendendum est, sed vigilantia spirituali. Si enim corporaliter illos aspicias, cognoscere non potes, quia schemata Christianitatis habent. Nam, homines passibiles, quomodo potestis videre mendacia veritatis velamine cooperta? Primum ergo attendendum est per opera bona. Si enim opera justitiæ facimus, et a nullo errore decipimur, et ipsi omnem sentimus errorem. Nam ipsa res facit errare, quæ facit alterius errorem non cognoscere. Nam qui non cognoscit mendacium alterius, suam non intelligit veritatem. Ergo quamdiu bona opera facimus, ipsum lumen justitiæ ante oculos nostros adaperit veritatem. Sic et peccata peccantium sensus tenebrescere faciunt, ut non videntes mendacium, cadant in illud. Vide enim ab initio, ex quo inter homines seminatus est error fidei, non error diabolicus fecit homines malos, sed homines mali diabolicum sibi fecerunt errorem. Si error fecisset homines malos, culpa erat Dei, qui tales homines fecit, ut ab erroribus seducauntur : nunc autem culpa est hominis, qui voluntarie elegit errorem : quia non possunt errores prevalere in homines, nisi peccata præcesserint. Prius enim peccatis plurimum excæcatur homo, et sic diaboli seductione deducitur, et cadit in mortem. Quoniam enim sole manente non prævalet nox, cum autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum : sic quamdiu lumen justitiæ in homine fuerit, tenebra erroris eum non apprehendit. Ergo bonis operibus vigilandum est, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. Sicut dicit Sapientia, Impietas trahit hominem ad errorem (Prov. 13. 6). Attendite, sicut admonet, attendite, quasi Deo invito diabolus hæreses introducat : non Deo invito, sed permittente. Si enim gentes non credidissent in Christum, intelligebamus virtutem fuisse diaboli, qui gentes credere non permisit. Nam si diabolus aliquid potuisset, ab initio credere non permisisset : nunc autem ex eo quod omnes gentes crediderunt, sed postea ex credentibus factæ sunt hæreses, manifestum est quia non fuit virtus diaboli, sed permissio Dei. Et quare sic admonet, quasi qui noluerit fieri? Quia non sine iudicio vult servos suos habere, ideo misit tentationem. Quoniam autem non vult per ignorantiam eos perire, ideo admonet. Ideo tentationem mittit ne mali cum bonis conerentur : ideo autem admonet, ne boni cum malis pereant. *Attendite vobis a falsis prophetis*. Scriptum

est, *Omnis lex et prophetæ usque ad Joannem* (Matth. 11. 13) : non quia futuri non erant post Joannem : fuerunt enim et Agabus et Silas et multi ; sed quia prophetia de Christo non erat ventura post eum. Ergo post Joannem prophetia quidem de Christo futuro cessavit, prophetæ autem et fuerunt et sunt : sed non qui prophetarent de Christo, sed qui interpretarentur ea, quæ de Christo ab antiquis fuerant prophetata : id est, doctores Ecclesiarum. Sed et omnes Christiani prophetæ dicuntur, qui in regnum et in sacerdotium et in prophetiam unguuntur. Nec enim potest quis propheticos interpretari sensus, nisi habeat spiritum prophetiæ. Hæc autem diximus, ut ostendamus, quia prophetæ, de quibus loquitur Christus, doctores dicuntur. Sciens ergo Dominus futuros esse falsos doctores hæresum diversarum, contra veros doctores, qui Scripturas propheticas et apostolicas perversa interpretatione confunderent, ideo per apostolos suos omnium Ecclesiarum doctores admonet dicens : *Attendite vobis a falsis prophetis*. Et ne forte dicat aliquis hæreticus doctor, quia non dixit nos falsos prophetas, sed gentilium et Judæorum doctores : ideo addidit dicens : *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*. Quamvis et de Judaicis quidem falsis apostolis et prophetis ista prædicit, tamen de illis Judaicis, qui in Christum quidem fuerant credituri ex eis, perversa autem loquentes secundum suggestionem maligni spiritus, ad corruptionem Christianorum fuerant loquuturi, de quibus cavendis in omni epistola sua sollicitè monet Apostolus : quorum filii sunt et hæretici modo. Oves enim proprie Christiani dicuntur : vestimentum autem ovile est species Christianitatis. Vides quia de hæreticis Christianis loquitur Christus fugiendis, qui a foris in schemate Christiani videntur, ab intus autem confessionis efficacitate gentiles. Et isti multo periculosiores sunt quam illi Judaici : quia illi quidem rejecti ab apostolis, et notati <sup>1</sup>, extra conventum Christianorum erratici vagabantur, hæretici et furtim quosdam corrumpebant incautos ; isti autem quasi fundati Christiani, et Ecclesias suas habentes. Et quid dico? Ecclesias etiam regentes, palam cum libertate subvertunt, et sic multiplicati sunt ex diverso, ut Christiani vagi potius videantur quam illi. Et quomodo non sint periculosi, aut quomodo suadeant multis? Et ne adhuc dicat hæreticus, quia de veris Christianis doctoribus loquitur, qui Christiani quidem sunt, tamen peccatores sunt. Omnis enim Christianus, qui facit peccatum, falsus dicitur Christianus : et verè quidem est : quia Christianus qui facit peccatum, nec pœnitet de peccato, falsus est Christianus. Tamen ut scias, quia non de Christianis peccatoribus, sed de hæreticis doctoribus loquitur : non tantum dixit, *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* : sed addidit, *Ab intus autem sunt lupi rapaces*. Christiani enim doctores, etsi fuerint peccatores, servi quidem carnis dicuntur, quia vincuntur a carne, tamen propositum non habent perdere Christianos, et ideo non dicuntur lupi rapaces. Vides ergo, quia manifeste de hæreticis doctoribus dicat, qui eo proposito schemata Christianorum susceperunt, providente diabolo, ut Christianos iniquo seductionis morsu dilanent. De quilibet lupis ad Ephesios dicebat Apostolus : *Scio quia post discessum meum introibunt lupi graves in vos, non parcentes gregi, et ex vobisipsis exient perversa loquentes, ut abducant discipulos post se* (Act. 20. 29. 30). Audi ergo, qui doctus ab hæreticis, putas te eruditum : et baptizatus ab eis, putas te Christianum factum. Vide, doctores hæretici quid dicuntur a Christo? Devoratores. Si ergo eruditus es ab hæreticis, raptus es, non eruditus, non pastus. Si baptizatus ab eis es, devoratus es, non salvatus. Nam luporum devorare est, non salvare <sup>2</sup>. Quid ergo est? 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Fructus enim hominis est confessio fidei ejus, et opera

<sup>1</sup> Alias, sacrificium corporis et sanguinis Christi offerentem.

<sup>1</sup> Alias, vocati.

<sup>2</sup> Alias, pascere.

conversations ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera, si confessio ejus conveniat cum Scripturis, verus est Christianus: si autem non est quemadmodum Christus mandavit, falsus est. Sic enim et Joannes, cum de hæreticis scripserat epistolam, non dixit, Si quis venerit ad vos non habens nomen Christi, nec ave ei dixeritis: sed, *Si quis non attulerit istam doctrinam* (2. Joan. 10). Indicium Christianitatis non ad nomen Christi retulit, sed ad confessionem: quia non nomen solum Christi Christianum facit, sed etiam veritas Christi: quia in nomine Christi multi ambulat, in veritate autem ejus pauci. Deinde vide. Numquid ovis lupum persequitur aliquando? Non, sed lupus ovem. Sic enim et Cain persequens est Abel, non Abel Cain. Sic Ismael persequens est Isaac, non Isaac Ismael. Sic et Esau Jacob, non Jacob Esau. Judæi Christum, non Christus Judæos: hæretici Christianos, non Christiani hæreticos. Ergo, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Si quis lupum cooperiat pelle ovina, quomodo cognoscas illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinatus deorsum balat, lupus in aera convertit caput suum contra cælum, et sic ululat. Qui ergo secundum Deum vocem humilitatis et confessionis emittit, ovis est: qui vero adversus veritatem turpiter blasphemias ululat contra Deum, lupus est: sicut dicit propheta de illis: *Iniquitatem in excelso loquuti sunt, posuerunt in cælum os suum* (Psal. 72. 8. 9). Ovis herbas manducet, lupus carnisus delectatur. Quem videris ergo de pratis Scripturarum herbas floridas justitiæ colligentem, ovis est: quem videris autem in sanguine persecutionis gaudentem, lupus est. Adhuc autem considera an virtutes, quas facit, utiles sint an inutiles. Utiles sunt, quæ mirabiliter fiunt, et ad salutem proficiunt: ut puta infirmos sanare, et alia hujusmodi, quæ fecit Christus. Vacuæ autem sunt, quæ admirationem quidem faciunt videntibus, utilitatem autem afferunt nullam: ut puta volare per aerem, sicut et Dominum diaboli hortabatur: status facere ambulare<sup>1</sup>: aut commoceri flammæ, et non comburi: et alia qualia Simon fecit. Nam plena opera ex Deo sunt, quia et ipse est plenus: vacua autem ex diabolo, sicut et ipse est vacuus et vanus. Nam quia quædam mirabilia fiunt ex Deo, quædam autem ex diabolo, demonstrat Nicodemus. Non enim dixit, *Nemo facit signa, nisi sit Deus cum illo*: sed, *Nemo facit hæc signa, quæ tu facis, nisi sit Deus cum illo* (Joan. 5. 2). Et tunc quidem ex hoc solo cognoscantur falsi prophete et veri, si utilia aut inutilia facerent signa. Nunc autem, quia futurum est, ut etiam ex parte bona faciendorum signorum diabolo detur potestas, etiam aliud querere debemus: si necessarium est secundum tempus, aut non est necessarium. Si enim mirabilia Christus propter confirmationem infidelium faciebat, non propter ipsos quos sanabat; ipsos enim in fide sanare poterat, non in signo: manifestum est, quia modo cum nullus sit infidelis, faciendorum miraculorum necessitas non est. Ergo si inutile fecerit signum, falsus propheta est: quia non facit, ut alium adificet in fide, sed ut se ostendat in opere.

*Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Uva mysterium habet in se Christi. Sicut enim lotrus multa in se grana, ligno mediante, suspendit: sic et Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adjuunctos. Similiter et sicut ficus multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic et multos fideles quædam dulci caritatis amplexu una tenet Ecclesia. Et sunt in ficu signa hæc: caritatis quidem in dulcedine, unitatis autem in conjunctione granorum, sicut scriptum est: *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (Psal. 67. 7). In uva quidem est patientiæ signum, quia in torcular mittitur: gaudii autem in spe, quia *Vinum latificat cor hominis* (Psal. 103. 15); sinceritatis, quia non est aqua permixtum, et delectatio sinceritatis. De his scriptum est: *Fructus autem*

<sup>1</sup> Alias, *statuens super pinnam templi ambulare*.

spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas; adversus hujusmodi non est lex (Gal. 5. 22. 23). Spinæ autem sunt hæretici, sicut sermo ipse demonstrat superius dicens: *Attendite a falsis prophetis*. Ergo non possunt spinæ et tribuli ecclesiasticos fructus proferre. Sed quid proferunt? Vulnura, tribulationes, et cætera mala. Quemadmodum spina, vel tribulus, ex quacunque parte illam conspexeris, habet aculeos: sic et servos diaboli ex quacunque parte consideraveris, iniquitatibus pleni sunt. Si loquitur, in dolo loquitur; si tacet, male cogitat; si irascitur, insanit; si patienter agit, tempus expectat nocendi, et opportunitatem considerat, quando noceat. Si male agit, non erubescit; si bene facit, ad vanam gloriam propter homines facit. Quomodo proferat bonum fructum, cuius radix diabolus est? Sub arbore bona et bestię et animalia requiescunt: sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes. Sic juxta fideles homines et boni et mali homines pacem habere ac accipere possunt<sup>1</sup>: juxta autem infideles homines nemo potest pacem habere, neque requiescere in eis, nisi tantummodo serpentes, id est, demones, qui habent cubilia in pectoribus eorum. Fructus eorum nulli procedunt ad usum: umbra refrigerii non est in eis. Et verum est quidem, quia spinas et tribulos omnes iniquos hæreticos appellavit: tamen forsitan sciens Dominus hanc hæresim esse prævalituram præ omnibus, tribulos eos appellavit, quasi Trinitatis professores, et triangulam impietatem in sua perfidia bajulantes. 18. *Non potest arbor bona fructus malos facere: et non potest arbor mala facere bonum fructum*. Non dixit, *Arbor mala non potest fieri bona, neque arbor bona, mala*. Alioqui qui malus est, a Deo esset, quod malus est: et qui bonus est, a Deo esset, quod bonus est. Nunc autem sic dicit, *Malus non potest facere fructus bonos: id est, quamdiu malus est. Si vero factus fuerit bonus, potest: ut unusquisque, quod malus est, aut bonus, voluntatis ejus sit, non naturæ. Nam si volebat, et non poterat fructus bonos proferre, naturæ erat: si autem potest, et non vult, arbitrii est, non naturæ. Ergo servus Dei non potest facere malum: et si videtur tibi aliquando, quod male fecit, considera caute ipsum malum ejus, et invenies eum ab intus esse bonum. Nam ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est, quia propositum bonum malum opus excusat: malum autem opus bonum propositum non condemnat. Vidisti Moysen homicidium facientem, sed non propter suam injuriam, sed propter servorum Dei vindictam. Vidisti Jacob aliud loquentem in lingua, aliudque habentem in corde, cum diceret ad Esau, quia *Vidi faciem tuam, sicut qui videat faciem Dei* (Gen. 33. 10), sed non ut eum deciperet, sed ut compesceret. Similiter malus non potest facere bonum: et si videtur tibi facere bonum, considera caute ipsum bonum, et invenies illud ab intus esse malum. Nam quod ex proposito malo fit, etiam bonum, malum est: nam bonum opus malum propositum non excusat: malum autem propositum bonum opus condemnat. Si videris infidelum humilem, aut mansuetum, scito quia subdolos est in corde. De talibus enim dicit propheta: *Molliti sunt sermones ejus super oleum et ipsi sunt jacula* (Psal. 54. 22). Si videris eum bona opera facientem, intellige quia propter homines facit. De illis enim dicit Dominus: *Omnia faciunt, ut ab hominibus videantur*. Sicut ergo bonorum hominum omnia opera, etiam mala, bona sunt: sic malorum hominum omnia opera, etiam bona, mala sunt. Si ergo videris aliquem, Deum in veritate non colentem, quasi bonum, ne credas oculis tuis, ut et dicas bonas vitæ illum: sed crede magis Deo, quam tibi qui dixit: *Non potest arbor mala facere fructum bonum*. Si au-*

<sup>1</sup> V. D., *pacem capere possunt*. Editi in marg., *pacem habere, ac se capere possunt*.



tem dieis illum bonum, mendacem fecisti Christum. tu enim vides quæ sunt in facie. Deus autem quæ sunt in corde. Sicut enim in horto sunt multæ arbores fructum inutilem facientes, in silvis autem non invenitur bonum faciens: si autem faciunt, aut insipidum faciunt, aut acerbum: sic in Ecclesia, quæ hortus est Christi, Salomone dicente, *Hortus conclusus, fons signatus, soror mea, paradisi cum fructu pomorum* (Cant. 4. 12. 13), multi sunt mali. In Ecclesiis autem hæresum, quæ sunt silvæ desertæ, nemo est bonus: quia etsi aliquis est bonus, propter homines est bonus, et non propter Deum<sup>1</sup>. Hæc secundum fidem dixi: quæ sunt autem secundum rationem audi: Quicumque facit aliquid, est propter quod facit: et nemo facit aliquid propter nihil. Qui pugnat, propter prædam, aut propter gloriam victoriæ pugnat: qui navigat, propter necessitatem, aut propter lucrum navigat. Sicut nihil potest sine radice nasci, sic nihil potest fieri sine causa. Sic qui bonum facit, aut propter retributionem regni cælestis facit, aut propter iudicium pœnæ. Interrogo ergo te, infidelis propter quid faciat bonum? Propter iudicium pœnæ, dicis. Sed non timet Deum. Quomodo autem timeat Deum, ne peccet in opere, qui non timet Deum, ne peccet in fide<sup>2</sup>, cum sit pejus male credere, quam male agere? Propter retributionem, dicis. Sed non sperat in Deum, qui non curat utrum mendaciter credat, an vere, cum sit melius bene credere quam bene agere: quoniam fides sine operibus aliquid est, etsi mortua est: opus sine fide nihil est. Ut quid ergo facit bonum? Ut videatur ab hominibus, et laudetur: et ideo bonum illius malum est. Si enim sine labore poterat homo bonum facere in hoc mundo, credibile erat ut infidelis bonum faceret propter hoc ipsum bonum: quia bonum facere bonum est. Nunc autem, cum hominibus in carne viventibus sic contrarium sit bonum facere, sic difficile, et prope impossibile, ut neque magni illi sancti perfecte potuerint explere quod bonum est: quomodo infidelis faciat bonum cum tanto luctamine, nullam spem habens retributionis præ oculis suis? Quis agonem suscipit sic periculosum, unde palmam non sperat? Quid ergo? Sine dubio sperat aliquid, ideo facit bonum. Quid illud? Ut mercetur ab hominibus gloriam vanam. Nam multam dat virtutem homini ad laborandum concupiscentia vanæ gloriæ, et si cum indulgentia possum dicere, majorem dat virtutem homini hypocritæ concupiscentia vanæ gloriæ, quam fidelibus spes regni cælestis. Et hæc est ratio: contra spem regni cælestis adversatur natura carnis: concupiscentia autem vanæ gloriæ ex carne est, et ideo consentit ei carnis natura<sup>3</sup>. Ideo ergo dicit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum*: quia et mala arbor videtur facere justitiam, sed non bonam, nec ad usum proficientem. Nam qui propter Deum facit justitiam, Deus illam facit<sup>4</sup>: qui autem propter vanam gloriam facit bonum, diabolus illud facit bonum, diabolus delectatur in eo. Falsos ergo Christianos, quos Deus in ignem mittendos promittit, quomodo tu putas participes gloriæ tuæ? 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum celorum, sed qui facit voluntatem Patris mei*. Falsos prophetas, de quibus cavendum erat loquutus, non alios esse, nisi falsos Christianos, et falsos Christianorum prædicatores, his verbis manifeste demonstrat. Gentiles enim, aut Judæi, priusquam credant, non dicunt Christo, Domine, Domine: sed illi soli, qui tam ex Judæis quam ex gentilibus visi sunt quidem credidisse in Christum, conversantes autem et prædicantes contra voluntatem Dei et Christi præceptum, facti sunt falsi prædicatores. Item quoniam falsos pro-

phetas et veros ex fructibus eorum docuit esse discernendos, hic jam manifestius docet, qui sunt fructus, quibus discernuntur probi doctores et reprobi. Qui enim dicunt tantummodo Christo, Domine, Domine, et non faciunt Dei voluntatem, reprobi sunt: qui autem et dicunt Christo, Domine, Domine, et faciunt voluntatem Dei, illi soli probabiles sunt. Quæ autem est voluntas Dei, ipse Dominus docet. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt Filium hominis, et credit in eum, habeat vitam æternam* (Joan. 6. 40). Ergo voluntatem Dei facere, hoc est credere in Christum. Sicut et alibi Judæis interrogantibus, *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* respondit, *Hæc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit* (Ibid. v. 28. 29).

*Quid sit credere, vel non credere Christo.* — Credulitatis autem sermo et ad confessionem respicit, et ad actum. Qui ergo sic constituit Christum, sicut ipse docuit, ille credit Christo: qui autem non sic constituitur, quomodo docuit, ille non credit. Et si conversatur, quomodo mandavit ille, credit Christo: et qui non sic conversatur, quomodo ille mandavit, non credit Christo. Credere enim Christo obedire est Christo: qui autem aut non constituitur, aut non conversatur secundum verbum ejus, ille obaudit Christo, nec credit: propterea tam ille quam iste non intrabunt in regnum celorum. (a) 22. *Multi dicunt mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* In qua die? Quando venerit in majestate sua, et separaverit eos ab invicem, sicut pastor gregem suum: quando jam nemo ausus est garrula contentione sermonum aut mendaciam defendere, aut contradicere veritati: quia tunc jam non mundialis et vana gloria desideratur, sed flamma iudicii et pœna timetur: in illo die, quando os non loquitur, opus non absconditur, sicut in hoc tempore, sed e contra opera singulorum loquentur, et ora tacebunt: non quando persona interrogatur, et conscientia non videtur, sed e contra conscientia discutitur, et persona confunditur, dicente Apostolo: *Cogitationibus invicem se accusantibus, aut etiam defendentibus* (Rom. 2. 15); in illa die, quando nemo excusat peccatores, sed omnes accusant, nec alter pro altero intervenit, sed singuli ibi timebunt, quia in illo iudicio non erunt testes adulatorum homines, sed angeli veraces non erunt iudicantes personarum acceptores homines, sed Deus justus, *Qui reddet unicuique secundum opera sua* (Ibid. v. 6). Quam proprie timentium hominum et angustias patientium vocem expressit, dicens: *Domine, Domine*. Non enim semel sufficit illi dicere, Domine, quem necessitas timoris adstringit. *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* Considera quia, *In nomine*, dicunt, non, *In spiritu*: quia in nomine Christi multi ambulavit, qui non habent spiritum Christi, seducendi causa.

*Christianus quomodo cognoscendus.* — Ideo non ex nomine Christi cognoscendi sunt Christiani, sed de spiritu Christi. Ergo prophetant in nomine Christi, in spiritu autem diaboli: quales sunt divinatores. Sed sic discernuntur, quoniam diabolus interdum verum dicit, sanctus autem Spiritus numquam interdum mentitur. Concessum est autem diabolo et interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Si autem numquam diceret verum, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus. *Et in nomine tuo demonia eiecimus*. Dæmonia enim eiciunt in nomine Christi, habentes spiritum inimici: magia autem non eiciunt, sed eicere videntur, colludentibus sibi dæmonibus ipsis; et ideo semper eiciunt, et numquam sanant. Semper ante illos dæmones quasi castigati clamant, et numquam quasi timentes recedunt. *Et in nomine tuo virtutes multas fecimus*. Faciunt et virtutes, secundum ea quæ diximus, non utilia et necessaria, sed inutilia et vacua. In omnibus ergo secundum Christi præceptum discutiendi sunt fructus eorum. Si bona conversatio est eorum, et confessio

<sup>1</sup> Cod. V. D., *Propter homines est, et non propter Deum*.

<sup>2</sup> Idem, *qui non timet ne peccet in fide*.

<sup>3</sup> Sic V. D. et Editi in marg.; in textu vero, *consistit ex carnis natura*; minus recte.

<sup>4</sup> Sic idem in marg. Editi in textu, *Deus illam man-*  
*stavit*

(a) Sic incipit Homilia in Cod. V. D.



vera. Si autem aut confessio conversationi non convenerit, aut conversatio confessioni, falsus est. 25. *Tunc jurabo illis, quia nescio qui estis. Tunc; usque tunc autem sustinebo; quia grandem iram grandis dilatio præcedere debet, et grandis dilatio justius facit esse judicium Dei, et digniorem interitum peccatorum. Sciendum quia peccatores nescit Deus, quia nec digni sunt, ut cognoscantur a Deo. Sicut enim et Apostolus ait: *Cognovit Dominus, qui sunt ipsius (2. Tim. 2. 19)*. Non quia non cognoscit ipsos, sed suos illos esse non cognoscit: ideo qui pereunt, non fuerunt illius. Aut quomodo te Deus cognoscat, cum tu Deum cognoscere nolis? Sicut enim omnes homines naturaliter cognoscunt Deum, non autem videntur vere cognoscere, quia non digne colunt, sicut servi dominum, sicut factura factorem, et hoc est secundum naturam quidem cognoscere, non autem secundum voluntatem: sic et Deus naturaliter omnes cognoscit, sed non eos videtur vere cognoscere, quia non eos diligit quasi factor facturam, quasi dominus proprios servos. Et hoc est secundum naturam cognoscere, non autem ex voluntate: quia omne malum extraneum est a Deo. Jurat autem Christus, non ut illam veritatem commendet, sed ut illorum incredulitatem condemnet. Non enim, si non juraverit Christus, mentitur, sed ut illi amplius confundantur firmiori responso: quoniam qui mendax est, neminem putat dicere veritatem, neque ipsum Deum. Qui enim non seductioni diaboli deceptus mentitur, sed proposito mendax est, numquam desinit esse mendax, neque post mortem. Nam mors quidem animam a carne separat, animæ autem propositum non immutat. Vis scire? Considera eos etiam post mortem mentientes: *Domine, in nomine tuo hoc et hoc fecimus*. Numquid nesciebant ipsi apud se, quia numquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem ejus? Sed putant se, sicut in hoc sæculo homines deceperunt, sic et ibi etiam Deum fallere posse. Ideo etiam non dicit illis, *Discedite a me qui operati estis iniquitatem*: sed, *Qui operamini*: quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui: quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent.*

*Homilia xx. ex capite vij (a).*

*Verò Christiano quid faciendum sit. Fortitudo fidei petra dicitur. Hæretici numquam concordēs. — 21. Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram.* Frequenter miramur, quod homines aut promissionibus flexi, aut terroribus fracti, aut persuasionibus falsorum doctorum circumventi, relinquunt fidei veritatem, et ad mendacium infidelitatis transmigrant. Quod si vel hanc unam sententiam Christi caute intelligeremus, et recordaremur, numquam de perditione talium hominum stuperemus. Quomodo enim permaneat apud Christum, qui numquam stetit in Christo? aut quomodo teneat eum veritas, qui numquam tenuit veritatem? aut quomodo servet eum justitia, qui justitiam non servavit? *Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea.* Quæ verba? Quæ superius dixit: ut qui vult esse Christianus verus, non solum non occidat, sed nec irascatur sine causa: non solum non perjuret, sed nec juret: non solum non fornicetur, sed nec usque ad oculum concupiscat: non solum non percutiat, sed nec percussus repercutiat: non solum aliena non tollat, sed etiam cogenti dimittat: non solum amicos sincere diligat, sed etiam inimicos. Eleemosynas faciat non coram hominibus: orationibus instet intrans in cubiculum suum: jejunia celebret non cum tristitia: non judicet fratrem suum peccantem, sed suæ infirmitatis consideratione ignoscat: non det sanctum canibus, neque margaritas suas mittat ante porcos. Petat, quarat, pulset, et accipiet. Attendat autem a falsis prophetis. Qui ergo

(a) Hæc homilia in Cod. V. D. præcedenti jungitur.

se talibus edificaverit mandatis, quomodo potest firmi, ut aliquando fractus tentationibus cadat? Aut e contra quomodo percussus tentationibus stabit, qui se nullius justitiæ fundamento ligavit? Quis ista custodivit, et cecidit? Culpamus Deum, quia non custodivit. Si autem illis prævalet fortitudo diaboli, in quibus justitia Christi non invenitur, magis in illorum perditione laudandus est Deus, quam culpandus: quia si soli pereunt, qui mandata Christi contemnunt. *Similabo eum viro sapienti.* Non dixit, *Æstimabo eum virum sapientem*: sed, *Similabo eum viro sapienti.* Ergo alter est, qui similatur, alter est vir, cui similatur. Ergo qui similatur, est homo: cui autem assimilatur, Christus. Christus enim sapiens est vir, qui edificavit domum suam, id est, Ecclesiam, supra petram: id est, supra fortitudinem fidei. Nam et fortitudo fidei petra dicitur, propter quam Simon Petrus dicitur est, ad quem dicit Deus: *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (Matth. 16. 18)*. Quis est vir stultus? Diabolus, de quo dicit Jeremias: *Clamavit perdit: congregavit filios quos non genuit: fecit divitias suas non cum judicio; in medio dierum derelinquet eas: et in finem erit stultus (Jer. 17. 11)*. Iste ergo diabolus insipiens vir edificavit domum suam super arenam. Donus enim ejus ante Christum fuerunt omnes gentes. Sicut enim sancti domus facti sunt Christi, ita et impii domus sunt inimici. *Edificati autem fuerunt super arenam, id est, super inconstantiam infidelitatis.* Si enim constantia fidei dicitur petra, recte et inconstantia infidelitatis arena vocatur: id est, idololatria, quæ per varias idolorum culturas semper dispersa est. Aut certe super arenam: id est, super carnales homines ac infideles. Ideo tales homines arena dicuntur, non terra: quoniam terra quidem fructum facit, arena autem sterilis manet. Deinde quia terra quidem unita est, et in seipsam constricta, arenæ autem grana non conveniunt sibi, nec adhærent ad invicem: sic sunt et omnes infideles, qui sub diabolo sunt: non sunt uniti, nec unum sapiunt, sed sunt per diversas opiniones dispersi; et alius quidem sic dicit, alius autem sic. Sic et dogmata philosophorum nos docent, quæ sunt contraria sibi semper. Eo modo perfidia hæreticorum, qui numquam sapiunt unum, sed quot sunt, tot sententias habent. Propter quod arenæ assimilatur omnis diaboli populus. Populus autem Dei non solum unitus est, quasi terra, quæ quamvis compacta sit, tamen solubilis est: sed est sicut lapis constrictus et indissolubilis. Tertio, quia diaboli populus non numerabilis est, sicut arena: Dei autem, ex multis vocatis pauci electi. Pluvia autem est doctrina: quia sicut pluvia irrigat terram, ut proferat fructum, sic doctrina hominem irrigat, ut justitiam operetur. Sicut dicit Deus per Isaiam de tollenda a Judæis doctrina: *Et mundabo, inquit, nubibus, ne pluant super eam pluviam (Isai. 5. 6)*. Nubes enim dicuntur prophetæ et apostoli: quia sicut nubes bajulant pluviam, et effundunt eam super terram, sic et prophetæ et apostoli accipiunt verba a Deo, et effundunt super rationabilem terram. Sunt autem nubes quæ a Spiritu sancto excitantur, et sunt nubes, quæ a spiritu potestatis aeris, sicut dicit propheta: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris (Psal. 17. 12)*. Nubes enim, quæ a Spiritu sancto excitantur, candidam bajulant aquam, id est, veram et sanctam doctrinam. Quæ autem a spiritu potestatis aeris, tenebrosam bajulant aquam, id est, falsam et impiam doctrinam, quæ non illuminat, sed tenebrescere facit mentes eorum, qui suscipiunt eam. Venti autem, ex parte quidem mala, sunt immundi spiritus, qui intra præcordia hominum flant: ex parte autem bona, spiritus diversarum virtutum, vel angeli, qui invisibiliter in sensibus hominum operantur, et adducunt ad bona. Et vide proprietatem rerum. Pluviæ proprium est mollire et solvere: ventorum autem cum virtute urgere. Sic ergo impiorum nubes falsa sua doctrina et promissionibus molliunt

homines, et blandimentis et persuasionibus solvunt: diabolo autem intrat in corda eorum, quasi ventus, et invisibiliter urget consentire mendacis eorum, vel in cætera peccata compellit. Sic et in parte bonæ sanctæ nubes doctrinam justitiæ persuadent hominibus, et rationabiliter placant: Spiritus autem sanctus vel angeli, quasi prosperi venti, prosperantes in cordibus, faciunt homines acquiescere veritati. Sicut enim non est possibile, ut ex sola pluvia fructificet terra, nisi flaverit super eam ventus: sic non est possibile, ut sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius. Flumina autem sunt, ex parte quidem mala, hominis immundo spiritu pleni, et in verbositate structi: quales sunt philosophi dogmatum diversorum, oratores, grammatici, cæterique non secundum Deum sapientes: de quorum ventre exeunt flumina aquæ mortuæ<sup>1</sup>. Ex parte autem bona, evangelistæ, doctores populi, cæterique sapientes secundum Deum: de quorum ventre exeunt flumina aquæ vivæ. Ecclesiam ergo, quam Christus vir sapiens super petram ædificavit, neque pluvia mendacis doctrinæ corrumpit, neque diabolicus ventus impellit, neque violentorum fluminum impetus movet. Nam etsi humiliatur Ecclesia propter tentationem, tamen perire non potest propter fidem Christi. Nec est contrarium, quod quidam de Ecclesia cadunt: illi enim numquam Christiani fuerunt. Sicut non omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ: sic non omnes qui Christiani dicuntur, sunt et Christi. Christianorum enim opera sunt aspicienda, non nomina. Dicit enim Apostolus: *Cognovit Dominus qui sunt ipsius; et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini* (2. Tim. 2. 19). Ergo qui discedit ab iniquitate, ille est Christi, non qui vacue nominat nomen Christi. Illi enim tales nec super petram fidei erant ædificati, sicut inferius ostendemus. Adversus domum autem, quam ædificaverat stultus sibi super arenam, id est, adversus gentiles et omnes impios, qui sunt diaboli domus, descendit pluvia, id est, veritatis doctrina per propheticas et apostolicas nubes: flaverunt venti, id est, gratiæ spirituales, aut angeli, qui invisibiliter operantes, homines ad fidem veritatis inclinant: venerunt flumina, id est, quatuor evangelistæ, aut cæteri sapientes, et impegerunt in domum illam, et sic cecidit domus diaboli, et spiritualibus instrumentis erecta est domus Christi. Et ne mireris quia gentes venientes ad fidem cecidisse dicuntur. Ceciderunt enim diabolo, ut surgerent Christo. Ecce enim omnis homo quamdiu ambulat in peccatis, diabolo stat, Christo autem jacet: cum autem conversus fuerit ad justitiam, diabolo quidem cadit, Christo autem surgit. Dicit enim propheta de hominibus liberatis a Christo: *Ascendit in altum, captivum duxit captivitatem* (Psal. 67. 19). Item Dominus: *Quamdiu fortis armatus custodit domum suam, in tuto sunt omnia ejus: cum autem venerit fortior, diripiet vasa ejus* (Luc. 11. 21. 22): videlicet homines impios, ex quibus ædificata fuerat diabolo domus. Si ergo secundum prophetiam captivi dicuntur, quantum ad diabolum, quantum ad Christum, ad libertatem fidei sunt conversi. Si direpti dicuntur secundum Christum, consequenter et cecidisse dicuntur, quantum ad statum suum priorem, qui surrexerunt in fide. 27. *Et facta est ruina ejus magna: videlicet idolis in toto mundo destructis, mendacis in tota terra convictis, erroribus solutis: quia totus mundus diabolo cecidit, Christo autem surrexit.* Sic ergo domum, quam stultus ædificaverat super arenam, sapiens Rex spiritualibus armis sanctorum suorum destruxit: domum autem, quam sapiens Christus ædificavit super petram, stultus diabolus fallacibus argumentis ministrorum suorum numquam poterit dissipare. Huic ergo viro sapienti Christo similis est Christianus omnis, qui ædificat se super petram, id est, Christum. Qui eum audit verba Christi, et facit

ea, ipse est, qui ædificat se super petram Christum. Christus enim caritas est, et qui se ædificat in caritate, super petram Christum se ædificat. Qui ædificat se in mansuetudine, ædificat se super petram, id est, Christum: Christus est enim mansuetudo. Qui ædificat se in castitate, ædificat se super petram Christum: Christus est enim castitas. Qui ædificat se in misericordia, ædificat se super firmam petram Christum: Christus enim misericordia est, et in quacumque specie boni ædificaverit se homo, super petram Christum se ædificasse videtur: quia omne bonum est Christus. Similis autem est Christo, quoniam sicut Christi Ecclesiam ædificatam super petram nulla eam adversitas diruere potest: sic talem Christianum, qui se ædificaverit super Christum, nulla eum adversitas diruere potest, ut dicat cum Paulo: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia* (Rom. 8. 35), etc. Stulto autem diabolo similis est omnis Christianus, qui se ædificat super arenam. Super arenam autem ædificat se, qui audit verba Christi, et non facit ea. Verba enim, quæ non convertuntur ad opus, arena sunt spargibilis. Sicut enim grana arenæ non conveniunt in unum, neque adhærent ad invicem, sed semper sunt separata: sic verba, quæ audiuntur, et non convertuntur in unam justitiæ massam per opus, separata sunt et dispersa. Et ideo assimilantur arenæ, quæ numquam in semetipsa conjungitur. Ergo super arenam se ædificat omnis Christianus, qui ex auditu solo verborum credit in Christum, et non per opera bona se confirmat in Christo. Sed et qui facit opera mala, super arenam ædificat. Arena enim est omnis malitia, sicut diximus supra: et qui in bonis mundialis instruit, se super arenam ædificat. Similis autem stulto diabolo est, quia sicut diaboli domus, id est, idololatria, a Christo destructa est per opera ministrorum ejus et gratiarum: sic et ille hodie aut cras destruendus est a diabolo per opera ministrorum ejus, vel dæmonum, vel hominum impiorum, et tales hi sunt, quos cadere de Ecclesia significavimus supra, eo quod non se ædificaverint super petram, sed magis super arenam. *Et erit ruina ejus magna.* Quomodo magna? Sicut enim domus, quæ habet validum fundamentum, si pars aliqua parietis vel tecti ceciderit, ruina ejus magna non erit, quia potest fieri ut iterum reparetur; si autem fundamentum ejus casum fuerit passum, tunc est ruina ejus magna, quia tota venit deorsum: sic et Christianus, si aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidium fecerit, cecidit quidem, tamen ruina ejus magna non est, quia iterum poenitentia surgere potest sicut David. Si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passum, id est, si prævaricatus fuerit, et ad gentiles, aut hæreticos transierit, tunc est ruina ejus magna, quia totus funditus ruit. 28. *Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.* Placatus rationabiliter intellectus hominis laudem generat: victus autem, admirationem. Quicquid autem digne laudare non possumus, hoc admiramur. Admiratio tamen eorum magis ad Christi gloriam pertinebat, quam ad fidem ipsorum. Non enim ideo mirabantur, quasi credentes in Christum, sed quia irreprehensibiles audierant sermones. Si autem credentes in Christum essent, non mirarentur, sed potius crederent. Nam omne dictum aut factum illud movet admirationem, quod superat facientis aut dicentis personam. Utpote, si homo tale aliquid dicat aut faciat, quod excedit mensuram naturæ ejus. Quamvis autem magnum sit, quod Deus dicit aut facit, tamen minus est quam Dei potentia. Ideo quicquid a Deo factum aut dictum audimus, non admiremur, quia omnia minora quam Dei potentia. Tamen audiebat populus eum silentio et gravitate, et admirans proficiebat in verbis ipsius: quia admiratio, etsi ipsa non est ex fide, tamen invitatio est ad fidem. Nam qui admiratur de verbis doctrinæ, quamvis adhuc non credat, tamen jam in ipso limine credulitatis consistit, ut credat. Turbæ erant quæ mirabantur, id est, populus vulgaris,

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg.: *Cæterique secularis sapientiæ professores... exeunt flumina mendacis doctrinæ.*

Non erant illic Pharisæi, aut principes populi, aut sacerdotes, qui solent non discendi studio audire, sed contradicendi, non ut aliquid salutis acquirant, sed ut aliquid calumniæ inveniant. Et ideo simpliciter audiebat populus simplex. Si autem aliqui eorum affuissent, sine dubio silentium et gravitatem populi, sicut consueti fuerant, contradictionibus suis conturbassent: quia ubi major scientia, illic malitia fortior. Qui enim festinaverat esse prior, difficile contentus erat esse secundus. *29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens.* Omnis doctor servus est legis, quia neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu, neque subtrahere aliquid secundum proprium intellectum, sed hoc tantummodo prædicat, quod habetur in lege. Nec enim potest mens humana directare, id est, extra rectum facere, scilicet perversum vel malum ostendere, quod sapientia divina dictavit. Sic enim ait Moses ac Salomon: *Non addas verbis Dei, neque detrahas inde (Deut. 4. 2. et 12. 32. et Prov. 30. 6).* Qui autem hoc ausus fuerit facere, se sapienterem putat esse quam Deum, et incipit esse falsus testis, quia illud dicit quod nec auris audivit, nec oculus vidit. Christus autem dominus legis est, et subtrahere potest de lege, quod propter necessitatem temporis jussit. Utpote, propter duritiam cordis jussum fuerat dare libellum repudiij. Dominus illud quasi potestatem habens subduxit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet (Matth. 19. 6).* Item etiam addidit, quod propter infirmitatem hominum minus fuerat jussum: ut puta, *Antiquis dictum, Non occides: ego autem dico, Non irascaris (Matth. 5. 21. 22).* Ideo ergo mirabantur, quia non quasi servus legis sub potestate constitutus illud docebat quod fuerat jussum, sed quasi dominus legis, et habens potestatem, sua auctoritate addebat super quam fuerat dictum, dicens: *Antiquis dictum est hoc: ego autem dico hoc.*

*Homilia xxj. ex capite vij.*

1. *Et descendente eo de monte, sequuntur eum turbæ multæ, etc.* Vide quia super montem discipuli tantum dicuntur ascendisse ad Jesum: descendente autem eo de monte, sequuntur eum turbæ, et merito multe turbæ: quia mons est virtutis fastigium, cacumen Ecclesiæ, in quo appropinquare Christo non possunt turbæ, vel peccatis gravatæ, vel curis mundalibus oneratæ. Nec possunt imitari Christum, nec sublimes audire sermones, qui dicuntur in monte: sed soli discipuli, qui a passionibus vitiorum liberi sunt, qui curis mundalibus onerati non sunt. Propterea, quasi leves et expediti, ad Christum accedere possunt, facti imitatores ejus in omnibus, ut sublimiores sermones ipsius possint audire. Et tamen cum descenderet ad humilia de altitudine pietatis propter infirmitatem hominum sequi eum non potentium super montem, tunc sequuntur eum turbæ multæ.

2. *Ecce leprosus.* Sciendum est, quod Lucas quidem et Marcus statim in primis ponunt dæmoniacum curatum, in secundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium liberatam, ea videlicet ratione, quia major cura Dei est de salute animæ, quam de salute carnis (*Luc. 4. Marc. 1*). Primum quidem, quia dignior est anima quam caro. Anima enim sine carne vivere potest, caro autem sine anima vivere non potest. Secundo autem, quia in omni peccato prius anima peccat, postea caro. Nam nisi anima prius fuerit victa, nunquam caro potest peccare. Caro quidem prius concupiscere malum potest, peccare autem non potest, nisi anima illi consenserit, quia caro in potestate animæ est, non anima in potestate carnis. Ideo ergo necessarium fuit, ut anima quæ prius ceciderat, ante resurgeret. Deinde anima liberata a potestate diaboli carnem suam liberare potest a peccato<sup>1</sup>: caro autem salvata ab infirmitate animam liberare non po-

test a peccato, sed magis eam everit, quia incolemitas carnis semper impugnat justitiæ disciplinam. Hic autem Matthæus statim leprosum ponit mundatum in mysterio carnis. Quid ergo? præterit rationem, quam alij evangelistæ tetigerunt? Non, sed abundanter eam exposuit. Pro eo enim, quod illi posuerunt dæmoniacum curatum in mysterio animæ, iste propter salutem animæ posuit Christum docentem in monte: quod alii non dixerunt. Nam sicut effugatio inmundi spiritus liberat animam de potestate peccati, quod fit per suggestionem diaboli: ita et verbum doctrinæ solvit operationem diaboli, et animam liberat ab errore, liberat a peccato, caterisque malis, quæ diabolo suggerente nascuntur: quia non solum ille diabolum potitur, cujus corpus vexatur ab eo, sed etiam omnis, qui facit diaboli voluntatem, pejus vexabitur ab eo. Leprosus autem ponit in mysterio carnis sanatus. Lepra enim passio est carnalis. Sed ne forte diceret populus apud se, Verba quidem magna, et terribilia sunt, sed opera nulla: dicere granditer non est multum: facere multum est: ideo excitavit leprosum, ut mundationis illius miraculo præcedentibus verbis auctoritatem præstaret: ut in verbis mirabilis, mirabilior esset in opere. Ecce leprosus, quasi jam præparatus, descendenti illi occurrit. Et forte et ideo descendit: ut leprosum mundaret. Lepra enim est peccatum animarum nostrarum. Ideo ergo Dominus de altitudine cæli, quasi de excelso monte, descendit, ut lepram peccatorum nostrorum mundaret. Quare, putas, iste inter cæteros non ascendit in montem, ut audiret sermones divinos? Quia lepra erat gravata, et peccatorum bajulans pondus, sursum ascendere non valebat. Aut non audisti prophetam dicentem, quomodo leves esse debeant, qui ad ecclesiasticum montem ascendunt? *Quis, inquit, ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde (Psal. 23. 3. 4), etc.* Sic quicumque in malis ambulat, non potest in ecclesiam ascendere, quæ mons Domini appellatur, nec audire spirituales doctrinam. Et si venit, corpore quidem venit, animo autem non ascendit. Qui autem cum patre corde non venit, nihil illi prodest, quia corpore venit. Et si audit spirituales doctrinam, non intelligit, quia sensus ejus carnalium vitiorum lepra corruptus est. Nemo enim bonarum rerum potest sentire saporem, quamdiu delectatur in malis. Quamdiu enim delectat eum malum, non potest eum delectare bonum. Tunc autem incipit ei placere bonum, cum ceperit ei displicere malum. *Veniens adorabat eum.* Oratio perfecta est fides et confessio, sicut ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. 10. 10).* Sic et leprosus fidei opus adorans implevit, confessionis autem, in verbis: *Domine, si vis, potes me mundare.* Non illum petebat quasi hominem artificem, sed adorabat quasi Deum. Spirituali medico spirituales afferebat<sup>1</sup> mercedem. Nam omnes medici pecuniis, iste autem sola oratione placatur. Vere enim nihil est dignius quod offeramus Deo, quam oratio fidelis: que quicquid enim obtulerimus, de nostris est, oratio autem de nobis. *Domine, si vis, potes me mundare.* Non de voluntate Christi ad omne bonum parata dubitabat dicens, *Si vis*: hoc enim dubietatis<sup>2</sup> esset de judicio voluntatis ejus. Christus enim cum sit bonus, nociva non vult præstare, etiam si rogetur. Nec enim expedit omnibus corporales integritas. Quoniam ergo nesciebat, utrum expedit ei curatio illa, ideo<sup>3</sup> ambigebat de voluntate ipsius, quamvis sciebat eam ad omne bonum paratam. Nam credere quidem bonum misericordiam Dei, hominis est fidelis, scire autem judicia misericordiam ejus non est hominis, neque fidelis, cum constet nec ipsum Apostolum potuisse cognoscere, cum Dominum ter roga-

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *spiritualm offerebat.*

<sup>2</sup> Forte, *dubitantia.*

<sup>3</sup> Sic V. D. et Editi in marg. recte. Editi in textu, *nec ideo.*

<sup>1</sup> Sic V. D. et Editi in marg.; recte. Editi in textu, *carnem suam salvare non potest a peccato.*

ret ut discederet ab eo ille stimulus carnis, angelus satanæ, qui datus ei fuerat, ut non extolleretur, propter quod et dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (1. Cor. 12. 9): ac si dicat: Credo quia omne quod bonum est, vis: ignoro autem si bonum est mihi, quod desidero. Hoc autem plane non dabito, sed potius credo: quoniam si bonum est mihi, et tu vis. Hic ergo sermo non dubitantem eum ostendit de misericordia ejus, sed ignorantem judicium misericordiae ejus. 3. *Et extendens manum suam, tetigit eum.* Quia in lege dictum erat, ut qui tangeret lepram, immundus esset usque ad vesperam: tetigit lepram, non quasi servus legis, sed quasi dominus. Nam lex legislatori subjecta est, non legislator legi. Quid ergo, solvit legem? Non: literam quidem legis solvit, propositum autem ejus non solvit, sed magis illi addidit dignitatem. Si enim lex facere potuisset, ut lepra non sordidaret tangentem, numquam jussisset homines, ut non tangerent lepram. Ideo ergo jussit non tangere lepram, quia non potuit facere, ut lepra non sordidaret tangentem. Iste ergo, qui tangens lepram, sordidatus non est a lepra, non egit contra legem, sed amplius fecit quam lex jubebat: quia non solum sordidatus non est a lepra, sed adhuc ipse lepram mundavit. Nec est credibile, ut dicatur sordidatus esse a lepra, qui ipsam lepram mundavit. Lex enim non ideo veluit tangere lepram, ut ne leprosi sanarentur: sed ut ne tangentes lepram, coinquinarentur. Iste ergo, qui tangens coinquinatus non est, sed adhuc mundavit, amplius fecit quam voluit lex. Tetigit ergo lepram, et legis literam solvit, ut jam non lepra corporis, sed lepra animæ fugiatur. Nam infirmitas corporis miseranda est, non odienda: infirmitas autem animæ non est miseranda, sed odienda: quia infirmitas corporis non est in nostra potestate, ut aut non veniat super nos, aut recedat a nobis; infirmitas autem animæ in nostra est potestate, ut aut non veniat super nos, aut recedat a nobis. Infirmitas enim corporis tenet nos, nec tenetur a nobis; infirmitas autem animæ non tenet nos, sed tenetur a nobis. Ideo illa infirmitas miseranda est, hæc odienda. Ergo rescindit legem, non justitiam legis: non illam, quam in corde hominibus creando conscripsit, sed quam dictavit in libro, cum populus vitulum adorasset: non illam de qua dictum est, *Lex Domini irreprensibilis est, convertens animas* (Psal. 18. 8); sed illam de qua dictum est, *Lex iram operatur: ubi autem non est lex, non est pravercatio* (Rom. 4. 15). Quomodo enim digna erat servari, quam meruerant peccata? merito ergo placatus rescidit, quod iratus dictavit. Nam si lex sublata non fuisset, numquam spiritualis leprosus sanaretur: quia omnis qui sub lege vivit, leprosus est. *Volo, mundare: et confestim mundata est lepra ejus.* Non ex quo tacta est lepra recessit, sed ex quo jussa est: ut ostendatur, quia non propter effugationem lepræ tetigit eum, sed ut solveret legem. Alioqui quantum ad lepram sufficiebat sermo tantummodo: sed neque sermo necessarius erat, sed sola voluntas: ergo voluntas facta est propter leprosum, verbum autem propter spectantes. Nam si tacite eum curasset (tot adstantibus circa Christum: quis scire poterat, cujus virtute sanatus est? Ideo ergo dixit, *Volo, mundare*: ut omnes sciant, quia illius virtute sanatus est, qui præceptum sanitatis emisit. Hoc, quod dicit, *Volo*, voluntatis ejus est indicium, respiciens ad illud quod ille dixit, *Si vis*: quod autem dixit, *Mundare*: potestatis est præceptum, pertinens ad hoc quod dixerat ille, *Potes. 4. Et ait ei Jesus: Vide, nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis* (Levit. 14). Non sic intellege, quia hoc Moses præcepit in testimonium illis, sed vade et offer in testimonium illis. Non dixit, *Vade, ostende te sacerdotibus*, et nemini dixeris: sed, *Primo nemini dixeris, et vade, ostende te.* Non enim semper jubet illum tacere, sed quamdiu ostendat se sacerdotibus, ne forte si ante alicui nuntiaret, de verbo in verbum audirent sacer-

dotes, et occasionem habentes lepræ, propter odium et inimicitias Christi expellerent eum de populo quasi leprosum, non recipientes mundatum. Ideo eum jubet offerre munera, ut si postmodum vellent eum expellere, diceret eis: Munera quasi a mundato suscepistis, et quomodo me quasi leprosum expellitis? Si leprosus adhuc fui, munera accipere non debuistis, quasi a mundato: si autem mundus factus sum, repellere non debetis quasi leprosum. Eadem aliter. Omnia opera curationum Christi habent in se mysteria dispositionum Dei absconditarum. Ideo corporalia quidem curationum ejus commoda, et illorum fuerunt tunc, et modo sunt nostra: spiritualia autem, forsitan nostra tantummodo. Igitur hic leprosus, qui post verba doctrinæ confestim, quasi jam præparatus, accessit ad curam, in figura fuit populi Judaici, deorsum quidem consistentis, quia populus erat: audientis autem verbum tunc quod dictum fuerat sursum, et credentis, et adorantis, et complectentis. Omnis enim qui verbum Dei adorat, æstimans et ipsum esse divinum, et complectitur illud cordis affectu, sine dubio et verbum Dei attingit animam ejus. Nec enim possibile est, ut anima, quæ complectitur verbum, non tangatur a verbo: cum autem tetigerit eam verbum, a lepra infidelitatis eam mundat, secundum quod scriptum est: *Et vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis* (Joan. 15. 3). Et Petrus in Actibus apostolorum, *Mundans*, inquit, *corda eorum per fidem* (Act. 15. 9). Propter quod et populus, qui in lege degerat austeram, et gratiam nondum erat expertus, de potentia quidem ejus firmiter credidit secundum traditionem patrum suorum, de misericordia autem dubitavit dicens: *Si vis, potes me mundare.* Nam lex potentiam quidem Dei sufficienter tradebat, misericordiam autem ejus non satis aperte. Propter quod et Dominus cognoscens potentiam Christi, secundum legem, quam dederat, adimplevit<sup>1</sup>, ut et misericordiam gratiæ ejus cognosceret, dicens: *Volo, mundare: et præcepit ei, ut offerret munera, secundum quod præceperat Moyses.* Quæ illa? Par turturum, aut duos pullos columbarum (Levit. 14. 22). Omnis enim justitia in his est duobus: in abstinentia rerum malarum, et in opere rerum bonarum. Per turturum ergo jubet populum, ab infidelitate mundatum, sanctitatem offerre Deo in abstinentia rerum malarum: quoniam castitas spiritualis animæ abstinentia est malorum, ut non coeat cum spiritu alieno, nec inspirationis ejus suscipiat semen, ne generet opera similia spiritui malo. Per columbam autem omne opus significat bonum, nascens ex caritate: quoniam caritas omne opus generat bonum. Qui ergo proximum suum diligit sicut se, nullum bonum subducit proximo suo, sicut nec sibi. Cum ergo has duas justitias impleverit quis, ab omni malo se abstinens, quod est castitatis, et omne bonum faciens, quod est caritatis, manifestus efficitur ille talis, quia ab infidelitatis lepra mundatus est. Sic enim populus emundatus, et talia sacrificia offerens Deo, factus est in testimonium contra incredulos sacerdotes, qui gloriantes in litera legis, repulerunt auctorem legis, purificantem populum a peccatis, quem lex purificare non potuit. Et si tu complexus fueris verbum Dei cordis affectu, et tuam nihilominus animam attingit verbum, quoniam diligentes se diligit, sicut dicit in Proverbiis (Cap. 8. v. 17) Salomon, et ab omni te infidelitatis lepra mundat. Cum autem te emundaverit, præcipit tibi, ut sacerdotibus te ostendas mundatum, castigans teipsum ab omni coinquinatione operis mali, et expandens caritatem tuam ad omnes per opera bona, ut per hæc sacrificia a sacerdotibus cognoscaris, quia mundatus es, cum viderint te non facientem alteri quod pati non vis, sed adhuc et facientem omnibus quæ tibi vis fieri. Si autem harum justitiarum sacrificia non obtuleris Deo, manifestus es omnibus, quia non es mundatus, sed adhuc in priore infidelitate manes leprosus.

<sup>1</sup> Alii, *legem quod deerat adimplevi*

## Homilia xxij. ex capite viij (a).

5. Post hæc autem cum venisset in Capernaum. accessit ad eum centurio. rogans eum, 6. et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Postquam Dominus populum docuit super montem, et leprosum mundavit sub monte: post hæc venit Capernaum in mysterio: post Judæorum mundationem venit ad gentes. Et ecce centurio quidam accessit ad eum rogans. Centurio, prius fructus ex gentibus, ad cuius fidei comparationem omnium Judæorum fides infidelitas est inventa. Hic neque Christum audivit docentem, neque leprosum, cum mundaretur, aspexit, sed audita tantummodo sanitate leprosi, plus credidit quam audivit. Ille enim seipsum obtulit, dicens: Si vis, potes me mundare. Fidei quidem sunt hæc verba, non tamen magnæ, quoniam talia verba dici poterant etiam hominibus sanctis: qualis fuit Helisæus, qui leprosum mundavit, non manibus, sed præcepto (4. Reg. 5). Iste autem centurio non solum potestatis ejus virtutem confessus est, sed ipsam divinitatis ejus naturam cognovit. Non enim quasi corporalem sanctum rogavit, sed quasi Deum ubique præsentem, dicens: Dic verbo, et sanabitur puer meus. Quasi qui poterat etiam absentium infirmitatibus imperare. Erat enim iste centurio in mysterio gentium futurarum, quæ neque legem aut prophetas legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia facientem viderant, sed justitiam legis, quam in libris non legerant, in corde senserunt: et Christum, quem oculis non viderant, mente viderunt, ostendentes in se, quoniam Scripturæ ad præjudicium peccatorum factæ sunt, non ad necessitatem sanctorum: quia rectis et fidelibus Scripturæ necessariae non sunt, dicente Apostolo: Lex non est posita justo, sed injustis (1. Tim. 1. 9). Magistra enim omnis justitiæ ipsa natura est hominum, et scriptura infalsabilis de Deo creaturæ sunt omnium rerum: quia nihil est creatum in mundo, per quod non manifestissime Deus ostendatur. Ideo elementa omnium rerum in hoc quidem tempore admonent homines de potentia Dei, in illa autem die judicio suo condemnabuntur. Sciendum est autem quoniam Lucas per sacerdotes ponit Christum a centurione rogatum (Luc. 7), Matthæus autem ab ipso centurione. Diversæ quidem species expositionum, unus autem expositionis est sensus. Ille enim per sacerdotes exponens, mysterium demonstravit: quoniam omnis petitio populi per sacerdotes debet transmitti ad Christum. Iste autem rem ipsam exposuit, quoniam et qui per sacerdotes rogat Christum, recte ipse rogare videtur. Ex eo autem, quod et illic sacerdotibus intercedentibus acquievit, et hic ipso rogante promisit, manifestum est, quoniam et illic non propter personam sacerdotum acquievit, sed propter fidem ipsius centurionis: ut sciamus quoniam in omni causa non intercedentium merita, sed humiliter petentium aspiciuntur fides. Puer meus in domo jacet paralyticus, et male torquetur. Quid primum miremur in centurione? Humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem? Humilitatem, quia nec in domo sua Christum suscipere dignum se esse existimavit. Fidem autem, quia credidit eum posse quod petiit. Sapientiam, quia divinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante prospexit. Bonitatem autem, quia pro salute servi sic sollicitè festinabat, quasi non damnum pecunie, sed salutis passurus in morte illius. Puto quod iste centurio inter servum et dominum nullam differentiam æstimabat: sciens quoniam etsi dignitas in hoc sæculo diversa est inter illos, una est tamen natura illis. Ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quam opus ca-

pitivitas contemnebat in servo: quod Deus non secundum suam justitiam creando disposuit, sed propter peccata hominum permittendo suscepit. Si in enim dominus pretium dedisti pro servo, Deus Spiritum suum plantavit in eo. Quanto ergo major est Spiritus Dei, quam pretium hominis: tanto majus est quod ametur, quam quod contemnatur in servo. Vide ergo ne forte si tu propter pretium tuum abusus fueris illo sine timore Dei, Deus propter Spiritum suum rationem a te exigit sine misericordia. Audiant etiam et intelligant servi. Sicut enim habent domini quod imitentur in centurione, propter misericordiam: sic habent et servi quod imitentur in puero, propter similitudinem. Putas autem qualis erat ille puer, ut sic amaretur a domino? Secundum dilectionem domini mensurate fidem servi. Nec enim possibile erat, ut sine pretio bonorum morum tantum sibi dilectionem domini comparasset. Domini ergo servi debent amorem, propter communem naturam; servi autem debent dominis suis timorem, propter ordinationem divinam. Et in servis Christus amatur a dominis, et in dominis Christus timetur a servis. Et male torquetur. Etsi non satis male torquebatur, tamen æstimabat illum dominus male torqueri, quia sic diligebat eum. Nam unusquisque quem diligit, etsi modice fuerit lædiatus, gravius eum putat habere, quam habet. Vide autem sapientiam centurionis et fidem. Fidem quidem, quia non dixit, Veni, et salva eum: sciens quia et illic constitutus, in omni loco fuerat præsens. Nam quamvis Christus videbatur esse in mundo, propter dispensationem carnis, tamen mundus erat in Christo, secundum substantiam deitatis. Sapientiam autem, quia non dixit, Vel hic constitutus sana eum: sciebat enim quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantummodo exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiæ ejus dimisit. Nam et medico corporali necessarium est tantummodo passionem exponere, quid autem ad quomodo faciat, ipse cognoscit. 7. Respondit ei Jesus: Ego veniam, et curabo eum. Propter multas causas, cum non peteretur, ut iret, promittit se ire. Primum quidem, ut excitaret fidem ejus, hoc ipsum respondere voluit quod respondit. Nisi enim ille dixisset, Veniam, et sanabo eum: numquam iste responderet, 8. Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic verbo, et sanabitur puer meus. Hoc enim consilio et Chananea clamante, Filia mea male a demonio torquetur (Matth. 15. 22), respondit quod non erat facturus. Non est bonum tollere panem filiorum, et dare canibus (Ibid. v. 26): ut illa provocata responderet, Etiam, Domine; nam et catelli de micis filiorum manducant (Ibid. v. 27). Sic et huic respondit, quod volebat, ut quod volebat audiret. Deinde quoniam petitio centurionis erat pro servo, ideo ire proposuit: ut nos doceret, non magis colere, et modicos contemnere, sed pauperes et divites similiter honorare. Si enim divitem honoras, propter personam ipsius honoras eum: si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras. Propterea et in quodam loco, regulo postulante pro filio suo, non dixit, Ego veniam, et sanabo eum: sed quid? Vade, filius tuus vivit (Joan. 4. 50). Illic cum rogaretur, noluit ire, ne forte personam reguli videatur accipere: hic autem non rogatus, promisit ire, ne videatur humilitatem servi contemnere. Illum ergo contempsit, quem dignitas sublevarat regalis: istum autem honoravit, quem conditio humiliabat servilis. 8. Respondit autem centurio: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Honorem tibi debeo pro beneficio misericordiæ tuæ, non injuriam. Sufficit mihi, quod puerum meum sanabis. Ut quid injuriam etiam patiaris intrando sub tectum domus indignæ? Quod autem in hunc mundum venisti, injuriam passus es: sed tolerabilis est injuria tua, quoniam pateris illam propter omnium hominum communem salutem. Ut quid et alteram injuriam patiaris, introeundo in domum meam propter servi unius sa-

<sup>1</sup> Hæc est vera lectio: nam hic scriptor verba multa efformat, quæ non sunt in usu. Alii, ineffabilis, aut, infallibilis.

(a) Hæc homilia in Codice V. D. jungitur præcedenti.

litem? *Dic verbo, et sanabitur puer meus.* Sciebat quoniam adstant illi angeli invisibiliter ministrantes, qui omne verbum ejus faciunt. Quod etsi angeli cessent, tamen ipsæ infirmitates et spiritus passionum præceptis ejus vivacibus expelluntur: quoniam omnis sermo ejus virtus est viva. 9. *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus.* Vide quomodo mysterium Patris et Filii in seipso, Spiritu suggerente, depinxit? Numquid non sufficiebat ad confessionem potestatis Christi hoc solum dicere, *Et ego homo sum, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit: et alteri, Veni, et venit?* Quoniam et Christus habet sub se angelos, quibus emundi et redeundi ponit præceptum. Quid ergo necessarium fuit addere, *Et ego homo sum sub potestate:* nisi ut plenissime Christi dignitatem ostenderet in seipso? Id est, Ego sum homo sub potestate alterius, tamen habeo potestatem jubendi eis, qui sub me sunt. Nec enim impediit jubere minores, propter quod ipse sum sub majoribus; sed ab illis quidem jubeor, sub quibus sum: illis autem jubeo, qui sub me sunt: sic et tu quamvis sub potestate Patris sis, secundum quod homo es, habes tamen potestatem jubendi angelis tuis, nec impediris jubere inferioribus, propter quod ipse habes superiorem. Nam ut homo et juberis a Patre quasi minor, tamen angelis jubes quasi major. (a) [Sed forte dicit hæreticus, volens ostendere Patrem et Filium unum vel æqualem: Non est ita intelligendus hic locus, sed sic:] Si ego, sub potestate constitutus, possum jubere eis, qui sub mea sunt potestate: quanto magis tu, qui in nullius es potestate, potes jubere eis, quos habes in potestate? Sed hanc interpretationem perversam non recipit<sup>1</sup> textus. [Non enim dixit, Si ego homo in potestate: sed ita, Nam et ego homo sum sub potestate. Non comparationis inter se et Christum differentiam fecit, sed rationem similitudinis introduxit.] Vide ergo quomodo gentilis et rusticus miles mysterium veritatis cognovit, et homines Christiani<sup>2</sup>, qui Scripturas portant in ore, denegant veritatem. Non quia obscura sunt aut profunda mysteria veritatis, non omnes ea cognoscunt: sed quia perversa sunt corda eorum, et non requiescit in eis spiritus veritatis: propterea veritas fugit ab eis. Qui autem rectus est corde, ita ut requiescat in eo spiritus veritatis, non potest longe esse a veritate. Scriptum est enim: *In malevolam animam non introibit sapientia* (Sap. 1. 4), etc. Sed dicit aliquis: Vos ergo omnes justi estis et recti, qui putatis vos esse in veritate? Non omnes, quod pejus est, sed multi sunt perversi in veritate fidei; tamen in erroribus nullus est rectus. Aliud est enim, multos esse malos, aliud est, neminem esse bonum. Ubi enim quidam sunt mali, quidam boni, hominum est differentia: ubi autem omnes mali, rei perversitas est. Nam et in medio tritici voluntaria nascuntur spinæ. Inter spinas autem voluntarium triticum non generatur. 10. *Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: In nullo tantam fidem inveni in Israel.* Credidit Andreas, sed præsignante sibi Joanne ac dicente: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. 1. 29). Credidit autem et Petrus, sed evangelizante sibi de illo Andrea et dicente: *Invenimus Messiam* (Ibid. v. 41). Credidit et Philippus, sed legendo Scripturas, sicut ipse ad Nathanael dixit, *Quem scripsit Moses in lege, et propheta, invenimus Jesum a Nazareth* (Ibid. v. 45). Ipse quoque Nathanael, nisi audisset a Christo, *Cum esses sub arbore fici, vidi te* (Ibid. v. 48): numquam respondisset, *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (Ibid. v. 49). Prius signum divinitatis accepit, et sic confessionem fidei obtulit. Aut si non sumus ausi fideiorem illum putare quam apostolos, ita testimonium Christi intelligendum est, quod unumquodque bonum hominis secundum qualitatem personæ illius laudatur. Puta, si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur,

philosophus multo amplius sapienter: in modico sermone sapientiæ rusticus plus laudatur, quam in magno philosophus: quoniam rusticum dicere aliquod sapienter, magnum est: philosophum autem dicere sapienter, non est mirum. Aut si puer aliquid astute loquatur, dicimus, Satis sapiens puer: si autem vir perfectus sapienter loquatur, non laudatur quasi sapiens: non quia puer plus sapuit quam perfectus, sed quantum ad comparationem ætatis suæ sapientior videtur esse, quam ille perfectus. Sic et in centurione dictum est, *In nullo tantam inveni fidem in Israel*, non quia nec apostoli tantam fidem habuerunt.

(a) *Homilia xxij. ex capite viij.*

23. *In illo tempore, ascendente Jesu in naviculam, sequuti sunt eum discipuli ejus, et reliqua.* Navigante Domino cum discipulis, orta magna tempestas est, ita ut navem conciti maris insurgentes fluctus obruerent. 24. *Ipse vero, inquit, dormiebat.* Mira ratio. Ascendit parvam naviculam, ut navigaret, ille qui totum mundum divina virtute gubernat. Dormit in somnum, qui populum suum vigilia æterna custodit. Dormit autem Dominus, non necessitate infirmitatis humanæ, sed spontanea voluntate. Nam cum in Dei illa æterna natura somnus non cadat, secundum quod de eo legitur dictum, *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel* (Psal. 120. 4): tamen Dominus ac Salvator noster ad probandam in se suscepti corporis veritatem, etiam usque ad somnum humanæ naturæ omnia implere dignatur, ut evidenter veritatem in se assumpti corporis demonstraret. Sed cum, dormiente Domino, sæviante procella, usque ad periculum navis violenti fluctus insurgunt, discipuli timore percussi, Dominum suscitant, dicentes: 25. *Domine, libera nos, perimus.* Quod idipsum olim David ex persona apostolorum suscitantium Dominum significasse videtur, cum dicit: *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum* (Psal. 43. 23. 26). 26. *Surgens ergo Dominus ait illis: Quid timidi estis, modicæ fidei? Et imperavit vento et mari, et facta est tranquillitas magna.* In quo manifeste divinitatis suæ potentiam Dominus declaravit, dum violentos maris fluctus divinæ potestatis verbo compevit. Neque venti vel mare obedire poterant, nisi Domino et Creatori suo. Quod futurum ante præsumptiaverat David, dicendo: *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbatae sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes* (Psal. 76. 17. 18). Et quæ istæ nubes sunt, quæ timentibus aquis vocem dederunt, nisi discipuli, qui viso signo divinæ virtutis exclamaverunt, dicentes: *Verè hic Filius Dei erat* (Marc. 15. 39)? Nubes autem idcirco apostoli intelliguntur, quia modo nubium de terra surgentes, ad cælos, sine aliquo pondere peccati, spiritualis naturæ levitate feruntur, et ad riganda corda credentium pluviam divinæ prædicationis infundunt. Alio quoque loco idem David, quod Domino imperante verbo, maris violentia mitiganda esset, ita testatus est dicens: *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas* (Psal. 88. 10). Et iterum: *Dixit, et stetit spiritus procellæ, et siluerunt fluctus ejus* (Psal. 106. 25). Et iterum: *Qui conturbas fundum maris: sonum autem fluctuum ejus tu mitigas* (Psal. 64. 8). Et iterum: *Ecce dabit vocem virtutis* (Psal. 67. 34): hanc utique vocem, qua divinæ potestatis virtute ventis imperante maris tranquillitas restituta est. Beatus quoque Job hoc ipsum futurum per Spiritum sanctum non ignorans, cum de Domino loqueretur, ita ait: *Virtute sedavit mare.* Cum igitur sedata tempestate maris, jussione verbi esset tranquillitas instituta: 27. *Hi, inquit, qui erant in navi, mirati sunt dicentes: Qua-*

<sup>1</sup> Al., *interpretationem elegantissime recipit*, etc.

<sup>2</sup> Al., *hæretici*.

(a) Quæ hic et infra uncinis clauduntur, alias desunt.

(a) Quæ sequuntur desunt in V. D. usque ad hæc verba, *Quantumcumque gratuitum et utile, quæ in principio Homilia XXXII Jacent.*



lis est hic, quod venti et mare obediunt ei? Hanc autem dominici verbi virtutem, et eorum qui in navi erant admirationem, olim sanctus David prænuntia verat in Psalmo, dicendo: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. Dixit, et stetit spiritus procellas* (Psal. 106. 27-25). Et iterum: *Staverit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et lætati sunt quia siluerunt* (Ibid. v. 29. 30). Hæc itaque primum, secundum simplicitatem historiae per Domini virtutem ista gesta cognoscimus: secundum allegoricam vero rationem, quæ in his omnibus figura monstrata sit, soliditate debemus intelligere. Quærendum enim est, quid hæc navis juxta spirituales rationem intelligi debeat, vel quod hoc mare, vel qui insurgentes fluctus, qui venti, qui hos fluctus concitant; qui etiam sonitus Domini, vel quæ hæc increpatio Domini in ventos, et quæ ista restituta tranquillitas, vel quæ digna admiratio navigantium. Et non dubium est navem istam Ecclesiam figurasse, secundum quod per Salomonem de ea Spiritus sanctus loquitur, dicens, *Facta est tamquam navis mercatura longinqua* (Prov. 31. 14): id est Ecclesia, quæ navigantibus apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu sancto, prædicationis verbo ubique discurrit, portans secum magnum et inestimabile pretium, quo omne genus hominum, vel potius totum mundum sanguine Christi mercata est. De quo alio quoque loco idem Salomon retulit, dicendo inter cætera, vestigium navis pelagiantibus inveniri non posse (Sap. 5. 10): ostendens conversationem Ecclesie non terrenam esse, vel sæculi, sed caelestem, secundum quod sanctus apostolus refert, dicens: *Nostra autem conversatio in cælis est* (Philipp. 3. 20). Mare sæculum intelligitur, quod a diversis peccatis, et variis tentationibus, velut quibusdam fluctibus æstuat. De quo scriptum legimus: *Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis, et draco iste, quem formasti ad iudicandum ei* (Psal. 103. 25. 26). Et iterum: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (Psal. 68. 3). Venti autem nequitie spirituales et immundi spiritus intelliguntur, qui ad naufragium Ecclesie per diversas sæculi tentationes velut per fluctus maris, deserviunt. Dormire vero Dominus in hac navi tunc intelligitur, cum ad probationem fidei Ecclesiam suam pressuris et persecutionibus mundi istius tentari permittit. Oratio vero discipulorum, et excitantium Dominum, et auxilium implorantium, ut liberarentur, preces sanctorum omnium ostenduntur, qui orta tempestate persecutionis, sæviæ diaboli et angelis ejus, devota fide, ac jugi oratione, patientiam Domini velut de somno excitant, ut misericordie suæ auxilio per timorem humanæ infirmitatis periclitantibus subvenire dignetur: quo increpatis ventis, immundis scilicet spiritibus, qui auctores sunt persecutionis, et mitigata omni sæculi tempestate, Ecclesiam suam in pace et tranquillitate restituit. In admiratione vero eorum qui in navi erant, qui post factam tranquillitatem Dei filium confitentur, omnium credentium persona et fides ostensa est, qui in Ecclesia constituti, prius orationibus Dominum excitantes, reddita sibi pace, verè Dominum ac defensorem Ecclesie suæ Dei Filium confitentur. Quod factum statim in Actis apostolorum, post Herodis persecutionem et Judæorum, a sanctis pro Ecclesia recognoscimus. Unde et quamvis infestatione inimici Ecclesia, vel sæculi tempestate laboret, quibusvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas sæculi persecutiones plus gloriæ ac virtutis acquirit, dum in fide firma et inluctabili permanset. Navigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu, per hujus sæculi mare, habens Deum gubernatorem, angelos remiges, portans choros omnium sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua evangelice fidei vela suspendens, flante Spiritu sancto, ad portum pa-

radisi et securitatem quietis æternæ deducitur. Et hæc quidem navis, quamvis per hoc tempus vitæ, per has tentationes sæculi naviget: non est tamen sæculi navis, sed Dei. Est enim et alia sæculi navis, non Dei: id est, collectio hæreticorum, quæ sibi hujus nomen Ecclesie vindicat. Adversum quam diem iudicii futurum Isaias manifeste declarat dicens: *Dies, inquit, Domini Sabaoth adversus omnem contumeliosum et superbum* (Isai. 2. 12). Et post aliquantulum ait: *Et adversus omnem navem maris* (Ibid. v. 16), id est, omnem Ecclesiam hæreticorum. De qua alibi idem Isaias retulit: *Dirupti sunt, inquit, funes tui, quæ non valuit arbor tua, inclinaverunt vela tua, et non laxabunt vela tua* (Isai. 33. 23). Navem vero hanc maris esse dixit, quia hujusmodi Ecclesia non Dei est, sed sæculi, quæ licet habere in se prædicationem dominicæ crucis videatur, invalidam tamen hanc arborem ejus ostendit: quia ubi non est veritas fidei, infirma crucis assertio est. Unde inclinata et laxata vela ejus sunt ostensa, quæ nullo flatu sancti Spiritus diriguntur. Et ideo hujusmodi navis, hoc est Ecclesia hæreticorum, amisso veræ fidei gubernaculo, dominantibus adversis spiritibus, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari a Christo Domino non meretur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

*Homilia xxiv. ex capite x (a).*

16. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, et reliqua.* Omne malum, quod accidit ex insperato, nimis est grave: quod autem exspectatur antequam accedat, postquam acciderit, levius invenitur. Ideo præsciens Dominus futurarum persecutionum, præmonet apostolos, dicens: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: ut cum periculum illud venerit, non quasi novum perhorrescant, sed tamquam cognitum fortiores excipiant. *Ecce ego*, qui mensurata spacia constitui diei et nocti, et nunquam altera in alteris tempus contempta definitione transgreditur. *Ecce ego*, qui turbidum mare, quasi feram cavea, sic in sua littora clausi, et quasi indissolubili catena præcepto ligavi. Ideo dixit, *Ecce ego mitto vos*: ut dum mittentis potestas consideratur, periculi magnitudo non timeatur. *Sicut oves.* Non humanæ naturæ beneficium tollo, sed ovilis patientiæ opes injungo. Non indignentur servi vocabulum ovis accipere, cum sciant Dominum suum nomen agni portasse. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. 1. 29). Et quomodo, inquit, proficiemus, oves contra lupos? Ovis mansuetudo non potest resistere luporum crudelitati. Luporum crudelitas mitescere nescit, nisi gratia Christi faceret quod ipsa natura fieri cogit. Non vestra virtus, aut solertia æstimatur, aut laudatur in vobis: sed nominis mei potestas intelligitur, et gloriatur per vos, quia fortior est gloria Dei, quam rerum natura. *Sicut oves.* Cum coeperint vos lupi vellicare, nolite resistere, aut vociferare, scientes, quia nisi vos spoliati fueritis, alii non venient: id est, nisi vos mortui fueritis, alii non vivent. Nec timeatis hanc vellicationem præsentem. Cum enim ætas resurrectionis advenerit, alia super vos lana immortalitatis nascetur. Quamdiu autem propter institutionem diaboli gentes permanserint lupi, dorsum illis præstat ad vellicandum: cum autem per patientiam vestram lupi illi facti fuerint agni, præbet illis, tamquam oves, hæc doctrinæ. Manifestum quidem est, quia oves appellat propter mansuetudinem: non timeantes autem Deum, lupos propter crudelitatem. Sed hoc videamus, quare istos quidem dixit quasi oves: illos autem non quasi lupos, sed lupos. Si enim istos propter solam causam mansuetudinis oves dixisset, quoniam natura quidem homines erant, mansuetudine autem oves, atque et istos quasi lupos

(a) Deest caput 9, et initium decimi.



dixisset : quoniam et illi, etsi crudelitate quasi lupi erant, tamen natura similiter homines erant. Puto ergo ista ratione istos quidem quasi oves dictos, illos autem non quasi lupos, sed ad plenum lupos : quoniam homo Dei, quamvis fuerit bonus, tamen semper habet in se aliquid mali secundum carnem, quasi homo : et ovis quidem dicitur, propter quod bonus : quasi ovis autem, qua non ad plenum bonus. Qui autem Deum non cognoscit, nihil in se boni potest habere, propterea lupus dicitur, non quasi lupus, quia nihil boni habet in se, quia in se non cognoscit Deum. Causa est ista, quia omnes homines secundum carnem naturam mali sumus : et sicut dicit Apostolus, *Natura sumus filii iræ : sed per timorem Dei efficiamur boni* (Ephes. 2. 3). Quamvis autem per timorem Dei efficiamur boni, tamen semper aliquid naturalis mali remanet in natura hominum. Ergo si natura carnalis compellit fieri malum, timor Dei ex parte retinet eum a malo. Hominem non cognoscentem Deum, aut cognoscentem quidem, sed non timentem, natura compellit facere malum, et timor Dei non retinet a malo, et ideo non potest esse in illis aliquid boni, nisi forte propter homines, quando ipsum non est bonum, sed malum, quod est propter Deum. *Quicquid autem non est ex fide, peccatum est* (Rom. 14. 23). Ideo sancti quidem quasi oves, mali autem non quasi lupi, sed ad plenum vocantur lupi. Nec moveat te, quod etiam Christus quasi ovis est dictus, non ovis, cum sit totus bonus. Ibi enim non persona Christi comparata est ad personam ovium, sed occisio Christi sicut occisio ovium. Denique ita subjungit : *Sic non aperuit os in humilitate* (Isai. 53. 7). Nam nec ovis, cum ducitur ad occisionem, aliquam vocem emittit. Hic autem persona apostolorum comparata est ad ovium mores : non missio eorum ad missionem ovium, id est, apostoli ipsi dicitur sicut oves, non missio eorum sicut missio ovium. Non enim mittuntur aliquando oves ad lupos, nec comparat aliquis possibilem etiam impossibilitate. Unde alibi dicitur agnus est, non quasi agnus. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, ad intelligendas fraudes. Estote simplices sicut columbæ, ad ignoscendas injurias.* Nolo vos esse semper quasi columbas, ne propter simplicitatem nimiam per seductionem laqueum incurrat. Nolo vos esse semper sicut serpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, sed secundum tempus et personas metuetis et mores. Estote serpentes, ne comprehendamini. Si enim comprehensi fueritis, estote columbæ, ut ne mordeatis. Quamdiu enim homo gentilis est, serpens in illo est : quoniam indignatio illius secundum similitudinem est illius serpentis, qui in paradiso hominem a Deo separavit : cum vero convertitur ad fidem, recedente serpente, ingreditur in illum Spiritus, qui in specie columbæ descendit de celo et sit columba. Ergo contra infideles estote serpentes, quia serpens serpenti non nocet : cum fidelibus autem estote columbæ, ut quasi columbæ columbis caritatis oscula porrigatis. Et ut breviter dicam, estote prudentes sicut serpentes, ut malum intelligatis et caveatis. Et estote simplices sicut columbæ, ut non faciatis ullum malum. Quia intelligere malum, laudabile est : facere autem, vituperabile. Nec qui intelligit malum, ipse facit malum, sed qui facit malum. **17. Attendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis.** Quoniam superius dixit, *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* : nunc ad utrumque causam ostendit, et quare vult esse prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Prudentes quidem sicut serpentes, ut attendant sibi ab hominibus, qui tradent eos in conciliis. Proprium enim est serpentis, ab hominibus sibi caute prospicere. Unde Apostolus admonet, dicens : *In sapientia ambulate, quoniam tempus malignum est* (Col. 4. 5. Ephes. 5. 16). *Quare scilicet vult esse simplices ?* Ut non adversus proditores suos malitiæ memores sint, sed diligant inimicos suos, et benefaciant persequentibus sc. secundum Dei Christi præceptum

(*Math. 5. 44*) ; quia non tantum lædimur ab iniquis inimicis, quando nocemur ab ipsis, sed etiam proficimus, cum per malitiam eorum constantia bonitatis nostræ a suo proposito victa non recesserit : quoniam proprium est columbæ usque ad mortem in simplicitate manere. Unde et de tolerantia Job dictum est, *Et adhuc perseverat in simplicitate* (Job 2. 3). *Attendite vobis ab hominibus : tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, 18. et ante reges et præsides stabitis in testimonium illis, et gentibus.* Ita dixit, *Attendite vobis ab hominibus, quasi a quibusdam pessimis malis, et super omnia mala malis.* Nam si non quasi homines accusans dixisset, sufficeret illi dicere, *Attendite vobis, tradent enim vos.* Nunc autem addidit, *Attendite vobis ab hominibus* : ostendere volens, quia præ omnibus malis homo est pessimum malum. Nam si bestiis comparare volueris eum, pejorem invenies eum. Bestia enim, quamvis sit crudelis, tamen quia est irrationalis, declinabitur ab homine crudelitas ejus. Homo autem crudelis cum sit, et rationalis, non facile evadetur crudelitas ejus. Si comparaveris hominem serpenti, pejorem invenies hominem : quoniam serpens, etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet. Ideo, si quem absconse potuerit, mordet : si autem non potuerit, fugit. Homo autem et malitiam habet serpentis, et timorem non habet sicut serpens. Ideo quamdiu non habet tempus, latet sicut serpens. si autem invenerit, irrui sicut bestia. Adhuc autem anguis, siquidem irritata fuerit, sævit, si autem irritata non fuerit, in silentio transit. Homo autem et non irritatus insanit, et magis super illos insanit a quibus non fuerit irritatus. Et ut breviter dicam, unaqueque bestia unum habet et proprium malum ; homo autem omnia habet in se. Denique homo malus pejor est quam ipse diabolus. Diabolus enim si videat justum, non est ausus ad eum accedere : homo autem malus, quamvis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit. Non enim diabolus homini præstat virtutem, sed homo diabolo. Arma enim diaboli est malus homo. Sicut enim homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem, sic diabolus etiam sine homine non valet aliquid contra sanctos. *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos.* Quasi ad majorem laudem Dei in synagogis suis flagellabunt : ubi orationes et laudes, ubi lectiones vel sacrificia, apostolos ibi pœnis affliciebant, quasi sacrificium Deo offerentes ; re autem vera sacrificium erat Dei cruciatio apostolorum, non ad Judæorum mercedem, sed ad suam coronam : Judæorum autem erat interitus. Quoniam autem dicit, ante reges et præsides stare, et non cogitare quid respondere debeant, hoc est quod in Joanne dicit : *Cum autem venerit ille Paracletus, ille testificabitur de me. Et vos testimonium reddetis, quia ab initio mecum fuistis. Ante reges et præsides stabitis in testimonium illis et gentibus* (Joan. 15. 26. 27) : ut dum apostoli accusantur, dum respondent, in singulis quibusque prætoris Christi veritas prædicetur, et Judæorum perfidia demonstretur, et gentibus, vel ad salutem credentibus, pietatis mysterium reveletur. Audientes autem apostoli, quia coram regibus et judicibus stare jubebantur, ne forte dicant ad Christum : Tu ipse scis, quia in illorum iudiciis scholastici præsumt, quomodo ergo possumus nos homines piscatores, et sine literis, coram illis testimonium dare ? Tu enim ab initio non nos docuisti loqui, sed credere : denique cum nos discipulos congregares, non invenisti nos in Capitolio philosophicos libros legentes : sed retia in mare mittentes ; neque dixisti, Venite, faciam vos advocatos meos : sed, *Venite, faciam vos piscatores hominum* (*Math. 4. 19*) ; conscientias, non eloquentias nostras elegisti : ideo ipse inquit : *19. Cum autem tradent vos, nolite solliciti esse, quomodo, aut quid loquamini. Mea est enim causa. Deus humano auxilio non indiget. Ideo vos tantummodo mihi personam*

præstate, et ego vobis sensum. Nam sollicitum esse ante iudicium non est præparatio rei, sed desperatio de Deo, in illis enim rebus potest esse desperatio de Deo, in quibus potest esse consideratio. Puta, si propter aliquem actum iter facturus es, consideras qualitatem actuum, et quantitatem itineris: et secundum eas præparas tibi expensas. Aut si domum ædificare proponas, consideras qualia ædificia, et talia præparas instrumenta. In iudicio autem quomodo potest præparari responsum? Numquid scis, qualis sit interrogatio futura? Minime, cum in iudicio tali non iudices a semetipsis loquuntur, sed diabolus in iudicibus. Si ergo homo hominis cogitationem non solum futuram, sed nec præsentem cognoscit: quomodo potest cognoscere consilium inimici? quia nemo hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in eo (1. Cor. 2. 11). Si ergo ex vobis loquamini, secundum verbum respondebitis; si autem Dei Spiritus, secundum cogitatum eorum. Sinite ergo, ut in causa sua loquatur Deus in vobis, qui conscientiam interrogantis agnoscit. Non enim possibile est, ut rex, qui milites suos mittit ad bellum, non illis præstet arma adversus hostem. Qui ergo sollicitus est quid loquatur, in sua sapientia sperat: quæ est prima causa ruinæ. Nam in persequutionibus virtus Dei non requiritur, nisi præcesserit fides. Ad maiorem consolationem apostolorum non dixit, Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: sed, 20. *Qui loquitur*: ut ostendat quia non solum tunc, sed nec modo aliquid sine Spiritu Dei faciunt, aut loquuntur; iamquam si ita dicat ad illos: Maxime quia creditis in me, aut confitemini me esse verum. Esurientem me videtis, et creditis quia sum panis cælestis. Sitientem me videtis, et creditis quia ego sum fons aquæ salientis in vitam æternam (Joan. 4. 14). Quomodo est iste sensus humanus, qui aliud videt, et aliud credit, et confitetur? Si ergo modo, quando periculum non est, gratia mea operatur in vobis: quanto magis erit vobiscum, cum persequutio venerit? Nam qui vos in pace sustentat, multo amplius adjuvat in bello. 21. *Frater fratrem tradet in mortem*. Audientes apostoli, ne forte cogitent astimantes, cum traditi fuerint in conciliis, et in synagogis ad flagellandum: Illo tempore, putas, nemo erit patronus, qui adjuvet: nemo amicus, qui indulgeat: nemo amicus, qui misereatur? ideo dicit Dominus: Nemo speret in patronis, nemo in amicis, aut parentibus: cum etiam frater fratrem tradet in mortem, pater filium, et filius patrem. Vide quale tunc incendium persequutionis ardebit, ut nec sibi ipsi parcat natura. Quomodo autem tunc patronorum aut amicorum fidem integram quæres, cum videris ipsius fraternitatis et paternitatis vim esse extractam? Si enim amicitia in ipsa natura deficiet, quomodo inveniatur extra naturam? Ergo quia non est satis stupendum, si frater fratrem tradat in mortem? Cain enim propter invidiam sacrificii interfecit Abel fratrem suum (Gen. 4): et propter benedictionem surreptam Esau persequatur Jacob (Ibid. 27): hoc autem quis audivit, ut nulla injuria existente, propter solam Christi fidem pater filium tradat in mortem? Quia fortior est conflictio inimici, quam virtus naturæ. Corruptibilis enim est dilectio carnis. Mendax est omnis sæcularis amicitia, quæ divini timoris vinculo non est ligata. Non est fides in servis diaboli. Diabolus nec generat, nec generatur: si non generatur, nescit servare jura propinquitatis, qui nullum habet propinquum. Non quia odibile est genus Christianorum, sed quia divinum est, carnales odium. Alii adiunguntur multo plures et cariores proximitate conjuncti, heator commutatio bonum odium est. 22. *Et criticis odio omnibus hominibus, propter nomen meum*. Id est, omnibus infidelibus: non solum inimicis, sed etiam amicis: non solum extraneis, sed etiam parentibus: non solum parentibus aut fratribus, sed etiam ipsis patribus vestris. O inestimabile diabolici furoris incendium, quod nec ipsa paternitatis caritas exstinguere po-

test! Supra naturam et contra naturam persequutio ardens, sapientibus evidenter ostendit, quoniam illa odia non facit more humano accidentium ira causarum, sed invidia diaboli propter Christum. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Quia incipere multorum est, finire vero paucorum. Semper in principio dilectio est, in fine probatio. Nemo enim circa Deum usque ad finem potest perseverare, nisi qui propter Deum tantummodo factus est Dei. Omne enim quod propter carnem fit, corporale est, queinadmodum et caro ipsa temporalis est: quod autem propter Deum fit, æternum est, sicut et Deus æternus est. Cor bonæ fidei est exitus bonus: quia non incipere aliquid bonum gloriosum est, sed finire. Nam quod incipit, corporis voluptas est frequenter: quod autem finit, virtus est animæ. Nam frequenter concupiscentia carnalis incipit bonum, sed non finit, nisi gratia Dei. Cum ergo conversus fueris ad Deum et cæperis Deo servire, et opera justitiæ facere, ne aliquando acta tua recorderis, sed finem tuum cogita: quia prætorum bonorum consideratio jactantiam operatur, consideratio autem finis timorem: quoniam *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

#### Homilia xxv. ex cap. x.

26. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nihil opertum, quod non reveletur: et occultum, quod non sciatur, et reliqua*. Nunc profectum prædicationis eorum futurum eis annuntiat, quoniam prædicationis eorum habitura fuerat exitum gloriosum. Ecce ego ipse, qui sum lumen absconditum in tenebris, Deus celatus in homine, sublimitas in humilitate. Tunc sicut hoc mysterium absconditum fuit a sæculis, nunc autem per vos manifestabitur cunctis, ut impleatur sermo propheticus, qui dictus est de me: *A summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: et non est qui se abscondat a calore ejus* (Psal. 18. 7). Sicut enim nullus est locus, ubi non appareat sol, aut non sentiantur calor ejus: sic nullus erit locus, ubi non cognoscatur Christus, aut non intelligatur divinitas ejus, ut omnis conditio hominum in duas dividatur partes, ita ut credentes merito coronentur, ac non credentes sine excusatione puniantur. Et vos cum interim quasi inimicos suos odiant homines, postea vos cognitos complectentur quasi suæ salutis auctores. Interim quasi maleficos homines vos abominabuntur, postea quasi sanctos venerabuntur. Interim vos quasi persequutores persequentur, postea vos omnes homines in Ecclesiis suis quasi deos adorabunt. Mementote præterita, et consolamini de futuris, quando justitiæ Domini dominata est iniquitas, quando veritatem longo tempore celaverunt tenebrosa mendacia, quando innocentia sub existimatione criminis diu velata est. Moses fuit celatus in Ægypto, dictus est filius Ægyptiæ (Exod. 2. et seq.). Quasi homicida fugatus est, quasi mercenarius contemptibilis, ovium factus est pastor. Numquam est manifestata sanctitas ejus, numquam est coronata innocentia ejus? Ecce qui pastor ovium fuerat irrationabilium, factus est dux populi gloriosi. Qui quasi homicida ex Ægypto egressus, postea ingressus est iudex sanctorum, jam non filius Ægyptiæ, sed quasi filius Dei. Perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit bene nutrire facere suum, qui melius nascendo fuerat alienus. Qui Pharaonem regem quasi captivus ante timuerat, postea illum decem plagis, quasi servum obnoxium castigavit, quia *Nihil est opertum, quod non reveletur*. Joseph celatus est in Ægypto, quasi adulter accusatus est, castitatis custos fidelis (Gen. 39. et seq.). Numquid non est manifestata innocentia ejus? numquid non multipliciter coronata est castitas ejus? Qui quasi maleficus in carcere fuerat, quasi propheta eductus est. In unius pueri vindicta totus mundus fame flagellatus est. Et quem sacerdos Putiphar primum quasi adulterum uxoris suæ condemnauerat, postea gloriosum generum in cubiculum suum locat (Ibid. 41). Absconditi fuerant et tres pueri in Babylonia, et

<sup>1</sup> in margine conjicit Montf., fraternitatis.

quasi contemptores regis sunt accusati pro crimine (Dan. 3); ad quorum interitum iussum est, ut caminus accenderetur septies amplius quam solebat: non quia ad comburendam carnis naturam tantum incendium necessarium erat, sed quia tantum insanientis regis iracundia suggererat. Et quid ignis in suo camino, furoris spiritu percussus, corrigit? Et perditio suæ virtutis calore, specie sola ardebat, ut incorruptibilem integritatem eorum corruptus ignis ostenderet, et ardentiorē fidem eorum ardens flamma ostentaret, ipsa natura sua clamans, non in voce, quia *Nihil occultum, quod non sciatur*. Sed vos sustinete introitum injuriosum, ut habeatis exitum gloriosum. Et tanquam promissionum consolationem habentes, 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quæ in ure auditis, prædicate super tecta*. Quid est, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*? Item tenebras Judæicum populum dicit, sicut scriptum est: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (Joan. 1. 5). Et ideo tenebræ intelliguntur, quia lumen verum cognoscere non potuerunt. Quæcumque igitur Dominus in Judæis loquutus est, in Ecclesia manifestanda esse annuntiabat. Lux enim populus Christianus intelligitur, sicut et Apostolus ait: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulatis* (Ephes. 5. 8). Aut ita: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, id est, Quod nunc dico vobis in mysterio parabolarum, vos postea dicite manifeste. Quod enim in mysterio est absconditum, sic est quasi in tenebris positum. Unde et Moses quando legem accepturus ascendit in montem, sicut dicit Scriptura, *Ingressus est Moses in nubem* (Exod. 24. 18), ostendens quia lex, quæ dabatur in mysterio posita, obscura erat futura, quasi sub nube nigerrima. Quod autem manifeste dicitur, in lumine dicitur. Quid est, *Quod aure auditis, prædicate super tecta*? Id est, Quod auditis in secreto soli, prædicate coram omnibus, nulli abscondentes verbum, quasi qui stet supra tecta et clamet. Quid est quod apostoli audierunt in mysterio? quid? « Exiit seminator seminare semen suum. Et quædam ceciderunt secus viam, quædam super petram, quædam inter spinas, quædam super terram bonam » (Luc. 8. 5-10). « Et loquebatur eis in parabolis, et sine parabolis loquebatur eis nihil » (Matth. 13. 34). « Et accesserunt discipuli ejus ad eum secreto, dicentes: Enarra nobis parabolam. Quibus respondit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut audientes non audiant, et videntes cæci fiant » (Ibid. v. 3-13). Quid ergo? Quod tunc in mysterio solis apostolis credebatur, nunc evangelistis referentibus, et apostolis predicantibus, quotidie in medio Ecclesiæ omnibus populis enarratur. Ergo hoc est: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: id est, Quod dico vobis in secreto, prædicate coram omnibus; sicut est, ubi vocavit Dominus discipulos suos seorsum, dicens eis: *Vos autem quem me esse dicitis? Responderunt: Tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (Matth. 16. 15. 16). *Et mandavit eis, Nemini dixeritis: quia oportet Filium hominis crucifigi, et tertia die resurgere* (Luc. 9. 21. 22): quia si manifeste cognitus fuisset Filius Dei, nemo ausus fuisset manus injicere in eum. Et ideo crucifixus non esset, neque resurrexisset a mortuis. Propterea adhuc infernorum regnum esset in terra, et dominatio diaboli mundum totum teneret. Quid ergo? Postquam Dominus surrexit a mortuis, quod audierat Petrus in secreto, cæpit coram omnibus prædicare dicens: *Deus patrum nostrorum suscitavit Filium suum Jesum, quem vos crucifixistis, et denegastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos vero justum negastis, et virum homicidam petistis donari vobis, principem autem vitæ interemistis* (Act. 3. 13-15). Ergo hoc est, *Quod in aure audistis, prædicate super tecta*. 28. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Ne forte propter timorem mortis non libere dicatis quod audistis: nec fudicialiter prædicetis in omnibus, quod in aure soli audistis. Sic ergo

ex his verbis ostenditur, quod non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille, qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere pronuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere oportet, proditor est veritatis. Nam sicut scutens debitor est, ut veritatem quam audivit a Deo libere prædicet: sic laicus debitor est, ut veritatem, quam audivit quidem a sacerdotibus probatam in Scripturis, defendat fudicialiter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. 10. 10). Hæc autem diximus, quoniam nulli Christianorum palam quidem transgredi veritatem putant peccatum, tacere autem veritatem coram infidelibus non putant esse peccatum: et propterea multi invenimur in isto reatu. Ideo nos convenit apertius dicere, quoniam nihil de veritate neganda præsens loquitur sermo, sed de veritate non libere prædicanda, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et nolite timere eos, qui occidunt corpus*, quo minus dicatis in lumine, quod audistis in tenebris. Vide quoniam non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem. Et quid dicam? Quia propter timorem mortis tacent homines veritatem, et propter miserum ventrem, et propter spem vani honoris, in conspectu infidelium tacent homines veritatem. Utpote, eunt homines ad convivium impiorum sacerdotum, et confugiunt ad patrocinium malorum hæreticorum; fit sermo de fide: ille sacerdos impius, vel patronus, blasphemat veritatem tuam, quasi mendacium: fidem tuam, quam perfidiam, ut aut seducat, aut vulneret conscientiam tuam, et faciat eam infirmam, etsi ad plenum capere non potuerit; tu autem etsi non denegaveris palam veritatem, tamen non contendis cum persona ejus, cujus panem inanem manducas, ut non perdas spem patrocinii, aut rapacitatis: veritatem, quam oportet te libere defendere, tacens, confundis eam in conspectu inimicorum ejus, ut videatur a te tacente falsa quæ vera est. Et quomodo non es tu proditor veritatis? Sed forte dicis: Si taceo veritatem ante adversarios, numquid consentio mendacio eorum? Dic mihi, si princeps aliquis imperatoris, videns civitatem Romanam ab hostibus expugnari, cum possit liberare eam, et neglexit defendere: num ipse videbitur tradidisse, quam potuit liberare, si voluisset? Sic et tu, videns veritatem ab impiis expugnari, cum eam potuisses defendere, si loqui voluisses, tacens expugnasti, per hoc ipsum quod compassus es expugnari. Et si propter timorem eorum, qui occidunt corpus, tacere veritatem, sicut præsens scriptura testatur, impietas est: quomodo non sit impietas major, tacere veritatem propter miserum ventrem, et spem vani honoris, et meliorem facere gratiam panis et honoris quam gloriam veritatis Dei? *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus*: quoniam corpus, etsi ab impiis occisum non fuerit propter Deum, a semetipso post modicum morietur propter naturam. Ergo occisi secundum corpus ab impiis, nihil perditis, nisi mortis dilationem, ut corpus, quod post modicum fuerat moriturum, ante modicum moriatur, magis autem nec ante ipsam mortis dilationem. Si ergo verum est, quia nec folium cadit de arbore sine præcepto Dei: et quia numerati dati vobis sunt dies ad vitam, credere debemus, quia nec morimur ante diem, nec transire possumus diem: tamen ponamus, quod ante diem moritur, qui moritur propter Deum. Si ergo et gratis, id est, sine molestia percussoris, post modicum moriuri sumus, nulla Dei causa proposita: quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur, ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, ut offeramus Deo pro munere, quod redditur a te pro debito? Ideo *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Substantia enim hominis non est corpus, sed anima. Hanc enim solam Deus ad imaginem suam fecit, et

hanc diligit : propter hanc fecit et mundam. Hanc zelat, et persequitur inimicus : propter hanc et ipse Filius Dei venit in mundum. Corpus autem vestimentum est animæ, sicut ait Apostolus : *De corpore nostro, in quo ingemiscimus onerati, in quo volumus spoliari, sed supervestiri, ut mortale hoc absorbeatur a vita* (2. Cor. 5. 4). Sicut ergo vestimentum super homines positum si quis furibundus scindat, illatorem quidem injuriæ sentit homo, damnum autem non patitur in natura : sic corpus super animam positum si occidatur ab impiis, anima quidem occisionis ejus sentit dolorem, damnum autem suæ naturæ non patitur. Habemus autem hujus rei unde loquimur argumentum in membris. Sicut enim unguis cum summitatem vestiunt digitorum, quamdiu prædicantur, dolorem faciunt corpori : eum vero præcisi fuerint, nullus sensus corporis invenitur in eis, sed ex ipsa natura alteri novi procedunt, ut nullum videatur natura sustinuisse dispendium : sic corpus donec creditur, sentit anima : eum autem occisum fuerit, nullus sensus aut dolor animæ invenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore opportuno gloriosius illud retextit corpus, ut nullum detrimentum anima videatur perpessa, sed argumentata (sic). Dicam autem quod sentio verius : non solum ad vestimentum animæ caro creata est, sed magis ad tentationem ejus, quasi domesticæ et naturalis inimicæ copulata est : et dum expugnatur a carne, nec vincit, nec coronatur a Deo. Hujusmodi mysterii Paulus testis est, dicens : *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (Gal. 5. 17). Si ergo caro, animæ inimicæ, tentatio est : quis sapiens non intelligit, quia occisio corporis optanda est magis, quam timenda ? Ideo tibi corruptibilis natura creata est, inde deponendi corporis tempus est numeratum, ut homo morituro corpori tuo non parcas, sed commerito perituro compares tibi vitam mansuram. Ecce si mutuo accipis, utputa bovem, vel equum : nonne assidue operaris opus tuum in eum ? Dicis enim apud te, Hodie aut cras tollendus est a me, quia non est meus. Etiam tu, in corpore corruptibili natus, quare non ad utilitatem animæ tuæ uteris temporali corpore tuo, sciens quia post modicum tollendum est a te, quia non est tuum ? Quæ ergo est ista insipientia vestra, odire quod nostrum est, et amare quod nostrum non est ? studere servare, quod servare non possumus, et negligere, quod in æternum habebimus ? *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Quid est timor mortis ? Non dolor exeundi a corpore, sed desperatio vitæ post mortem. Ille timet mortem, qui non putat se vivere post mortem. Vis scire ? Ecce frequenter homines gravem dolorem patiuntur in infirmitate, et non moriuntur ; frequenter modicum tædium habent, et moriuntur : et tamen magis contenti sunt gravem dolorem pati, et non mori. Vides ergo quia non dolor mortis, sed ipsa mors timetur ? Sicut autem omnia mala operatur timor mortis, sic omnia bona operatur contemptio mortis.

*Qui mortem timet, parum boni operatur.* — Qui timet mori, id est, qui non sperat vivere post mortem, neque elemosynas dat, neque orationibus instat, neque jejuniis celebrat, neque paupertatem sustinet, neque opprobrium suffert, neque damnum substantiæ suæ contentus est pati, neque corporalem injuriam sustinet propter Deum : sed hoc suæ lucrum vitæ existimat, si bonis istius mundi feliciter fructus fuerit : et hoc damnum vitæ suæ putat, si fuerit alienatus ab istis bonis. Quare ? Quia laborum suorum præmium in resurrectione non sperat. Qui autem non timet mori, id est, qui vitam sperat post mortem, omnia quæ diximus libenter sustinet propter Deum : quia laborum suorum mercedem multiplicem indubitanter expectat. Ille est ergo perfectus discipulus Christi, qui hæc omnia patitur, aut pati paratus est. Non ergo ideo Dominus mandat, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, quia necesse est, omnem Christi discipulum occidi : sed ne omnes illas res, quas supra diximus,

per singulas mandet, quasi per compendium dixit : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus* : quoniam qui occidi non timet, multo magis contemnit cætera adversa carnalia, quæ sunt ante mortem : quia omnia carnalia, quæ sunt ante mortem, leviora sunt morte. Qui ergo quod gravius est non timet, multo magis contemnit quod levius est. Qui autem cæteras molestias, quæ sunt ante mortem, non est contentus pati propter Deum, quomodo sustinet mortem ? Considera autem, ut quid nobis in natura creavit timere mala carnalia, aut diligere bona : non ut mala carnalia timeamus, quæ timeamus, sed ut per timorem malorum carnalium intelligamus magis timenda esse spiritualia mala. Utpote, scis quia malum est pati dolorem carnis : per hoc intellige, quia pejus est dolorem animæ pati. Scis quia malum est confundi coram hominibus : per hoc intellige, quia pejus est confundi coram angelis. Quantum enim angeli meliores sunt hominibus, tantum confusio illa pejor quam ista. Nam dolor et pudor corporalis cum corpore finitur, aut solvitur : dolor et pudor animæ semper cum anima irruit ad pœnam. Ita non ut diligas bona carnalia, quæ diligis, sed ut per bona carnalia intelligas magis diligenda esse spiritualia bona. Utpote, scis quia bonum est gaudere carnaliter : per hoc intellige, quia melius est gaudium animæ. Gaudium quippe carnis cum carne finitur, gaudium autem animæ cum anima perseverat. Scis quod bonum est gloriari in terris : per hoc intellige, quia melius est gloriari in cælo. Quanto enim clarus est cælum quam terra, tanto gloriosior est illa gloria quam ista. De magnis autem thesauris honorum vel malorum quasi modicum gustum dedit in mundo, ut ex modico gustu malorum, vel bonorum, plenitudinem cognoscamus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed eum timeate, qui potest corpus et animam perdere in gehennam.* Quid dicis, anima perit ? Nonne immortalis creata est ? Morte enim non solum extinctio corporalis signatur, sed etiam pœna mors dicitur. Unde et Paulus ait : *Quotidie morior pro vestra gloria, quam habeo in Christo Jesu* (1. Cor. 15. 31). Et Joannes in Apocalypsi sua sic dicit : *Beatus, qui habet partem in prima resurrectione ; et secunda mors non dominabitur* (Apoc. 20. 6). Secunda enim mors est ignis, et sulphur. Vides ergo, quia per damnationem animæ non dicit ipsam solutionem animæ, sed cruciationem gehennæ, quæ est mors secunda. Et tamquam si aliquis dicat : Ut quid tanta licentia data est malis, ut etiam contra voluntatem Dei habeant in sanctis potestatem nocendi ? Absit, nihil possunt Deo nolente. 29. *Nonne duo passeressesse venenunt, et unus ex eis non cadet sine voluntate Patris vestri ?* Si ergo passeressesse in voluntate Dei positi sunt, non in potestate hominum, quos Deus ad usum hominum fecit, quanto magis vos : non cum estis in potestate hominum, sed in voluntate Dei, quos Deus ad suam gloriam fecit ? Si passer eventu non moritur, nec cadit, propter hoc ipsam, quia opus Dei est : quanto magis justus homo non est in eventu positus, quia imago Dei est ? Sed aut a Deo traditus moritur, aut a Deo liberatus evadit. Si in passeribus nihil sine ratione agitur, quorum duorum pretium unius est assis : quanto magis in vobis sine me nihil agitur, quorum pretium est sanguis meus ? Si sic habentur passeressesse, quomodo habendi sunt filii ? Ideo ergo non debetis timere homines, quia non est in vobis illorum potestas, sed Dei. Non enim quando volunt impij, tunc possunt nocere sanctis, sed quando Deus illis nocendi tempus concesserit, ut provideat sanctis suis coronam. Dicit Pilatus ad Jesum : *Nescis quia potestatem habeo dimittere te, et crucifigere te ?* Respondit ad eum : *Non haberes ullam potestatem in me, nisi tibi datum fuisset desursum* (Joan. 19. 10. 14). Quæ ergo est sapientia, illum non timere qui dat potestatem, sed illum timere qui accipit ? Qui enim dat potestatem, quando vult dat : qui autem accipit, non quando vult accipit. Ergo si non es traditus, sine causa times, et si traditus es, sine causa times. Deo enim liberante, homo tibi nocere non pe-

test, et si vult. Nescis quomodo Pilatus volebat dimittere Christum, sed non poterat, quia Deus eum tradebat? 30. *Vestri autem et capilli capitiis omnes numerati sunt.* Quid nobis prodest capillos numeratos habere, si morimur? Ideo numerati sunt, ut in eternum vivamus. Numquid ideo numerat aliquid Deus, ut numerum ejus cognoscat, qui ab initio, ut dixit Sapientia, omnia in pondere, numero, et mensura creavit (*Sap. 11. 21*)? Sed ideo numeravit, ne aliquid perdat ex ipsis; sicut dicit propheta: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Psal. 138. 17. 18*). Non minuuntur, qui numerati sunt, sed etiam multiplicabuntur. Vis scire dignitatem numeratorum? Considera ovem illam quomodo pastor non requievit per desertum discurrere, donec inveniret eam, et ad primum numerum revocaret (*Matth. 18. 12. 13*). Nullam ex omnibus se habere putabat, si de numero suo una periret. Qui autem perituri sunt, non numerantur. Ideo Dominus dicit: *Vestri etiam capilli capitiis numerati sunt.* Peccatores autem ut quid numerantur, qui esse non æstimantur? Illud enim numerat Deus, quod vult possidere: quod autem non vult habere, ut quid numerat? Ideo non numerantur peccatores, ut quicumque ex ipsis periret non sentiat, neque curet Deus, quasi de non numeratis: sicut scriptum est, *Pro nihilo habentur omnes gentes* (*Isai. 40. 17*). Ergo passeres sunt meliores, quam peccatores? Non, sed similes. Sicut enim Deus non dixit, quia non cadunt: sed, sine voluntate Dei non cadunt; Dei enim voluntas est, ut comprehendantur, et ad usum procedant hominum, quia ad hoc creati sunt: sic voluntas Dei est, ut homo, qui sine lege Dei vixit, sine lege et pereat: et qui Deum non aspexit, non aspiciat illum Deus. Vere in hoc peior est homo peccator quam animal, quoniam animal etsi non glorificat, non exacerbat: homo autem malus non solum non glorificat, sed adhuc exacerbat. Quanta autem sit dignitas numeratorum, etiam in libro Numeri (*Cap. 3. et 26*) ostenditur, quoniam electi et colati numerantur a Mose, per præceptionem Dei. Non numeratur inter eos femina. Femina autem intelligitur mollities, quæ est corruptio corporalis. Omnis autem vir mollis animo, remissibilis in fide, et corruptus in actibus, corpore vir est, et femina intelligitur: ideo non numeratur cum sanctis. Femina autem si virilitatem sanctam habuerit, etsi corpore femina est, animo est vir, et numeratur cum sanctis. Illic quia figura erat caro, femina repellatur: hic autem quia veritas est, femineus animus non numeratur. Illic servilis conditio excludatur, hic autem conversatio servilis expellitur apud Deum. Non ille servus est qui servus est hominum, sed qui peccati sui. Ergo liber, si opera mala fecerit, diaboli servus est: servus, si bona opera fecerit, filius Dei est: ideo servilis anima non numeratur. Item neque Ægyptius mundialis. Qui ergo diligit mundum, in sæcularibus negotiis gaudet. Propter negotia mundi transitoria tristatur, propter Deum vero non gaudet. Ille non numeratur, qui anima Ægyptius est. Ægyptius autem si cælestia amaverit, Hebræus est. Item nec puer numeratur. Ille qui puer est sensibus, malitia autem perfectus est: qui autem malitia puer est, sensibus perfectus est. Qui autem mensurat plenitudinem ætatis Christi, ille etsi puer fuerit, sicut Daniel numeratur. Et qui procedit ad bellum contra alienigenas: id est, qui potest pugnare contra immundos spiritus, et desideriorum carnalium destruere castra, ille tantummodo numeratur. Sed nec omnes qui habent virtutem spirituales, habent Israeliticam virtutem. Nam et gentiles habent virtutem animæ, grammaticam, rhetoricam et philosophicam: sed non Israelitica virtus est, quæ non sit propter Deum, sed propter bonam gloriam: Israeliticum autem bonum est, cujus mens Deum videt, sicut apostolorum, quibus dixit: *Vestri autem et capilli capitiis numerati sunt omnes.* Spiritualiter autem capilli sunt subtiles animæ, et innumerabiles sensus

sanctorum, qui de spiritu Christi quasi de capite ipsorum prodeunt. Si autem justus tradidit se in potestate dilectionis, dilectio illa præcidit capillos ipsius, et tollit virtutem quam habet in capite, sicut Dalila Samsonis (*Judic. 16*). Nam omnis virtus eorum non in corpore, nec in divitiis, sed in virtutibus spiritualibus est posita. Et nulla res sic præcidit virtutem capillorum suorum, sicut corporalis voluptas. Si ergo perdidit virtutem capillorum suorum, apprehendunt eum alienigenæ. id est, immundi spiritus, et alligabunt eum vinculis diversorum desideriorum, et excæcabunt oculos cordis ejus, ut non videat lumen, id est, viam veritatis, ut egressus suos extendat, ut impleatur in illo quod scriptum est: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (*Psal. 68. 29. 32*). 32. *Omnia ergo qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo.* 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo.* Et quoniam rem impossibilem, quantum ad naturam carnalem, mandaverat: nunc et penam proponit et præmium, ut modo timore pænæ, modo desiderio præmii virtus animæ adjuvetur. Ecce præmium: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo.* Sed prius dicit præmium, postea pænâ, quia misericors Deus paratior est ad remunerandum bonos, quam ad puniendum indignos. Vide ergo quantum majus est præmium Dei, quam justitia nostra: et quanto gravior est vindicta, quam nostrum peccatum. Si tu confessus fueris Christum coram hominibus, confiteris quia nihil potes præstare Deo: si autem ille te confessus fuerit coram Deo, confitetur quia potest facere te immortalæ. Si tu negaveris Christum coram hominibus, denegans Christum illi nocere non potes: si autem te negaverit Christus coram Deo, denegat qui perdere potest in igne æterno. Quis est tam lapideus, qui non desideret justitiæ suæ testem habere Christum? Si ergo magnum est testem esse Christi, quantum magis est testem habere Christum?

*Nihil prodest credere corde, nisi adfuerit confessio oris.* — Considera etiam denique, ne forte dicant etiam fideles Christiani: Si necessitas persecutionis advenerit, interim coram hominibus de negatione patiar pœnas, in corde autem meo veritatem teneo Christi: ideo non dicit, *Qui me confessus fuerit in corde suo, sed, Coram hominibus*: quoniam qui coram hominibus non confitetur, non prodest ei aliquid, quod in corde credit in Christum: quia qui ore denegat, non potest fieri ut in corde credat. Radix enim confessionis fides est cordis: confessio autem fructus est fidei. Sicut ergo quamdiu radix est viva, necesse est ut aut ramos producat, aut folia: si autem non produxerit, sine dubio intelligis, quod radix ejus in terra siccata est: sic quamdiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore; si autem confessio non fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis ejus jam ante siccata est. Sic enim dicit Apostolus: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom. 10. 10*). Ergo nec valet confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris. Si autem tibi prodest corde credere, et non coram hominibus confiteri: ergo et infideli in hypocrisi confiteri Christum prodest, etiam si corde non credat? Si autem ille nihil proficit confitens sine fide, nec tu proficis credendo sine confessione. Si sufficit Christo, qui cognoscit, etsi confessus eum non fueris coram hominibus: ergo et tibi sufficiat, quia cognoscit te Christus, etsi non fuerit te confessus coram hominibus. Si autem tibi non sufficit cognitio ejus, nec illi sufficit fides tua. Si enim sufficeret tibi fides cordis, cor tantummodo tibi Deus creasset: nunc autem et os tibi creavit Deus, ut corde credas, et ore confitearis. Nec tantum ore, sed quinque sensibus carnalibus. Si enim sufficeret cor aut os, sic diceret et propheta: *Confitemini Domino in citharu* (*Psal. 52. 2*), unius aut decurum cher-

darum, psalmum dicite ei : nunc autem dicit, *In psalterio decem chordarum* : quia homo, qui est psalterium, decem sonos habet, quinque carnales, et quinque spirituales. Cum his omnibus oportet confiteri Christum. Si autem vel unus sensus minus fuerit, non est perfecta confessio. Ergo si quis tibi dicat, Non manduces idololatriam, sed aspice tantum ad idola, quomodo speciosa sunt : si aspexeris provocatus, oculis tuis negasti Christum : non qui aspiceret idola aliquid sit, sed quia invitatus aspicias, peccas. Si autem non aspexeris oculis tuis, confessus es Christum. Ideo scriptum est, *Averte oculos meos ne videant vanitatem (Psal. 118. 37)*. Si vero dixerit tibi, Nolo ut aspicias idola, sed tantum ausculta quomodo ille gentilis blasphemavit Christum, ut glorificet deos : si auscultaveris, auribus tuis Christum negasti. Si dixerit tibi, Nolo ut audias blasphemiam Christi, sed ecce quomodo incensum diis offertur, tantum sta, et accipe odorem incensum illius : si odoratus fueris, odoratu tuo Christum offensus es. Item si dixerit tibi, Non manduca carnem dentibus tuis, tantum finge te de immolato manducare : si simulaveris, sic gustu tuo Christum negasti. Si autem nolueris fingere, Christum confessus es, sicut Eleazarus in libro Machabæorum (2. Mach. 6), qui carnes vervecinas sub specie porcine noluit manducare. Si dixerit, Nolo fingas te de immolato manducare, sed tantum tange idolum manu tua, aut tene thuribulum : si tetigeris, aut teneris, tactu tuo Christum negasti. Si autem nolueris, tactu tuo Christum confessus es, sicut scriptum est : *Si est iniquitas in manibus meis (Psal. 7. 4)*. Omnia enim membra animæ vel corporis tui non solum tibi ad usum Deus creavit, sed sibi ad gloriam.

*Homilia xxvj. ex capite x.*

34. *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram. Non veni mittere pacem, sed gladium, et reliqua. Cum dixisset Dominus, Qui me confessus fuerit coram hominibus, etc., quasi cogitantibus apostolis, et dicentibus apud se, Usque nunc sub tyrannidis et Gentium dominatione degimus, et nunc speravimus pacem nobis esse venturam : et quomodo hic nobis persecutiones et judicia futura promittit? respondit ita : Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram. Et est pax bona, et est pax mala. Pax bona est inter bonos fideles et justos, ut in quibus est unius fidei munus, una sit vite concordia. Nam fides per verbum quidem Dei nascitur, per pacem autem servatur, et per caritatem nutritur, dicente Apostolo : *Fides est, quæ per caritatem operatur (Gal. 5. 6)*. Fides autem, quæ non habet caritatem, nullum potest boni operis fructum perficere. Si ergo aliqua dissensione fideles fuerint separati, hoc est mala discordia, sicut ait Dominus : *Omnia domus in se divisa non stabit (Matth. 12. 25)*. Si et separata fraternitas, a semetipsa consumitur, sicut ait Apostolus : *Si autem invicem mordetis et criminamini, videte ne ab invicem consumamini (Gal. 5. 15)*. Pax autem mala est inter infideles et iniquos, ut quibus est una malitia, sit unus ad malefaciendum consensus. Nam infidelitas et iniquitas ex suggestione quadam diaboli nascitur, per pacem autem servatur. Si ergo aliqua occasione infideles et iniqui ab invicem fuerint separati, hoc est bona discordia : quia sicut in pace bonorum fides et justitia stant, infidelitas autem et injustitia jacent ; cum vero discordia venerit, fides et justitia cadunt, infidelitas autem et injustitia resurgunt : sic in pace iniquorum et injustitia et infidelitas stant, fides autem et justitia jacent. Cum vero concordia venerit, infidelitas et injustitia cadunt, fides autem et justitia surgunt. Ideo ergo Dominus bonam misit separationem in terram, ut rumperet malam conjunctionem. Omnes enim tam boni quam mali, id est, qui diligentes malum, erant in malo, et qui per ignorantiam boni stabant in malo : omnes*

inclusi, ideo misit Dominus separationis gladium inter illos, id est verbum veritatis, de quo ait Apostolus : « Vivum est verbum Dei, et efficax, et acumen habens super omnem gladium acutissimum. penetrans usque ad interiora animæ et spiritus, artuumque et medullarum, scrutans corda, et cogitationes » (*Hebr. 4. 12*). Iste est ergo gladius bis acutus, ex una quidem parte bonos ab errore præcidents, ex altera autem parte malos ab excusatione, ut nec bonos ignorantia perdat, nec malos excuset : ut et boni, cognita veritate, cum sequuti fuerint veritatem, cum judicio et justitia salventur, et mali, cum veritate cognita, secesserint a veritate, cum judicio et justitia puniantur. Hoc ergo gladio Dominus separavit bonum a malo, ut et bonum separatum a malo surgat, et malum separatum a bono cadat. Nam bonum, quoad fuerit mixtum, cum malo jacet, et mortuum est, quia non potest bonum esse conjunctum cum malo : cum autem a malo fuerit separatum, tunc surgit et vivit, quia incipit esse bonum separatum a malo. Sic et malum quamdiu fuerit mixtum cum bono, stat et vivit, quia sub se opprimit bonum : cum vero fuerit separatum a bono, tunc cadit et moritur, quia manifestatum jam non potest sub se opprimere bonum. Sic et fideles, quamdiu cum infidelibus fuerint juncti, jacent, et mortui sunt, quia non possunt esse fideles cum infidelibus mixti. Cum autem fuerint ab infidelibus separati, tunc resurgunt et vivunt, quia tunc incipiunt esse fideles cum fidelibus mixti. Item infideles, quamdiu fuerint cum fidelibus mixti, stant, et vivunt, quia sub sua infidelitate tenent fideles. Si vero a fidelibus fuerint separati, cadunt, et mortui sunt, quia manifesti infideles jam non possunt perdere fideles. Omnis enim res mala quamdiu stare videtur et vivere, quamdiu bonæ rei potest nocere : cum vero manifestata fuerit, jam non potest nocere, jacet, et mortua est. Omnis autem res mortua, etsi est mala, tamen similis est rei, quæ non est. Quid ergo infideles a fidelibus separati alios quidem timore frangunt, alios autem promissione corrumpunt? Hæc res non dicit perdere bonos, sed magis glorificare permanentes in bono, cum ille, qui aut timore frangitur, aut promissione corrumpitur, nunquam fuerit vere bonus. Tunc enim vere infideles dicuntur perdere fideles, quando fideles per ignorantiam veritatis cum infidelibus sunt. Seductionibus aut persecutionibus fides non corrumpitur, sed purgatur. O mira virtus gladii separantis, cui non solum conjunctio extraneorum resistere non potest, quos amicitia voluntaria jungit, sed nec ipsa dilectio violenta naturæ carnalis! Et ideo non solum illos separavit, qui dilectione conjuncti sunt, et natura disjuncti, sed etiam illos, quos carnalis necessitas dulcibus vinculis alligavit. Ideo non dicit, 35. *Veni enim separare filium adversum patrem, etc.* Notanda res est, quoniam quos separat Christus, fideles sunt : a quibus separat, infideles. Unde ostendit? Ex eo quod dicit : 37. *Qui diligit patrem plus quam me, non est dignus. Qui enim plus diligit patrem quam Deum, permanet juxta patrem. Qui autem diligit Deum plus quam patrem, recedit a patre fide, non corpore. Ideo autem diximus, quia quos separat Christus, fideles sunt : ut sciamus quia semper fideles ab infidelibus recedunt, non infideles a fidelibus : quia semper diabolus desiderat infideles suos cum fidelibus esse, ut infideles, cum fidelibus mixti, corrumpant fideles : et Christus semper fideles festinat ab infidelibus separare, ut ne fideles, convenientes cum infidelibus, corrumpantur ab eis. Et ubicumque separatio inter bonos et malos facta legitur in Scripturis, semper boni secesserunt a malis, et non mali a bonis. Cum essent Judæi in captivitate, Deus per prophetam non ad Assyrios dicit : *Exite, exite de medio populi mei : sed ad populum suum, Exite, exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis (Isai. 52**

<sup>1</sup> Alias vox, non, deest.



41) : quia malum coinquinat bonum, bonum autem non coinquinat malum. Uputa, junge lutum farinae : non farina sordidat lutum, sed lutum farinam. Item junge acetum vino : non vinum corrumpit acetum, sed acetum vinum. Nec enim corrumpi potest ab alio, quod naturaliter a seipso corruptum est. Ideo cum dixerint infideles, A nobis vos recessistis, non nos a vobis : crede ; verum enim est. Semper bonum ante malum fugit, malum autem ante bonum non fugit. Item cum dicit, Ecce ille sacerdos hæreticus desiderat orare cum fidelibus, et dare benedictionem fidelibus : crede ; verum est enim. Scit enim dato suo coinquinare, non sanctificare accipientem. Si enim sciret sanctificare qui dat, utique rogandus fuerat, non rogaret. Nunc autem quia coinquinat datum ejus, non expectat ut quæratur, sed ipse quærat quem perdat. Ecce ille laicus infidelis benedictionem desiderat accipere a fidei, non ut ipse sanctificetur accipiens, sed ut tu et quod dedisti, perdas, et quia dedisti sanctum canibus, pereas. Non dixit, Separare filium a patre : sed, *Adversus patrem* : quia non corporalem separationem jubet, sed spiritualem. Qui enim corporaliter separatur, a patre separatur, non contra patrem : qui autem spiritualiter separatur, corpore quidem cum patre est, fide autem adversus patrem. Nam qui longe est a patre, non potest stare contra patrem : qui autem ante patrem est, ille potest esse contra patrem, respondendo, blandiendo, disputando. Non enim credibile est, ut corporaliter jubeat relinquere patrem, qui dixit : *Honora patrem tuum et matrem tuam* (Exod. 20. 12). Si ergo habes patrem infidelem, obsequere ei, et tu invenies mercedem pietatis ; et ipse infidelitatis suæ habebit damnationem suam. Et ideo non dixit, Qui diligit patrem, non est me dignus : sed ait : *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Sicut enim post Deum diligere parentes pietas est : sic plus quam Deum diligere impietas est. Si ergo habes patrem infidelem, obsequere ei. Si autem voluerit te in eandem soveam infidelitatis immergere, in qua ipse est, tunc plus dilige Deum, quam patrem : quia pater non est animæ, sed carnis. Solus autem Deus omnium animarum sanctarum Pater est. Redde ergo unicuique quod suum est. Carnalibus patribus præbete carnis obsequium, spiritualibus autem patribus animæ sanctitatem. Et vere nihil est, quod amplius diligere debemus quam Deum. Amici enim recedunt, parentes deliciunt, solus autem Christus nec recedit aliquando, nec deficit, donec voluerimus et nos esse cum ipso. Cum de hoc mundo exierimus, unaquæque anima ad locum suum recedit : et nemo recordatur amplius carnalem affectum, cum de carne recesserit, non pater filium, non filius patrem. Omne enim quod de terra suscepimus, in terra dimittetur, et neminem nobiscum habebimus, nisi opera nostra, si bona sunt, ad gloriam : si mala sunt, ad penam. 38. *Qui non tulerit crucem suam, et sequutus fuerit me, non est me dignus*. Crucem suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, si necessarius fuerit, usque ad mortem, magis quam relinquere Christum. Ille talis etsi de misericordia Dei evadit, tamen quantum ad propositum suum quotidie cruciatur. Ideo etsi nihil tale fuerit passus, mercedem tamen accipiet. Voluntas enim remuneratur, non opus : quia voluntas ex nostro arbitrio procedit, opus autem per gratiam Dei consummatur. 39. *Qui invenit animam suam, perdet eam. Melius est propter Deum mori, et in perpetuum vivere, quam propter vos vivere, et in perpetuum mori*. Si ille pro nobis mortuus est, qui mori non poterat, nisi voluisset : quanto magis nos pro eo mori debemus, qui etsi nolumus, mortales sumus ? Si Dominus pro servis mortuus est, et hoc sine præmio : justius est ut servus moriatur pro Domino, et hoc cum præmio. 40. *Qui vos recipit, me recipit*. Quoniam apostoli et cæteri Christiani, in persecutionibus Judæorum et gentilium constituti, necesse

habebant interdum declinandi, et pericula fugere de civitate in civitatem, secundum Christi mandatum : ideo honorem suum dedit eis, magis autem seipsum posuit in eis, ut ad susceptionem eorum omnem Christianum populum provocaret, sibi imputans acceptum, quod illis fuerat datum, ut recipientibus eos dicat in die judicii : *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum quod vobis paratum est ante constitutionem mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare* (Matth. 25. 34. 35), etc. *Quod uni enim ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Ibid. v. 40). Si enim qui minimis de Ecclesia facit, Christo facit : quanto magis qui apostolos recipit, cæterasque passiones Christi circumferens in corpore suo, ipsum recipit Christum ? 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet*. Prophetæ doctores intelliguntur, sicut supra docuimus ; justii autem omnes Christiani. Prophetæ ergo nomine voluit ostendere omnes prædicatores Christi ; justii autem nomine, omnem hominem Christianum : quia non solum doctorum est, persecutionum causa vagari de civitate in civitatem, sed omnium Christianorum perfectorum in Christo credentium. *In nomine prophetæ*, id est, quasi prophetam Christi. *In nomine justii*, id est, justum Christi servum. Ut ergo habeat bonum opus mercedem, duo hæc occurrere debent, ut et Christianum recipiant, et quasi Christianum, sive sacerdotem, sive laicum. Si autem aliquis aut non Christianum recipit, aut Christianum quidem recipit, non autem quasi Christianum : mercedem Christiani non recipit. Quid vero est, *Qui accipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipit ? et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet ?* Hoc est, qualem mercedem habet qui peregrinatur, talem mercedem habet et ille, qui suscipit propter Deum peregrinantem. Et sicut ambo æquales, et ille qui propter Deum laborat, et iste qui propter Deum laborantem refrigerat. Uputa, suscepisti sacerdotem, sacerdotis habes mercedem : suscepisti laicum justum, justii laici habes mercedem. Qui recipit Christianum ille qui Christianus non est, non habet mercedem Christiani illius : quia et Christianum si suscipit, tamen non cum nomine Christiani, aut propter honorem Christi, sed quasi quemcumque hominem. Qui enim Christum non cognoscit, quomodo Christianum suscepisse intelligatur propter Christum ? et qui non credit veritati, quomodo confessorum veritatis intelligatur suscepisse propter veritatem ? Non ergo recipit eum in nomine Christi, quasi Christianum, sed quemadmodum cæteri gentiles humanitatis causa recipiunt peregrinos, non propter Christum. Quod autem diximus, sive Christianum receperit, sive sacerdotem, sive laicum, non habet mercedem, quia non quasi sacerdotem suscepit, nec quasi Christianum : ita est intelligendum, ut suscipiens sacerdotem, mercedem sacerdotis non habeat : et suscipiens Christianum, mercedem Christiani non habeat. Alioqui habet mercedem propter hoc solum, quia bonum opus fecit, quamvis non fecerit propter Christum. Quoniam qui prophetam suscipit non quasi prophetam, prophetæ quidem mercedem non habet, aliquam autem habet. Hujus rei testis est Daniel, dicens : *Et nunc, Domine rex, consilium meum audi, et peccata tua elemosynis redime* (Dan. 4. 24). Si ergo ille rex idolorum cultor poterat elemosynis peccata redimere, cui non prosunt elemosynæ ? Sed audi mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit. Si fidelis fecerit opus bonum, et hic ei prodest, liberans eum a malis et in illo sæculo ad percipiendum regnum caeleste ; magis autem ibi quam hic. Si autem infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, et hic ei reddit Deus bona pro opere suo. In illo autem sæculo nihil ei prodest opus ipsius. Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus suum ; et juste, quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum. Ideo in corpus suum reci-



pit mercedem operis sui, non in anima sua. Item si Christianus dederit ei, qui non est Christi, non magnam habet mercedem, quia nec Christiano dedit, nec quasi Christiano, dicente Tobia: *Effunde vinum tuum super sepulcra justorum, et non dederis peccatori (Tob. 4. 18)*. Item Sapientia, *Recipe, inquit, justum, et ne dederis impio (Eccli. 12. 6)*. Tamen quia scriptum est, *Operemini bonum ad omnes, magis autem ad domesticos fidei (Gal. 6. 10)*: qui dat infideli, modicam quidem, tamen habet mercedem: qui autem fidei dat, duplicem habet mercedem. Primum quidem quia creatura Dei est: secundum, quia servus Dei est. Qui autem infideli dat, unam habet mercedem, quia creatura quidem est Dei, voluntate autem adversus Deum. Quod si Christianus non Christianum, sed infidelem in nomine Christi suscipit, nihilominus habet statutam mercedem: quia quantum ad se non Christianum suscipit, sed quasi Christianum, 42. *Et quicumque uni ex minimis istis calicem aquae frigidae dederit tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Non peribit merces ejus. Quoniam supra dixerat, Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet*: hic exaggerans mercedem suscipientium, supra modum amplius dicit. Hoc est quod dico, quia qui etiam uni ex minimis istis, qui neque prophetae sunt, neque justii, sed tantum credentes in me, aquam frigidam porrexerit: hoc est, Non dicam qui eos magnifice susceperit, sed qui vel aquam frigidam porrexerit eis, merces ejus non peribit. Minimi autem sunt in Ecclesia, qui modice justitiae sunt, aut modice fidei. Et vide quam proprie de minimis dicat. Non dicit, Qui unum ex minimis receperit, sicut cum loqueretur de prophetis et justis: quia minimi in populo Christiano non opus habent susceptione. Nec enim peregrinantur causa persecutionis, nec contenti sunt persecutionis aliquam subire molestiam, sed statim scandalizantur. Unde et alibi dicit propter eos: *Vae praegnantibus et nutriendis in illis diebus (Matth. 24. 19)*. Proprium autem prophetarum et justorum virorum est causa persecutionis peregrinari de civitate in civitatem. Illos ideo suscipi mandat, his autem aliquid dari, non forte propter ipsam levem indigentiam scandalizantur. Unde non dixit, Qui unum ex magnis istis scandalizaverit: sed, *Unum de pusillis istis*: quia magnus non scandalizatur, sed pusillus. Vere justus Judex. Qui enim et pro verbo otioso constituit poenam, justum erat ut pro aqua frigida daret mercedem (Matth. 12. 36). *Tantum in nomine discipuli*, supra caute addidit, dicens: Sciens quoniam si quis non propter nomen Christi dederit, non habet mercedem. Frigidam aquam dicit, ut ne calefaciendi impendat laborem. Non quia aliquid est, quod dat, ideo habet mercedem: sed ob id, quia magnus est, propter quem dat. Quid enim, si aliquis voluit dare, et non potuit? numquid justum est, ut secundum modicum angustetur larga voluntas? Melius est ergo, ut opus ostendatur secundum voluntatem, quam larga voluntas angustetur secundum opus. Quomodo ergo omnes pauperes volentes benefacere confortat, nolentes autem benefacere inexcusabilis reddit? Qui enim aquae frigidae mercedem constituit, puto quod et sine opere nudae voluntati reddet mercedem.

*Homilia xxvij. ex capite xj.*

2. *In illo tempore, cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? et reliqua.* Joannes, specie homo, gratia angelus: quia nihil carnis erat in eo, nisi visio sola: corpore tenebatur in carcere, anima autem in caelo. Et quod Herodes illi faciebat pro poena, ille suscipiebat pro beneficio. Et ita illius quasi Dei misericordia fruebatur, quia verum gaudium est sanctorum, exire de mundo. Quemadmodum festinantem hominem ad rem aliquam quam desiderat, si quis nesciens consilium ejus, pro

malo compellat eum ire volentem: sic puto esse, cum impius hominem justum vult occidere, mori cupientem. Sicut servus, postquam commissi operis impleverit pensum, gaudet ante faciem domini sui apparere: sic et Joannes, commissae praedicationis mysterio consummato, laetabatur ad eum transire. Et non solum de morte sua non contristabatur, sed ipsam quoque dilationem vitae suae poenam putabat. Vis scire quod est super humanam naturam? Missus in carcerem non de suo periculo sollicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat, id est, discipulorum suorum. Ideo mittens ad Christum, interrogabat: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* In prima quidem facie extraneum aliquid videtur facere Joannes. Cui enim ad baptismum suum venienti dixerat: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me (Matth. 3. 14)?* quem inter innumerabiles populos venientem, digito loquens monstraverat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. 1. 29)*: et quod amplius est, quem in utero constitutus, priusquam nasceretur, non solum cognovit, sed etiam exultatione spirituali matrem suam fecit ipse prophetam: ipse nunc quasi nesciens interrogat, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Sed Joannes in carcere, sciens se jam in exitu constitutum, volebat discipulos suos Christo adjungere, tamquam si providus pater moriens filios suos consignet fideli tutori. Desiderabat enim vivens plenam fidem videre discipulorum, et sine dubitatione aliqua credentes in Christo. Sicut pater moriens, si viderit filios suos bonis moribus ornatos, et omni sapientia perfectos, quasi securus moritur, nihil de cetero timens de illis: sic et Joannes volebat discipulos suos perfectos videre in Christo, ut jucundius moreretur. Magis autem non sicut pater filios suos commendabat Christo quasi tutori, sed quasi paedagogus alienos filios, quos ad tempus accepit ut erudiret, eruditos volebat Christo reddere, quasi proprio patri ipsorum. Ideo interrogabat per discipulos suos, non ut ipse recepiens responsum, a Christo audiret, et disceret, sed ut missi discipuli oculis suis viderent opera ejus, et crederent: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Dum dicit, *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* ostendit quia duo erant qui essent venturi, Christus et Antichristus, de quo et Dominus alibi significat, dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recipiatis me: alius veniet in nomine suo, et illum recipiatis (Joan. 5. 43)*: significans, quod quicumque non receperit Christum, expectat Antichristum venire. Intellexit cogitationem Joannes Christum, animadvertit consilium principis sui rex, sentit sermonem servi sui Dominus. Quod enim Spiritus in Joanne dictaverat, Deus intellexit, dicente Apostolo: *Qui scrutatur corda scit quid desiderat Spiritus (Rom. 8. 27)*. Propterea spirituales hominem spiritualis facile intelligit. Carnalis autem non intelligit spirituales, ipse tamen intelligitur ab eo: quia *Spiritualis judicatur omnia, ipse autem a nemine judicatur (1. Cor. 2. 15)*: quia carnalis homo secundum carnem loquitur, et semper secundum carnem intelligit: spiritualis autem secundum cor loquitur, et cogitationes intelligit. Considera denique, quomodo se simulant sensus eorum et verba. Sicut enim Joannes in prima quidem facie per discipulos suos interrogabat Christum, *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* reversa ad discipulos suos ait: *Ite, videte, et credite: quia non est alius, qui venturus fuerat, nisi ipse: sic et Christus in prima quidem facie Joanni renuntiabat, dicens: 4. Ite, dicite Joanni: 5. Caeci vident, surdi audiunt, 6. et beatus qui non fuerit scandalizatus in me: reversa autem ad discipulos ejus dicebat: Ecce videte, et cognoscite, quia caeci vident, surdi audiunt, et beati eritis, si non fueritis scandalizati in me. Quid est, quod videtis et auditis? Sciens Dominus quia venturi erant discipuli ab Joanne, sicut Lucas dicit, in illa hora multis et bonis hospitibus digna conviviva preparabat, ut etiam Christo tacente, ipsa opera ejus loquerentur de eo*

(*Luc. 7. 20. 21*). Nam et tibi curati fuerant, gratias agebant : et quidam vero dicebant : *Namquam sic factum vidimus in Israel ( Marc. 2. 12 )* ; alii autem dicebant : *Visitavit Deus in bono plebem suam ( Luc. 7. 16 )* ; alii dicebant : *Gloria Deo, quia talem potentiam dedit hominibus ( Matth. 9. 8 )*. Sic ergo discipuli et oculis et auribus pasciebantur, mirabilia sanitarum videntes, gratias agentium voces audientes, aut certe mirabilia ejus videntes, et doctrinam ejus audientes, aut certe sanitates infirmorum videntes, et confessiones ejectionum dæmonum audientes. O misericordia Christi ! Omnia faciebat, ut paucorum animas lucraretur : quia melior est apud Deum unus justus, quam totus mundus de peccatoribus plenus. 7. *Abeuntibus autem illis, cepit dicere ad turbas de Joanne. Quam bene recedentibus discipulis cepit laudare Joannem ! non sicut quidam blanditores homines, qui libenter hominem in facie laudant, aut quando vident amicum ejus fideles, aut domesticos ejus, quos credunt quia nuntiati sunt illi quicquid audierint. Nam insipiens est, qui gaudet laudari in facie. Vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Propter duas ergo causas hominem in facie laudare non debes. Primum si sapientem illum putas, graviter suscepturus est. Et quare illi laudibus tuis molestiam facis ? Si insipientem illum existimas, extollendus non est. Quare insipientiam ejus laudibus tuis nutris ? Numquid dicimus, insipiens est qui in facie vult laudari ? Omnes enim homines volumus laudari. Et ideo hominum facinorosus, ut laudem consequamur ex eo, dicente Apostolo : *Quæcumque sunt laudis, quæcumque bonæ operationis, hæc sectamini, et Deus pacis erit vobiscum ( Philipp. 4. 8. 9 )*. Nam qui vult laudari propter homines malos, vanus est : qui autem coram domesticis ejus hominem laudat, non est culpa laudati, sed laudantis. Ideo enim coram illis laudat eum, non ut opinionem ejus bonam commendat hominibus, sed ut audiat ille, quia laudavit eum. *Quid existis in desertum videre ?* Non enim exierat in desertum ad hoc, ut viderent Joannem : nec enim erat tunc in deserto, sed in carcere. Sed præteritum refert, quia frequenter exibat populus in desertum videre Joannem, cum esset adhuc in deserto.*

*Homo carnalis ut calamus ab omni tentationis vento flectitur. — Calamus a vento moveri ?* Calamus est vacuus, et nullam habet virtutem : et ideo qualvis ventus flaverit super eum, huc et illuc flectit illum. Sic et homo carnalis et secularis in quo fidei nulla est medulla, et virtus veritatis non invenitur in eo, qualiscumque tentatio venerit super eum, curvat eum. Nam Deus volens ostendere Job, in quibus hominibus diabolus requiescit, introducit draconem in figura diaboli, et cum multa dixisset de eo, inter cætera ait : *Secus calamus et papyrus requiescit ( Job 40. 16 )*. Calamus enim est vacuus, papyrus autem vimium levis, et mollis. Sic omnis homo carnalis, vacuus in fide, et levis in sensu, et mollis in passionibus, calamus est et papyrus. Quoniam usque tunc Joannes multis modis plura testimonia in populo dederat de Christo, sicut legimus in principio Joannis evangelistæ : postea autem missis ad eum discipulis, interrogabat eum, dicens : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?* forsitan apud homines tunc ibi constitutos mirabile videbatur, et levissimi hominis signum, ut prius quasi sciens omnibus prædicaret, modo quasi nesciens interrogaret, si ipse esset, an alius. Propterea Dominus hoc introducit, et dicit, ut non putent hoc ipsum levitatis ejus fuisse, et non rationis alicujus occultioris. Propterea rationem quidem ejus non exponit, sed dignitatem, et gratiam ejus annuntiat : quia talis et talis est Joannes, ut prædicatio quidem dignitatem ejus suspicionem levitatis tollat ab eo, rationem autem transmissorum discipulorum postea digni et fideles intelligant, qui Spiritum Dei habere meruerunt, scrutantes etiam altitudinem Dei. 8. *Quid existis in desertum videre ? nomen*

*mollibus vestitum ?* Id est, amicum sæculi, qui fruitur bonis ejus. Non vidistis quia vestimentum ejus erat de pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus ? Esca autem ejus locustæ, et mel silvestre, ut ipso conversationis suæ testimonio contemneret mundum cum bonis ejus : stetit enim in mundo. Quod autem intravit in mundum, ideo intravit, non ut ipse remaneret in mundo, sed ut spoliaret mundum : id est, natus quidem est in mundo, sed non est ingressus ad aliqua hujus mundi bona. Quod autem natus in mundo, non ipse peccans remansit in mundo, sed peccatores convertens ad justitiam, liberavit de mundo. Multa enim delectamenta mundi iste ad seductionem ostendit hominibus. Sicut homo malignus, si viderit aliquem orphanum habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates ejus : sic et diabolus videns hominem habentem in se thesaurum cælestem, id est, animam immortalam a Deo creatam, sapientiam cælestem in arca terrena positam, ideo ostendit illi aurum et argentum, et concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes pretiosas, et deliciosos cibos, et gloriosos honores ; ut per hoc subjugans eum voluptatibus suis, auferat salutem anime ejus, et corrumpat gratiam cordis ipsius. 9. *Quid existis in desertum videre ? prophetam ? Amen dico vobis, et plus quam prophetam.* Prophetæ enim est de Christo prædicare. Numquid prophetæ fuit, ut in utero constitutus, Deum in utero cognosceret ? Prophetæ est, pro merito conversationis et fidei prophetiam accipere. Numquid prophetæ fuit, ut prius fieret propheta, quam homo, et ante gratiam acciperet ? Prophetæ est, beneficium a Deo accipere. Numquid prophetæ est, beneficium baptismatis a Deo donare ? Prophetæ est, verbum ante tempus significare de Christo. Numquid prophetæ est, facie ad faciem digito Christum ostendere ? Prophetæ est, ut ipse de Deo prophetet. Numquid prophetæ est, ut Deus de illo prophetet, dicens : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam ( Luc. 7. 27 ) ?* 10. *Hic est, de quo dictum est per prophetam : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam ( Malach. 3. 1 )*. Jam nunc incipit dicere causas propter quas amplius erat quam propheta beatus Joannes, qui talem meruit habere laudatorem. Et Joannes quidem testificatus erat de Christo, *Ecce agnus Dei ( Joan. 1. 29 )* : sed amplius recepit a Christo quam præstitit. Joannes enim Christum glorificans, humanam illi contulit laudem : Christus autem Joanni divinam contulit gloriam. Nam iste illum agnum ostendit, ille autem istum angelum prædicavit. Iste minus laudavit in Christo quam erat. Nam non solum peccatum mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donavit. Ille autem istum supra quam videbatur erexit, ut qui homo erat, angelus diceretur. *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.* Audi nunc, et intellige dignitatem. Puto, si non est audacis dicere, quod gloriosior est Joannes, quia homo fuit, et propter virtutis meritum angelus est vocatus, quam si nomine angelus et natura fuisset. Angelus enim, hoc ipsum quod angelus est, non tantum est virtutis præmium, quantum naturæ proprietatis. Iste autem mirabilis est, qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, et obtinuit quod non habuit natura per gratiam Dei. Ecce omnes prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, et angeli sunt vocati : sicut scriptum est, *Qui acceptis legem in præceptis angelorum, et non custodistis ( Act. 7. 53 )*. Et quomodo de solo Joanne quasi gratiæ singularis est indicium, *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam ?* Omnes quidem prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt : solus autem Joannes sic missus est ante faciem Christi, ut pene cum ipso Christo veniret. Quantum præ cæteris prophetis Joannes in tempore juxta Christum, tantum justitia præ illis proximior erat Christo. Multæ quidem stellæ ante lucem præcedunt, nuntiantes lucis adventum, nulla tamen ea-

rum Luciferi nomen habere meruit, nisi una que cum ipsa luce procedit: sic omnes prophetæ ante faciem Christi præcedunt, nuntiantes adventum ejus, solus autem Joannes Præcursor est appellatus, quia non solum adventum ejus annuntiat, sed ipsum illum digito suo ostendit, *Ecce agnus Dei*. Omnes prophetæ venturum testati sunt, ille solus jam venisse monstravit. Deinde alii prophetæ missi sunt, ut adventum ejus annuntiarent: iste autem ut præpararet viam ipsius. Aliud autem est adventum ejus annuntiare, aliud est viam præparare. Nuntiantibus adventum ejus, prædicationis sermo commissus est: præparanti autem vias, humanæ correctionis opus injunctum est: sicut angelus de eo: *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum suum* (*Malach. 4. 6. et Luc. 1. 17*). Ille ergo correxerat, ut iste susciperet: ille nundavit, ut iste sanctificaret: ille præparavit, ut iste inhabitaret. Altera causa propter quam melior est prophetis: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*. De quo propheta aliquando prophetatum est? Omnes prophetæ prophetaverunt de Christo, de illis autem non prophetatum est. Ipse autem non solum prophetavit de Christo, sed etiam alii prophetæ prophetaverunt de ipso. Quis aliquando dictus est *Vox clamantis in deserto* (*Luc. 3. 4*)? Nam omnes portitores verbi fuerunt: iste autem ipsa vox, que desertum facere poterat quasi agrum cultum. Quanto vox proximior verbo, non tamen verbum: tanto Joannes propinquior Christo, non tamen Christus. Quis prophetarum cum esset propheta, prophetam facere potuit? Helias quidem unxit Helisæum in prophetam, non tamen prophetandi gratiam illi donavit (*3. Reg. 19*). Iste autem in utero matris existens, divini introitus scientiam matri donavit, et os illius in verbo confessionis aperuit, ut cuius non videbat personam, cognosceret dignitatem, dicens: *Unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniret ad me* (*Luc. 1. 43*)? Nam quoniam Christus in utero constitutus Joannem in utero constitutum ordinare non poterat præcursorem: etsi poterat, tamen non sic poterat, ut omnes audirent: ideo fecit Mariam salutare Elizabeth, ut sermo procedens ex utero matris, ubi habitabat Dominus, et per aures Elizabeth ingressus, descenderet ad Joannem, et illic eum ungeret in prophetam. Nam sicut mater ipsa testatur, statim ut vox salutationis convenit ad aures Elizabeth, statim exultans puer prophetavit, non voce, sed motu. Considera, non dixit, Inter natos de mulieribus: sed, *Inter natos mulierum*. Aliud est, esse natum mulieris, et aliud est, esse natum de muliere. Qui mulieris natus est, in muliere quidem natus est, et initium de muliere habet, et ante mulierem non fuit. Qui autem de muliere natus est, neque in muliere natus est. Ecce enim Christus de muliere quidem natus est; quantum autem ad sermonem, mulieris natus hic: et in muliere natus, qui ante mulierem erat. Ergo qui mulieris natus est, de muliere nascitur: non tamen omnis, qui de muliere nascitur, mulieris natus est. Ideo ergo non dixit, Inter natos de mulieribus, ne et se cum illis misceret. Scriptura quidem non dicit Joannem majorem esse cæteris sanctis, sed cæteros sanctos non esse majores Joanne. Cœquavit enim cæteris, non præposuit. Sed cum tanta sit justitiæ altitudo, ut in illa nemo possit esse perfectus, nisi solus Deus: puto quod omnes sancti, quantum ad subtilitatem divini iudicii, invicem sibi aut inferiores sunt, aut priores. Ex quo intelligimus, quoniam qui majorem non se habet, omnibus major est. Hoc denique sequens sermo demonstrat, dicens: *Qui autem minor est in regno cælorum, major est eo*. Quis autem est minor et major? Christus videlicet, minor in corpore, major in spiritu. Vide ergo quia omnibus sanctis est major, cui solus Christus est prior, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*Homilia xxviii. ex capite xi.*

**25. In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor**

*tibi, Domine, Pater cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, et reliqua.* Postquam improperavit civitatibus, magis autem civibus, quod totiens seminati sunt in doctrina, et numquam germinaverunt in fide, qui virtutes et miracula Christi non quasi ædificamenta spiritualia, sed quasi delectamenta carnalia susceperunt: respondens ait, quasi ad sensum discipulorum secundum Lucam exponentium: *Confiteor tibi, Domine, Pater cæli et terræ.* Considerandum est, quoniam Lucas sic introducit hunc sensum: *In illa hora exsultavit in spiritu Jesus, et dixit: Confiteor tibi, Pater* (*Luc. 10. 21*): iste autem sic dicit: *Respondens Jesus ait.* Sicut ex diversis itineribus venientes ad unam mansionem contendunt: sic et evangelistæ ex diversis occasionibus loquentes in unum sensum ingrediuntur. Ille ergo sic introducit: Postquam reversi sunt discipuli, gratias agentes, et dicentes: *Domine, in nomine tuo etiam demonia nobis obediunt* (*Luc. 10. 17*): videns gratias discipulorum Christus, quomodo in consummatione commissi mysterii fuerint fideles, quomodo in gratiarum actionibus erant devoti, quasi congaudens discipulis suis, *Exsultavit, et dixit: Confiteor tibi, Pater.* Iste autem, postquam implacabiles animos Judæorum et duras mentes ostendit, quos tot miracula ad fidem flectere non potuerunt: respondit excitatus discipulorum suorum suavis, illorum bonas imprecationes suscipiens, ad quorum nuntium bonum respondit. Alterum, duritia compulsus Judæorum. Ergo ille gratias agit, quia illuminati sunt rustici et simplices homines, qui totum quicquid fecerint boni imputant auctori. Iste autem gratias agit, non solum quia illuminati sunt parvuli, sed quia exæcati sunt literati et sapientes Judæorum, et qui omnem gratiam Dei imputant sibi. *Confiteor tibi, Domine, Pater cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Quantum ad propositum quidem Christi in hoc loco loquentis, talis est intellectus verborum istorum. Postquam improperavit incredulis civitatibus, occasionem accipiens ab incredulitate earum, justam dispositionem Dei introducit in medium, gratias agens dicit. Quia placuit enim Deo Judæos quidem repellere, qui prius sapientibus dabantur in eloquiis Dei, cum essent insipientes (sapientia quidem est, non eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei vivere), et recipere gentes, quia parvuli erant in scientia Dei, et parvuli per ignorantiam, non per contumaciam. Tu autem ad quascumque volueris personas, potes dilatare tractatum, quoniam et ab omnibus sapientibus, qui secundum sensum carnis sunt sapientes, et non secundum spiritum cordis, abscondit Deus semper mysterium veritatis, et parvulis illud revelat, qui parvuli malitia sunt. Qui sunt sapientes? Antiqui philosophi, et oratores, qui naturali sapientia literarum exercitatione exacuminati, de Dei natura quærere contendeant, non Deum invenire desiderantes, sed altissima disserere cupientes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone: in ultimo nihil se amplius invenire potuisse confessi sunt, nisi quia Deus incognoscibilis est. Et ut quid ergo tantum laborasti, si ignorans es, postquam requisisti, quemadmodum fueras, antequam quæreres? Sicut enim qui in navigabilem oceanum navigare se usurpat, dum non potest eum transire, necesse est, ut per eandem viam revertatur, unde ingressus est: sic et illi ab ignorantia cœperunt, et in ignorantia finiunt. O homo sapiens, magis autem insipiens! Deus invisibilis est, et quis eum potest videre, nisi ipse se videat? Serva ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita ut inhabitet Deus in te, et videas Deum. Magis autem non tu vides, sed Deus, qui est in te, ipse videt te. Deus incomprehensibilis est. Quis enim potest comprehendere eum, nisi ipse se comprehendat? Serva ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita ut Deus habitet in te, et quotidie magis ac magis invenies Deum. Non ergo tu Deum, sed Deus invenit te. Qui sunt parvuli? Christiani, qui nihil pos-

sunt amplius æstimare de Christo, nisi quod vident in eo, et nihil amplius credere possunt, nisi quod audiunt in libris de ipso. Talis est enim natura infantium: cum viderint rem aliquam, animus eorum simplex nihil potest amplius considerare de ea, quam quod oculi eorum vident: et quod audierint ab aliquo nihil amplius in sermonibus exponentis intelligunt, neque possunt discutere rem auditam, sed quidquid audierint, credunt. Si bonum, toto corde lætantur: si malum, sine consolatione tristantur. (a) [Sic et infideles, si audierint Christum dicentem, Non sum solus, sed qui misit me Pater, mecum est: non possunt intelligere, putantes quia non unus est Deus, Pater et Filius. Si enim esset unus, nunquam diceret, Non sum solus. Qui enim unus est, et solus est: qui autem solus non est, nec unus est.] Si videmus Christum in cruce pendentem, non possumus intelligere ex nobis, quia homo purus est ille qui pendet. Nam recessisse majestatem Dei de corpore nec vidimus, nec audivimus. Sed forte dicis, Quomodo ergo clamabat in cruce, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti* (Matth. 27. 46. Psal. 21. 2), si non esset corpus derelictum? Et non audisti quomodo ad latronem dicebat, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (Luc. 23. 43)? Homo purus, qui se derelictum dolebat, sicut tu dicis, quomodo ad paradisi ducatum præstabat? Clamabat ergo Filius ad Patrem, ut se ex infirmitate corporis pati probaret hominibus; non ut corpus a divinitate derelictum ostenderet. Item qui sunt sapientes, a quibus mysterium Christi absconditum est? Sacerdotes, scribæ et Pharisei, qui congregati in templo dicebant: *Quousque animam nostram tollis? Dic nobis palam, si tu es Christus*. Quibus respondit: *Et dixi vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testificantur de me* (Joan. 10. 24. 25). *Et tulerunt lapides, ut lapidarent eum, dicentes: Propter bonum opus non lapidamus te, sed propter blasphemiam: quia tu cum sis homo, facis teipsum Deum* (Ibid. v. 31. 33). Qui sunt parvuli quibus est revelatus? Quos Dominus interrogat dicens, *Vos autem quem me esse dicitis* (Matth. 16. 15. 16): Respondentes dixerunt: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*. Si ergo quod Judæi quotidie mediantes legem Dei invenire non potuerunt, piscatores et rustici invenerunt, quotidie tractantes retia in manibus suis: (26. *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te*. Non dicit, qua ratione sic ei placuit, sed tantum gratias agit Patri, quia sic ei placuit.) Ita et tu nunquam discutias consilia Dei, in operibus ejus quid fecit, aut qua ratione sic fecit: sed quomodo cumque sic voluit rem suam ordinare, gratias agens sufficit tibi ad testimonium ipsa Dei natura: quia Deus sine ratione et sine justitia nihil facit. Non enim ad discussionem tuam, sed ad honorem suum creavit te. Nec judicem te esse voluit actuum suorum, sed servum præceptorum suorum. Boni enim domini est omnia providere, quæ ad utilitatem pertinent servi. Boni autem servi est, fideliter operari, et non discutere domini sui actus. 27. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. A quo illi tradita sunt, si unus est Pater et Filius? aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia Patri suo erat æqualis? Nam significatio traditionis tam unitatis rationem, quam æqualitatis excludit. Nam nec qui accipit, unus est cum dante: nec qui traditum acceperit, æqualis est ei qui tradidit. Tradita sunt ei secundum quod *Minoratus est paulo minus ab angelis* (Hebr. 2. 9). Nam secundum illud, quod *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* (Philip. 2. 6), cum eo Deus unus et æqualis est, qui tradidit omnia. *Omnia mihi tradita sunt, caelestia, terrestria, et infernalta*. Cælestia quidem, ut jam nunquam sint rebelantia: nec dicat aliquis eorum, *Ponam sedem meam in nube, et ero similis Altissimo* (Isai. 64. 14). Terrestria, ut reitquentes idola et peccata credant in me, et obaudiant meis mandatis. Infernalta, ut vocentur ad vitam, *Ut in nomine meo omne*

(a) quæ uacuis clauduntur desunt in quodam exemplari.

*genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum* (Philip. 2. 10). Cælestia, ut sint in adiutorio terrestribus; terrestria autem, ut fiant imitatores cælestium; infernalta, ut jam non expugnatione hominum proficiant, sed ad probationem sanctorum. Et vide, non dixit, Omnes homines mihi traditi sunt: ut tantummodo de hominibus credituris, sed etiam et de rebus omnibus, quæ ad gloriam ejus fuerant convertendæ, cum essent adversæ, diabolo subvertente: utputa, omnia ei tradita sunt, cælum et terra, sol, luna, stellæ, aer et ignis, aquæ, flumina, infernus et mors, ut jam nemo hæc omnia deos esse, aut ingenua esse, suggerente diabolo, arbitretur, sed omnes Christi esse opera, sancto Spiritu docente, cognoscant et fateantur. Non ergo tradita sunt, ut modo Christi secundum naturam fiant quæ semper ejus fuerant, sed ut modo ejus esse credantur, et modo ad ejus gloriam convertantur: sicut et homini semper existit Deus, sed usque tunc cognitus non erat. Nunc autem traditi sunt ei absolute, ut cognoscant eum suum Factorem Deum, sicut scriptum est: Sicut didisti mihi potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti mihi, dem eis vitam æternam. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. 17. 2. 3). Mihi tradita est vita et mors, ut nec vita ad peccatum sit hominum, nec mors ad pœnam: sed ut, qui vivunt, lucrum justitiæ bene viventes faciant, et qui mortui fuerint, melius vivant, mecum regnantes in cælo. Mihi traditæ sunt divitiæ et paupertas. Usque nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat: divitiæ autem inflabant, nocendi virtutem prætabant. Nunc autem mihi traditæ sunt, ut paupertas dum magnanimitèr sustinetur, ad gloriam Dei proficiat: et divitiæ dum misericorditer dispensantur, ad gloriam Dei proficiant. Mihi traditi sunt servi et reges, ut nec servi in suo servitio erubescant, sed in me Domino gloriantur: et reges non in sua potentia extollantur, sed mihi genua curvant. *Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*. Ita intelligendum est: Nemo ex se potest cognoscere quemquam illorum, nisi Patrem Filius revelaverit et Filium Pater. Nam de Patris quidem persona Christus ipse dixit, quia nemo scit Patrem, nisi Filius revelaverit: de Filii autem persona ideo non dixit, Nisi Pater revelaverit, quia jam superius dixerat: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, scilicet hæc eadem quæ dispensata sunt in adventu meo de me*. Nam et ad Petrum confidentem se dixit: *Non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus* (Matth. 16. 17). Et Isaias dixit: *Ego Dominus sanctus vester, qui ostendi Israel regem vestrum* (Isai. 45. 15). Aut certe ita, secundum plenitudinem Patris: Patrem nemo cognoscit, nisi Filius. Et secundum plenitudinem Filii: Filium nemo cognoscit, nisi Pater: quia incomprehensibilem naturam comprehendere non potest comprehensibilis creatura. Quoniam etsi de Patre Filius revelat, aut de Filio Pater, tamen revelat non quantum sunt, sed quantum ille, cui revelatur, potest capere. Aut certe sic datur intelligi ex his quæ præcedunt, quoniam dicit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et ex his quæ sequuntur, quoniam dicit: 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis*. Puto quod secundum hoc nemo cognoscit Filium, secundum quod ei omnia tradita sunt, *Ut omne genu in nomine ejus flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris* (Philip. 2. 10. 11). Quæ omnia futura erant, tunc adhuc nemo sciebat. Et secundum hoc nemo cognoscit Patrem, eo quod statuit in Filio suo omnibus dare salutem. Unde Apostolus dicebat: *Mysterii temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc* (Rom. 16. 25. 26), etc. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis*. Qui sunt qui laborant? Qui legis justitiam operantur. Et qui sunt

qui onerati sunt? Ipsi Judæi, quibus post idololatricam vituli talia legis mandata imposuit Moses, in quibus numquam se explicarent. De quibus et Petrus ait: *Quid tentatis Deum, et vultis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri potuimus portare? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvos fieri* (Act. 15. 10. 11). Ideo sic dicit: *Qui laboratis, id est, Qui contenditis justi esse, et non potestis: quia præceptum legis dum expleri non potest, semper conscientiam facit obnoxiam. Et apud Judæos quidem erat lex levis et justa, id est, decalogus, quem ante idololatricam acceperunt; sed sine gratia inveniebatur gravis. Sine gratiæ enim auxilio omnis justitia hominibus gravis est: quia lex præceptum est nudum, gratia autem virtus est Dei. Lex in libro conscribitur, gratia autem in corde plantatur. Ideo lex insufferibile pondus est, gratia autem delectatio cordis est, dicente Domino per Salomonem: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me; spiritus meus super mel dulcis* (Eccli. 24. 26. 27). Ergo lex non solum ideo gravis est, quia gravia præcipit observationis mandata: sed et quia præcipit fieri, et faciendi non præstat auxilium. Nec ideo solum gratia levis est, quia levia ponit mandata: sed quod fieri præcipit, et ipsa in nobis faciendo operatur virtutem. Ecce enim lex præcipit, *Diligens amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (Levit. 19. 18); gratia autem jubet, *Diligite inimicos vestros* (Math. 5. 44). Nonne gravior est gratiæ mandatum, quam legis? Et tamen facilius est nobis per gratiam hæc impossibilia adimplere, quam Judæis per legem illa possibilia: quia in gratia Dei totum possumus, sine gratia autem nihil, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Philip. 4. 13). Adhuc autem dico: et si impleverit quis omnem justitiam legis, vivit quidem in ea, non tamen justificatus est. Unde adolescenti Dominus sic respondit, dicens: *Hæc fac, et vives* (Luc. 10. 28). Non dixit, Et justus eris, quoniam lex abstinentiam mandat malorum, utputa, *Non occides, et cætera. Non justitia opus injungit, sicut gratia, ut non irascaris sine causa, nec concupiscas. Qui autem abstinere se a malis, innocens quidem est: justus autem non est, nisi et justitiæ opus impleverit. Non quidem morietur, tamen nec gloriam habebit. Propterea dicebat Apostulus, qui erat filius Abrahæ, qui conversatus fuerat in lege sine reprehensione (Phil. 3. 6): *Nos, inquit, Judæi, et non de gentibus peccatores, scientes quia in lege nemo justificatur, credimus Jesum Christum, ut ex fide Christi justificemur* (Gal. 2. 15. 16). Omnis autem, qui contendit justitiam facere, et non justificatur, laborat in opere, quia fructu laboris sui non fruitur: qui autem et contendit et justificatur, non laborat, sed delectatur in opere suo, quia operis sui fruitur fructu. Deinde quis nescit, quia minor est justitia legis, quam gratiæ? Utpote, non occides, non adulterabis: hoc facilius est, quam non irasci, aut non concupiscere. Ab hoc enim multi se abinent, etiam qui non timent Deum. Ab ira autem vel concupiscentia vix etiam spirituales viri: tamen difficilior et onerosior invenitur lex, quia opera querit, non voluntatem. Justitia autem gratiæ licet major sit, tamen facilius invenitur, quia voluntatem, non opera querit. Utpote, si quis non iratus, sed propter disciplinam palmam alicui dederit, et eventu occiderit, sicut fieri solet, quantum ad gratiam innocens est, quia voluntatem, non opus querit: quantum autem ad legem reus est, quia opera querit. Item si in persecutione prostituta fuerit virgo, in lege quasi non virgo jam repellitur, quia opus aspiciat, non voluntatem: in gratia autem quasi virgo suscipitur, quia non opera querit, sed voluntatem. Vides quia injusta est lex et onerosa? Ideo homines desub pondere Judæicæ legis hortatur Christus exire, et ad delectabilem gratiam pervenire, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, id est, repausabo. Et vide quomodo dicit, Quia laboratis? Quis est qui laborat? Qui festi-***

nat adimplere justitiam, et non prævalet. Qui autem non vult facere justitiam, ille non laborat sub pondere legis. Utpote, si ante te videris aliquem ponderis fascem: siquidem contendisti eum tollere super te, et non potes, laboras: si autem nec tentas, nullam sentis laborem de pondere. Ergo non illos vocabat Christus ad se, qui omnino non concupiscebant facere justitiam, sed qui festinabant, et qui laborabant, et prævalere non poterant. Adhuc etiam sermonibus istis etiam Christianos peccatorum pondere prægravatos ad requiem poenitentiae vocat. Putas quod peccatores istius mundi non laborant? Vere enim majores labores et sollicitudines habent, quam servi Dei, dicente propheta: *Contritio et infelicitas in via eorum, et viam pacis non cognoverunt* (Psal. 13. 3). Item ex persona peccatorum poenitentiam agentium dicit Salomon: *Ergo erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non ortus est nobis: lassati sumus in iniquitatis via et perditionis. ambulamus solitudines desertas, difficiles autem vias Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia nostra, et quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra* (Sap. 5. 6-9). Ergo laborant multum, et conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt: spiritus enim qui seducit eos, ipse delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic et qui jugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat et decipit, ne discedant a malo impii usque ad mortem suam. Ideo dicit Christus. *30. Jugum enim meum suave est et onus meum leve. Nam etsi corpore non gravantur peccatores, nec laborant, animæ tamen eorum gravatæ sunt et laborant, dicente propheta de onere peccatorum: *Quantum iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me* (Psal. 57. 5). Et iterum Zacharias iniquitatem super talentum plumbi sedere conscribit (Zach. 5. 7). *29. Tollite jugum meum super vos: et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. O gratissimum pondus, quod magis confortat portantes! Nam pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires: pondus autem Christi magis adjuvat bajulantem, quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos. Nec nos ad auxilium gratiæ dati sumus, sed gratia magis ad nostrum. *30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Suscipite jugum meum: et a me discite; id est, Ex ipso jugo meo, quia suave est, et ex ipso onere meo, quia leve est, experimentum accipite, quia mitis sum, et humilis corde. Consequenter et propheta dicit de Christo: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (Psal. 33. 9). Inexpertis enim gravis est justitia Christi, expertis autem suavis est. Ergo lex immitis fuit, quia quicquid mandavit, in ira sua mandavit post idolum fabricatum, non ut salvet, sed ut puniat eos secundum duritiam cordis eorum. Christus autem mitis est, quoniam quicquid mandat, propter misericordiam suam mandat, non ut puniat, sed ut salvet. Item lex superba est. Vetat enim omnem hominem accedere ad sancta, præter pontificem. Item mulieres menstruas, vel virum in fluxu seminis, vetat intrare in templum. Lascum, vel leprosum, vel aliquo membro debilem, vetat sacerdotio fungi (Lev. 16. et 12. et sqq. capp.). Vides quomodo superba est lex? Christus autem humilis, qui nihil aliud querit, nisi fidem integram, et conscientiam mundam. *Et invenietis, inquit, requiem animabus vestris. Non dixit, Inventetis requiem, et tacuit: sed addidit, *Animabus vestris: quoniam mandata Christi in hoc sæculo animarum requies sunt, non corporum: quoniam, etsi laborant et tristantur in corpore, animæ eorum requiescunt, et gaudent in spiritu et in spe. Ideo alibi dicit: *Hæc autem loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in hoc autem mundo tribulationes* (Joan. 16. 33).*****



*Homilia xxi. ex capite xij (a).*

22. *Tunc oblatus est Jesus dæmonium habens, cæcus et mutus, etc. Tunc, quid est? Quando egressus est de synagoga (in mysterio contempnit synagogam Judæorum), tunc oblatus est ei in uno homine totus mundus, cæcus et mutus, qui neque videbat, neque loquebatur: id est, qui neque cognoscebat Factorum suum, neque gratias illi agebat; ut quod visibiliter in uno homine agebatur, hoc invisibiliter fieri intelligeretur in omnibus. Nam vere, nisi Judæam Dominus reliquisset, adhuc omnes gentes in potestate diaboli cæci et muti manerent. Legimus in Scripturis et derelictam Judæam, et non derelictam. Derelictam quidem, sicut Isaias dicit: *Et derelinquetur filia Sion, sicut umbraculum in vinea (Isai. 4. 8)*. Non derelictam autem, sicut David dicit: *Quia non repellet Dominus plebem suam, et hereditatem suam non derelinquet (Psal. 93. 14)*. Hanc questionem solvit nobis Apostolus, dicens: *Non excidit verbum Dei. Non omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui sunt semen Abraham, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen (Rom. 9. 6. 7)*. Ergo non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii promissionis, æstimantur semen. Vides ergo quia illa Judæa derelicta est, quæ secundum carnem erat Judæa: quæ autem secundum spiritum fuit Judæa, non solum derelicta non est, sed magis electa est. Nam sicut in homine duplex est homo: est enim homo exterior carnalis et corruptendus, et est homo spiritualis incorruptibilis; et sicut in lege duplex est circumcisio, a foris quidem carnalis, et rescindenda, ab intus autem et spiritualis, et adimplenda: utputa, hoc recisum est in lege, quod erat a foris membrum, illud autem, quod fuit ab intus, ut circumcideretur cor, non est recisum: sic et in Judæa duplex est Judæa. Et a foris quidem Judæa videtur, qui ex carne Abraham nati sunt. Ergo populus in populo erat clausus. Ideo et Dominus ingressus synagogam, id est, quasi in populum, salvavit virum spiritualis populi Judaici figuram habentem. Et ingressus in populum, ut de medio populi populum liberaret, id est, de synagoga. Populus enim ille spiritualis manum habebat aridam, id est, boni homines, qui erant inter Judæos, aridas manus habebant sub lege contractas, quia opera justitiæ facere non poterant: *Quia ex operibus legis nemo justificatur (Rom. 3. 20)*. Utputa, amicum diligere secundum legem, et ei benefacere, non est hoc benefacere, sed male non facere. Non enim omnino male non facere, justitiam facere est. Itaque sanavit manus justorum Christus per gratiam, ut non solum amicos, sed etiam inimicos amaret, bene omnibus facientes. Vides quia laxata est manus eorum, quasi accipiens gratias nervos? Ideo autem prius arida manus sanata est, postea illuminatus cæcus, quia per opera justitiæ venit ad perfectam cognitionem Dei. Nisi enim quis secundum Deum coeperit ambulare, vel conversari, numquam potest Deum perfecte cognoscere: bona enim conversatio ad cognoscendum Deum aperit oculos mentis. Per verbum enim quasi modicus gustus Dei datur hominibus; per conversationem autem bonam venit ad perfectam fidem. Unde scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. 5. 8)*. Et ne aliquis putet, quia sufficiat homini fideli cognoscere Deum, sed necessarium est et confiteri Deum; ideo cæcum et mutum sanavit: oculos ad cognoscendum Deum, os ad confitendum Deum. Qui ergo cognoscit, et non confitetur, ille etsi oculos mentis habeat curatos, tamen adhuc mutus est. Qui ergo videns non videt Deum, id est, cognoscens non cognoscit Deum, cæcus est, quia non facit præcepta Dei. Et qui loquens non loquitur Deum, mutus est, quia loquens non loquitur Dei laudem, aut gratiam: sed si quidem ea, quæ diabolus jussit, ille etsi loquatur et videat, quantum tamen ad Deum mutus et cæcus est. Non enim ille videt Deum qui scit Deum, sed qui timet et dili-*

(a) *Deest initium duodecimi capitis.*

PATROL. GR. LVI.

git Deum. Qui autem timet et non diligit, nomen Dei cognoscit, non potestatem. Et qui orat et psallit, et non facit quæ laudat, ille corpore loquitur, animo autem tacet. 23. *Stupebant autem turbæ, dicentes: Numquid hic est filius David? Quam proprie dixit, Stupebant: quia ipsam nondum sciebant. Nemo enim potest vere judicare de opere aliquo, nisi personam operantis cognoverit quis est. Utpota, si magnum opus facit discipulus alicujus artificis, miramur, quia discipulus alicujus constitutus tale opus potuit consummare. Si autem fecerit illud ipse magister, non satis miramur. Quod enim magnum est, ut exercitatissimus magister faciat opus magnum? Ita et Deus qualemque opus fecerit, minus est quam potestas ipsius. Ideo sciens Filius Dei miraculum, non stuporem debuit excitare, sed fidem. Vis scire quia eum non cognoverunt, ideo stupebant? Audi quid dicunt: *Numquid hic est filius David?* Si enim cognovissent eum, numquam dicerent, *Hic est filius David*: sed dicerent *Hic est Filius Dei*. 24. *Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejecit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Videamus. Dixerunt hoc Pharisæi, aut cogitaverunt? Causa autem quæstionis ex eo est, quoniam hic quidem dicit: Pharisæi autem audientes, dixerunt. In sequenti autem dicitur ita, Sciens Jesus cogitationes eorum: et non dixit, Audiens dicta eorum. Quid ergo est? Forsitan quidam dixerunt, sed ex mala cogitatione dixerunt. Frequenter enim dicunt homines de aliquo, quod non est verum, non autem dicunt ex mala cogitatione, ut derogent ei, sed dicunt nescientes rei veritatem. Hi autem Pharisæi ex mala cogitatione dixerunt falsum de Christo, non ignorantes rei veritatem, sed ut derogatoriis sermonibus istis populum a fide Christi averterent. Videbant enim turbam stupentem, ac dicentem: *Nonne hic est filius David?* Quæ verba appropinquantium erant ad fidem. Ideo Pharisæi excitati in zelo, ne viso miraculo ejus crederent in eum, dixerunt: *Quid stupore nimio movemini, o viri, quid superflua dicitis verba, putantes ne filius sit David?* Nos manifeste cognoscimus, quoniam hic non ejecit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Quoniam ergo ita dixerunt, non ignorantes rei veritatem: sciebant enim quod spiritus satanæ non hujusmodi miraculum operatur: sed ex mala cogitatione, et ex invido proposito, ut averterent populum a fide Christi: ideo dicitur. 25. *Sciens autem Jesus cogitationes eorum, dixit eis. Aut certe, sicut simpliciter sermo demonstrat, hæc Pharisæi non dixerunt, sed cogitaverunt. Mala autem eorum cum essent abscondita, quid nocere poterant gloriæ Christi? Nihil. Qui enim malum cogitat, se perdit, alterum non gravat. Sed vide misericordiam Christi. Si illi hoc aperte dixissent, et iste e contra respondisset: diceremus forsitan quia ideo contra verba illorum respondit, ut confunderet malitiam eorum. Nunc autem manifestum est quia ideo respondit, non ut confunderet malitiam eorum, sed ut sanaret vulnerata conscientiam, ipsorum ut videntes cogitationes suas in verbis ejus, vel sic intelligant quia non est homo, qui corda cognoscit. Tanquam si ita dicat ad eos: *Putate quia dæmonia cum potuit sanare Beelzebub, numquid potest Beelzebub occulta cordis aspicere? Omne regnum adversum se divisum, desolabitur. Aliud est impossibile, aliud falsum. Impossibile est, quod fieri non potest; falsum autem, quod fieri quidem potest, factum autem non est. Quod ergo Judæi adversus Christum dicebant, possibile quidem erat, verum autem non erat. Quomodo non erat verum? Quia Christus quidem in Beelzebub non ejecerat dæmonia: fieri autem poterat, ut in spiritu diaboli dæmones expellerentur. Numquid Pharisæi, homines docti in malo, hoc adversus Dominum blasphemassent, nisi cognovissent fieri posse? Nam falsum quidem dicere hominum est malignorum: quia falsa res, si bene continuata fuerit, vera et credibilis æstimatur. Rem autem impossibilem dicere insensatorum hominum est, non malorum: quia quod impossibile est,****

43

defensione non indiget, quia impossibilitas rei seipsam defendit. Quod dæmones diximus a Beelzebub posse expelli, quantum ad primam faciem diximus posse, secundum quod multi seductores videntur expellere: re vera autem impossibile est, ut in Beelzebub dæmones expellantur: quia expellens dæmonem, non propter odium ipsius dæmonis, neque propter salutem hominis ipsius eicit eum, sed ut videntes perdat deceptos, quicumque crediderint ei vel ministris ejus, quod possit eicere dæmones. Nam eiciens eum, non eicit eum, sed concludit cum eo, ut inter præcipientem dæmonem et alterum obedientem seducantur videntes. Ideo et Dominus sciens quia in schemate ejiuntur, non in veritate: non ad schema, sed ad ipsam veritatem respondit, dicens: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Id est, Sicut non potest fieri, ut quis se persequatur: sic non est possibile, ut diabolus diabolum eiciat. Regnum diaboli est omne malum, regnum autem Dei omne bonum. Ergo diabolus rex mali: si bonum faciat, ipse destruet regnum suum, quia adversus se agit. Sicut enim malum adversus bonum contrarium est et nocivum, sic bonum adversus malum contrarium est et nocivum. Eiciens itaque diabolus diabolum, delusorie non bonum facit, sed malum; id est, non adversus se agit, sed pro se: quia non ejiendurum dæmonum gratia eicit dæmones, sed seducendurum hominum causa. Nam expedit et ipsis dæmonibus obaudire sibi invicem in schemate, et exire de corpore. Melius est enim ei exire de corpore, et animam occupare: non dimittere, et plurimos possidere. Quia si non exierit de corpore, corpus hominis tantummodo possidet, anima autem vexati hominis innocens vadit ad Deum. Si autem de corpore exierit, quantos homines seducere poterit, tantorum animas perdit. Deinde dic mihi, si soli servi Dei possunt dæmonia eicere, an etiam ministri diaboli? Et si dixeris, Soli servi Dei, quantum ad rem quidem verum dicis; quantum autem ad speciem et illi ejiunt, sicut testatur Dominus in Evangelio. Nam cum dixisset, *Attendite vobis a falsis prophetis* (Matth. 7. 15): postmodum addidit, *Multi dicent mihi in illa die, Domine, nos in nomine tuo dæmonia eiecimus, et virtutes multas fecimus. Tunc jurabo illis, quia nescio qui estis* (Ibid. v. 22. 23). Si ergo servi Dei tantummodo eiecerunt dæmonia, juste seducebaris, ut quemcumque videris dæmonia expellentem, existimes eum sanctum: nunc autem cum legas et ministros diaboli eadem facientes, qua ratione seduceris, ut quemcumque videris dæmonia expellentem, existimes eum sanctum? Nam eicere dæmones commune est opus inter ministros Dei, et ministros diaboli: veritatem autem confiteri, et justitiam facere, privatum opus est tantummodo sanctorum. Ideo quem videris dæmonia eicientem, si non est confessio veritatis in ore ejus, nec justitia in manibus ejus, non est homo Dei. Si autem videris veritatem consentientem, et justitiam facientem, etsi dæmonia non eicit, homo Dei est. Ecce si tu et vicinus tuus habeatis simile signum unusquisque in equo suo, et perierunt ambo, et inventus fuerit unus ex eis, numquid curris, et dicis: *Meus est equus, quia hoc signum habet*? Dicit enim tibi vicinus: *Et meus equus hoc signum habuit*. Quid ergo? Necessse habes aliud signum privatum ostendere, quod vicinus tuus non habet in suo. Si ergo in cognoscendis animalibus sic sapis, quomodo in cognoscendis servis Dei sic non intelligis? sed per illud signum vis cognoscere servos Dei, quod habent et servi diaboli: cum magis deberes aspicere, quod habent soli servi Dei. Sed dices: *Ut quid talem potestatem Deus diabolo dedit ad seductionem humanam?* Si enim ille seductionis potestatem non accepisset, tu probationis mercedem habere non poteras. Nisi enim infideles relicti fuerint, non eliguntur fideles. Nisi aliquorum facta fuerit refutatio, aliorum non potest fieri electio. Omnis enim seductio non potest esse seductio, nisi habuerit homi colorem, per quod videatur bonum esse quod malum est: et tunc non tantum speciem primam re-

rum bonarum aspicias, sed causam rerum consideres. Omne enim malum voluit Deus posse latere sub colore boni, et omne bonum voluit esse sub caligine obscuritatis, ut tu nec bonum sine labore invenias, nec malum sine labore evites: negligens autem nec bonum inveniat, nec malum evadat. Omnia Deus posuit in labore, ut in omni re mercedem præparet, sicut ait Salomon: *Quoniam Deus distensionem magnam dedit hominibus, ut distendantur in ea* (Eccle. 3. 10). Et Job: *Omnis vita nostra tentatio est* (Job 7. 1). Aliud testimonium dat, quia non in Beelzebub eicit dæmonia. 27. Si ergo, inquit, ego in Beelzebub eicio dæmonia, filii vestri in quo ejiunt? Filios eorum apostolos dicit, qui erant ex illis, quos superius misit ad prædicandum, dans illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos (Matth. 10. 8): qui credentes, dixerunt: *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt* (Luc. 10. 17). Id est, interroga filios vestros, in quo ejiunt dæmonia. Si illi in nomine meo ejiunt dæmonia, dicentes, In nomine Jesu Christi præcipio tibi exire ab illo: verum est, quia non ego in Beelzebub eicio dæmonia. Nam quia qui talis est homo, ut in Beelzebub eiciat dæmonia, nomen ejus non potest sic honorificatum esse, sic terribile, ut in nomine ejus etiam ab aliis dæmonia expellantur. *Ideo ipsi iudices vestri erunt*. Quando? *Cum sederint super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (Matth. 19. 28). Tunc sine dubio dicetis in iudicio meo: Ideo tibi non credidimus dæmonia expellentem, quia putavimus te in Beelzebub eicere dæmonia. Respondebunt contra vos filii vestri, et dicent: *Si considerassetis nos, quia in illius nomine dæmonia expellebamus; et intelligere poteratis, quia ille non habuit spiritum Beelzebub, in cuius nomine tanta erat virtutis potestas*. 28. *Si autem in spiritu Dei eicio dæmonia, appropinquet in vos regnum Dei*. Regnum Dei, seipsum dicit. Sed ideo quasi de altera re dicebat, quia infidelibus loquebatur, ne forte et alteram occasionem jactantia invenientes in Christo, quem non cognoscebant, additamentum facerent blasphemiae. Hoc ergo videtur dicere: *Si ego in spiritu Dei eicio dæmonia, regnum Dei appropinquet in vobis: si autem in spiritu Beelzebub eicio dæmonia, regnum Beelzebub appropinquet in vobis*. Corrige sermonem, et manifestius declarabitur mysterium verbi Dei. Id est, si regnum Dei appropinquet, in Spiritu sancto ejiuntur dæmonia, et virtutes multae fiunt: quando autem appropinquet regnum Antichristi, in spiritu diaboli ejiuntur dæmonia, et virtutes multae fiunt. Illud ergo quod dixit Christus: *Si ego in spiritu Dei eicio dæmonia, appropinquet in vos regnum Dei*, ad consolationem illorum hominum pertinet, qui tunc fuerunt. Hoc autem quid significat, quod jactando regnum Antichristi appropinquet? In spiritu Antichristi ejiuntur dæmonia. Ad nostram admonitionem pertinet, ut sciamus quia sicut in adventu Christi ante illum prophetae, et cum illo apostoli in Spiritu sancto faciebant virtutes: sic et in adventu Antichristi pseudochristiani, et ante illum, et cum illo in spiritu maligno facient virtutes. Qualis enim res mota fuerit, talis odor procedit. Accenso enim thymiamate, suavis fragrantia exit: commoto autem stercore, putredo gravis prodit. Ante lucem aurora exit, ante noctem obscuritas. Quidam autem hoc sub alio intellectu interpretantur. Id est, Si ego, inquit, in spiritu Dei eicio dæmonia, sicut et est verum, vos autem dicitis me in spiritu Beelzebub eicere dæmonia, rei estis iudicii. Propter quod appropinquet in vos regnum Dei iustum, ut secundum blasphemias vestras iudicemini. 29. *Quomodo potest quis intrare in domum ejus, qui fortis est, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Hucusque ostendit quomodo intelligeretur, si vellet: quia non in spiritu Beelzebub, sed in spiritu Dei dæmonia expellebat. Primum, quia satanas satanam non expellit, ne ipse sibi adversarius sit, destruens proprium regnum: sed Dei spiritus est, qui dæmones expellit.



Deinde, *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Id est, Numquid non in me, aut in meo nomine? Si enim filii vestri in nomine meo expellunt, multo magis possum ego in nomine meo expellere. Et quod habet opus in spiritu Beelzebub, nunc dat rationem quare dæmones expellantur, ut expulsis eis, omnes credant in Christum, id est, quia alligatus est a me malitiæ princeps. Nec enim potest quis fortis vasa diripere, nisi prius alligaverit fortem. Quomodo enim poterant homines ad libertatem intellectus sui venire, et ad Deum converti, nisi prius alligatus fuisset, qui mentes hominum erroribus occupatas tenebat? Et hoc ergo intelligimus, quia quos ejiciebat dæmones visibiliter, invisibiliter alligabat. Quomodo, aut ubi, nec hominis est posse exponere, nec intelligere. Sed non tantos visibiliter ejiciebat, quantos invisibiliter alligabat. Ejiciebat enim paucos, alligabat autem omnes, ut per paucos ejectos visibiliter ostenderet, quia sic omnes spiritus invisibiliter de sensibus hominum credentium expellebat, et quasi de magna multitudine ejectorum dæmonum modicam probationem ostendebat in paucis. Et cum multos ejiciebat dæmones, quomodo unum alligare se promittit? Sed dicit principem omnium, de cujus virtute omnes dæmones valent, id est, potestatem habent. Nam sicut Satana dominante, omnes dæmones erant fortes: sic eo alligato, omnes sunt impediti. Nam omnes de illius veneno malitiæ virtutem accipiunt, et sunt unum in eo. Fortem autem dicit adversarium nostrum, quantum ad nostram infirmitatem, non quantum ad suam virtutem. Deinde fortem dicit, non ut nos terreat, sed ut magis nos faciat esse sollicitos (nec enim hostem debent timere fortem, qui habent principem fortiores), sed ut vigilemus et laboremus, ut ne in fiducia principis fortioris contemnamus adversarium fortem. Nam si contendimus contra eum, manifestum est, quia fortiores illo sumus: si autem negligimus, ille fortior invenitur. Nam quamvis sit infirmus, tamen fortior est homine negligenti. Fortem enim diabolum nostra negligentia facit, non illius potentia. Vide deinde quomodo sapienter, postquam dixit fortem, postea ostendit ligatum, ut si te audita fortitudo terruerit, ligatio ejus nuntiata confortet. Jam quali opprobrio dignus est, magis autem tormento, qui adversarium suum ligatum non vincit? Vis scire quia ligatus est adversarius tuus? Considera naturam carnis et spiritus, et intelliges. Quomodo poterat, homo carnalis, spiritum vincere, nisi eum Dominus alligasset? Alligavit eum, ut nos eum conculcemus: illum humiliavit propter malitiam ejus, nos autem exaltavit super eum propter misericordiam suam: ut et ille victus amplius confundatur, quia spiritus constitutus, a carnalibus conculcatus est: et nos vincentes eum amplius glorificemur, quam victores: quia carnales constituti, spiritum vincimus. Ergo labor ejus et fortitudo ligatus (sic) est, nostra autem tantummodo sine labore victoria. Qui enim solutum ligare potuit, numquid non poterat, soluto eo, vasa ejus diripere? Poterat quidem, sed non per justitiam, sed per potestatem. Si enim per vocationem solam vellet vasa ejus diripere, solutus diabolus iterum reduceret ad se. Item si per potentiam diriperet, diceret adversus Christum diabolus: Si quidem ad virtutem, tu fortior es quam ego: si autem ad amorem, ego amabilior quam tu. Si ergo vis illos tollere, potes: si autem dimittis eos in suo arbitrio, potius ne sequantur quam te. Nam diabolus quidem facere justitiam non acquiescit, objicere autem scit. Quales sunt omnes, in quibus diabolus est. In servis enim Dei etiam leves arguant culpas, in se autem nec crimina recognoscunt. Propterea ipsum quidem ligavit, vasa autem ejus et diripuit, et dimisit ea in domo ejus. Diripuit quidem, ex eo quod traxit ea ad notitiam veritatis: dimisit autem ea in mundo, quia sub seductione mundi istius esse nos voluit. Tanquam si ita dicat ad diabolum: Ecce alligo te, ut appareant homines, qui sequuti fuerint te sua voluntate, et qui coacte. Qui enim te diligunt, etiam ligatum te non dimittent: qui autem te dereli-

querint ligatum, manifestum est quia non sua voluntate fuerunt apud te, sed coacte. Ergo non interficio te, neque expello de mundo, ne forte in voluntate non habeant quem sequantur, sed alligo te, ne nolentibus violentiam facias. Ergo manifestum est, quod qui modo diabolum sequitur, non cogitur a diabolo: ligatus est enim; sed ipse diligit diabolum. Si enim solutus esset diabolus, nullus homo ei resistere poterat, aut pauci; sicut nec antea resisterunt, nisi pauci electi. Nunc autem cum videas quosdam quidem homines sequentes eum, quosdam autem recedentes ab eo, intelligere debes, quia non est virtus cogentis diaboli, sed voluntas sequentium hominum. Si autem dicis, quia Fortis est diabolus, et non prævaleo contra eum: stat adversum te scriptura hæc, dicit quia mentiris, quoniam ligatus est adversarius tuus. Ligatus est enim. Malum quidem consilium suadere potest, cogere autem non potest. Quæ est domus illius? Mundus iste. Et vasa illius? Peccatores et infideles, habitantes in eo. Audiens ergo, mundum domum esse diaboli, fuge mundum, ne diutius habitans in domo diaboli, iterum fias servus ipsius. Sicut enim in domo Dei malum non est, ita in domo diaboli non invenitur bonum. Nam sicut Deus in domo sua non vult videre malum, sustinere autem videtur pro tempore malum, non quia delectatur in malo, sed ut convertat eum ad bonum: sic et diabolus in domo sua non vult videre bonum, sustinere vero videtur bonum, non quia delectatur in bono, sed ut suadeat eum in malum. Et Deus quidem per suam benevolentiam vocat malum ad bonum, ut non necessitate, sed voluntate corrigatur ad bonum. Diabolus autem per suam violentiam persequitur hominum, ut etsi non voluntate, vel ex necessitate cogatur ad malum. Fuge autem mundum, conversatione, non corpore. Nam et ipse mundus non natura diaboli est, sed corruptione. Nec ab initio fecit hunc mundum diabolus, sed Deus: postea corruptione factus est diaboli. *Mundus Dei, et mundus diaboli.* — Ergo mundus quidem ipse Dei est: corruptio autem mundi diaboli est. Si ergo de mala conversatione recesseris, etsi corpore sis in mundo, recessisse videris de mundo diaboli, et esse in mundo. Nunc quod vivimus, in Dei mundo vivimus: quod autem peccamus, in diaboli mundo peccamus. Fuge ergo de mundo, id est, de voluptatibus mundi, ne forte diutius vivens in possessione operum ejus, fias proprius servus ipsius. Sicut ingenuus homo si diutius in possessione vel domo potentis alicujus et violenti fuerit commoratus, per possessionem longi temporis usu capit eum in servitute: sic et homo si diutius fuerit in possessione diaboli, usu longi temporis vindicat sibi dominium super eum, ita ut nemo se possit a dominatione diaboli liberare, nisi sola potentia Dei. 50. *Qui non est mecum, adversum me est.* Diaboli voluntas quæ est? Rerum malarum. Mea autem quæ est? Rerum bonarum. Vide ergo, quia cum non sim cum diabolo, adversum diabolum sum. Sicut enim bonum non est cum malo, sed semper adversus malum: sic non sunt secum, sed adversus se, quibus et voluntas contraria est, et opus. Ille prædicat fornicationem, ego castitatem. Et ideo repellit ille castos, et congregat lascivos: ego autem repellit lascivos, et congrego castos; ille docet discordiam, ego pacem; ille seditiosarios congregat et turbatos, ego autem unanimes et mansuetos. Vide ergo quia non congrego cum illo, sed dispergo. Minus dicit, ut amplius significet. Si enim qui mecum non est, adversum me est: quanto magis qui adversum me est, mecum non est? Mecum non est, quia non facit ea quæ ego. Adversum me est, quia contraria facit. Utpote, adifico; si quis non adjuvat, etiamsi non destruat, mecum non est, sed adversus me: quia cum possit adjuvare, non adjuvat. Si hæc specialiter destruit, quanto magis adversum me est? Sic et diabolo mala volente, vel faciente, etsi bona non prædicarem, non eram cum illo, quia non prædico mala, quæ vult ille. Cum autem contrario bona prædicem, quanto magis non sum cum illo, sed adversus illum? Audiant regulam Chri-

stiani, qui putant hæreticos Christianos esse, quia sic credunt, quomodo nos: tamen quia non sunt nobiscum, adversus nos sunt. Et quia non congregant nobiscum, spargunt. Si ergo quia non sunt nobiscum, adversum nos sunt, et quia non congregant nobiscum, spargere videntur: quanto magis qui et voluntate, et verbis, et actibus contra nos sunt, non sunt nobiscum? Et qui manifeste spargunt, non videntur congregare nobiscum.

*Homilia xxx. ex capite xij.*

38. In illo tempore, accesserunt ad Jesum scribæ et Pharisæi, dicentes: Magister, volumus a te signum videre, et reliqua. Curato dæmoniacò, quidam adstantium Judæorum blasphemaverunt eum, dicentes: Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Alii autem tentantes eum, dixerunt: Magister, volumus a te signum videre de caelo. Diversæ quidem species, perversitas autem omnium una. Nam sicut opera Filii Dei diabolo applicare blasphemare est Filium Dei, vel Spiritum sanctum: sic signum divinitatis ejus petere a Filio Dei, injuriam est facere Filio Dei: quoniam nihil est aliud signum divinitatis ejus petere ab eo, nisi non credere verbis ejus, quasi falsa dicentis de se, nisi signorum ostenderit probamenta. Quoniam autem curato dæmoniacò, Judæi Dei virtutem ad diaboli potentiam non porrexerunt, et non edificati miraculo, sed destructi invidia, pro gloria blasphemiam obtulerunt Domino, dicentes: Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub: dixit eis Dominus: 31. Omne peccatum remittitur, spiritus autem blasphemus non remittitur. Quod audientes quidam Judæi, non quidem timentes, sed timere se fingentes, neque veritatem de Christo quærentes, sed malitiam suam amb colore ignorantie ascendere cupientes, interrogaverunt eum: Magister, volumus a te signum videre, id est, quia blasphemiam irreuerabile peccatum est: sed etsi blasphemamus, ideo blasphemamus, quia te Filium Dei ignoramus. Ideo opera tua diabolo applicamus, quia Spiritum sanctum in te esse nescimus. Si ergo tu es Filius Dei, ostende nobis signum, et adorabimus te, et jam non blasphemabimus. Ut scias, quod volumus a te discere veritatem, ecce etiam magistrum te appellamus. O malitia! quomodo sapere nescit? Dum volunt malitiam suam abscondere, magis eam manifestant. Nam cum multa signa vidissent, tamquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Vere enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando, oculi autem sine mente nunquam viderunt. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quamvis pluviam susceperit, tamen quia nullos in se tenet humores, semper adhuc aret. Talis est conditio februm. Quantumvis biberint febricitantes, calore totum consummante quod biberint, semper adhuc sitiunt. Sic et maligni homines, quicquid boni viderint, aut audierint, infidelitate totum consummante quod vident, aut audiunt, semper vacui sunt, tamquam qui nihil viderint, aut audierint. Ecce si quis exponat tibi res, quas non libenter audis, si tota die audieris, nihil eorum retines, quæ audisti. Aut ambulans in via, si meus tua aliquo cogitata fuerit occupata, quamvis omnes videas transeuntes, tamen neminem vides. Sic et Judæi frequenter signa videntes, adhuc signum petebant, quia hoc videbant, quod videre notebant. Nam sicut semper discora, signum est nihil posse proficere: si signum semper petere, testimonium est nunquam velle credere. 39. Jesus autem respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quærit. Isaias dicit: O quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion (Isai. 1. 21)! Anima autem hominis fidelis, sponsa est Christi: quæ autem infidelis est, meretrix est. In Osee dicit: Sponsabo te in fide, et cognosces Deum (Osee 2. 20). Item, Filii, in quibus non est fides in illis, ipsi in zelum compulerunt me in non Deum, et ego in zelum expellam eos in non

gentem. Sicut meretrix uxor virum suum se fingit amare, vere autem amat adulterum, et in facie istius quidem est, in corde autem alterius: sic et Judæi videbantur esse Dei cultores, erant autem diaboli amatores. Ideo malam et adulteram generationem eos appellat. Mala quidem erat, propter opera eorum mala: adultera autem, quia relicto viro, qui est verus Deus, idolis subdabantur. Signum vultis videre? Ubi eratis quando dæmones castigati a me, non flagello, sed verbo, clamabant: Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos? Scimus te quia es Filius Dei (Matth. 9. 29). Dæmones virtutem meam senserunt, et vos quomodo signum operum meorum non aspexisistis? Ubi eratis quando cæci secus viam sedentes clamabant, Jesu, fili David, miserere nobis (Infra, 20. 30), ut videamus? Tu es virga florens de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendens, et super te requiescent septem spiritus Dei (Isai. 11. 1. 2) Septem spiritus Beelzebub adorant, et fugiunt a te. Cæci me non videntes, viderunt, et vos videntes me, non vidistis? Percurre, si vis, et cætera mirabilia ejus. Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophete. Quod est signum Jonæ? Scandalum crucis. Ut non discussores rationis salventur, sed creditores doctrinæ. Quia crux Christi discentibus quidem rationem, scandalum est, credentibus autem salus: cujus expositionis testis est Paulus: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (1. Cor. 1. 23. 24). Quare Judæi signa petant, Græci sapientiam quærent? Placuit enim Deo signum scandalum crucis tam Judæis, quam Græcis gentibus prædicari, ut qui non per fidem, sed per sapientiam Christum invenire volunt, incidentes in scandalum stultitiæ pereant, et qui per demonstrationem signorum Filium Dei cognoscere volunt, non per fidem, incidentes in scandalum mortis ejus, in sua incredulitate permaneant. Nihil mirum, si Judæi considerantes mortem Christi, hominem illum putaverunt, quando et Christiani, ut sibi videntur, et non sunt, propter ejus mortem, unigenitam majestatem crucifixam timent constiteri. Quæ interrogamus, ubi est scandalum crucis in Christo? quis nos scandalizat, si purus homo mortuus prædicatur? Sic ergo infideles intelligendo perierunt, si Deus fuit, non potuit mori: si autem potuit mori, non fuit Deus. Fideles autem sic intelligendo salventur, quia Christus non incidit in mortem propter infirmitatem naturæ, qua homo, sed ipse traxit in se mortem propter potentiam, quasi Deus: ut non absorbeatur a morte, sed ut ipse absorberet mortem. Ergo non Christum mortuum in cruce credimus, sed mortem mortuam in Christo, sicut scriptum est, quia Destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam (2. Tim. 1. 10). Nam sicut propter mortem homo visus est, sic propter destructionem mortis Deus apparuit. Ergo infideles mortem Christi considerantes, scandalizantur, immortalitatis beneficium perdunt: fideles autem resurrectionem ejus intelligentes damnationem mortis effugiunt. 40. Sicut fuit Jonas triduo in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terræ (Jon. 2). Ut per mysterium similitudinis hujus, et per Christum Jonæ propheta fuisse consideraretur, et per Jonam Christum Dei Filium esse demonstraretur. Quid est, quod dico? Nisi Christus venisset in mundum, et ea, quæ dicta a prophetis fuerant, adimpletset, non erat certum de illis, quia vere prophete sunt. Nam et illi qui futura dicere æstimantur, non statim divinatores putantur, sed tunc quando ea, quæ dicta sunt, fuerint consummata. Itaque Christus post prophetas quidem natus est, sed ante illos prophetas beneficium præstitit, et postea ille ab illis accepit. Ideo autem Christus illos facis prophetas ostendit, quoniam illi istum in verbis Filium Dei ostendunt. Nam in Sirach libro adventum Christi sic deprecatur: Domine, in nomine tuo prophete prophetaverunt. Da mercedem servis tuis, ut prophete tui fideles inventantur (Eccli. 36. 17. 18). Nisi enim

iste illos prophetas demonstrasset, Christum credere non poterant. Quomodo enim potest de alio testimonium dare, priusquam ipse idoneus demonstraretur? 41. *Viri Ninivite surgent in iudicio.* Quia illi prophetam receperunt, isti Christum Dominum illorum prophetarum repulerunt. Illi neque lege instructi, neque a prophetis, neque ab apostolis admoniti, ad Dominum conversi sunt, cognoscentes peccatum suum: isti tot præceptis eruditi legis et prophetarum, a Domino recesserunt. Illi, qui semper fuerunt populus diaboli, intra dies tres facti sunt populus Dei: isti, qui semper videbantur populus Dei, intra dies tres, crucifixo Christo, facti sunt populus satanæ. Et illi quidem personam ignorantes, et rem incredibilem audientes, et conversionis suæ signa et virtutes querere debuerunt ab eo, quibus et persona idonea prædicantis et prædicationis indubitabilis veritas monstraretur: sed nihil horum audientes, nihil videntes, sola fide salvati sunt: isti autem tot signa facientem testificantia celestem naturam viderunt, et non solum a prædicatione ejus recesserunt, sed in mortem illius conversi sunt. Illi cum lactu et lamentatione nimia penitentiam agentes, peccatorum suorum indulgentiam acceperunt: isti autem nec sine penitentia oblatam remissionem peccatorum accipere voluerunt quia sine penitentia sunt donationes, et vocatio Christi. 42. *Regina Austri surget in iudicio, et condemnabit generationem hanc.* Quæ cum esset gentilis et mulier, tantam longitudinem itineris conficere propter infirmitatem sexus non est impedita. Concupiscentia enim sapientia, infirmitati dabat virtutem. Isti autem viri et sacerdotes, quorum proprium esse debuerat amare sapientiam, ante oculos suos et in medio gremio sapientiam positam contempserunt. Illa ad hominem occurrit, isti a Deo recesserunt. Illa ut semel auda verba audiret, isti quotidie divinitatis opera ipsa videntes, blasphemabant. Illa famam tantummodo de Salomone audiens concupivit, isti autem veritatem de Christo videntes, abierunt. Illa munera multa obtulit, ut audiret eum: isti autem nec præmia regni cælorum accipere volunt, ut credant. Quid esset illa factura, si audisset mortuos resurgere, cæcos videre? quomodo cucurrisset, si etiam claudos currere vidisset? Non dixit illa, Cui commendo gubernationem regalium necessitatum, ne forte, dum vado, et redeo tanto spatio, aliqua contra imperium meum adversa nascantur? Nam paupertas semper securæ est, summa autem potestas sine timore periculi numquam est. Isti nec hoc cogitaverunt, quia dixerunt: Nescimus quidem unde sit ille Jesus (Joan. 9. 29); tamen facta illius bona sunt, et verba illius justa. *Etsi natura ejus ex hominibus, tamen prædicatio ejus ex Deo est.* Etsi non illum timemus quasi Filium Dei, saltem diligamus illum ut hominem bonum. Etsi non est dignus ut adoretur, tamen non est meritis ut interficiatur. Sive Ninivite, sive regina Austri, exsurgentes in iudicio, quomodo condemnabunt generationem Judæorum incredulorum? Non ipsi iudicantes eos, sed ex comprobatione sua vincunt eos: et ita dicentes adversus eos, qualia diximus supra: Quis fidelior est quam Jonas, sapientior quam Salomon? Non solum tunc inter homines docebat, sed etiam nunc in ecclesia quotidie docet per sanctos evangelistas et apostolos suos. Hæc verba non solum tunc ad Judæos dixit, sed etiam nunc ad omnes Christianos inobedientes similiter dicit. Quomodo viri Ninivite exsurgent in iudicio cum inobedientibus Christianis, et condemnabunt eos? Quoniam illi penitentiam egerunt, prædicante Jona, isti a peccatis propriis non recedunt, Domino illis quotidie prædicante: *Agite penitentiam, appropinquabit regnum cælorum (Matth. 4.17).* *Regina Austri surget in iudicio, cum Christianis istis, et condemnabit eos,* quia ab ultimis partibus terræ venit audire sapientiam Salomonis, et isti de domibus suis vel plateis, in quibus sedent nihil agentes, nolunt venire, et audire sapientiam Christi in Scripturis. Et quid dico, de domibus suis nolunt venire? Multi enim et

de ecclesia ipsa, in qua loquitur Christus, exeunt, et solum relinquunt docentem. 43. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat loca arida, quaerens requiem, et non invenit.* Exit autem spiritus immundus ab homine, cum per fidem baptizatus in nomine Christi, desierit esse diaboli, et factus fuerit Dei. Eiectus autem spiritus ille perambulabat homines aridos, qui nondum pluviam evangelicæ doctrinæ susceperunt in se, aut aquam baptismatis accipere meruerunt, et propterea aut sunt gentiles, aut catechumeni, secundum rationem, quam diximus, aridi. Per eos enim immundi spiritus vagantur, et plurimam dominationem habent in eis. Quamvis enim gentilis suscepto fidei verbo, liberari tamen ab immundo spiritu non potest, nisi fuerit baptizatus in nomine Christi. Unde exorcizamus catechumenos, qui sunt baptizandi. Non autem invenit requiem sibi, quoniam necesse est, ut gentili veniente ad fidem, et catechumeno ad baptismum, cum aridi esse desierint, jam ab ipsis immundus ipse spiritus expellatur. Nec mihi dicas, quia nec omnis catechumenus ad baptismum, alioquin nec ad omnem baptismum et liberatum a spiritu immundo revertitur spiritus immundus, nisi qui vacuus fuerit a Spiritu sancto. Nec apud gentilem catechumenum invenit requiem sibi, quia ad fidem vel baptismum venit. Cogitans ergo spiritus ille, et dicens: 44. *Revertar in domum meam priorem.* Et si invenerit gentilem catechumenum vacuum a Spiritu sancto, sine dubio prævalebit reverti in eum. Revertens autem, quoniam invenit scopis, id est, verbis fidei et veritatis, ab infidelitate et ignorantia mundatum: cum videt eum præceptis evangelicis adornatum, quasi animosior factus, 45. *Assumit secum alios septem spiritus nequiores se.* Dicens, *Septem,* aut plures dicit, aut omnes spiritus vitiorum. Sicut enim ex parte Dei, quamvis plures sint spiritus virtutum, tamen septem dicuntur, quia ex illis septem omnes spiritus virtutum procedunt: quos spiritus enumerat Isaias (Cap. 11. v. 2. 3), et Salomon signat, dicens: *Sapientia edificavit sibi domum, et subdidit columnas septem (Prov. 9. 1).* Sic ex parte diaboli, quamvis multi sint spiritus vitiorum, tamen septem dicuntur, quoniam ex illis principalibus vitiis vitia universa nascuntur. *Et erunt novissima hominis illius pejora prioribus.* De hoc enim ipso vel ipsarum rerum experimenta nos docent: quomodo Christianus, si malus evaserit, pejor sit, quam si fuisset gentilis. Hæc parabola melius intelligitur de Judæis et gentilibus: ex eo enim quod, finita parabola, vel exemplo, sequitur dicens, *Sic erit generationi huic pessima: compellitur ad populum Judæorum referre parabolam, ut intellectus loci non vagus, aut instabilis, in diverso flexu, atque contradictionibus atque turbetur, sed firmus et stabilis, vel ad priora, vel ad posteriora respondeat.* Vere enim iumundus spiritus a Judæis exivit, quoniam facta est *Portio Domini populus ipsius Jacob, funiculus hereditatis ejus Israel (Deut. 32. 9):* vel quoniam acceperunt legem. Expulsus autem a Judæis, ambulavit per aridas gentes, sed requiem sibi non potuit invenire in eis: quoniam secundum propositum vocationis Dei erat, ut omnes gentes venirent ad fidem. Non inveniens autem requiem in gentibus, dixit: *Revertar in domum meam unde exivi.* Habeo Judæos, quos ante dimiseram. *Et veniens invenit vacuum, quoniam jam Dominus non erat in eis, sed nec spiritus, secundum quod dictum fuerat de eis: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (Luc. 13. 35).* Videns autem eos diaboli mundatos verbis scientiæ Dei ab ignorantia, quasi quibusdam spiritualibus scopis, ornatos autem observationibus legis: propterea assumens secum septem spiritus nequiores se, secundum quod supra tradidimus, habitavit in eis. Et facta sunt posteriora populi illius pejora prioribus. Nam si prius, estu culiores Dei non erant, tamen nec interfectores erant: et prius quamvis peccabant in eum, tamen populus dicebatur Dei: postea autem, sicut testatur Joannes,

synagoga facti sunt satanæ (Apoc. 2. 9). Accedentes autem possumus ædificationis gratia etiam ad hæreticos transferre sermonem. Immundus enim spiritus, qui in eis ante habitaverat, quando gentiles erant, ejectus est, quando facti sunt Christiani: qui perambulans gentiles cæteros, et non inveniens apud eos requiem, credentibus videlicet secundum tempora etiam ex ipsis in Christo, reversus est in eos, quos possederat ante. Inveniens autem eos vacuos a Spiritu sancto, vacuos a timore Dei, et operibus bonis (quoniam spiritus quidem immundus exierat ab eis propter nomen Christi, Spiritus autem sanctus non supervenerat eis, propter malum propositum cordis eorum, et opera mala), inveniens eos mundatos scopis, qualibus diximus supra, et ornatos institutionibus apostolicis: assumpsit secum alios septem spiritus nequiores, et inhabitavit in eis, et facta sunt novissima hæreticorum pejora prioribus. Hæreticos gentibus esse pejores dubitat nemo. Primum, quia gentiles per ignorantiam Christum blasphemant, hæretici autem scientes Christi laniant veritatem. Deinde quia in illis vel spes fidei est, in istis autem incessabilis pugna et discordia. 46. *Adhuc eo loquente, ecce mater et frater ejus, etc.* Videns diabolus, quia persuadebat populis Christus, esse se Filium Dei, dicens: *Et ecce plus quam Jonas hic, et plus quam Salomon hic* (Luc. 11. 32. 31): timuit enim, ne si Dei Filius cognoscatur ille, qui putabatur homo, ipse derelinquatur ab omnibus. Ad convincendos sermones ejus subintroduxit parentes ejus carnales, ut per illorum contemplationem, divinitatis ejus obscuraret naturam. Ideoque venit aliquis quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur, dicens? 47. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, volentes loqui tecum.* Ac si dicat: Quid gloriaris, Jesu, de cælo dicens descendisse, qui radices habes in terra? *Ecce mater tua, et fratres tui.* Non potest esse Filius Dei, quem homines genuerunt. Non potes illum abscondere, quem natura convincit. Tunc Jesus quasi hominem quidem aspiciat, tamen vere diabolus loquebatur. 48. *Et quis est mater mea, et fratres mei?* Nescio parentes in mundo, qui ante mundi constitutionem mundum creavi. Nescio principium ex carne (sicut Photinus existimabat), qui jam in principio eram apud Deum. Nam quod hominem me videtis, vestimentum meum est, non natura. 49. *Et extendens caute manus suas super apostolos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei.* Non spernens generationem carnalem, neque erubescens humanam susceptionem, tale dedit responsum: sed volens ostendere, quia præponenda est cognatio spiritualis carnali. Nam carnalis cognatio, non volentibus nobis, neque scientibus, contingit. Non enim unusquisque vestrum consuetus est cogitare quorum erit filius, aut quorum cognatus: spiritualementem autem cognationem ex proposito unusquisque per fidem sibi acquirit. Voluntaria enim est obauditio, per quam quicumque voluerit voluntatem Patris facere, efficitur filius Dei, et frater Christi. Unde sapienter superinduxit: 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille mater mea et frater est.* In qua cognatione spirituali nihilominus est hæc Maria, quæ non per coitum carnis, sed per gratiam fidei credendo facta est mater Christi. Deinde matrem et fratres Christi, facientes voluntatem Dei intelligimus non synagoga, quæ secundum corpus peperit Christum, cæterosque Judæos: sed illam synagoga intelligimus matrem, quæ salvata est credens in Christum, non crucifigens eum. Similiter est intelligendum et de fratribus, qui secundum spiritum erant Judæi, non secundum corpus, qui Christi erant facientes voluntatem.

*Homilia xxxj. ex capite xiiij (a).*

3. *Ecce exiit qui seminat, seminare: et dum seminat, quedam ceciderunt secus viam, et venerunt vo-*

(a) Deest initium decimæ tertii capitis.

*lucres, et comederunt ea, etc.* Sicut gaudet medicus, quando ad eum ægrotantium multitudo prosequitur; sicut lætatur rex, quando eum magni exercitus manus armata circumdat: sic exultat sacerdos, quando eum audientium populus magnus auscultat. Et ideo ascendit in navem, ut audiret eum populus, et videret, et visus delectaret auditum, et auditus visum. Et docebat in parabolis, dicens, *Exiit seminator seminare, non de loco ad locum transmutans, sed voluntate.* Nec enim venit, ubi non erat, nec relinquit, unde egressus est: quia Deus ubique est, præter ubi esse noluerit. Aut certe ideo exiit, quia ibi est Deus, ubi justitia ejus colitur: ubi autem justitia ejus non est, nec ipse est ibi. Et qui intra justitiam suam sunt, intus sunt: qui autem extra justitiam ejus sunt, foris habentur. Propterea quamdiu fuit in cælis, ubi omnes sunt justii, intus erat: veniens autem in mundum, qui totus extra justitiam erat Dei, foras exiit, ut ipsum faceret intus. Quoniam ergo omnes gentes, Dei justitiam contemnentes, debebant sub potestate diaboli: ideo exiit, ut plantaret justitiam in mundo, ubi non erat prius propter peccata ipsorum. *Exiit qui seminat, seminare.* Non sufficit ei dicere, *Seminare* exiit: sed addidit, *Exiit qui seminat, seminare*: ut ostenderet, quia non erat novus seminator, nec modo ad hoc opus primum accesserat: sed hoc semper habuit in natura, ut semper seminaret. Ipse enim a principio generis humani totius scientiæ semina ipsa seminavit in natura. Ipse est, qui per Mosem semina præceptorum legis seminavit in populo. Ipse est, qui loquens in prophetis, non solum præsentium seminavit correctiones, sed etiam notitiam futurorum. Ipse exiit, ut in corpore constitutus, et per seipsum diviniore seminaret præcepta. 4. *Et quedam ceciderunt secus viam.* Quæ est via? Mundus iste, per quem omnes transeunt, qui nascuntur: via enim, et peregrinatio, et transitus est omnibus, qui et a Deo exierunt, et ad Deum festinant. Unde et propheta dicebat: *Quoniam incola sum apud te in terra, et peregrinus, sicut patres mei* (Psal. 38. 13). Sicut ergo viator in via nihil sollicitus est, nisi quod necessarium habet ad usum: ita et homo in hoc transitu mundi nihil debet esse sollicitus, nisi quod opus habet ad usum. Qui autem suam spem ponit in mundo, et delectatur in eo, est similis homini desperato, qui non habet neque patriam, neque domum, neque familiam, ad quam festinet: sed in quocumque loco inventus fuerit, ipse locus domus ejus est. Quæ est ergo terra secus viam? Homo secundum istum mundum vivens, qui omnia ea sapit quæ mundi sunt, et nihil quod Dei est: sed hoc solum diebus ac noctibus cogitat, hoc concupiscit, quod pertinet ad bene manducandum et bibendum, et spurcitiæ corporis exercendam. Ex his enim omnia mala nascuntur. Propter cibum enim et potum avaritiæ fiunt, furta, violentiæ, perjuria: ex avaritiâ autem invidiæ et contentiones: ex invidia autem maliloquia et detractiones, inimicitia et imposturæ: ex inimicitia manifesta ira, rixæ, cædes, homicidia, judicia: ex libidine autem fornicationes, adulteria, masculorum concubitus, feminarum invasiones. Talibus si loqui volueris de spiritualibus rebus, non intelligunt verbum, nec sentiunt verbi dulcedinem. Nec enim est possibile, ut inter tantas amaritudines vitiorum sentiatur dulcedo sermonum. Sicut qui in magno vase aceti modicum guttam mellis immisceat, etiam vas perdit, et acerbitas aceti non mutatur: sic homini in hac malorum multitudine constituto si colloqueris justitiæ verbum, et verbum perdis, et ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum. Nec enim habet bonum in se. Nam homo illud concupiscit, quod jam habet exceptum in se, et scit esse bonum. Ecce si ostendis leoni viridem herbam, et campum bene florentem, non excitat eum in concupiscentia, quia non habet hoc in natura, ut herbas manducet: et e contra si ostendas bovi carnes, non concupiscit, quia non est bovis natura, ut manducet

carnem : sic et homini mundiali, si de bono cœlesti loquaris, non excitatur in concupiscentia boni. Sed quemadmodum si pluvia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum : sic et tali homini quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percussit aures ejus carnales, in cor autem ejus nihil descendit. Et merito : jacentia super lapidem semina verbi rapiunt volatiles dæmones. Dic mihi, cujus culpa est, rapientium dæmonum semina, aut hominum durorum non abscondentium ea in sulcis pectoris sui? Puto non esse culpam rapientium dæmonum. Ille enim latro, qui parietem perforat, in secreta domus parte ingreditur : qui autem invenit foris impositum et projectum, quomodo quasi latro culpetur? Sic et diabolus, si poterat introire in secreta pectoris tui, ut a te nolente raperet verbum, bene culparetur : nunc autem quod a te neglectum est, et contemptum, hoc ille diripit. Denique sciens propheta hominum abscondentium esse culpam, dicebat : *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi (Psal. 118. 11)*. Si ergo absconderis verbum in sulco pectoris tui, germinat tibi timorem ; timor liberat te a peccato. Si autem foris eum in superficie carnalium aurium dimiseris, quomodo timor tibi germinatur? Si autem timor in te natus non fuerit, quomodo salvus fies, cum sit scriptum : *Timor Domini expellit peccatum (Eccli. 1. 27)*? Qui autem sine timore est, non potest justificari, 5. *Quædam autem ceciderunt super petrosam*. Petra autem in se duas habet proprietates nature, fortitudinis et duritiæ. Ideo homines autem propter constantiam fidei petra dicuntur, aut propter duritiam cordis. Ideo propheta dicit : *Et auferam ab illis cor lapideum (Ezech. 36. 26)*. Quid ergo terra? Intellectus carnalis, et non rationalis super animam duram et fidelem. Nam intellectum bonum multi habent secundum naturam, animam autem fidelem non multi : quia intellectus hominis est ex Deo, anima autem fidelis ex voluntate. Sunt ergo homines, quibus si loquutus fueris de gloria sanctorum, et de beatitudine gloriæ regni cœlestis, statim gaudent, et audientes delectantur, quoniam sapientes secundum naturam etiam facile suscipiunt verbum ; sed ne credas gaudio eorum : carnaliter enim gaudent, et carnaliter delectantur. Sciunt enim naturaliter, quia bonum est regnum, vel lumen. Ideo cum audierint lumen sanctorum, quasi de lumine gaudent. Sciunt etiam naturaliter, quia bonum est regnum cœlestis, quasi de auditu regno lætantur : et non ideo credunt, quia sic est quomodo lætantur, anima autem eorum non credit. Sed dicis, Quomodo gaudere poterant, nisi crederent? Hoc ipso enim quod gaudent, credunt : ideo credunt. Non est ita : omnis enim, qui credit, verum est, quod gaudet ; non tamen omnis, qui gaudet, credit. Nam quod gaudet in nobis, sensus est rationalis : quod autem credit, spiritus animæ, qui non in gaudio, sed in sollicitudine et compunctione cordis cognoscitur. Quoniam non omnis, qui gaudet, et credit, tuo te docebo exemplo. Ecce cum tibi exposuero de gloria sanctorum, de jucunditate paradisi, gaudes et exsultas, si tamen non habes etiam carnalem intellectum jam captum et induratum in malis, et quasi terra secus viam. Sed si dixerò tibi : Vide qualis est jucunditas sanctorum : ergo vende omnia tua quæ habes, et da pauperibus, et hæc omnia possidebis (*Marc. 10. 21. et Luc. 18. 22*). Ecce non facis, sed tristis recedis, sicut adolescens ille a Christo : non ergo credidisti firmiter de quibus gaudebas. Ecce cuncti homines quanta pondera auri dant, ut comparent dignitatem, et cum gaudio magno dant, et sine dubitatione dant, ut comparent, et multum sibi quæstum putant, si invenerint cui dant, et putant se jam invenisse cui dederunt. Et amplius dico, si suam pecuniam non habuerint, aliunde mutuum tollunt, et cum gaudio dant. Quare? Quia credunt omnino dupliciter se inventurum esse quod dederunt. Et si vere credis fu-

tura quæ audis, quare non dabas simplum in terra, ut centuplum invenires in cælo? quomodo non dabas temporalia, ut invenires æterna? Si dixerò tibi, Abstine te a delictis, et jejuna : non facis, quia non credis. Si tædiant, id est, ægrotanti tibi medicus dixerit, Abstine te ab hoc, subaudis : quia credis te sanandum, si servaveris : et frequenter illud amplius amas, quod amarum, manducansque uteris, et vincis desiderium ventris ob desiderium sanitatis ; multo magis jejunare poteris, si credideris jucunditatem illam futuram. Tu ergo, qui propter Deum quomodocumque vivere contentus non es, si e venerit res, de qua jucunde vivere non poteris : quomodo propter Deum poteris corporales sustinere dolores? qui nec eleemosynas de rebus tuis dare contentus es, quomodo amissionem substantiæ tuæ propter fidem poteris sustinere? Ideo facta tribulatione aut persecutione propter verbum Dei, scandalizaris. Nam non solum in persecutionis tribulatione prorsus tu scandalizatus es in Christo, sed etiam in tribulatione omnium adversitatum. Utpote, si tibi amissio carorum, aut damnum rerum, aut corporalis infirmitas contigit, statim scandalizaris, et dicis, quod propheta ad tuam consolationem dixit, ut et nec tu scandalizatus sic dicas : *Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt sibi divitias : et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas (Psal. 72. 12. 13)*, quoniam cum meliora suscipere debui, tunc contigerunt pejora. Ille et ille in omnibus iniquitatibus volvitur, et floret in filiis, et abundat in rebus, et lætatur in sanitate. Et qualis est justitia Dei? Et non consideras, quod quæ ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur : et contentio imponitur, correctio ostenditur ei. Si videris aut mortalitatem frequenter fieri super terram, aut famem, aut gladium, statim scandalizaris, et dicis : Patres nostri idola coluerunt, et semper in bonis fuerunt, et nos ex quo Christum colere cœpimus, nunquam nos bona sequuntur. Et non consideras, quia illorum prosperitas non fuit remuneratio Dei, sed contemptio. At nostra adversitas non est ira Dei, sed admonitio. De illis enim dictum est : *Vir insipiens non cognoscit, et stultus non intelligit, cum excurrent peccatores sicut fœnum*. Et quid addidit? *Ut intereant in sæculum sæculi (Psal. 91. 7. 8)*. De suis autem quid dicit? *Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam vero meam non dispergam ab eis (Psal. 88. 33. 34)*. Si videris aliquem tumultum Ecclesiæ tuæ, statim scandalizatus dicis : Ne forte non sit hæc vera Ecclesia apud hæreticos, sed illic sit veritas, ubi floret potestas. Et non intelligis, quod a Deo diligitur, hoc a diabolo expugnatur : quod autem a Deo contemnitur, hoc a diabolo quasi proprium in pace custoditur. Judæa quamdiu fuit Dei hereditas, nec diabolus cessabat eam expugnare suadendo ad idola, nec Deus cessabat eam castigando et revocando ab idolis custodire : postquam contempta est, quasi pars diaboli facta manet in requie. Quoniam ergo multi non solum propter persecutiones, sed etiam extra persecutiones, scandalizantur de verbo : ideo supra (a) non solum dixit, *Facta autem persecutione* : sed etiam *In tribulatione*. 7. *Alia ceciderunt in spinas*. Primum dicam, quomodo colitur, ut bene intelligatur, quomodo a vicinis suffocatur seminatum in te verbum. Colis, assidue audiendo Scripturas, et traditiones doctorum. Per hoc enim confirmatur in te verbum Dei, et crescit, et satisfacit tibi, quia ita est per omnia, quemadmodum credis.

*Verbi Dei duplex fructus.* — Fructus autem verbi Dei est duplex, in operibus bonis, et in confessione fidei. Sed fructus boni operis gratiosior est apud Deum in pace, quam in persecutione : fructus autem confessionis in persecutione gratiosior est, quam in pace : quia in persecutione nemo te discutit, qua-

(a) *imo infra, v. 21.*

modo vivis, sed quomodo credis. Item in pace non est labor bene credere, sed bene vivere: quia pax ipsa corruptrix est pietatis. Vide jam, quod sollicitudo divitiarum frequentare te ecclesiam non permittit, ut audias Scripturas et traditiones doctorum, ut nutriatur verbum quod accepisti. Etsi venis in corpore, non venis in mente. Etsi audis auribus, non audis in corde. Totus autem animus tuus in illis est, de quibus sollicitus es. Opera bona cupiditas divitiarum te facere non sinit. Quomodo autem sinat te tua fenestrare, quæ compellit te aliena colligere? Item si verbum Dei venerit in periculum, tu propter voluptatem divitiarum, aut quia times perdere quæ habes, aut quæ non habes concupiscis acquirere, veritatem fidei tuæ palam non confiteris. Vides quomodo sollicitudo et voluptas divitiarum suffocant verbum, et fructificare non sinit? 8. *Quadam super terram bonam.* Terra autem bona sunt qui abstinere se a divitiis malis, et secundum vires suas faciunt bona, et est fructus eorum trigessimus. Si autem omnia bona sua contemnant, et accedant ad serviendum Deo, habent sexagesimum. Si autem et infirmitas corporis eis contigerit, et fideliter sustulerint, habent centesimum, et terra bona est. Nam et Job ante tentationem trigessimus habuit in facultatibus suis juste vivendo: post damna substantiæ et filiorum, sexagesimus: post plagam autem corporis, centesimus fecit. Qui centesimus habet, in se sexagesimus et trigessimus habet. Et qui trigessimus habet, sexagesimus non habet. Et qui sexagesimus habet, non etiam centesimus habet. Semper enim majus quod minus est in se habet inclusum, illud autem, quod minus est, majus in se non habet: ut puta, præfectoria potestas habet in se vicariam et consulariam potestatem: consularia autem potestas, neque vicariam, neque præfectorianam habet in se potestatem. Utpote, qui talem fidem habet, ut possit mori pro Christo, ille sine dubio et omnia mundi contemnere potest. Nam quomodo sua non contemnat, qui seipsum contemnit? Nam et ille centesimus habet. Nam qui se et sua contemnit, multo magis aliena non tollit, multoque facilius de facultatibus suis partem dat, qui totas facultates suas nihil existimat. Item qui sexagesimus habet, id est, qui divitias potest contemnere, in jejuniis permanere, caste vivere, corporales injurias sustinere, sine dubio et trigessimus habet. Et qui sciunt sollicitudines sæculi, et voluptates divitiarum, clarius eas contemnere possunt. Qui autem trigessimus habet, id est, qui malum non facit, sed quantum potest benefacit, hoc est enim trigessimus: ille non omnimodo et sexagesimus habet, id est, non omnino potest omnia bona sua contemnere, et omnibus diebus vitæ suæ jejunare, aut in castitate vivere, aut corporales injurias pati. Hoc enim est sexagesimus. Ideo Dominus apostolis quidem, qui sexagesimus poterant, sic dicit: *Vendite quæ habetis, et date elemosynam* (Luc. 12. 33). Istitis autem, qui non poterant sexagesimum, iungit eis trigessimus, dicens: *Omni petenti te, da: et qui neutrum petit, non avertas ab eo* (Luc. 6. 30). Item qui sexagesimus potest, non omnino et centesimus potest. Quanti sunt, qui et bona sua dimittere possunt, et amissionem rerum suarum patiuntur, et caste vivere possunt, et corporales injurias sufferre: et illud, quod est centesimus, timent sustinere? Quot enim confessores post multas injurias mori timentes lapsi sunt? Sic et homo, qui secus viam est, omnia mala in se habet, et lapidosus est, et spinosus. Ille autem, qui spinosus est, non omnino lapidosus est. Et ille, qui lapidosus est, non omnino secus viam est. Utpote, qui fornicarius est, qui avarus est, qui perjurus est, qui fur est, omnino si illi persecutio aut tribulatio venerit propter verbum, sine dubio quantum ad hominem scandalizatur, et prævaricatur. Qui enim ante tentationem fidem Deo non servat, quomodo in ipsa tentatione erit fidelis? Item qui la-

pidosus est et spinosus, id est, qui ex corde non credit, et est infidelis et vacuus, ita et nec persequutione aut tribulatione scandalum patitur: multo magis nec sollicitudines sæculares poterit erare, aut voluptates carnales. Qui enim illic scandalizatur et prævaricatur, ubi intelligit se perire, si fuerit scandalizatus: quanto magis sollicitudines divitiarum et voluptates non est contentus repellere, in quibus se gravari intelligit, non perire? Nam sollicitudines divitiarum et voluptates profectum impediunt, non faciunt peccatorem. Qui autem scandalizatur in Christo, cadit a Christo. Qui ergo et cadere potest, multo magis impedimentum pati contentus est. Qui autem spinosus est, non omnino et lapidosus est. Sunt enim, qui tantam quidem fidem non habent, ut divitias suas et voluptates pro nihilo putent, et sollicitudinem carum contemnant, et magis diligant caelestia quam terrena: tamen si tentatio venerit, non recedunt a Christo propter timorem perditionis. Nam etiam mundum contemnere non fuerint contenti, vel quia non qui (sic) ante desiderabant magnificari apud Deum, tamen a Christo recedere non sunt ausi, quia timent perire. Ideo, si necessitas venerit, frequenter et bona sua dimittunt, quorum sollicitudines ante fuerant obligati. Nam multo magis laboriosum est in securitate concupiscentiam vincere, quam in periculo divitias posse contemnere. Ipse enim timor periculi adjuvat animam, et facile vincitur delectatio corporalis. Quot sunt enim, qui in securitate non fuerunt contenti pauperes esse, et cum viderunt persecutionem, magis contenti fuerunt bona sua dimittere, quam perire propter illa? Præsciens Deus frequenter præcidit divitias eorum, et a sollicitudinibus relevati, securius et melius permanent cum Deo. Item qui lapidosus est, non omnino et secus viam est. Multo enim fideliores sunt, qui in persecutionibus forsitan possunt scandalizari, tamen in iniquitatibus non se omnino obligant: quia cum gaudio accipiunt verbum, et diligunt bonum, sed vincuntur in tribulatione. Et eos forsitan propter misericordiam suam Deus frequenter salvans, non adducit super eos tentationem, unde vincantur: quoniam nemo nostrum idoneus est, si<sup>1</sup> nos jubet Deus orare: *Et ne nos inducis in tentationem* (Matth. 6. 13). Qui autem secus viam est, in omnibus malis obrutus est. 10. *Et accedentes ad eum discipuli eius, dixerunt: Quare in parabolis loqueris illis? Vide benevolentiam virorum, vide misericordes discipulos benigni magistri.* Dolebant, quia populus non intellexit, et quia talium verborum edificatione fraudati sunt, quia perdidit audiendi laborem et tempus. Nam qui non intelligit quod audit, perdit quod audit. Et considera quod est benevolentius, quod non primum interrogaverunt de intellectu parabolarum, sed mox dixerunt: *Quare in parabolis loqueris illis?* quia magis de aliorum salute solliciti erant quam de sua, sicut ait Apostolus: *Non que sui sunt singuli cogitantes, sed que aliorum* (Philip. 2. 4). Hæc est enim perfecta caritatis gratia, qui amplius festinat aliis utilis et lucrosus esse quam sibi. 11. *At ille respondens ait illis: Quia vobis datum est nescire mysterium regni caelorum.* Quoniam multi ex his verbis culpam negligentiae suæ imputant Deo, dicentes: Quia non est mea culpa, si nescio quod mihi Deus scire non præstitit. Et ista dicunt, non vere dolentes, quia non intelligunt aliquid circa Deum, sed peccatorum suorum excusationem quaerentes. De talibus dicit propheta: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem* (Psal. 140. 4). Ideo de isto loco modico manifestius loquamur. Omnino quidem intellectus de Spiritu sancto est, et gratia Dei est: tamen alia est gratia, quam Deus omnibus hominibus creando donavit: alia est, quam non omni-

<sup>1</sup> Forte, sic.



bus hominibus, sed dignioribus et excellentioribus et electioribus donat. Sicut paterfamilias multa mancipia habens, omnibus quidem mediocrem vestem dat, mediocrem annonam dat pro debito domini sui: quia nec potest esse servus ejus, nisi ab illo vestitus fuerit, et nutritus; quibusdam autem fidelioribus circa se dat meliorem vestem, et delicatiorem annonam, non propter debitum domini sui, sed propter honores eorum: sic et Dominus generalem gratiam, id est, intellectum boni et mali omnibus dat pro necessitate naturæ: quia nec videmur esse homines ad imaginem Dei creati, nisi habuerimus divinum intellectum; dignioribus autem dat specialem gratiam, imputa cognoscendi mysteria, non pro necessitate naturæ, sed pro remuneratione bonæ voluntatis, aut bonorum operum. Vide ergo quomodo dicit: *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum*. Non dixit: *Vobis datum est*, alicui qui habeat scientiam boni et mali. Si ergo est aliquis, qui non habet gratiam scientiæ boni et mali, non culpa hominis est non habentis, sed Dei non dantis. Si autem omnes homines intelligunt bonum et malum, non tamen omnes habent gratiam cognoscendi mysterium regni, non est culpa Dei non dantis, sed hominis non querentis, nec festinantis, nec laborantis ut mereatur accipere. Si enim illam generalem scientiam boni et mali transgressus, id est, si bene usus fuisses, juste merebaris hanc specialem cognoscendi mysterii scientiam. Si autem illam generalem abscondisti in terram, quæ datur pro necessitate naturæ: quomodo mereberis hanc specialem, quæ pro remuneratione bonæ voluntatis aut operum datur? Et hoc est quod alius evangelista dicit de servo malo, qui talentum suum abscondit in terram, et nullum fecit fructum de illo; Dominus ejus non solum talentum tulit de eo, sed adhuc jussit eum puniri: id est, quasi non fructificantem jussit puniri reum. Vide quia paratus fuit et alteram gratiam ei donare, si fructum fecisset de prima. 12. *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit*. Ut habenti quidem addatur, possibile est: impossibile autem, ut auferatur ab eo qui non habet. Quomodo procedit? Si enim tollitur ab eo quod non habuit<sup>1</sup>: si autem non habuit, quid tollitur ab eo? Sed ita procedit: Qui habet aliquem intellectum, et non facit cum illo justitiam pertinentem ad gloriam Dei, sed e contra circa res terrenas occupat eum, habens non videtur habere: quia quantum ad eum, videns, cæcus dicitur esse. Non habet, qui Deo nihil fert. Sicut homo, cujus oculi iniquitatem vident, non æquitatem, quantum ad Deum videns, cæcus dicitur esse, sicut scriptum est: *Smite eos; cæci sunt, et ducet cæcorum* (Matth. 10. 14): quia diabolo vident, non Deo. Sicut qui peccatis vivens mortuus dicitur, sicut scriptum est: *Et vos cum essetis mortui in peccatis vestris* (Ephes. 2. 1. et Coloss. 2. 13): quia ille talis non Deo, sed diabolo vivit; sicut qui habet intellectum, et bonum non operatur cum eo, quantum ad Deum, nec habet: et ideo tollitur ab eo et ipsura quod habet, ut nec intelligat quod est bonum, et jam ut cæcus doceatur a dæmonibus per omnia mala opera. Quando ergo videris hominem, qui etsi non facit opera bona, tamen vel delectatur in audiendo bono: infructuosus est quidem, tamen adhuc non tulit Deus ab illo hoc ipsum quod habebat, sed expectat illam, ut convertatur ad poenitentiam, et faciat bonum. Cum autem videris hominem, qui non solum bonum non facit, sed nec delectatur in ipso audito bono: intellige quia jam tulit ab illo Deus hoc ipsum quod habebat, ut intelligeret bonum, et quantum ad Deum mortuus est. Nam non potest reviviscere, nisi forte quantum ad Deum, qui potest etiam mortuos suscitare. Ille ergo, qui habendo non vult, sicut diximus, quod habet quidem naturæ est: quod autem non habet, voluntatis: qui habet quidem, sed non vult habere.

Judæi vero, qui habuerunt legem, et vixerunt secundum legem, addita est eis notitia Christi. Qui enim legem habentes quasi non habuerunt, quia non vixerunt secundum legem, ablata est ab eis etiam ipsa lex, quam habebant; et nihil apud eos de lege remansit, nisi sola Scriptura librorum, omni legis observantia pereunte. Sic enim et Christianis eveniet. Qui enim vere habent Christum, viventes secundum Christi præcepta, dabitur illis regnum, ut jam non credant absentem Christum, sed videant præsentem. Qui autem habentes Christum quasi non habent, quia non vivunt secundum Christi præcepta, tollitur ab illis etiam hoc ipsum, quod videtur agnoscere Christum, ut credant Antichristo: aut certe ut condemnati in die judicii, separati de parte Christianorum, etiam hoc ipsum perdant, quod videtur esse Christiani, cum infidelibus deputati. Sic et hæresibus factum est, quod habentes fidei veritatem, illam non habuerunt, non viventes secundum eam, ablata est ab eis, ut crederent pro veritate mendacis. Tales sunt et qui quotidie transeunt ad perfidiam, quoniam habentes fidem, male ea utuntur. Tollit eam Deus ab eis, et ad perfidiam transibunt, et projiciet eos, et impletur in eis quod Apostolus dicit: *Eo quod caritatem veritatis non receperunt, dabit eis Deus opera erroris, ut credant mendacio, et judicentur* (2. Thess. 2. 10. 11). 13. *Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident*. Si dixisset, *Ideo in parabolis loquor illis, ut videntes non videant*: forsitan non esset culpa non intelligentium Judæorum, sed Christi, qui sic loquebatur, ut non intelligeretur ab eis. Nunc autem dicit: *Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident*. Intelligitis ergo, quia non est culpa Christi nolentis dicere manifeste, sed eorum qui audientes volebant audire. Non enim quia Christus in parabolis loquebatur, ideo illi videntes non videbant: sed quia videntes non videbant, ideo illis Christus in parabolis loquebatur. Ecce viderunt mirabilia Mosi: numquid vere viderunt? Si enim vere vidissent, utique et timuissent Deum miraculorum factorem. Ecce audierunt doctorem legis: numquid vere audierunt? Si enim vere audissent eum, utique et vixissent secundum legem, et credidissent in eum, quem prophetabat lex. Viderunt et ea mirabilia, sed videntes non viderunt. Si autem vidissent ea, et proficissent in eis. Cum sit ergo facilius videntes cognoscere quod vident, quam intelligentes intelligere quod audierunt: quomodo poterant illi audientes mysteria intelligere, qui videntes mirabilia non cognoverunt? Quia consueti erant Judæi videntes non videre, et audientes non audire: ideo non dedit eis Deus oculos fidei, ut videant divina miracula Christi, nec audiant viva verba ejus, nec similiter contemnant Christum, cognoscentes eum, quemadmodum contempserunt et legem, habentes eam: ideo et propheta illis dicebat: *Auditu auditis, et non intelligitis* (Isai. 6. 9). Videamus cujus rei intellectum denegat illis propheta. Non illum generalem qui datus est ad usum naturæ, sine quo vivere nemo potest, sed hunc spiritualem ad cognoscendum mysterium Christi, quod datur ad remunerationem justitiæ.

#### Homilia xxxij. ex capite six (a).

1. *Et factum est cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilea, et venit in fines Judææ trans Jordanem, 2. et sequatur sunt eum turba multa, et curavit eos ibi*. Et reliqua. (b) *Quantumcumque gratuitum et utile sit bonum ecclesiasticæ pacis, quam flagrantem et sollicito animo quærendum sit exponam, ut quilibet inventor exponere possit. Legite, inquam, fidelissimi, hortor, fratres, legite vobiscum, crescete in*

(a) Desumat capita 14, 15, 16, 17 et 18.

(b) Illic resumit Codex Carthusianorum Vallis Dei: et paulo post idem Codex et Edibi ad marg., *sollicito animo*. In textu autem, *sollicito amore*.

<sup>1</sup> Montef. in margine sic legendum esse innuit: *si enim tollitur ab eo, quomodo non habuit?*



fide, ut vobiscum corpore absens, efficiat in Christo vobiscum præsens in fide. Incipimus ergo exponere bona de bono. Prosequar quod dicit evangelista: *Et factum est cum consummasset Jesus sermones istos. Quos istos? Quos superius est proloquutus. Quomodo de camino ignis mortiferi carnalium passionum super<sup>1</sup> pectus apostolorum zeli scintilla ceciderat, et modica quidem jam tantum conflabatur: sed Dominus, qui de longe sentit malorum vaporem, cito per humilitatis doctrinam, quasi cum aliquo fonte aquæ largissimo titonem, priusquam accenderetur, restinxit, dicens: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum (Matth. 18. 3), etc., et illos tunc sollicitos reddidit, et totum mundum de periculo hujus incendiarii liberavit. Et illi quidem leviter tacti sunt, nos autem fortiter sumus muniti. Et momentaneæ invidiæ eorum occasio æternum mundo humilitatis refrigerium introduxit. Hos ergo sermones cum consummasset Jesus, transtulit se de Galilæa in Judæam, quasi justus Dominus omnium, qui sic diligit alios servos, ut alios non contemnat. Nam sicut omnes illi debent gloriam, quasi Domino: sic ille debet omnibus misericordiam, quasi servis. Nam si semper eum unus teneat locus, jam non est possessor omnium hominum, sed aliquorum. Reliquit Galilæam, et venit in fines Judææ. Galilæam patriam suam, de qua natus fuerat, quasi sol altius ascendens, reliquit orientem, et venit in Judæam, quasi ad occasum, ubi fuerat obiturus, in pace passionis occumbens, ut iterum nobis aliunde novum ortum sua resurrectione ostenderet, ut dicamus cum Apostolo: *Vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova. Et sequutæ sunt eum turbæ multæ* (2. Cor. 6. 17). Quasi testimonia salutaris doctrinæ ejus, quasi oves pastorem, in manu ipsius genitæ et nutritæ, sequebantur eum, quasi parvuli filii patrem peregre longe proficiscentem: et quasi pater proficiscentis, bona pignora caritatis illis reliquens, peregrit debilibus remedia sanitatum. *Et sanavit eos.* Ibi apparet, quia parati erant populi sequi eum etiam in fines Judææ: sed ne quis existimet Judæorum, sicut erant detractores, quod ad commendationem opinionis suæ, et ad testimonium virtutum suarum, jactantiæ causa, trahat secum multitudinem infirmorum, ideo sanavit eos ibi, et dimisit eos: maxime cum sufficerent et ipsi ad gloriam, et hominibus ad salutem, testimonia in suo loco nascentia. 3. *Et accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, et dicentes ei: Si licet homini quacumque ex causa uxorem suam dimittere?* Viro casto qualicumque uxor bona videtur, quia perfecta caritas vitia non sentit. Qui diligit uxorem, de solvendo matrimonio legem necessariam non habet. Ubi autem de solvendo matrimonio lex requiritur, illic jam odium demonstratur: ubi odium invenitur, illic fornicatio esse cognoscitur. Quemadmodum si videas hominem assidue amicitias medicorum colentem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: sic et cum videas sive virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir ille lascivus est, et mulier illa meretrix est. Sic et Judæi erant homines fornicarii et contaminati, qui habentes uxores, habere non videbantur: quia uxor illis non erat quasi jucunda possessio castitatis, sed quasi desertum æstus libidinis illic religatæ. Nam in matrimonio mox castitas delectatur, libido autem quasi vinculo conjugii colligata torquetur. Et non sit novum, quod dicimus, quia castitas in matrimonio delectatur. Nam primus est gradus castitatis sincera virginitas: secundus autem, fidele conjugium. Ergo species secunda virginitatis est matrimonii casta diffectio. Adierunt ergo Jesus tentantes, ut viderent si voluntatis eorum amicus esset, an castitatis patronus: ut si quidem diceret, quia licet di-*

mittere, laudarent eum: si autem non, contradicerent ei: et hoc est proprie tentare. Qui autem verè interrogat, quicquid audierit, conquiescit. Si licet homini uxorem suam dimittere quacumque ex causa? O effrænata lascivia! Sciebant quia nullam causam idoneam habebant circa dimittendas uxores, præter solam turpitudinem, alias atque alias sibi jungebant: ideo timuerunt interrogare. Ex quibus causis? Ne seipsum intra angustias certarum causarum constringerent. Sed interrogaverunt, si ex omnibus causis licet, scientes quia modum nescit libido: sed quanto exercetur, tanto magis accenditur, non leviter, nec intra terminos unius conjugii capit libido. 4. *Ille respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit homines ab initio, masculum et feminam fecit eos?* Id est, Legistis quidem, sed noluitis facere quod legistis. Conscientiam illorum ad testimonium provocat, ut ostendat eis, quia ideo interrogant, non ut firmiter discant quod dubitant, sed ut excusabiliter faciant quod inexcusabiliter peccant. *Masculum et feminam.* Non masculum et multas feminas, ut uni masculo liceat plures feminas possidere: neque masculos et feminam, ut uni feminæ liceat plures viros accipere: sed masculum et feminam, ut una femina nullum masculum putet factum esse in sæculo, præter unum: ut unus masculus nullam putet feminam esse factam in sæculo, nisi unam. Non enim duas aut tres costas detulit de latere viri, et duas aut tres fecit mulieres (Gen. 2. 21). Cum ergo secunda aut tertia uxor steterit ante faciem tuam, sicut tunc Eva ante Adam, quomodo illis dicas, *Hoc nunc os de ossibus meis* (Gen. 2. 23)? Nam etsi vere costa est illa mulier, non tamen tua. Si ergo non illi dixeris, non illam confirmes esse conjugem tuam: si autem dixeris, mentiris. Si ergo Deus ad hoc masculum et feminam ex uno creavit, ut sint unum: quare ergo et de cætero vir et mulier non ex uno utero nascantur, sicut volatilia quædam? Quia Deus, quamvis masculum et feminam quidem creavit propter necessitatem filiorum generandorum, tamen semper castitatis fuit amator, et continentiæ auctor. Ideo illum typum non servavit in hominibus, ut si quidem vult homo nubere secundum primam dispositionem creationis humanæ, intelligat quid est vir et uxor. Si autem noluerit nubere, non habet necessitatem nubendi propter conjunctionem nativitatis, ne forte videatur propter continentiam alterum perdere, quem nolebat esse in continentia: quomodo dicemus post conjunctum matrimonium, ne alter altero nolente se separaret. 5. *Propter quod relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ.* Propter quid? Quia ex viro est uxor, et ex una carne sunt ambo. Ergo nunc major caritas debet esse inter fratres et sorores, quia isti quidem conjuges (a) ex eisdem parentibus exeunt, illi autem ex diversis. Sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio, quam virtus naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ subjecta sunt, sed natura præceptis obtemperat. Deinde fratres licet ex uno nascantur, tamen ideo nascuntur, ut diversas vias petant. Vir autem et uxor licet ex diversis nascantur, tamen ideo nascuntur, ut in unum convenient. Ergo hi, quamvis sunt ex uno, tamen non ita sunt quasi ex uno: quia ad hoc creati sunt, ut non sint unum. Illi autem quamvis non sunt ex uno, tamen ita sunt quasi ex uno: quia ad hoc creati sunt, ut sint unum. Vides ergo, quia non seipsum loquitur ordo naturæ? Sed ordinationem Dei ex teipso considera. Quod enim est in herbis aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut herbe ex humore nascuntur et crescunt, sic homines per amorem incipiunt et augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non revertitur ad radices, sed

<sup>1</sup> V. D. et Editi in margine, *Quomodo dicam in hujusmodi mortiferis carnalium passionum super.*

<sup>1</sup> Sic Editi, qui in margine habent: al., *nolebat.* V. D. *nolebat.* Quovis modo legas, vix divinare possis quid hæc sibi velint.

(a) Vox, conjuges, hic intelligitur de fratribus.

sursum transmittitur in semen : sic et caritas de parentibus ascendit in filios ; de filiis autem non revertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filios diligunt, sed non sic diliguntur a filiis : quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem : sic et homo non ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum. *Et erunt duo in carne una.* Sicut qui spiritualiter se diligunt, multorum animarum quasi una anima esse dicuntur, dicente Scriptura : *Omnium credentium erat cor unum et anima una (Act. 4. 32)* : sic et vir et uxor qui carnaliter se diligunt, una caro dicuntur. 7. *Dicunt illi : Quid ergo Moses mandavit dare libellum repudii, et dimitti ?* Displicet peccatoribus doctrina justitiæ, gravis est fornicantibus interpretatio castitatis. Si contra rationem quidem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Quid ergo ? Conferunt se ad patrocinium viri sanctissimi Mosi, cujus personam verebantur omnes et timebant, ut doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per auctoritatem validioris personæ destruerent : ut dum Moses irreprensibilis reprehendi timetur, veritatis interpretatio taceatur : sicut solent homines facere, malam causam habentes ; confugiunt ad potentes viros, ut si per justitiam non possunt, vincant per personam. Tamquam si ita invidiose respondeant : Quid ergo ? Moses præcepit in lege, qui fuit quasi visibilis lingua invisibilis Dei, qui incorruptibilem gloriam corruptibilibus oculis vidit, et testimonium divinitatis in vultum suscipiens portavit ad populum (*Exod. 34*) : tu autem, homo vilissimus, fabri lignarii filius, quomodo destruis quod ille constituit ? Si Filius Dei es, sicut dicis, quare confundis tuum ministrum ? si homo es similis nostri, quomodo reprehendis tuum auctorem ? Si malum est, quare præcepit ? si bonum est, quare destruis ? 8. *Tunc ait Jesus : Moses, inquit, propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Frequenter vobis Moses propter duritiam vestram injustitiam quasi justitiam præcepit, ut in eremo hostias offerre Deo. Et quomodo dicit propheta ? *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos (Psal. 49. 9).* Sed quia patres vestri egressi erant de Ægypto, corpore, tamen non animo : nam totam Ægyptum secum in moribus bajulabant : videns itaque Moses propter dilectionem carnalem circa studia sacrificiorum eos esse inclinatos, si mandasset eos recedere a sacrificiis, non fuerat audiendus : quia annosa passio medicamento momentaneo non curatur. Jussit eos sacrificare quidem, sed jam non dæmonibus, sicut in Ægypto, sed Deo vivo. Dimidium mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit, vos dare libellum repudii, quia melius judicavit permittente lege matrimonia solvi, quam odio compellente homicidium fieri. Permisit vobis mala facere, ne faceretis pejora. Ergo hæc vobis permittendo, non vobis justitiam Dei demonstravit, sed a peccato abstulit culpam peccandi, ut quasi secundum legem ægyptibus vobis peccatum, vestrum non videatur esse peccatum. Utpote, si quis habeat servum, qui furatur et inebriat se, considerans dominus, quia si utrumque sibi insimul mandaverit observare, nihil proficit : mandat illi quidem, ut bibat quantum vult, sed publice bibat, ut hoc quidem, quod bibit, sit secum novum bonum, ut paulatim discat obedire præceptis. Sic permissum est dari repudium, malum quidem, tamen licitum a creatione. Et apostoli præceperunt secundum Apostoli est : secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est (1. Tim. 5. 9) ; sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio. Propterea bene dixit, quia Moses hoc permisit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud est permittere. Quod enim præcipimus, semper placet : quod autem permitimus, nolentes præcipi-

mus : quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus.

*Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. — 9. Amen dico vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi fornicationis causa, mæchatur.* Omnis res, per quas causas nascitur, per ipsas absolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas : et ideo illud non solvit separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit conjugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus est. Nam etsi corpore jam separatus est, tamen adhuc voluntate conjunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc plene dimittit. Non ergo qui dimittit mæchatur, sed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis est et iniquus, qui castam dimittit : sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. Imitatores ergo debemus esse Dei, ut sicut ille agit cum Ecclesia, sic nos agamus cum conjugem. Ille enim nunquam derelinquet populum, nisi ad genitalitatem vel ad hæresim voluntarie transierit : alias autem peccantem castigat quidem, tamen misereri non cessat, dicente propheta : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo in virga injustitias eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eis (Psal. 88. 34. 35. 34).* Sic et vir meretricem quidem dimittit, alias autem male morderatam castiget et tenet. Quomodo ? Tribus modis. Primum docendo secundum Deum. Si autem contempserit timorem Dei, impropere, ut vel homines erubescat. Si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat illi quod præcepit Salomon : *Cor durum baculo percute (Prov. 10. 13).* Ergo primum adone, quia multum proficit doctrina justitiæ. Deinde confunde, quia frequenter et pudor frorum est vitiorum. Tertio justum est, ut castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit ut libera. Aliter. De Galilæa turbæ in fines Judææ, ibique curatæ sunt. Juste in fines transierunt Judææ ; nec enim potuissent curari, nisi relictis finibus suis, in fines transissent Judææ, sicut scriptum est in Isaia : *Et venient omnes gentes, et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis viam suam, et ambulabimus in ea (Isai. 2. 3).* Et curatæ sunt gentes in finibus Judææ ad confusionem ipsorum, quia gentes quidem et in aliena sequuntur sunt Christum, Judæi autem in finibus suis constitutam tentaverunt et repulerunt, et in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritualem, dicentes : *Si licet viro dimittere uxorem suam quocumque ex causa ?* Quia non potest animo esse castus, qui corpore est lascivus : hoc est, non potest Deo esse fidelis, qui uxori suæ perfidus est : sicut nec ex diverso conscientiam servat, qui Deo fidem non servat, sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Nam etsi interim non prævaricatur lascivus, tamen jam in eo statutus est ut prævaricetur, si corruptio persuasionis accesserit. Et illi quidem secundum carnem interrogabant, quæ pati merebantur secundum spiritum : *Si licet dimittere uxorem quocumque ex causa ?* Christus autem respondit eis, quod facere eos non decebat, dicens : *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, mæchatur.* Sicut enim uxorem quocumque modo contra voluntatem viri agentem dignum est repellere, non est autem justum quantum ad gravitatem viri, nisi ob causam fornicationis : sic et Ecclesia, quocumque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abjici : non autem abjicitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis. Sicut enim si Christus prius dimisisset Ecclesiam Judæorum, non eis subministrans per Scripturas notitiam suæ divinitatis, ipse faciebat eam adulteram

<sup>1</sup> v. D. et Editi in marg., *Si autem Dei timorem non sentit.*

omni diis extraneis, quoniam natura, rationalis et subdita Deo creata, sine Deo non potest esse: sic Christo semper eis scientiam suae divinitatis subministrante, quoniam synagoga spernens transibat ad idola, inexcusabilis adultera reperta est. Propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus: non quacumque eius causa, sed propter causam fornicationis ipsius: quia non solum, relicto Christo, diabolo se conjunxit, sed etiam interfecit, pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum: deinde creavit hominem, rationabilem naturam angelorum et animarum, quasi conjugem, et potentem suscipere verbum ipsius. Ideo clamat: 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et multis quidem modis homo separet, quod conjunxit Deus. Quando enim quis audeat dicere aut facere aliquid per quod scandalizati homines recedant a Christo, homo separet, quod Deus conjunxit. Sed et si nullus alter hoc faciat, ipse autem homo peccans a Deo recedat, repellens Spiritum ejus a se, homo videtur separet quod Deus conjunxit. 10. *Dicunt ei discipuli: Si ista est causa viri cum uxore, non expedit nubere.* Audientes cogitabant apud se: Mulier bona difficile invenitur, protestante Salomone: *In mille virum bonum invenies: in omnibus autem his mulierem non invenies (Eccl. 7. 29).*

*Mulieris male descriptio.* — Quid autem est aliud mulier, nisi amicitiae inimica, ineffabilis poena, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, necesse est ut, aut dimittentes, adulterium alterum faciamus, aut tenentes, quotidianas pugnas et amaritudines habeamus. Ideo responderunt: *Si ita est viri causa cum uxore, non expedit nubere.* Tunc Dominus non dixit, quia expedit, sed magis consensit, quia non expedit: sed infirmitatem carnis aspiciens dixit: 11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Non dixit, Non omnes possunt: sed, *Non omnes capiunt:* id est, Omnes quidem capere possunt, sed non tamen omnes capere volunt. Palma proposita est. Qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum pugnae timerent. Ex eo quod quidam non possunt, et a proposito continentiae cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores. Si enim quidam in pugna cadentes non exanimant ceteros, sed dicunt illis sic datum fuisse, rem non applicant pugnae, sed homini: quanto magis nos cadentium negligentiae imputare debemus, non difficultati virginis? Quod autem dicit, *Quibus datum est, non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur: sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiae acceperimus, nihil ex nobis valeamus.* Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur (Matth. 7. 7. 8).* Debet autem voluntas precedere, et sic sequitur gratia. Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam et terra non germinat, nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. 12. *Sunt eunuchi, qui sic nati sunt ex utero matris suae: et sunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt: et sunt eunuchi, qui seipso eunuchos fecerunt propter regnum caelorum.* Tamquam si dicat aliquis: Quid dicis, Domine? si ex quacumque causa contigerit homini uxorem non habere, an continentiae habebit mercedem? Non semper. Sicut enim peccatum sine voluntate opus non facit, ita iustitia ex opere non consummatur, nisi et voluntas affuerit. Multi enim corpore quidem castitati student, adulterium autem voluntate committunt. Nisi enim ex voluntate sola fornicatio consummare-

tur, nunquam Dominus diceret: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mechatus est eam in corde suo (Matth. 5. 28).* Ergo voluntas sine opere frequenter peccat. Illa est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitata corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. Ideo dicit: *Sunt eunuchi, qui sic nascuntur ex utero matris suae: sunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt: sed illos tenet necessitas, hunc autem tertium coronat voluntas.* Quod autem sic nascuntur, a creatione fit: quomodo nascuntur et sex digitos habentes, aut quatuor, et similia.

*Qua de causa contra naturam aliqua interdum eveniant.* — Si enim Deus, sicut ab initio constituit, nunquamque naturam sic dimitteret, illam immutabiliter semper in suo ordine permanere, in oblivionem deduceretur coram hominibus operatio Dei: nam aestimaretur natura rerum ipsa se regere. Ulpus, constituit Deus naturaliter, ut in hieme frigora sint, calor autem in aestate; ut terra fructum proferat, et pluvia descendat de caelo. Si haec sicut ab initio constituta sunt, ita in suo statu immutabiliter perseverarent, inveniretur Deus ab initio quidem constituisse; et de caetero omnem naturam in sua potestate reliquisset, et per hoc fieret ut jam creatura necessarium non haberet Factorem. Ideo ergo natura rerum convertitur contra naturam suam interdum, ut semper Deus naturarum Opifex in memoriam reducat, et semper necessarius sit Factor suae naturae, et non solum semel, sed quotidie opera sua facere videatur. Propterea in Evangelio de caeco, qui sic natus fuerat, Dominus dicit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei (Joan. 9. 3).* Non solum simpliciter intelligendum est, sicut multi putant, ut, caeco sanato, Dei potentia cognoscatur, id est, operans Deus. Alioqui, omnibus infirmitatibus sanatis, Dei potentia cognoscitur: sed ideo in illius persona hoc dicit, quia contra regulam naturae sine oculis erat creatus, ut in transversione naturae opus Dei intelligatur, dum emendatur natura. 13. *Tunc obliti sunt ei pueri, ut manus eis imponeret, et oraret.* Tunc, scilicet quando Dominus de castitate sermonem faciebat, et beatos pronuntiabat eunuchos. De gloria enim continentiae Domino referente atque dicente, *Sunt qui se eunuchiant propter regnum caelorum:* audientes quidam obtulerunt ei infantes, pueros castitate mundissimos. Putabant enim, quia Dominus corpore mundos tantum laudaret, non et voluntate: nescientes, quia Dominus non illos beatificavit eunuchos, quos puertitiae necessitas facit castos, sed continentiae virtus. *Discipuli autem velabant eos.* O caro, anira rerum malarum, et non amica rerum bonarum! Quia non delectatur in bono, ideo facile obliviscitur bonum: malum autem quicquid audierit, quasi naturaliter in corde suo plantatum, sic retinet semper. Nam nunquam potest aliquis oblivisci quod diligit, nec retinere quod odit. Ante enim medicum Christus accipiens puerum dixerat: *Nisi facti fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum caelorum (Matth. 18. 5).* Et ecce statim obliti discipuli puertitiae innocentiae, velabant ad Christum pueros quasi indignos accedere, ad quorum similitudinem ipsi fuerant invitati. Nam quis mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo infantia simplex? Putabant enim se honorem facere Christo, damnum facientes gloriae ejus. Nam quemadmodum damnum est medico, si subtrahantur infirmi: sic damnum est Christo, non habere quos salvet. Si enim expectans Samaritanos peccatores, de quibus ipse mandavit quasi de indignis, *In civitates Samaritanorum ne intraveritis (Matth. 10. 5),* tamen sic de adventu eorum gauderet, ut diceret: *Escam habeo manducare, quam vos necitis (Joan. 4. 32):* putas quanto magis esuriebat salutem innocentium puerorum. Ideo dicit: 14. *Nobis venire pueros.* Nam si sancti futuri sunt, quid vetatis filios ad Patrem venire? Si autem peccatores futuri sunt, ut quid sententiam condemnationis profertis, ante-

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *quis dicere aut facere aliquid praesumit.*

quam culpam videatis? *Talium est enim regnum cælorum. Talium* non omnium. Nam quales modo sunt, meum est : quales autem postea futuri sunt, ipsorum. Quod ergo meum est, honorate : quod autem ipsorum fuerit, miseremini. Talium est enim regnum cælorum, qui casti sunt ex virtute, sicut pueri ex ætate. Talium est, qui simplices oculos habent sicut pueri, et non cognoscunt differentias personarum. Ecce enim puer, si viderit hominem, nihil aliud videt in eo, nisi hoc solum quia homo est : non dignitatem ejus intelligit, non considerat vestem ipsius. Vir autem perfectus, cum hominem viderit, non aspiciit quia homo est, sed statim cogitat de dignitate illius, et æstimat vestimenta ipsius. Vides ergo, quia sapientior est imperfectus puer, quam perfectus vir? Vir enim non hominem aspiciit, quem Deus fecit Dominus, sed ornatum, quem diabolus advenit. Puer autem non ornatum aspiciit, quem diabolus advenit, sed hominem, quem Deus creavit. Piusquam puer veneno diabolico mundialis malitiæ repletus fuerit, cognoscit opus Factoris : cum vero inebriatus fuerit mundi spiritu, jam non aspiciit opus Factoris, sed illecebras corruptioris. Præsens locus instruit omnes parentes, ut filios suos indesinenter sacerdotibus offerant : quia si sacerdotibus offerunt, offerunt Christo. Non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cujus nomine manus imponitur. Si enim qui escas suas per orationem non offert Deo, coinquinatas eas manducat, secundum quod de illis ait Apostolus : *Quoniam omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem*; dicens enim, *Sanctificatur per verbum Dei et orationem* (1. Tim. 4. 4. 5), ostendit, quia maculata est, nisi per orationem fuerit omnis esca mundata et sanctificata : quanto magis pueros offerri Deo et sanctificari necesse est? Causa autem sanctificandarum escarum hæc est, quoniam *Mundus totus in maligno positus est* (1. Joan. 5. 19). Ergo et omnis res corporalis, quoniam mundi est pars, in maligno est posita, et ipsam propterea oportet sanctificari. Consequenter et infantes, quando nascuntur, et ipsi quantum ad carnem in maligno sunt positi : quoniam et omnis caro, quasi pars mundi, in maligno posita est. Propterea necesse est offerri pueros, ut assidue super eos oratio fiat : quoniam escam semel sanctificari necesse est. Manducamus enim eam, et transit : hominem autem, quem indesinenter adversarius persequitur et sordidat, semper sanctificari necesse est. Aliter. Convenienter confutatis Judæis tentatoribus et lascivis, offeruntur pueri Christo in mysterium gentium, in fide parvulorum, et lactis adhuc solius capientium escam, quos obtulerunt Christo patres eorum : sicut ordinis est intelligere, posita sunt evangelia gentium singularum, quod discipuli in figura principum Judaici populi prolebant : quoniam semper Judæi omnia faciebant, ne gentes salvarentur introductæ ad fidem.

*Homilia xxxiiij. ex capite xiv.*

16. *Et ecce vir unus accessit ad eum, et ait : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* et reliqua. Non sine ratione querendum est in hoc loco, cur hic de ~~teso~~ adolescente Christum interrogante, *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam æternam possideam?* cum Dominus implevisset narrationem, in fine sic addidit : *Multi enim erunt, inquit, primi novissimi, et novissimi, primi*. Quod de Judæis et gentibus dictum esse dubitat nemo. Ne forte ergo hic adolescens in mysterio introducitur Judaici populi semper adolescentuli, semper gloriantis et levis. Sic enim ~~facere~~ ~~vult~~ Christus plerumque, quando de mysterio alicujus rei est loquutus : ante introducit corporaliter ~~facientem~~ ~~idipsum~~, ut ex eo occasionem inveniens, ~~corporalem~~ ~~narrationem~~ mysterii, quam rei propositum exsequatur : ut puta, cum de compescenda jactantia Phariseorum apud Lucam (Cap. 14) loquutus fuisset, introducit primo hydropicum, et sanavit,

ut in corporali timore hydropici, jactantia Phariseorum pungeretur inflatio<sup>1</sup>. Sic et hic cum de refutatione Judæorum et electione gentium mysterium exponere voluisset, ex eo verbo quod dicit ad Petram, 29. *Et omnis qui reliquerit patrem et matrem, etc.*, usque ad parabolam subsequentem de mercenariis conductis in vineam, hora prima, tertia, sexta, et nona, et undecima, quomodo gentes præponendæ erant Judæis : introduxit istum adolescentem gloriantem, et levem, et amantem amplius bona sua carnalia, quam cælestia Christi promissa : ut passio corporali adolescentis istius Judaici populi spiritualis passio demonstraretur, propter quam Christo non credidit : id est, propter placentiam sibi, propter jactantiam vanam, propter quæstus, quos capiebat ex lege, remansit in lege. Propterea quæcumque dicuntur de adolescentulo isto sic sunt accipienda, quasi de populo Judaico dicta. Judaicus ergo populus erat adolescens, non ætate, sed levitate : moribus immaturus, non annis. Nam omnia quidem vitia carnalia juvenilia sunt, sicut dixit Apostolus : *Juvenilia enim desideria fuge, sectare justitiam, misericordiam, pietatem* (2. Tim. 2. 22), etc. Præcipuum autem vitium juvenile est gloriatio, quæ amplius vult videri, quam est : aut in toto vult videri non esse qualis est. Nam sic populum<sup>2</sup> Judaicum fuisse cognovimus in Scripturis, sicut et Dominus dicit de illis : *Faciunt omnia, ut ab hominibus videantur*. Item : *Væ vobis scribæ et Pharisei hypocritæ, qui diligitis primas cathedras in synagogis* (Matth. 23. 6), etc. Item : *Væ vobis, qui justificatis vosipso, Deus autem cognoscit corda vestra* (Luc. 11. 43. et 16. 15). Propter quod et ficus dicti sunt, habentes folia sine fructu, id est speciem sanctitatis, non ipsam sanctitatem, quam æstimatione quidem justitiæ sectabantur, opera autem abhorrebant. Et vide quomodo in exordio ipso narrationis populi Judaici mores significat. Dicit enim : *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam æternam possideam?* Quia semper Judæi interrogatores Dei fuerunt, et non obauditores : laudatores sanctorum, et non imitatores : auditores legis, et non factores : semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes : gloriantes in lege, et per pravariationem legis Dominum Deum inhonorantes. Adhuc et illud considera, quia nihil de actione Dei interrogat quid credat, aut quomodo credat : sed hoc, Quid faciendū vitam æternam possideat : quia omnis spes salutis apud Judæos in operibus erat, non in fide, sicut dicit Apostolus de illis et gentibus : *Quoniam gentes, quæ non sectabantur justitiam, in legis justitiam pervenerunt : quia non ex operibus, sed ex fide : Israel autem sectando legis justitiam, in legem justitiæ non pervenit : quia non ex fide, sed ex operibus* (Rom. 9. 30 - 32). Prima autem justitia est cognoscere Deum patrem et Christum ejus : novissima autem justitia est facere opera bona : sicut cum Dominus dixisset quibusdam Judæis, *Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet* : interrogantibus eis, *Quid faciemus, ut operemur opus Dei?* respondit, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit* (Jean. 6. 27 - 29). Illi autem opus agnitionis Dei negligentes, quod est præcipuum Christiani opus, semper ad diabolum transibant, et de operibus justitiæ requirebant. Propterea Dei agnitionem perdidit, et opera justitiæ numquam impleverunt : quia virtus faciendæ justitiæ agnitione Dei est. 17. *Dicit ei Jesus : Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus*. Numquid non erat ipse bonus, cum esset Filius Dei Deus? Nam quemadmodum cum ipse sit Filius Dei, et ipse Deus est, quasi Filius : sic cum sit bonus Deus, et ipse Filius Dei sine dubio bonus est, quasi filius boni. Sicque Judaicus populus unus Dei habens agnitionem, Christum nec Filium Dei nec Deum cognoscere volebat. Itaque ratione laudem sibi oblatam ab eo repulit, quia non quasi Deum bonum, sed quasi hominem bonum eum dicebat.

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., *prepingeretur inflatio*.

<sup>2</sup> Al., *vult videri et non esse : sicut populum, etc.*

Quod non fecisset, si ille, quasi Deum bonum, bonum eum dixisset. Et vere quantum ad Judæos, qui unum Deum colebant, et Christum Dei Filium non cognoscebant, nemo erat bonus, nisi unus Deus: apud fideles vero, sicut unus Deus pater est bonus, sic et unigenitus Deus nihilominus bonus est. Puto autem, si dixisset ei, Magister sancte, aut etiam, Juste, similiter respondisset: Quid me dicis sanctum, aut justum? Nemo sanctus, nisi unus Deus: nemo justus, nisi unus Deus. Ex quibus omnibus discernans, quoniam sicut tunc Christus laudem ejus repulit, quia non cognoscebat eum, sic semper repellit laudes omnium ignorantium: consequenter nec Pater suscipit laudes eorum, qui non cognoscunt eum secundum quod est. Numquid gentes non colebant Deum et ignorabant<sup>1</sup>, secundum quod Atheniensibus dicebat Apostolus: *Perambulans enim simulacra vestra, insensam aram ignoti Dei: quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis* (Act. 17. 23)? Sed non suscipiebat culturam eorum, quia non cognoscebat eum secundum quod ipse cognosci volebat. Si autem nec Christus suscipiebat laudes Judæorum, nec Deus Pater, gentium, quia non cognoscebat eum secundum quod decebat cognoscere eos: sine dubio nec hæreticorum suscipiunt laudem, vel Pater, vel Filius, quoniam nec ipsi cognoscunt quis Pater, quis Filius, errantes de ambobus<sup>2</sup>, et confundentes utrumque: quoniam qui Filium cognoscit, ille et Patrem cognoscit. Quod si laudes eorum non suscipiunt, consequenter nec opera, quamvis videantur justa. Propterea cum dixerit, *Nos in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus*: dixit eis Jesus, *Discedite a me, nescio qui estis* (Matth. 7. 22. 23). *Si vis venire in vitam, serva mandata*. Quam sapienter ait, *Serva*. Ille enim interrogaverat, *Quid boni faciam?* iste contra illi respondit, *Serva*. Non dixit, *Disce mandata*, quia Deus docuerat eum, Factor naturæ rationalis: sed, *Serva*, quia non servabat. Nam in hoc, quod admonetur servare, ostenditur non servasse. Nam non est ille bonus, qui interrogat de bono, sed qui facit quod bonum est. 18. *Non occides*. In persona quidem loquens unius illius, quicumque fuerit, convenienter loquitur personæ populi Judæorum. Quæcumque enim sciebat, quasi Deus, populum Judaicum esse facturum, vel in se, vel in discipulos, vel jam facere, anticipans eadem ipsa, præmonet eos, et dicit: *Si vis intrare in vitam, non occidas*. Sed occiderunt et ipsum, et discipulos ejus. *Ne adultereris*. Sed adulterati sunt recedentes a Deo suo, et viro animarum suarum, cum diabolo corruptore. *Ne jurtum facias*. Sed fecerunt, furantes quidem fidem divinitatis ejus ex opere, et dicentes: *Hic non ejecit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* (Matth. 12. 24): ne per opus illud crederent Christo. Item furati sunt veritatem resurrectionis ejus de toto mundo, quantum ad se, dantes pecuniam multam militibus, ut dicerent, *Quia nobis dormientibus, nocte venerunt discipuli ejus, et furati sunt corpus ejus* (Matth. 28. 13). *Non falsum testimonium dices*. Sed dixerunt contra Scripturas, *Hunc scimus, unde est* (Joan. 7. 27). Deinde falsum testimonium protulerunt, dicentes: *Nox audivimus eum dicentem, quoniam ego dissolvi templum hoc manu factum, et in triduo reedificabo illud* (Matth. 26. 61). Similia et in Stephanum dixerunt. 19. *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Sed non honoraverunt neque patrem suum Deum, qui seminaverat eos, neque matrem suam Ecclesiam patriarcharum et prophetarum cælestem: sed tamquam genimina viperarum, rupe-runt eos, et exierunt ab eis. *Et diliges proximum tuum sicut teipsum*. Sed non dilexerunt Christum factum sibi proximum, secundum carnem cognitionem. Quo-

niam ergo et olim per Moysen hæc eis serrare præcepit, et postea per seipsum, illi autem non servaverunt: ideo non intraverunt in vitam, id est, in agnitionem Dei Patris et Christi. 20. *Et respondit: Hæc omnia servavi a juventute mea*. Nativitas Judaici populi fuit ex tempore Abraham, usque ad exitum ejus de Ægypto. Tunc enim quasi infans fuit populus iste, sicut Deus apud Ezechielem prophetam testatur, dicens ad Jerusalem: *In qua die nata es, non est præcisus tuus umbilicus, et non alligaverunt mamillas tuas: et etiam in aqua non es lota in salutem, neque oleo uncta es, neque sale salita, neque pannis involuta es: neque pepercit oculus meus in te, ut facerem tibi unum ex istis omnibus, ut pararetur aliquid super te; et projecta es in faciem campi, et in pravitate animæ tuæ, in qua die nata es. Et transivi ad te, et vidi te conspersam in sanguine tuo, et dixi tibi: De sanguine tuo bibes. Et multiplicavi te: sicut hortum agri dedi te, et multiplicata es, et magnificata es, et intrasti in civitates civitatum* (Ezech. 16. 4-8). Juventus autem ejus fuit ex tempore Mosi usque ad reges. Virilitas autem ejus ex tempore regum ejus usque ad transmigracionem Babylonis. Senectus autem ejus a transmigracione Babylonis usque ad Christum, quando est mortuus populus ille, propriam interficiens vitam. De istis autem ætatibus suis etiam per prophetam testatur populus ille, et dicit: *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius, Domine, quam doxisti mi ex juventute mea, id est, ex tempore Mosi, quando legem ad eruditionem suam accepit. Et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua: quod est in tempore regum. Et usque ad senectam et senium, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est* (Psal. 70. 16-18): quod factum est in tempore Christi, quando qui digni fuerunt ex eis credere in Christum, brachium Domini annuntiaverunt omni generationi gentium, postmodum credenti in Christo. Quam congruum autem populus ille Judaicus dedit responsum, qui tamen corde numquam credebat, semper ore commendabat se dicens: *Hæc omnia servavi a juventute mea*. Quod non erat verum. Nam et prophetas occidit, cumque idolis semper adulteratus est, et furtum veritatis Scripturarum semper commisit, sicut etiam Dominus dicit de illis: *Quia irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* (Matth. 15. 3). Et falsa testimonia dixit in interfecto-ribus prophetarum, maxime in Isaiam, apud regem Manassæ, dicens: *Quia principes vestros Sodomitas appellat, et populum Israeliticum Gomorrhæos* (Isai. 1. 10): Dominum Sabaoth se vidisse blasphemabat<sup>3</sup> cum dicit Deus: *Nemo videli faciem meam, et vivet* (Exod. 33. 20). Propter quod et serratus est ligna serra. Sed omnia illa specialiter convincere Christus omittens, quasi ex aliis argumentis vult populum Judaicum ostendere nihil horum unquam servasse, dicens: 21. *Respondit Jesus: Adhuc tibi restat unum. Vade et vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni, sequere me*. Ac si dicat: Scio quidem quia meritatus es, et interim accipio hæc quasi vera. Si ergo omnia ista servasti a juventute tua, ut fias perfectus, *Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni, sequere me*. Quæ sunt quæ possidebat Judaicus populus? Puto quod illa quæ dicit Lucas hoc modo: *Ad horam autem curæ meæ invitatos vocare: illi autem recusaverunt, et unus dixit: Villam emi, et vado videre illam; et alius: Jugum bovis emi quinque, et vado probare ea; alius autem: Ursorum duxi, et ideo non possum venire* (Luc. 14. 17-20). Quorum omnium interpretatio spiritualis facta est in proprio loco. Hic autem hoc dicitur tantum, quia ex quibus causis illic ponuntur Judæi non venisse ad Christum, ex ipsis causis carnalibus et terrenis intelligitur populus recessisse a Christo. Tantum<sup>4</sup> differentia in hoc est, quod illic Judæi ponuntur non venisse ad Christum: quia amore carnalium terren-

<sup>1</sup> sic V. D. et Editi in marg. Editi autem in textu, *Numquid gentes non cognoscebant eum, et ignorabant*: minus recte.

<sup>2</sup> Idem in marg., *errantes de substantia amborum*. Ultraque lectio quadrat.

<sup>3</sup> Idem in marg., *se vidisse confirmat*.

<sup>4</sup> Al., *tamen*.

et terrenarum occupati, nec permanserunt in Christo, nec consideraverunt opera ejus, nec audierunt sapientiam ejus: propterea non cognoverunt eum Filium Dei, nec venerunt ad eum; hic autem illum populum Judæorum demonstrat, qui vel ex prophetis, vel ex operibus, vel doctrinis ejus cognoverunt Filium Dei; et concupiscentia lucrorum carnalium, vel bonorum quæ consequerentur ex lege carnali, propter avaritiam recesserunt a Christo, non ignorantes divinitatem ejus, sed non sustinentes veram justitiam ejus. Quæ sunt ergo bona Judaici populi, quæ vendere, et pauperibus dare mandantur? Primum quidem agnitio Dei unius, lex, templum, sacerdotium, levitica et diversa genera sacrificiorum, quibus omnibus carnaliter utens populus ille, quasi possessiones fructiferas possidebat. Quæ quantum ad æstimationem quidem Judæorum magna videbantur, et multa: quantum autem ad Christi promissa, pauca, et nimis exigua. Quæ omnia mandantur dari gentibus, specialiter pauperibus, et nihil horum habentibus, in quibus populus ille Judæorum fuerat dives. De hoc enim populo Judæorum divite et contemnendo, et de populo gentium paupere et ditando dicit Maria in Evangelio: *Pauperes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (Luc. 1. 53). Hoc ergo dicit Dominus ad populum Judæorum, suadens eis, quod melius est unius Dei agnitionem vendere: Vade, et trade eam gentibus pauperibus, et non habentibus Dei unius et veri agnitionem; tu autem ascende ad majus, veni et sequere etiam me, ut cognoscas quoniam hæc est vita æterna, cognoscere non solum verum Deum, sed etiam Christum Jesum, quem misit ipse. Possides templum: trade id gentibus pauperibus, et non habentibus templum Dei, et in primis venientibus ad agnitionem Dei, et veni, sequere me, ut et ipse efficiaris templum Dei. Nam imperfectorum est, templum Dei esse. Possides legem: trade eam pauperibus gentibus, et non habentibus legem: tu autem veni, sequere me, et eris in gratia, sciens quia lex non est posita justis, sed impiis peccatoribus; gratia autem perfectionis est præmium. Possides legis diversa mandata: ut puta, habes hoc mandatum: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. 6. 4): trade ea pauperibus gentibus, non habentibus unum Deum. Habes, *Non facies idolum* (Levit. 26. 1): trade hoc pauperibus gentibus, et per ignorantiam idola multa colentibus; tu autem sequere me, ut habeas vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscas unum Deum verum, et Jesum Christum, quem misit (Joan. 17. 3). Habes, *Non occides* (Exod. 20. 13): trade hoc gentibus homicidia multa facientibus: tu autem sequere me, ut non irascaris. Habes, *Ne adultereris* (Exod. 20. 14. et Deut. 5. 17): trade hoc gentibus lascivis, ut discant non adulterari: tu autem sequere me, ut ne concupiscas. Habes, *Non perjurabis* (Levit. 19. 12): trade hoc gentibus, ut discant non perjurare: tu autem sequere me, ut non jures. Habes, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (Exod. 21. 24): trade hoc gentibus, ut nihil mali patientes inferant mala: tu autem sequere me, ut qui te percusserit in maxillam unam, præbeas illi et alteram. Habes, *Ut odias inimicos, et ut diligas amicos* (Levit. 19. 17. 18): da hoc pauperibus gentibus absque omni justitia, qui nec amicis suis bonam conscientiam servabant: tu autem sequere me, ut etiam inimicos diligas, quoniam hæc omnia pauperes debent habere, ut consoletur vita eorum in ipsa. Incipientium sunt omnia illa, non perfectorum. Si ergo hæc omnia tradideris pauperibus gentibus, et sequutus me fueris, per hæc majora, quæ dixi, manifestum est, quia omnia illa a juventute servasti, et proficiens in senectute tua quæ juvenem erant evacuasit. Si autem per hæc majora me sequi nolueris, manifestum est, quoniam omnia illa non solum a juventute tua non custodisti, sed nec modo etiam in senectute tua conservas. Quomodo autem potest fieri, ut sterilis ejus sit senectus, cujus fecunda

fuit juvenus? Nec est possibile, ut non crescat in illo bono, qui cepit ab ipso bono. Nam non stat eum in suo statu pejorem fieri<sup>1</sup>, sed necesse est, ut exercitatus semper crescat ad melius. 22. *Ille autem, his auditis, tristis abiit: erat enim habens multas possessiones.* Nam vere propter duas causas Judaicus populus recessit a Christo. Aut propter peccata sua, quia nunquam servaverat Dei mandata, sicut Dominus ad Nicodemum loquens testatur, dicens: *Qui autem non credit in Filium Dei, jam judicatus est. Hoc autem judicium est, quoniam lux venit in hunc mundum, et homines magis amaverunt tenebras, quam lumen: erat enim opera eorum mala. Omnis enim qui malum agit, non venit ad lumen, ne manifestentur opera ejus* (Joan. 3. 18-20). Aut propter lucra carnalia quæ conferebant ei consuetudines legis: sicut ostendit parabola, in qua se invitati excusaverunt propter villam, propter boves, id est propter lucra carnalia. Nam sacerdotes quidem non venerunt ad Christum, ne sacrificiorum lucra amitterent: populus autem, quia per sacrificia (ut putabat) delebantur peccata eorum. Qualis autem emundatio sit in eo, qui in sanguine animalium veniam consequitur peccatorum? Quantum enim dolet de occisione animalium, tantum et emundatur populus. Propterea dicit propheta: *Si voluisses, sacrificium dedissem, utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (Psal. 50. 18. 19), etc. Quomodo autem populus Judaicus tristis secundum animam abiit a Christo, intelligit qui considerat quæ est lætitia spiritualis. Lætitia enim cordis est bonam conscientiam habere ad Deum, et spiritualiter esse gaudentem, ac propter hoc non desipientem. Quomodo autem poterat populus ille habere bonam conscientiam ad Deum, et spiritualiter esse gaudentem, qui intelligens Christum per opera ejus esse Filium Dei, propter peccata sua, aut propter lucra carnalia legis contemnens Christum, maluit esse in corporalibus possessionibus legis, quam in gratia Christi? Ideo autem et abeunte illo Dominus dicit: 23. *Quam difficile dives intrabit in regnum caelorum.* 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.* Quoniam facilius gentes, quæ fuerant tortuoso animo, intraturas fuerant per angustum ostium regni caelæstis, quam Judæi qui divites videbantur. Divites autem erant Judæi in lege, in prophetis, cæterisque patriarchis, in Scripturis divites, in templo, in sacerdotibus, in Levitis, in sacrificiis, cæterisque dispositionibus ad religionem pertinentibus: quæ omnia non illos edificaverunt in sanctitate, sed inflaverunt superbia. Apud se quidem delectabantur servire diabolo, coram aliis autem volebant apparere Dei cultores. Gentium autem animæ assimilatae sunt tortuosis camelis, in quibus gibbus idololatriæ ipsorum erat: quoniam cognitio Dei erectio est animarum. Unde et homines, quia accepterant a Deo scientiam Dei, erecti creati sunt: animalia autem, quoniam non habent scientiam Dei, in natura prona sunt facta, id est, incurvata. Sic et idololatria, quæ videtur esse erectio eorum, id est, religio, potius depressio est animarum. Nam sicut præ omni justitia operum major est justitia, cognoscere Deum: sic præ omni peccato majus peccatum est, idola adorare. Sicut ergo gibbus cameli, qui videtur esse erectio sublimitatis corporis ejus, ipse est magis depressio ejus, et deformitas: ideo nec collum ejus sursum erigere potest gibbo depressus: sic idololatria gentium, quæ videtur illis esse maxima res, spiritualis justitiæ religiositas, et erectio animarum illorum, ipsa est magis iniquitas, et incurvatio, et depressio animarum ipsorum. Ideo enim nec caput animarum ipsorum sursum erigere possunt ad Deum, nec ad Dei notitiam pervenire, depressi idololatria sua. Et quemadmodum supra dorsum omnium jumentorum non stat sarcina, nisi fortiter fuerit colligata ad ipsum: supra camelum autem etiam sine recolligatione repausat: nam ipse gibbus sarcinam tenet in se, aptus est enim ad pon-

<sup>1</sup> V. D. et Editt in marg., nam non stat sibi in suo statu prior.



dera bajulanda : ita in cæteris quidem peccatoribus tamen Deum cognoscentibus <sup>1</sup>. Omnes enim peccatores jumenta dicuntur, sicut dictum est : *Homines et jumenta salvabis, Domine (Psal. 35. 7)*. Non stat sarcina peccatorum in corde ipsorum, nisi eam magna violentia et virtute diaboli tenuerit in corde ipsorum, alligans eam delectationibus. Ipsa enim cognitio Dei excutit a se pondera peccatorum, nisi hoc modo, quo diximus, fuerint colligata. In gentibus autem sine labore diabolus tenet peccata : quia non est illis cognitio Dei, quæ excutiat pondera peccatorum, sed idololatria ipsa, quasi gibbus, retinet in se universa peccata : apta est enim ad bajulanda pondera peccatorum. Dum enim sciunt gentes idola sua neque videre, neque audire, neque intelligere quæ aguntur, neque irasci, neque vindicare posse : non solum non se abstinere ab idololatria, et non se convertunt ad verum Deum, sed quotidie magis addunt peccata, sicut ait Salomon : *Peccator adjiciat ad peccandum (Ecclesi. 3. 29)*. Deinde omnia animalia quamvis libenter terram aspiciant, semper tamen, quando volunt, possunt tollere collum suum ad cælum : solus camelus autem nunquam potest sursum tollere collum suum, gibbo depressus : sic omnes peccatores libenter quidem semper terrena aspiciunt <sup>2</sup>, tamen quocumque volunt, possunt convertere se ad caelestem justitiam : gentes autem nullo modo possunt explicare se, et ad divina convertere, idololatria sua curvati, et excecati. Ideo sicut camelus, neque deorsum recto collo aspicere potest, sicut cætera animalia, neque sursum recto collo aspicere potest, sicut homo, sed inter sursum et deorsum caput ejus pendet in medio : ita et gentes neque animalibus assimilantur ad plenum, neque hominibus similes sunt. Propter humanum et rationalem intellectum suum hominibus non sunt similes, quia nunquam caelestia, sed terrena semper attendunt. Deinde sicut omnia animalia aequalia habent crura corporis sui (quantum enim habet altitudinis corpus uniuscujusque animalis, tantum pene altitudinis habent et pedes eorum, aut modica amplius : præ omnibus autem animalibus multo amplius camelus altiores habet pedes quam corpus, homo autem aequalis habet corpori suo pedes) : sic omnes viri justi, secundum quod sunt, talia proposita habent, cogitationes et actus. Pedes autem sunt proposita, quibus de re transeunt ad rem : unde et propheta dicebat : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me (Psal. 130. 1)*. Item Apostolus : *Parca autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me (2. Cor. 12. 6)*. Peccatores autem majora proponunt, quam sunt : proposita sua, et cogitationes, et actus majores faciunt, quam habent virtutes, ut semper majores videantur esse, quam sunt : maxime autem gentes qui super ista jactantiam, quam habent omnes homines peccatores et invidiales, etiam ad secreta caelestia extenderunt proposita sua, et cogitationes, et actus, volentes se ostendere supra quam erat natura ipsorum humana. Adhuc et alia ratione gentes assimilantur camelo, quoniam nec camelus ad plenum immandus est, nec ad plenum mundus. Mundus quidem est, quia revocat et ruminat : immandus autem, quia non habet duas ungulas fissas : sic et gentes, quoniam vacua sunt, nec mundæ ad plenum. Mundæ quidem fuerunt, quia et tractabant quas Dei erant : id est, ruminabant, et conversabantur rationaliter pene secundum Deum : sed conversationem, quæ pes est, non habent divisam in duo, id est, et in fidem, et in opera, sed habent opera tantum. Et sicut cameli pes ambulantis non dissipat terram, sed cum sit mollis, concordat ei, et complectitur eam : sic et conversatio Gentium, quamvis non esset bona, non erat dissipans terram, hoc est, carnalem naturam, sed concavienus erat na-

turæ carnali, et secundum voluntatem ipsius erat. Ut autem manifestum fiat quod dicimus, accipiamus exemplum quod dicitur apud Job de intelligibili equo et bellatore, hoc modo : *Qui in iracundia, inquit, demolitur terram (Job 39. 21)*. Qui ergo intelligibilis et bellator equus Christi est, ipsum in se portans sensorem, omne opus bonum et spirituale, quod agit, in iracundia agit, naturæ suæ irascens carnali, in eo quod displicet ei malevolentia carnis : et adversus ei in destructionem carnis suæ agit quod agit, et dissipat carnem suam, Nam si quis spirituales virtutes exsequitur, propria mortificat membra : quanto magis et dissipat, id est, demolitur terram? Gentiles autem etsi bona opera faciebant, tamen quia non propter Deum faciebant, sed aut propter astimationem humanam, aut propter futuram nominis memoriam, aut propter hoc solum, quia bonum facere, bonum est : ipsa conversatio ipsorum non dissipabat naturam carnalem, quia hoc ipsum bonum, quod propter vanum aliquid fit, et non propter Deum, secundum carnem est, et secundum voluntatem naturæ carnalis, et non est contrarium naturæ carnali, propter quod nec dissipat eam. Acus autem est verbum Dei, quod est Filius Dei ipse : cujus prima pars subtilis est, atque acuta. Subtilis secundum causam divinitatis ipsius, acuta autem secundum causam incarnationis ejus. Tota recta, et nullam habens deflexionem, aut scrupulum, per cujus vulnus passionis Gentes jam ingressæ sunt vitam æternam, qui vulnera consere solus potest, a quo consuta est immortalitas tunica, quæ olim conscissa erat super Adam. Ipsa est acus, quæ spiritui consuit carnem, ulterius separare se non potentem. Hæc acus Judaicum populum juxit simul et Gentium, de quo dicit Apostolus : *Ipsæ enim est pes nostra, qui fecit utraque unum (Ephes. 2. 14)*. Hæc est acus, quæ disruptam amicitiam angelorum et hominum copulavit. Hæc est acus, quæ configit et pertransit, et vulnus non facit. Et ut quid difficile populus Judaicus intrat in regnum cælorum? Primum, sicut diximus, propter carnales usus : quoniam lex corporalia habet lucra, et præsentia : Christus autem spiritualia promittit et futura. Apud carnales autem homines semper præsentia præponuntur futuris, et spiritualibus corporalia. Et non solum sacrificiorum usus erat carnalis, sed et omnis promissio legis corporalis erat et terrena. Si enim Christianis suadere non possumus, divitias contemnere oportere : dicant enim nobis, Si noluisset Deus homines habere divitias, non creasset eas in mundo : quanto magis difficile erat populo Judaico diviti secundum homines persuaderi, ut dereliqueret divitias legis et totius Judaici cultus, quas a Deo susceperat? Dicebant enim : Si Deus voluisset legem contemni et templum, illa omnia cum tanta ratione et diligentia non tradidisset. Populum autem gentium, id est, camelum, facile erat per foramen acus transire, id est, per angustum ostium, de quo scriptum est : *Contentidite intrare per angustum ostium (Luc. 13. 24)*. Quare? Quia omnis cultura gentium vana et irrationabilis erat. A cultura autem irrationabili homines rationabiles non erat magni laboris ad cultum Dei vivi convertere. Et si gentes cum tanto labore ab irrationabilibus deorum suorum divelluntur culturis : quanto magis Judæi difficiliter evelluntur a rationabilibus Dei cultus? Ideo dixit : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. 25. Turbati autem sunt discipuli ejus, dicentes : Et quis potest salvus fieri? 26. Quibus respondit : Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibile sunt. Et vere, quantum ad homines, et incredibile et impossibile fuit populum Judæorum posse salvari, qui post tot peccata actuum iniquorum, post tantas idololatrias, post tot prophetarum occisiones, novissime etiam ipsum Dominum cæli et terræ quantum ad se occiderunt : sed apud Deum possibile factum est. Quoniam autem possibile fuit Deo salvare Judaicum populum, multas in lege divitias possidentem, crecentium Judæorum multitudo testatur, sive per*

<sup>1</sup> Sic V. D. et Editi in marg. recte. Editi in textu, *peccatoribus non cognoscentibus Deum.*

<sup>2</sup> Al., *adeunt, pro, aspiciunt.*



ipsum Christum, sive per apostolos ejus : ut bonitatis illius investigabile pelagus humana æstimatio non apprehendat, sed victa miretur. Tamen quia dixit Dominus, *Apud homines hoc impossibile est, quantum ad humanam naturam, apud Deum autem possibile : ecce subito excitatur Petrus, unus de populo divite, et ex persona difficile credentium Judæorum ; et clamat quasi testis potentie Dei factus, et confirmat Christi promissionem, et dicit : 27. (a) Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te : quid ergo erit nobis ?* Quoniam autem et ipse Petrus et omnes apostoli et cæteri credentium Judæorum contra possibilitatem humanam per Dei potentiam crediderunt in Christum, ipse testatur dicens ad Petrum : *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est (Matth. 16. 17).* Sermo iste convenit ad omnes, ut singulis quibuscumque dicatur : Quoniam beatus es tu, quia non revelavit caro et sanguis tibi, sed Pater meus qui in cælis est. 28. *Jesus autem dixit eis : Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Futurum autem erat, ut in die judicii responderent Judæi : Domine, non te cognovimus Filium Dei in corpore constitutum. Quis enim hominum videre poterat thesaurum in terra absconditum ? solem in nube celatum ? quis suspicabatur stellam matutinam nasci super terram ? quis putabat mulierem, quæ clausit paradysum, ut nemo intraret in eum, ut ipsa fieret primæ porta paradisi, ut per illam lux prodiret per quam tenebræ intraverunt ? Ergo in injuriam tuam non nos impulit contumacia cordis, sed decepit consideratio carnis. Vos respondebitis eis : Et nos homines fuimus sicut et vos, similem habentes animam, eandemque carnis naturam, et in uno vivimus mundo, eisdem factionibus mundialium spirituum periclitantes, ipsis protectionibus Dei adjuti : in hoc etiam vos meliores fuistis nobis, quoniam nos fuimus homines peccatores et rustici, et obscuri in plebe, vos autem sacerdotes et scribæ, et principes populi. Nos illum cognoscere potuimus homines peccatores et rustici : et vos eum cognoscere non potuistis sacerdotes et scribæ, qui habebatis Scripturas præ oculis vestris quasi lampades et semitas ? Nos antequam mirabilia ejus videremus, intelleximus eum : vos autem vel post testimonia cunctarum virtutum intelligere non poteratis ? Quomodo poterat fieri, ut pene tota gens ignoraret, quem duodecim cognoverunt ? Esto, quia non ei credidistis, nescientes eum Filium Dei : qua causa interfecistis eum, nullam culpam invenientes in eum ? Sed in nobis bona voluntas facta est quasi lucerna rusticitatis nostræ : in vobis autem malitia facta est quasi caligo scientiæ vestræ. Adhuc autem audeo et subtiliorem introducere sensum, et sententiam alterius sapientis cujusdam viri referre. Exponit enim sic : Quoniam sicut Judæorum populus in duodecim tribus fuit divisus, sic et universus populus Christianus divisus est in duodecim tribus secundum quasdam proprietates animorum et diversitates cordium, quas solus Deus discernere et cognoscere potest : ut quædam animæ sint quasi de tribu Ruben, quædam autem de tribu Simeon, vel Levi, vel Juda. Puto enim, quia omnes sancti quinque virgines prudentes esse dicuntur, quamvis sint innumerabiles, propter quinque sensus spirituales : et omnes peccatores, quinque virgines fatuæ, quamvis innumerabiles sint, propter quinque sensus carnales. Et sicut omnes Ecclesiæ Christi septem Ecclesiæ dicuntur propter septem spiritus, quamvis sint multæ. Omnes enim, in quibus præ cæteris virtutibus abundantior est sapientia virtus, una habetur Ecclesia ; item in quibus præ cæteris virtutibus abundantior est intellectus, altera dicitur Ecclesia : et sic per singulos spiritus tractatus invenies septem Ecclesias. Similiter et propter gratias duodecim, quas in persona

(a) Hic incipit Æthalia in Cod. v. c.

duodecim virginum exponit angelus in Pastore, si tamen placet illa scriptura omnibus Christianis, inveniantur duodecim esse tribus : utputa, omnes animæ, in quibus præ cæteris virtutibus præcellit virtus veritatis, una est tribus. Nec enim omnes gratiæ æqualiter in omnibus sunt, sed unus quidem amplius præcellit in ista, alter vero in illa. Omnes autem Christiani in quibus habitat Christus, sedes sunt Christi. Quod ergo ait : *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, et vos sedebitis super duodecim thronos :* promittit eis tempus Christianitatis futurum post ascensionem suam, quando omnes suscipient verbum apostolorum in se, sicut verbum Christi. Illud est enim tempus regenerationis, quando homines regenerati per baptismum, facti sunt ex filiis hominum filii Dei. Illud est tempus, quando Christus sedet in sede majestatis suæ, sicut testatur propheta de gentium fide futura : *Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam (Psal. 46. 9).* Nos putabamus, quia de die judicii hoc dicit. Quicumque enim Christum credendo in se suscipiunt, sedes sunt majestatis ejus. Et vide quia non de tempore futuri judicii dicit, sed de vocatione gentium universarum. Non enim dixit, Cum venerit Filius hominis, sedens super sedem majestatis suæ : sed ita, *Cum sederit in sede majestatis suæ.* In sede autem majestatis suæ ex quo cœpit sedere, ex quo gentes credere cœperunt in eum. Ex quo ergo Christus sedit super sedem majestatis suæ, ex eo et apostoli sederunt super duodecim thronos, id est, in omnibus Christianis secundum diversitates animorum, quas supra tetigimus. Omnis enim Christianus, qui suscipit verbum Petri, thronus fit Petri, et Petrus sedet in eo : sic et omnium apostolorum throni sunt, qui omnium apostolorum doctrinam susceperunt et tenent in se. Hanc interpretationem de diversis tribus populi Christiani, et de sessuris apostolis in sedibus commendat propheta, dicens : *Jerusalem, quæ edificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, quia illic sederunt sedes in judicio (Psal. 121. 3 - 5).* Si ergo Jerusalem, quæ edificatur, Ecclesia est : sine dubio et qui ascenderunt illic tribus, Christianorum sunt tribus : et sedes, quæ sederunt illic, apostoli sunt, apostoli enim sedes Dei sunt. Nec modica gloria est apostolorum, ut sermones eorum sedeant in hominibus fidelibus, sicut Christi sermones : et in sermonibus eorum vita omnium constat, sicut in sermonibus Christi. Sic ergo sedentes apostoli in thronis Christianis, in duodecim partes distincti secundum differentias animarum, judicant duodecim tribus Israel, id est, omnes Judæos. Quando enim per verbum apostolorum, quod est in nos, judicare videtur Judæos : quando autem verba apostolorum judicant Judæos, et ipsi apostoli judicare eos videntur. Sed videndum est, si omnes Christiani et apostolorum sunt sedes et Christi, quare omnes Christiani in persona quidem Christi quasi una sedes dicuntur. Nec enim dixit, Cum sederit Filius hominis super sedes suas : sed, *Super sedem suam.* In persona autem apostolorum, duodecim throni esse dicuntur omnis populus Christianus. Vide si habet rationem ista solutio, quoniam omnes apostoli omnia quidem bona habuerunt, non autem omnia ad perfectum, sed unusquisque eorum in aliquo bono privato magis perfectior fuit quam alter : utputa Petrus in fide perfectior quam cæteri, Joannes autem in innocentia simplicior quam cæteri, et sic solus potest discernere Christus, qui animarum differentias novit. Ideo Petrus requiescit in fide, Joannes requiescit in innocentia : et unusquisque apostoli virtus illa est thronus, in qua perfectior cæteris fuit. Christi autem omnes virtutes quasi una est sedes, quia in omni virtute ille equaliter solus perfectus est. Nam quoniam de retributione in hoc mundo apostolis danda loquitur Christus, illud est testimonium quod sequitur, hoc modo di-

rens : 29. *Et omnis qui reliquerit hoc et hoc, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Id est, Non solum vos, sed et omnes, qui sequuti fuerint me, sicut vos. Si ergo omnes in hoc sæculo centuplum accipient, recipiunt sine dubio et apostoli etiam in hoc sæculo, quibus merces futura promittebatur. *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, etc.* Quoniam Petro interrogante ex persona apostolorum cæterarumque Iudeorum, quasi priori omnium Christus ita promisit, non soli Petro, sed apostolis omnibus, ne forte postmodum legentes homines hæc Christi promissa, æstiment tantum apostolis vel Judæis promissa, utiliter superaddit dicens : *Et omnis qui reliquerit, id est, sive Judæus, sive gentilis. Et in aliis quidem evangelistis secundum alium exposuimus intellectum.* Hic autem secundum quod adolescentem illum proposuimus in mysterio Judaici populi esse, et ipsum Petrum interrogantem in mysterio credentium populorum, interpretatio hujus loci convenit talis, ut de gentibus relinquendis omnia, quæ gentilibus sunt, et ad fidem Christi confugientibus omnia ista tradamus : id est, et omnis non solum Judæus, sed etiam gentilis, qui reliquerit patrem suum diabolum, et matrem suam ignorantiam, per quam assidue diabolus ex semine interdicti erroris generat filios, aut fratres, aut sorores, videlicet ejusdem erroris socios sociasque. Aut si reliquerit ille, qui fuit sacerdos, idololatram ipsam conjugem suam, per quam quotidie generabat filios et filias, et ipsos pariter cum matre eorum relinquens. Aut si alicujus professionis magister, relinquens ipsam professionem, quasi agrum fructiferum, credat in Christum : aut dignitatem sæculari, quasi domum optime se adumbrantem despiciat propter fidem. Sed et secundum traditionem simplicem convenit intellectus : ut cum quis intellexerit quocumque modo Filium Dei esse Christum, non propter affectus parentum suorum, aut fratrum, aut filiorum, aut possessionum reliquit Christum, manens in perlidia sua priori, sed propter fidem Christi displiceant omnia illa, et sequatur Christum, centuplum accipiet. Sed hoc videamus, qui reliquerit omnia, centuplum in hoc sæculo quomodo recipere potest ? Hæc autem difficultas contingit, quia in hoc sæculo recepturos dicit alter evangelista ; alioquin in illo sæculo non est difficile. Ergo secundum sanam doctrinam ita nos convenit intelligere quod dicit, *Centuplum accipiet* (Marc. 10. 30) : non ut ipsam rem, quam dimittit, centuplum accipiat. Nec enim possibile est, quod patrem aut matrem relinquens, centum patres aut matres recipiat, sed ita, tantam gloriam, tantam gratiam, tantam mirificam beatitudinem consequetur, ut centuplum valeat illi, quam res fuit, quam dimisit. Ecce qui reliquerit patrem, et elegerit sibi patrem Deum, imo ei plus quam centuplum constat recepisse quam pater carnalis, ut illi obsequatur diebus ac noctibus ? illius faciat voluntatem, illius exspectet hereditatem, qui postquam substantiam suam tradidit suis, numquam moritur ; sed nec relinquet filios suos orphanos : sed et filii quasi perfecti viri possident divitias ejus, et pater semper illos sic tutatur, sic protegit, quasi semper infantes. Qui matrem relinquit, ut diligit magis matrem Ecclesiam, nonne ei plus est centuplum quam mater carnalis ? Illa enim carnem ejus peperit corporalem, hæc autem animam ejus regeneravit æternam. Qualis caro, talis et mater carnalis. Cum enim mortua fuerit caro, perit generatio carnis ejus, et solvitur generationis affectus. Ex illo enim nec ille illi filius, nec illa illi mater : quia anima nec generat, nec generatur, et nullum agnoscit patrem, nisi eum, cujus voluntate creata est : nullam agnoscit matrem, nisi Ecclesiam, quæ illam regeneravit in fide, quæ dedit ei mandata divina ex duobus Testamentis, quasi escam salutarem dulcissimam lactis, ex duabus mammillis, quæ illi de aqua et spiritu textu tunicam immortalæ, quæ illum ad perfectum sanctitatis adduxit, ut dignus fieret Patris sui substantiam possidere. Qui

reliquerit fratrem, et habeat Christum fratrem, nonne melior est ei, quam centum fratres, qui fratribus suis non invidet, qui super hereditate non certat, qui propter lucrum non rumpit fraternitatis affectus, qui non solum omnia sua, sed etiam seipsum dare paratus est : qui cum omnia dederit, nihil ei minuitur ? Nam humana substantia semper pauper est, et quantumvis homo habuerit, nihil se putat habere. Illa autem substantia sola vera est, quæ omne desiderium satiat, et adhuc superabundat. Qui relinquit sorores, statim eum suscipit gratiæ Dei, quasi carissimæ sorores. Non enim ulla soror sic dulciter complectitur fratrem suum, quomodo gratiæ Dei complectuntur animam sanctam : nam quotiens gratiæ Dei in sensibus nostris hærent, et delectant nos, quotiens animas nostras complectuntur, quasi oculis videntur. Si filios dimiserit, providet illi Deus filios spirituales, quos doceat, quos erudiat, et quibus dicit apostolica voce : *Nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui* (1. Cor. 4. 15) : qui patris mortem non exspectant. Nam filii carnales, si modicum pater eorum fuerit senex, lædantur de vita ipsius ; desiderant eum mori : et si cito mortuus non fuerit, contemnunt eum quasi delirum. Filii autem spirituales quanto perfectiores fuerint in fide, tanto amplius diligunt doctorem suum. Si dimittit substantiam, ab omnibus diligitur, ab omnibus honoratur, a quibusdam autem et timetur. Nam ipse Deus, cui se tradidit, et ei gratiam eorum omnibus. Nonne melius est ei hoc, quam universa terra ? aut quæ substantia præstat homini tantam gloriam super terram, quanta est optimæ sanctitatis ? Adhuc pro substantia terrena datur ei substantia spiritualis, quam junior filius et lascivus accepit a patre suo, et consumpsit vivendo luxuriose, id est, sapientiam, scientiam, cæterasque virtutes innumerabiles, quas consequuntur qui relicta facultatibus mundialibus se tradiderunt Deo. 50. *Muli enim erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Prima enim synagoga vocata fuerat ad salutem, sed illa infidelitatis vitio ægrotante, in domo patris sui, id est legis, Ecclesia surgens de infirmitate peccatorum suorum cucurrit ad Christum, vincens fide languorem, et sic transmissam gratiam synagogæ præripuit. Synagoga autem videns Ecclesiam non solum ab infirmitate sua sanatam, sed etiam accepto Spiritu sancto filiam Dei factam, accessit et ipsa ad Christum, magis zelo urgente quam fide : sicut dicit Apostolus, *Sed eorum delicta salus gentibus, ut illos emularet* (Rom. 11. 14). Sic synagoga, quæ primo loco vocata est, secundo credidit : Ecclesia, quæ secundo vocabatur, salvis primitiis obtinuit apud Deum.

#### Homilia xxxiv. ex capite xx.

1. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*  
 2. *Conventione autem facta cum operario ex denario denario, misit eos in vineam suam.* 3. *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.* 4. *Illi autem abierunt. Iterum exiit circa horam sextam et nonam, et fecit similitur.* 5. *Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi ?* 6. *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam.* 7. *Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde his mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* 8. *Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde his mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* 9. *Cum venissent ergo qui circa undecimam horam veniant, acceperunt singulos denarios.* 10. *Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios.* 11. *Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicens : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus ?* 12. *At ille respondens uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ?* 13. *Tolle quod tuum est, et vade. Volo autem et huic novissimo dero*

ut et tibi. 15. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Homo paterfamilias Christus est, cui cæli et terra quasi una est domus: familia autem quasi cælestium et terrestrium multitudo creaturarum, qui quasi trigestam domum ædificavit, id est, inferos, cælum et terram, ut super terram habitarent certantes, in inferno autem victi, in cælo victores: ut et nos, in medio constituti, non contendamus ad eos descendere, qui sunt in inferno, sed ad eos ascendere, qui sunt in cælo. Et ne forte ne scias quid debeas fugere, aut quid debeas sequi, utriusque dedit tibi quasi modicum gustum inter lumen et tenebras habitanti: noctem de inferno, lumen de cælo. Nox tibi referat de tenebris inferorum, et lux tibi referat de splendore cælesti. *Conducere operarios in vineam suam.* Quæ est vinea Dei hic? Non homines, sicut alibi: homines enim vineæ cultores dicuntur. Vineæ enim iustitia est, in qua diversæ species justitiarum positæ sunt, quasi vites: utputa, mansuetudo, castitas, patientia, longanimitas, ceteraque innumerabilia bona, quæ omnia generaliter iustitiæ appellantur. Attendamus ergo, cum quali studio cælestem vineam colamus. Adam enim positus est in paradiso, colere et operari eam: sed quia neglexit eam, projectus est de ea. Et nos positi sumus super colendam iustitiam; si neglexerimus, projiciemur de ea, sicut et Judæi projecti sunt: de quibus scriptum est: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in tuam iustitiam (Psal. 68. 28)*. Ruina præcedentium admonitio debet esse sequentium. Si autem et nos sequentes ceciderimus in ipsam, magis veniam merentur illi, qui primi ceciderunt, quam nos qui secundi. Sicut autem mercenarius positus in vinea, si neglexerit eam, non solum mercedem suam perdet, sed etiam desertæ vineæ exiget ab eo damnum: sic et nos, si neglexerimus iustitiam nobis commissam, non solum nullam mercedem habebimus, sed etiam dissipatæ iustitiæ dabimus rationem. Vineæ enim Dei non extra nos, sed in nobis ipsis plantata est. Ideo qui peccatum facit, dissipat in se iustitiam Dei: qui autem bona opera facit, colit eam in se. Bene autem culta iustitia Dei in sensibus tuis generat botryonem, id est, Christum. Nam qui operantur iustitiam, Christum formant in se, sicut scriptum est: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (Gal. 4. 19)*. Et qui vineam consignat alicui operandam, non tantum propter illius utilitatem consignat, quantum propter suam: Deus autem iustitiam suam dans in sensibus nostris, non propter suam utilitatem dedit eam, sed propter nostram salutem? Scitote quia mercenarii sumus conducti. Si ergo mercenarii sumus, cognoscere debemus quæ sunt opera nostra. Mercenarius enim sine opere non potest esse. Opera autem nostra sunt opera iustitiæ: non ut agros nostros colamus, et vineas: non ut divitias acquiramus, et congregemus honores: sed ut proximis proximis. Et quamvis hæc sine peccato facere possimus, tamen non sunt opera nostra, sed diaria nostra. Sicut ergo nemo idem sic conducit mercenarium, ut hoc solum faciat, quod manducet: sic et nos non ideo vocati sumus a Christo, ut hæc sola operemur, quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius, qui hoc solum facit quod manducet, sine causa ambulat in domo: sic et nos, si sola hæc facimus, quæ ad nostram pertinent utilitatem, sine causa vivimus super terram. Et sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde diaria sua: sic et nos si mercenarii Christi sumus, primum

debemus aspiciere quæ ad gloriam Dei pertinent proxime profectum (quia caritas et verus amor erga Deum non querunt quæ sua, sed ad libitum amati cuncta desiderant perlicere), deinde quæ ad nostram utilitatem. Et sicut mercenarius totum diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum: sic et nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, medicam autem partem circa usus nostros terrenos. Et sicut si mercenarius qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum, et petere sibi panem: quomodo tu non confunderis intrare in ecclesiam, et stare ante conspectum Dei, quando nil boni in conspectu Dei gessisti? Exiit primo mane, et vocavit Adam, et qui cum eo fuerunt. Hora tertia Noe, et qui cum eo fuerunt. Hora sexta Abraham, et qui cum eo fuerunt. Hora nona Moyses, et qui cum eo fuerunt: aut David, et qui cum eo fuerunt. Nam ad istos posuit testamenta. Hora undecimæ Gentes intellige, quia jam nos in novissima mundi margine stamus, sicut et Joannes in Epistola sua testatur, dicens: *Filioli, jam novissima hora est (1. Joan. 2. 18)*: Apostolus autem dicit jam aliquam partem duodecimæ horæ transisse, sic: *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus (Rom. 4. 11)*. Puta erat undecima hora. Nostro tempore, jam si non est duodecima hora integra, sed sine dubio modicum restat. In duodecima hora sumus. Unde putas, quia candor iustitiæ jam recessit de mundo, et sol radios gratiarum suarum in se colligens revocavit, et totam terram nigredo iniquitatum vel mendaciorum quasi nox fusca cooperuit, nisi quia jam et ipsa duodecima hora finiatur? Ubique tenebras vides, et dubitas diem transisse? Prius etenim in vallibus sit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat quin jam nox est? Sic primum in sæcularibus et laicis Christianis incipit prevalere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando jam vides, quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes et colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa: quomodo dubitetur quia finis est mundi? *Item exiit circa tertiam, et vidit alios stantes in foro otiosos.* Videamus qui sunt otiosi. Non peccatores: illi enim mortui dicuntur, non otiosi. Sicut enim surdus apud Deum dicitur, qui non audit quæ Dei sunt, sed quæ diaboli: sicut cæcus dicitur, qui non corporaliter cæcus est, sed per cuius oculos diabolus videt, et non Deus: sic qui diabolo vivit, mortuus est apud Deum.

*Otiosus quis.* — Quis est ergo otiosus? Qui opus Dei non operatur. Puta, si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otiosus es. Nam quia aliena non tollis, non quidem peccas, tamen nec iustitiam nec misericordiam operaris. Vis non esse otiosus? Nec aliena tollas, et de tuis des, et operatus es in vinea Domini, et coluisti misericordiæ vitem. Inebriaris, in deliciis es, non es otiosus: sed, sicut ait Apostolus, vivens mortuus es (1. Tim. 5. 6). Si autem mensuratæ manducas et bibis, non quidem peccas, quia non male manducas; tamen otiosus es, quia nullam jejunii operaris vitem. Vis ergo non esse otiosus? Jejuna, et quod manducaturus fueras diurno, da impotenti, et coluisti jejunii vitem. Item fornicaris, mortuus es, non otiosus. Si autem tuam habes uxorem, non quidem peccas, nec tamen castitatis operaris vitem. Visque esse non otiosus? Sine uxore es, ne quesieris uxorem. Si vidua es, noli transire ad secundas et tertias nuptias, et operata es castitatis vitem. Sed forte dicis, Sine uxore esse non possum. Ostendo tibi, ut uxorem habeas, et castitatis vitem colas. Abstine te a menstruata, abstine te a prægnante, erubescere facere quod animalia non faciunt. Omne animal conceptionis suæ servat honorem et tempus: homo autem solus contemnit. Quando dies festus est, aut dies jejunii, serva ut impleas apostolicum præceptum: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis jejuniis et orationi (1. Cor. 7. 5)*.

Item si invides meliori, mortuus es, non otiosus: si autem nec invides, nec congaudes, otiosus es. Non solum ergo non invides, sed etiam congaudeas meliori, et benevolentia vitam colis. *In foro.* Forum est iste mundus, ubi omnia venalia sunt. Sicut enim proprium est fori, ut omnia illic veniuntur, et emantur, et invicem se circumveniant ementes et vendentes: sic in hoc mundo omnes vendendo et emendo vivunt, et invicem sibi fraudem facientes, vitam suam sustentant. Inter emptores autem et venditores accipe tibi omnes divitias et honores sæculi hujus, quæ et ipsæ nihilominus venduntur et emuntur, et omnis quæstus eorum in venditione seu mercatione consistit. Fuge ergo forum, ut nec patiaris fraudem, nec facias. Si autem passus fueris, ipsa res te compellit et facere. Nam si injuriam passus fueris, si nocitus fueris, difficile est, ut et tu adinvicem non noceas. Prima ergo laus est Christiano, alienum esse a foro, nullam causam habere cum illo, sicut ait Apostolus: *Rogo autem vos, studium habere quietis et silentii, ac negotii proprii operando manibus vestris: et nullius vestrum desiderium sit ad eos qui foris sunt (1. Thess. 4. 10-11).* Si enim in foro permaneris, et quod habes, perdes: si autem in vinea assiduus fueris, et quod non habes, acquires. *Item exiens circa sextam et nonam.* Ideo junxit sextam et nonam, quia in sexta et nona generatione vocavit Judæos, et frequentavit cum hominibus disponere testamenta, quasi definito salutis omnium tempore jam propinquante. Nam post Noe ad neminem legitimus Deum loquutum fuisse, nisi primum ad Abraham, post eum confestim ad Isaac et Jacob. Deinde non post multum temporis ad Moysen, cui et legem dedit. Post eum ad Jesum Nave. Transacto autem non multo post tempore, ad Samuelem et David, et in singulis quibusque generationibus ad multos prophetas, cum singulis testamenta disponens. Sicut enim quis in itinere constitutus, aut in opere quodam, ante sextam quidem non operatur, aut ambulat, sciens quia longus ei adhuc superest dies: transacta autem sexta, cum cœperit esse octava, aut nona, incipit properantius agere, ut opus suum vel iter tempore definito concludat: sic et Deus usque ad Abraham, qui fuit in sexta hora, venit ad homines disponere testamentum: post Abraham autem usque ad transmigrationem frequenter properans, ut adventum suum in hunc mundum, et vocationem gentium definito tempore consummaret, quasi vespere jam propinquante. *Item exiit circa horam undecimam, et dicit: Quid hic statis tota die otiosi?* Vide quia ubique otiosos vocat, non peccatores. Denique considera, servus ille qui acceperat a domino suo unam mnam, ut quid audivit, *Serve nequam (Luc. 19. 22)?* ut quid missus est in tenebras? Quia perdidit mnam suam? aut quia nihil est lucratus de ea? Sine dubio quia nihil lucratus est de ea. Qui autem peccat, perdit gratiam quam accepit. Si ergo ille non est impunis in die iudicii, qui otiosus stetit in foro, et nullam injustitiam operatus est: quid faciet in die iudicii qui peccavit et mnam suam perdidit? *Quid hic statis tota die otiosi?* An nescitis, quia qui non operatur in hoc sæculo, non manducabit in illo? Et qui aliis manducantibus et bibentibus in hoc sæculo operatur, in illo sæculo aliis jejnantibus ipse non jejunabit, sed recumbet cum Abraham, et manducabit de prandio vitæ. Qui autem hic aliis operantibus stat otiosus, aliis recumbentibus in illo sæculo ipse expelletur foras. Dies enim iste, dies operationis est: dies autem ille, qui sequitur, dies est feriarum. *At illi dixerunt: Nemo nos conduxit.* Quæ est conductio nostra, et quæ conductionis merces? Promissio vitæ æternæ. Quid est, *Nemo nos conduxit?* Id est, Nemo nos docuit, quia *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan. 17. 3).* Nemo nos conduxit, dicens: *Quicumque reliquerit domum, aut vilam, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, centuplum accipiet in hoc mundo, et in futuro vitam æternam possidebit (Math. 19. 29. Marc. 10. 29. 30).*

Nemo nos conduxit, dicens: *Vendite quæ possidetis, et date elemosynam, et habebitis thesaurum in celo (Math. 16. 21).* Et nota, quoniam illi, qui aut in prima hora vocati sunt, aut in tertia, vel in sexta, vel in nona, non responderunt, quia *Nemo nos conduxit.* Omnes enim illi conducti fuerunt, et habuerunt notitiam Dei, et sciverunt Dei promissa. Gentes autem solæ neque Deum sciebant, neque Dei promissa, ideo excusabiliter responderunt, *Nemo nos conduxit. Et dixit eis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.* Nota quia cum primis solis convenit specialiter dare denarium, istos autem omnes sub incerto pacto conduxit, id est, *Quod justum fuerit.* Sciens enim Dominus quia pravaricaturus erat Adam, et omnes postmodum in diluvio fuerant perituri, certum pactum fecit ad eum, ne quando dicant ideo se neglexisse justitiam, quia nesciebant quæ præmia fuerant recepturi. Istis autem non fecit pactum. Benignus enim paterfamilias sciebat largitatem suam, quia tantum paratus est retribuere, quantum mercenarii recipere non sperabant. De dato enim ejus nemo juste murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat. *Cum autem sero factum fuisset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* Considera quia sero, non autem mane reddit mercedem. Ergo adhuc stante sæculo isto iudicium est futurum, et unicuique merces sua reddenda. Propter duas rationes iudicium in hoc sæculo fit. Primum, quia illic ipsa beatitudo ventura ipsa est merces justitiæ. Ideo non in illo sæculo fit iudicium, sed ante illud. Deinde ante adventum dei illius præmittitur iudicium, ne videant peccatores beatitudinem dei illius, dicente propheta: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isai. 26. 10).* Dicit procuratori suo. Cui procuratori? Sine dubio Filio dicit Spiritui sancto. Et si volueris, concedo tibi ut Pater Filio dicat. (a) [Non quero utrum Filius sit Patris procurator, aut Spiritus sanctus Filius: sed hoc dico, quia procurator domus, et paterfamilias, nec ejusdem substantiæ possunt esse, nec una persona esse, nec æqualis dignitas. Si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias, quomodo locum habeat Ternitas tua? si autem ejusdem substantiæ iste est, et est minor, injuriam facit substantiæ: si vero non æqualis dignitas, ubi est una substantia?] *Incipiens a novissimis usque ad primos.* Quare non a primis usque ad novissimos, sed primum a novissimis? Attende, naturalis est ratio. Omnes namque, qui ante adventum Christi fuerunt, quasi ex operibus suis facti sunt sancti, gentes autem ex gratia Christi. Semper libentius aliquid damus his, quibus pro solo honore nostro donamus. Ergo omnibus sanctis Deus reddens mercedem, justus ostendit, gentibus autem dat misericordiam, dicente Apostolo: *Gentes autem super misericordia honorare Deum (Rom. 15. 9).* Aut certe propter demonstrandam immensam misericordiam suam, sicut est ibi, ubi ait Apostolus: *Et nos qui vivimus, qui remansimus, non præveniemus eos qui dormierunt (1. Thess. 4. 14).* Magis enim secundum rem erat, ut prius viventes immutarentur, postea mortui resurgerent incorrupti. Sed quia in convertendis viventibus una est virtus, hoc solum, quod ad immortalitatem mutantur: quod autem mortui incorrupti resurgent, duo sunt opera: primo, quia resurgunt; secundo, quia incorrupti potentiam suam, quando, quod difficillimum est, mortuos suscitavit incorruptos, postea viventes immutat. Sic et in hoc loco secundum rem quidem erat, ut prius priores acciperent suam mercedem: sed ut ostendat Deus ineffabilem misericordiam suam, primum novissimis et indignioribus reddit mercedem, postea primis: sicut illic potentia immutandorum

<sup>1</sup> V. D., primis solum.

<sup>2</sup> V. D., Trinitas.

(a) Quæ uncinis clauduntur, in quodam exemplari desunt.

hominum exclusit ordinem, ita et hic nimia misericordia ordinem non aspexit. *Cum venissent autem qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios.* Non injuste. Nam et qui in prima parte sæculi natus est, non amplius vixit quam statutum tempus vite suæ. Et quid illi nocuit, si post illius exitum stetit mundus? Et qui circa finem nascuntur, non minus vivunt, nisi quanti dies numerati sunt eis. Et quid illis prodest ad compendium laboris, si cito mundus finitur, cum ipsum pensum vite suæ compleant ante mundum? Deinde si in hominis esset potentia, quando nasceretur, prius aut postea: justa ratione primam habebit mercedem qui prius nasci voluit, secundam autem qui postea venit ad vitam; nunc autem cum in Dei sit potestate, quando hominem proluat in mundum, nec ille sibi priorem honorem defendere debet, qui prius natus est, nec ille contemptibilior debet esse, qui postea. Dicit enim: *Et si me prius creasset, prior eram. Accipientes autem murmurerunt adversus patremfamilias, dicens: Quoniam hi novissimi una tantum hora fecerunt, et æquales illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstus?* Si verum est quod diximus, quia et illi suum tempus vixerunt, et non amplius: et isti suum tempus, et non minus: et unicuique mors sua consummatio est ipsius: quid est quod dicunt, *Totius diei pondus portavimus, et æstus?* Quia magna nobis est virtus ad faciendam justitiam, cognoscere nos oportet prope esse finem mundi. Unde armans nos Christus dicebat: *Appropinquet regnum celorum* (Matth. 4. 17). Item Apostolus: *Præterit enim figura hujus mundi; volo vos sine sollicitudine esse* (1. Cor. 7. 31. 32). Si ergo nobis virtus est scire propinquum esse finem; nam quamvis usque ad finem illius vita nostra forsitan non extendatur, tamen quasi accendimur, et præparamur ad suscipiendum finem: consequenter et illis infirmitas erat cognoscere mundi spatium esse longinqua. Et quamvis ante finem mundi in manu Dei essent ituri, tamen quodammodo negligentes eos faciebat circa justitiam, et refrigerescere faciebat animas eorum exspectatio sæculi longioris. Ideo ergo quamvis non per omne sæculum vixerint, tamen totius sæculi gravamina et impedimenta pertulisse videntur. Item tunc mundus in juventute constitutus omnibus bonis prosperabatur, et felix erat: nunc autem mundus senescens omnibus adversitatibus premitur, et ideo concupiscibilis non est. Qui ergo tunc fuerunt homines, cum majori difficultate et labore justitiam servaverunt: quia ipsa felicitas mundialium rerum satis impedimentum est animæ ad justitiam faciendam. Nunc autem facilius homines justitiam facere possunt, quia ipsa adversitas, et angustia mundialium rerum, adjuvat animam ad justitiam faciendam. Sicut facilius est homini pauperi, et in angustiis constituto disciplinam tenere, diviti autem et abundantiam difficile: sic illis inter gaudia mundi difficile fuit tenere justitiam, nobis autem inter tribulationes mundi facile. Multum ergo tunc bonus erat, et fortis in fide, qui poterat evadere vanitatem, nunc autem multum injustus. Et modo multum malus est, et miser in fide, qui se non stringit ad Deum. Ergo pondus, quod dicit, opus justitiæ significat: quia grave est homini carnali amare justitiam. Æstum autem dicit concupiscentias sæculi, quas tunc patiebantur mundo juventute florente. Ergo etsi non per omnem mundum vixerunt, tamen totius mundi impugnationem passi sunt: quia totius vite virtus in juventute ostenditur. Aut pondus diei dicit onerosa legis mandata, propter quæ et alibi Dominus hortatur Judæos, et dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego vobis requiem dabo* (Matth. 11. 28). Æstum autem dicit vel urentem tentationem errorum, quam conflabant spiritus maligni in eos, ad amulationem gentium eos irritantes; a quibus om-

nibus gentes liberæ exstiterunt Christo credentes, et per compendium gratiæ ad plenam salutem revertentes. Nam neque legis onera portaverunt, sicut Judæi, nec seductiones passæ sunt diversorum errorum, quemadmodum illi. *At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam.* Ergo illi non dolabant, quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius quam merebantur acceperant. Hoc est enim proprium invidiæ: quando alteri aliquid additur, sic dolent invidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum: utputa, si viderit fieri aliquem ditio-rem, putat invidus se pauperem factum; si alter sapientior fuerit factus, ita dolet quasi ipse sit insipiens factus. Intelligis quia ex vana gloria nascitur invidia? Nam ideo dolet esse secundus, quia desiderat esse prior. *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Postquam superius de Judæis et gentibus hanc ipsam dixisset sententiam, *Et qui erunt primi novissimi, et novissimi primi* (Matth. 19. 30): videlicet quia Judæi et in primo loco vocati sunt ante gentes, in secundo autem salvati sunt post gentes, introduxit parabolam istam. Et ut cognoscamus, quia ad manifestationem præcedentium verborum hanc parabolam introduxit, ideo in fine ejus eam ipsam sententiam repetit, quam supra dixerat. Aut ideo primos dicit novissimos futuros, et novissimos primos, non ut novissimi digniores sint quam primi, sed ut cœquantur. Dicit enim propheta Isaias (a), volens omnium sanctorum unam ostendere vocationem, et nullam inter eos esse differentiam temporis causa, dicit omnium sanctorum numerum<sup>1</sup> esse quasi coronam (Isai. 28. 5. et 62. 3). Sicut enim in corona, cum sit rotunda, nihil invenies quod videatur esse initium aut finis: sic inter sanctos, quantum ad tempus in illo sæculo, nemo novissimus dicitur, nemo primus. Ideo ergo quibus datum est primum nasci, novissime remunerantur. Et quia sancti quasi corona erunt æquales: qui novissime nati sunt, primi remunerantur, ut illi illam gloriam habentes, isti per hanc cœquantur. Quod autem dicit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, non ad superiores sanctos pertinet, sed ad gentes: quoniam ex ipsis gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi.

Homilia xxxv. ex capite xx.

17. *Et ascendens Jesus Jerosolyman, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: 18. Ecce ascendimus Jerosolyman, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, 19. et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater florum Zebedæi, cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. 23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos? 26. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. 27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. 28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis, et reliqua. Omnis gloria Dei<sup>2</sup> et omnis salus*

<sup>1</sup> Aut meritum. sequentia autem vocem numerum postulare videntur.

<sup>2</sup> In V. D., omnis gloria Dei abest.

(a) Sic V. D. et Editi in uarg. Idem in textu Esdras, male.

hominum in Christi morte posita est. Nulla enim est res quæ amplius ad salutem hominum pertineat, quam mors ipsius. Nec est aliquid aliud, propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam propter mortem ipsius. Ideo cum turba plurima fidelium eum sequeretur in via, duodecim apostolos solos tulit in secreto, et illis tantummodo mortis suæ annuntiavit mysterium: quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Multi quidem viri erant cum eo, sed propter modicitatem fidei suæ infirmi; multæ mulieres, etsi in fide fortes, infirmæ tamen in sexu. Si audissent quia ideo Christus ascendebat Jerosolynam, ut interficeretur, et viri forsitan turbarentur propter infirmitatem fidei, et mulieres propter mollitiem suæ naturæ. Nam proprie animus mulieris mollis est, et in tali negotio citius excitatur in lacrymas. Non recordamur, quod superius cum de morte Christi Petrus audisset, dolore commotus non timuit ipsum Dominum increpare, dicens: *Propitius esto tibi, et hæc tibi non erit (Matth. 16. 22)*. Si ergo Petrus in morte Christi turbatus est, cuius alterius fides posset sustinere tanti mali dolorem? si petra immobilis pene commota est, quomodo terra sufferret impetum tempestatis? *Ecce ascendimus Jerosolynam. Ecce, contestantis est sermo, ut memoriam præscientiæ hujus in cordibus suis recondant. Tamquam si dicat, Ecce nunc jam tertia vice prædico vobis mysterium passionis meæ futuræ, ut alius insideat mentibus vestris, frequentius repetitum.*

*Quare Christus discipulis passionem suam præventiavit.* — Et quare illis prædicit passionis suæ mysterium? Quia omnis adversitas, quæ subito evenit hominibus extra spem, nimium gravis est: quam vero ante cognoscimus, et præparamus nos contra eam, cum supervenerit expectantibus nobis, levior invenitur, quam esset futura, si repentina venisset. Ideo ergo nuntiat illis de sua morte futura, ut cum dies ille passionis advenerit, non illos turbet cognoscentes, quia omnino erant ventura. Si enim totiens præmoniti apostoli de morte ejus futura, tamen quando comprehensus est, scandalizati sunt omnes, et reliquerunt eum: quanto magis scandalizandi fuerant, si præmoniti non fuissent? Numquid non se præparaverunt, num statuerunt in animo suo ut non expavescerent? Si enim se non præparaverunt, non promisissent una cum Petro dicentes, *Parati sumus tecum ire usque ad mortem (Marc. 14. 31)*. Sed in illa hora fides eorum defect, et præparationem animæ absorbit timor carnalis. Vel ideo prædicit eis futurum, ut ab exitu cognoscat præscientia ejus: ex præscientia autem ejus intelligatur divinitas ejus: consideratio autem divinitatis ejus confortet fidem ipsorum in tempore passionis ejus: ut totum illud quod patiebatur dispensationi voluntatis ejus applicarent, non necessitati naturæ. *Ecce ascendimus.* Ac si dicat, Videte quia voluntarie vado ad mortem. Nemo me vocat Jerosolynam, nemo me admonet, nullius potestatis præceptum timeo, nullius violentiæ necessitate compellor. Cum ergo venerit tenebrarum potestas, cum videritis me in cruce pendentem, ne æstimetis me hominem esse tantum. Nam etsi posse mori, hominis est; tamen velle mori, hominis non est. Ut quid putas, ab itinere declinavit seorsum? Numquid non poterat in itinere constitutus hæc eadem eis loqui, cum sint paucissima verba? Sed declinavit seorsum ab itinere, forsitan sciens quod ventura erat mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, ut peteret ea quæ peterunt, et audirent ea quæ audierunt, ut præpararet eis locum ad eundem, ad petendum, et ad audiendum. Forsitan enim et applieuerunt ibi, donec mulieres retro venientes occurrerent. Nec enim incredibile est, mixtas cum ipso ambulasse mulieres, sed longo intervallo longe mulieres sequentes, et longo intervallo separati inter se ambulabant: Christus enim et discipuli sui primi, sequentes autem de longe mulieres. Sine dubio ergo nulla alia causa Jesus seorsum secessit, nisi ut illa adveniendi licentiam inveniret.

Selebat enim cogitationes eorum, et consilia eorum, quæ facere cupiebant: et non solum prædicans discipulis suis de sua passione futura, sed etiam aptans petituræ mulieri locum, præscientia sua divinitatem ostendit. Aliter: *Ecce ascendimus Jerosolynam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad deludendum et crucifigendum, et tertia die resurget.* Ne putes quod tunc tantummodo Christus traditus est sacerdotibus et scribis, et condemnaverunt eum morte, et tradiderunt eum gentibus ad deludendum et crucifigendum: sed et nunc traditor, et morte damnator. Et traditur gentibus ad deludendum et crucifigendum. Christus enim verbum est veritatis. Sicut enim tunc tradidit Deus Christum sacerdotibus et scribis, ad manifestandam fidem sanctorum, et perfidiam iniquorum: fidem quidem sanctorum, si forte fideles, videntes eum quasi hominem pati, non recedant, neque scandalizentur a fide divinitatis ipsius; ad manifestandam autem perfidiam iniquorum, si intelligentes eum esse Dei filium secundum testimonia Scripturarum, non timeant, sed ausi sint eum interficere quasi hominem: sic et modo tradit Deus verbum veritatis sacerdotibus et scribis, id est, sapientibus Scripturarum ad manifestandam fidem sanctorum, et perfidiam iniquorum: fidem quidem sanctorum, si forte videntes verbum veritatis a mendacio opprimi, quasi mendacium, non cadant neque scandalizentur a fide veritatis ipsius: ad manifestandam autem perfidiam iniquorum, si forte intelligentes verbum veritatis, quia verbum esse veritatis secundum testimonia Scripturarum, ausi sint interficere eum cruce, verbis mendacibus. Quando enim vides Scripturas prophetarum, et Evangelii, et apostolorum traditas esse in manus falsorum sacerdotum et scribarum, num intelligis quia verbum veritatis traditum est principibus iniquis et scribis? Et sicut tunc sacerdotes, vel propter vanam gloriam, vel propter avaritiam, condemnaverunt Christum morte, cogitantes quoniam si tenerint Christum, ipsi sacerdotes esse non poterunt secundum legem, nec solennia illa lucra percipere: ita nunc impii sacerdotes et scribæ verbum veritatis dignum iudicant interire, cogitantes quia si verbum veritatis tenuerint, ipsi sacerdotes esse non possunt, nec sacerdotalia lucra percipere. Propterea tradunt eum gentibus, id est, populis ineruditis, et indisciplinatis, et barbaris, qui nec quærent, nec audiunt eum cum iudicio, qui nomen habent Christianorum, mores autem gentilium. Tradunt autem veritatis verbum perversis expositionibus suis ad deludendum et crucifigendum. Deludunt enim verbum veritatis, quando simulant se sequi Christum, et disputant de eo sine Dei timore: non proposito inveniendæ veritatis, sed studio subvertendæ. Hoc autem modo deludunt verbum veritatis, non colunt. Crucifigunt autem eum, et interficiunt, quando falsa confessione mendacii, verbum veritatis suffocant, et occidunt in se. Et sicut tunc sacerdotes illi nullam culpam idoneam inveniunt in Christo, falsam accusationem detulerunt adversus eum: sic modo nullam rationem idoneam habentes dicere contra verbum veritatis, falsa interpretantur de illo, et falsa profertur testimonia prophetarum adversum verbum veritatis. Sicut enim tunc falsos testes subornaverunt adversus Christum, et sicut tunc sacerdotes quidem et scribæ cognoscentes eum, quia vere Christus est, quasi hominem illum maleficum gentibus tradiderunt, gentes autem non cognoscentes eum esse Christum, deluserunt, et crucifixerunt eum, quasi hominem maleficum: sic et modo sacerdotes et scribæ hæreticorum, cognoscentes quia verbum est veritatis secundum Scripturas, quas legunt: tradunt eum, sicut diximus, populis et gentibus ad deludendum et crucifigendum. Populi autem per ignorantiam verbum veritatis deludunt, et crucifigunt, quasi mendacium. Sed ignorantia eorum non eos excusat, quoniam si vellet cum iudicio quærerere, invenire poterant veritatem: sicut nec illos excusavit gentiles, quoniam et



ipsi si quærere voluissent, poterant invenire: quoniam non erat homo tantum, sed et Deus Christus: quoniam sicut tunc per signa virtutum suarum manifestabatur Christus, sic modo per signa operationum suarum verbum veritatis ostenditur. Christus leprosos mundabat, cæcos illuminabat, surdos audire faciebat, mortuos suscitabat: ita modo qui vult cognoscere, ubi sit verbum veritatis, operum ejus signa consideret. Ubi enim verbum veritatis est vivum, unitum, atque divinum, ibi mundantur assidue homines a lepra peccati, et fit salutis eorum testimonium conversatio ipsorum, atque mens eorum. Qui audiunt verbum veritatis, illuminantur ad intelligenda divina mysteria: aures eorum interiores aperiantur, ut libenter suscipiant divina præcepta. Quos hodie vides mortuos in peccatis, cras resurgunt in penitentia, vivificati per verbum Dei. Ubi autem non vivum verbum veritatis, sed mortuum mendacium prædicatur inter eos; nihil horum fieri vides, sicut dat de illis testimonium vita ipsorum. Sed et post tres dies resurget in animabus credentium sibi, cum tres dies fuerint consummati in eis. Prima dies, Pater; secunda dies, Filius, secundum quod dictum est in propheta: *Annuntiate de die in diem salutem ejus (Psal. 95. 2)*. Quis est autem dies alius de die, nisi genitus Deus de ingenito Deo? Consequenter et Spiritus sanctus tertia dies est, quoniam his tribus illuminantur corda credentium. In quibus ergo trium istorum scientiæ fuerint consummatæ, in eis veritatis verbum resurgit, et vivit et operatur. Sed nec resurgent, nisi qui jejunantes a malo et stentes sunt propter eum, et desiderant resurrectionem ejus videre in anima sua: sicut et apostoli jejunantes et stentes fuerunt Domino crucifixo usque ad diem resurrectionis ipsius. (a) *Tunc accessit ad eam mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo (Marc. 15. 40. et 16. 1)*. Hæc est Salome, cujus apud alterum evangelistam ponitur nomen, vere pacifica, secundum interpretationem: quæ filios genuit pacis. Non solum autem ex Marco evangelista, qui manifeste ipsos fratres exponit accessisse ad Jesum, et hæc eadem postulasse (Marc. 10. 35) intelligere possumus, quoniam a filiis suis erat summissa, sed etiam ex præsentibus Christi sermonibus, quibus non quasi ad mulierem ipsam se petentem, sed quasi ad filios revertentes respondit: *Nescitis quid petatis. Estimo enim, quod fratres cum audissent Dominum de passione et resurrectione sua prophetantem, cœperunt dicere intra se, cum essent fideles: Ecce Rex cælestis descendit ad regna tartarea, ut regem quidem mortis destruat, ipsam autem mortem divinitatis suæ potentia calcet, et sic vinculo tenebrarum soluto, captivas animas ad sua regna perducat. Nec innumerabilis militia dæmonum resistere poterit contra eum. Quem enim in corpore constitutum timeverunt dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei excelsi? venisti ante tempus torquere nos (Matth. 8. 29)?* quomodo nudam ipsam divinitatem contra se descendentem poterunt suslinere? Ecce post tres dies mortis suæ revertetur ad inferis, quasi victor de bello. Nam cum victoria fuerit consummata, quid aliud restat, nisi ut regni gloria subsequatur? Ergo faciamus, fratres, quomodo possumus regni illius fieri participes. Scimus quia invidus non est. Qui enim seipsum donavit hominibus, quomodo regni sui societatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur ubi de dantis misericordia non dubitatur. Si nos rogamus magistrum, forsitan cæterorum fratrum corda concutiemus: et dum nobis duobus volumus providere, inter omnes scandalum excitabimus. Nam etsi sancti sint, tamen homines sunt. Etsi vinci a carne non possunt, quasi jam spirituales, tamen percuti possunt, quasi adhuc carnales. Ut quid ergo vel leves occasiones denemus, quibus improba carnis natura tranquillitas eorum animas inquietet? Submitta-

mus ergo matrem nostram, ut suo nomine deprecetur pro nobis, et fiant duo bona. Si enim res ipsa reprehensibilis inventa fuerit, facile meretur veniam, quasi mulier. Ipse enim sexus excusat errorem. Si autem non fuerit importuna, facilius impetrabit mater pro filiis suis rogans. Ipse enim Dominus, qui maternos animos filiorum miseratione implevit, facilius exaudiet maternum affectum. Magna laus mulieris hujus ex hoc loco colligitur. Primum, quia non solum illi reliquerat patrem, sed etiam ipsa reliquerat virum suum, et sequuta fuerat Christum. Et illi ostenderunt quia filii erant hujusmodi matris, et ipsa ostendit quia mater erat talium filiorum. Quoniam autem vivum reliquerat virum, sermo demonstrat, qui de vocatione eorum scriptus est, dicens: *Illi autem reliquerunt patrem suum Zebedæum in nave cum mercenariis, et sequuti sunt Jesum (Marc. 1. 20)*. Nisi forte quis dicat, quia Christus plus quam triennio docuit, et intra tempus vocationis apostolorum et passionis Christi mortuus est Zebedæus, et sic illa sequuta est: Jesum tamen sequuta est. Qualis radix, talia et germina: et qualis terra, talis et fructus. Non eam vicit, sicut cæteras mulieres, maritalis affectus: quia ille temporalis erat maritus, iste autem perfectus sponsus. Illius amor deceptio erat carnalis, istius autem, dilectio incorruptibilis vitæ. Non illam tenuit miseratio senectutis ejus, quia ille sine ista vivere poterat, ista autem sine Christo salva esse non poterat. Cogitavit enim, quoniam amplius proderit viro suo, si propter Deum reliquerit virum, quam si propter virum reliquerit Deum. Propterea sexu fragili, et jam ætate defecta, Christi vestigia sequebatur: quia fides numquam senescit, et religio fatigationem non sentit. Deinde quia non sentit illa, sicut cæteræ matres, quæ corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant enim illos valere in sæculo isto, et non curant quid passuri sint in alio. Alii militias filiis suis provident, alii honores, et nemo filiis suis providet Deum. Perditionem illorum cum magno pretio comparant, et salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur et suspirant: si autem viderint illos peccantes, nemo tristatur: ut ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum. *Accessit ergo ad Jesum, rogans et petens aliquid ab eo. Audacem enim fecerat eam natorum affectus, et reverentiam forsitan spirituales vicerat amor carnalis. Dicit ei Jesus: Quid vis? Non interrogat quasi nesciens, ut audiret quid vellet: sed ut illa exponente, manifestam faceret irrationabilem petitionem ipsorum: quoniam petebant quidem quasi religiosi, et cælestis gloriæ amatores, non quasi scientiam habentes inutilium postulationum et nocivarum. Nam frequenter Dominus patitur discipulos suos aliquid non recte aut dicere, aut agere, aut cogitare, ut ex illorum culpa occasiones inveniat docendi, et exponendi regulam pietatis, sciens quia et ipse error eorum non nocet præsentem magistrum, et omnes non solum in præsentem, sed etiam in futuro doctrina ejus adificat. At illa dixit, Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam in regno tuo. Non dicimus, quia recte petit: sed hoc dicimus, quia non terrena, sed cælestia filiis suis optabat. Tunc Dominus occultorum cognitor, non ad verba intercedentis mulieris respondit, sed ad consilia suggerentium filiorum respondit, dicens: *Nescitis quid petatis. Concupiscentia enim carnalis omnem in vobis spiritualem considerationem exclusit. Non audistis me referentem, cum venerit Filius hominis in majestate sua, ponet oves ad dexteram, hædos autem ad sinistram: et dicit eis, qui ad sinistram sunt: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (Math. 25. 41)*? Quomodo vos vultis, ut unus sedeat ad dexteram, et alius ad sinistram? Ego vos vocavi ad partem dexteram de sinistra, et vos vestro consilio curritis ad sinistram. Ideo forsitan et per mulierem res agebatur. Vidit enim diabolus, quia per illos ipsos**

(a) Hic incipit Homilia apud V. D.



adversus eos agere non valebat; contulit se ad convicta arma mulierum, ut sicut Adam per mulierem polliavit, ita et istos separaret per matrem. Nam etsi mater erat, tamen mulier erat. Propter quod etsi affectus ejus dulcis erat erga filios quasi matris, intellectus tamen ejus nocivus erat quasi mulieris. Sed jam non poterat per mulierem perditio introire in sanctos, ex quo de muliere sales eunctorum processit. Intelligere ergo debemus et nos, ut non illud a Deo petamus, quod nos bonum esse judicamus, sed orantes in ejus potestate ponamus, ut nos illud petentes exaudiat, quod ipse nobis expedire cognoscit. *Nescitis quid petatis.* Bonum quidem desiderium, sed inconsiderata petitio. Ideo etsi impetrare non debebat simplicitas petitionis eorum, tamen confundi non merebatur, quia de amore homini nascebatur. Propterea non voluntatem neque propositum eorum culpatur, sed solam ignorantiam reprehendit, dicens: *Nescitis quid petatis.* Quis autem athleta idoneus aut certamen de premio factum facit? Si enim certamen bene processerit, iudex postea potest secundum meritum certaminis premium mensurare et aestimare. Si autem premium ante fuerit constitutum, non omni modo secundam qualitatem premii potest exitum habere certamen: quia quale premium datur, in potestate est munerantis: qualem autem exitum habeat unumquodque certamen, non est in potestate certantis. *Nescitis ergo quid petatis.* Desideratis quidem bonum, sed non intelligitis quid est bonum. Si autem intelligeretis, illud petere debebatis, dicentes quoniam in hoc mundo periculosissimo vivimus, quasi in pelago, ubi nunquam est minor tempestas. Etsi tempestas interdum non fuerit, tamen semper timor est tempestatis. Sic et in hoc mundo viventibus nunquam est minor tentatio: etsi tentatio interdum facta non fuerit, tamen timor tentationis semper est. Ideo da nobis auxilium gratiae tuae, ut non vincamur a malo, sed ipsi omne malum vincamus. Sicut enim saeculari bello videmus, quia qui vadens ad pugnam de praeda victoriae cogitat, difficile vincit, qui autem vadens sic vadit quasi ad mortem, ille facile superat: sic et nos in hoc certamine spirituali viventes non debemus cogitare qualem gloriam consequamur, sed quomodo evadamus ruinam peccati. Qui autem de gloria cogitat, et non magis timet de casu, ille nec infirmitatem carnis suae cognoscit, nec versutias considerat diaboli, nec intelligit, quod ait Apostolus: *Non est nobis colluctatio cum carne et sanguine, sed adversus principatus et potestates, adversus rectores hujus mundi tenebrarum* (Ephes. 6. 12). Propterea sumite omnia arma Dei. Sicut enim miles, si toto corpore fuerit armis vestitus, et unam partem habuerit nudam, nihil ei prodest, quod totus fuerit ferro vestitus, si per illam unam partem eum sagitta percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus: sic et Christianus, quamvis omnem justitiam fecerit, si in uno peccaverit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset. Sicut ait Jacobus: *Si omnem legem adimpleas, et in uno transgrediaris, similiter praevicator es legis* (Jacob. 2. 10). Ideo et Dominus illis respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptizari, quo ego baptizor, baptizari* (Marc. 10. 38). Numquid nesciebat Dominus, quia passionem ipsius poterant imitari? Sed ideo eis dicit, ut Domino interrogante, et eis respondentibus, omnes nos audiamus: quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus, sicut ait Apostolus: *Si commortui sumus, et convivemus: si sustinemus, et conregnabimus* (2. Tim. 2. 11. 12). Res enim pretiosa vili pretio non comparatur. Magnum laborem necesse est nobis impendere, si volumus ad regna caelestia pervenire. Passionem autem Domini dicimus suscipere nos debere non omni modo persecutionem gentilium, sed omnem laborem et molestiam, quam patimur in corpore contra peccata certantes. Nam si gentiles defecerint, qui persequuntur: numquid

ideo prompta voluntas fidelium debet sine fructu aetheris permanere? Ideo et si gentes non habes, quae te persequantur, habes principem gentium diabolum, qui hominem persequi nunquam cessat. Si enim principem potueris vincere in peccato, non est magnum superare ministros ejus in corpore tuo. Ecce ostendo tibi magnam et insuperabilem persequutionem in corpore tuo. Incipe resistere desideris tuis, et tunc intelliges quam fortes sunt spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Haec est enim pugna periculosa, et haec est gloriosa victoria qui potuerit odire quod amat, et amare quod odit. Aut ideo dixit eis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Dominus enim cognoverat propositum istud petentium fratrum, quia non primatum sibi petebant secundum mundiales honores, quem si ex duobus vel tribus unus acceperit, necesse est ceteros fieri eo inferiores: sed perfectionem pietatis petebant in regno caelesti, quam et multi consequi possunt: et cum fuerint consequuti, alterius perfectio alterius perfectione non minuitur. Utoputa, sedere ad dextram Christi, vel ad sinistram, numquid duorum est tantum? Innumerabiles enim possunt sedere ad dextram Christi, vel ad sinistram: tamen alter alterum a perfectionis ordine non excludit: quoniam hanc perfectionem pietatis nemo potest consequi, nisi qui legitime certaverit usque ad mortem. Ideo interrogat eos, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ut illis respondentibus quia possumus, audiant ceteri condiscipuli, et conquiescant, intelligentes quoniam et ipsi, si parati sunt mori cum Christo, nihilominus possunt juxta Christum sedere, per illorum sessionem nequam exclusi, sicut ipse dicit per prophetam in Psalmo: *Oculi mei semper ad fideles terrae, ut sedeant hi mecum* (Psal. 100. 6). Non enim locus sedendi major et minor est juxta Christum, sed fides patiendi cum Christo. Non est calix et baptismum unum. Calix enim passio est, baptismum autem ipsa mors. Dicitur est autem baptismum secundum similitudinem hanc intinctae. Sicut enim lana intingitur, naturalem habens colorem, ut coloretur purpurea, aut alicujus coloris accipiat dignitatem: sic et nos in mortem descendimus corporales, et resurgimus spirituales, sicut ait Apostolus: *Seminamur in infirmitate, surgimus in virtute: seminamur in ignobilitate, resurgimus in gloria: seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale* (1. Cor. 15. 43. 44). Omnis quidem mors habet in se passionem, non habet in se omnis passio et mortem. Multi enim fuerunt, qui passi sunt, et non sunt occisi, quales sunt confessores. Illi omnes calicem quidem Domini biberunt, baptismum autem ejus baptizati non sunt. *Dicitur ei, Possamus.* Non tantum confidentia cordis sui, quantum ignorantia tentationis hanc responderunt. Nescientibus enim desiderabile est bellum, sicut et inexpertis levis videtur esse tentatio passionis et mortis. Si enim Dominus cum in tentationem passionis venisset, dicebat: *Pater, si potest fieri, transeat a me calix iste* (Math. 26. 39). Quanto magis discipuli non fuerant dicturi quia Possamus, si seissent qualis esset tentatio mortis? Magnum quidem dolorem habet passio, tamen mors habet majorem timorem. Et dicit eis: *Calicem quidem meum bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (Marc. 10. 39). Numquid non habebat potestatem praestare cui volebat, eum sit scriptum, *Pater digne Filium, et omnia dedit in manu ejus* (Joan. 3. 35)? Sed ideo non refutavit petitionem eorum, ne exanimaret eos, et pusillanimes faceret. Nam non facile de caetero resumit sperandi virtutem qui semel de eo, quod speraverat, cadit. Noluit autem suscipere petitionem eorum, ne ceteros omnes tristaret. Nam necesse erat, quod vel talia cogitarent, adhuc sine auxilio Spiritus sancti constituti: Si semel istis duobus totius regni illius societas dividenda est, si unus sessurus est ad dexteram, alter ad sinistram ejus: ergo

nos quid sumus facturi, aut quid fieri jam speramus? Ideo eum sequuti sumus, ut illis electis de medio nostrum, nos inveniamur relictis. In omni labore similes eis fuimus, et nunc inventi simus in honore dissimiles. Nam necesse erat, ut carnalia cogitarent, qui necdum facti fuerant spirituales. Si enim petitio eorum suscepta non est, et omnes conturbati sunt, quare vel hoc ipsum petere ausi sunt: quanto magis fuerant conturbandi, si petitio eorum suscepta fuisset? Ideo neque dixit, Non sedebitis, ne duos confunderet: neque dixit, Sedebitis, ne ceteros irritaret: sed quid? *Hoc non est meum dare vobis, sed Patris.* Tumquam benignus et providus pater sic omnia disponit et ordinat, ut inter fratres unanimis fraternitatis caritas non rumpatur. Videte quomodo et nullum ex eis turbavit, et omnes fecit sperare, dicens, *Non est meum dare vobis, sed Patris.* Nam quod uni aut duobus specialiter non promittitur, a cunctis speratur. Quid ergo? mentitus est Christus, dicens: *Non est meum?* Non. Omnis enim qui habet potestatem, si acceptam habet ab alio, illius est vere qui dedit. Nam quid habebat Filius proprium, cum ipse non esset suus, sed Patris? (a) [Ergo inter eum, cuius non est, et inter eum, cuius est, nec persona una est, nec æqualis potestas. Si enim unus Deus et Pater et Filius, aut certe potest, aut certe non potest. Quis vidit talem unum Deum cælestem colere qui in dimidio potens est, et in dimidio impotens? Aut quis illos putet æquales, quorum non est æqualis potestas?] Audiamus hæc et intelligamus, nos Christiani, ut quando aliquid petimus a Deo, et non impetramus, non frangatur fiducia nostra, neque cadat spes nostra a Deo, ut de cætero desperemus de misericordia ejus: quia nec fratrum istorum fracta est fiducia, aut cecidit spes, cum non impetrassent. Quid enim, si non expedit nobis accipere quod petimus, sicut nec illis expediebat? Quamvis autem putas te spiritualem rem petere secundum Deum, et dignam impetratione: tamen si non impetraveris, graviter ferre non debes. Nam Jacobus et Joannes rem spiritualem et dignam Deo se petere æstimabant: tamen reprobata est petitio eorum, et inutilis iudicata. Non enim omne, quod apud homines justum videtur, jam etiam apud Deum similiter justum est: quanto major est Deus homine, tanto profundiora sunt Dei judicia quam hominis. Numquid digniores esse possumus Jacobo et Joanne, ut non impetrandes quod petimus, doleamus, cum nec illi de non impetrato beneficio sunt contristati? *Et audientes decem, contristati sunt de duobus fratribus.* Quemadmodum isti carnaliter petierunt, sic et illi carnaliter contristati sunt. Nam sicut isti, si spiritualiter sapuisent, non fuerant petitori, ut essent super omnes: sic et illi, si spiritualiter intellexissent, non fuerant contristaturi, esse aliquos ante se. Nam velle quidem esse super omnes, vituperabile est: sustinere autem alterum supra se, nimis est gloriosum. O error salutaris, qui totius mundi solvit errorem! Si enim apostoli non sic errassent, unde nos cognoscere poteramus, quia non omne, quod videtur bonum desiderare bonum est quia malum? Putabamus quia malum desiderare, malum est, ut avaritiam aut furtum: nunc autem scimus, quia aliud est opus bonum, aliud est primatus honoris. Et opus quidem bonum desiderare bonum est: primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: quoniam bonum opus implere, nostre voluntatis, et nostri operis est, et laboris, propter quod et nostra est merces: primatum autem consequi, iudicii Dei est, propter quod ex primatu honoris nescio si aliquam mercedem justitiæ adipisci meremur. Nam desiderium primatus ex jactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, et indigniorem se aliis arbitratur, secundum illud præceptum apostolicum, quod ait: *Alter alterum æstimans superiorem se, nunquam desiderat superior apparere* (Rom. 12. 3. et Philipp. 2. 3). Primatus enim fugientem se desiderat,

desiderantem se odit. Videns autem Dominus alienum spiritum in cordibus discipulorum, quasi hostem in suis castris vagantem, non eos increpavit, non projecit a facie sua, et istos male petentes, illos non bene tristantes. Si enim rex terrenus videret, quod civitatem illius occupatam teneat hostis, quid facere potest? Nihil, nisi ut ponat arietes, circumducatur exercitum, et destruat muros, quos forte ipse ædificavit, ut tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri Regis. Postquam vidit sua castra occupata a spiritu alieno, sic hostem expulit, ut castra sua non laderet, dicens: *Scitis, quod principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, erit omnium minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Fructum humilitatis terrestris posuit primatum celestem, et primatus terrestris fructum posuit confusionem cælestem. Quicumque ergo desiderat primatum cælestem, sequatur humilitatem terrestrum: quicumque autem desiderat primatum in terra, inveniat confusionem in cælo: ut jam inter servos Christi non sit de primatu certamen, nec festinet unusquisque eorum, quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur: quoniam non qui major fuerit in honore, ille est justior, sed qui justior fuerit, ille est major. Conversatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus. Volens certe Dominus et duorum fratrum ambitionem extinguere, et decem discipulorum invidiam, introduxit differentiam inter principes mundiales et ecclesiasticos, ostendens, quia primatus in Christo nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri est invidendus habenti, quoniam principes mundi ideo fiunt, ut dominentur minoribus suis, ut servificent eos, et spolient eos, et comedant, et usque ad mortem abutantur vita eorum ad suas utilitates et glorias: principes autem Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, et ministrent eis quæcumque acceperunt a Christo, ut suas utilitates negligant, et illorum procurent: ut, si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus dicit: *Ego autem impendar, et superimpendar ipse pro animabus vestris* (2. Cor. 12. 15). Si hæc ergo ita habent, sæcularem quidem primatum desiderare, etsi ratio non est, vel causa est: quia etsi justum non est, vel utile est: primatum autem ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa: quia neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens ultro se subjicere festinat servituti, labori, dolori, et quod majus est, periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia apud justum Judicem, nisi forte qui nec credit iudicium Dei, nec timet uti abutens primatu suo ecclesiastico sæculariter, convertat eum in sæcularem? Sed ne forte qui talis est in appetendo primatum, profectum pietatis pie prætendat, dico: Numquid qui in ordine prior est, jam et meritis est melior?

*Deus solus scit differentiam inter sanctos. In cælo ignorantur invidia et superbia.* — Quamvis quidem differentiam esse inter sanctos denegare non possumus, tamen ut cognoscat unusquisque, si melior, aut deterior sit, nemini est concessum. Ideo prudenter Apostolus membris corporis assimilavit sanctos Ecclesiæ (Rom. 12. 5). Sicut enim homo quidem intelligit, quod membrum honorabile habet in corpore suo, quod inhonestum: unumquodque autem membrum non se cognoscit ipsum, si honorabilis sit, aut contemptibilis; alioquin et quæ honorabiliora sunt, gratularentur, et quæ contemptibiliora sunt, tristarentur, et per hoc fieret inter ea scissura: sic differentiam inter sanctum et sanctum Christus solus cognoscit, cuius membra nos omnes sumus. Ipsi autem sanctis non est concessum, ut cognoscant differentiam suam ad invicem, ut non meliores superbiant con-

<sup>1</sup> v. D. et Editi in marg., non deleret.

<sup>2</sup> idem in marg., quæ honorabiliora sunt superbirent, et quæ.

(a) Uncinis clausa in quodam exemplari deerant.

tra deteriores, et deteriores tristentur contra meliores, et per hoc soluta caritate, inter eos discordia nascatur, maxime in hoc sæculo facinoroso<sup>1</sup>, in quò occasiones jugiter querit diabolus odiorum seminandum. Quod autem in hoc sæculo differentia dignitatis facta est inter sanctos, dignitatis dico, non sanctitatis, ut alter quidem sit apostolus, alter autem episcopus, vel minister. vel laicus: contumacia carnis coegit, ut perversitas mundi, et occulta operatio inimici coereatur: quoniam diabolus imperans carni et mundo, in multam indisciplineationem excitat homines, quamdiu sunt in carne, et in mundo subdito ei, alios in lasciviam, alios in delicias, alios in invidiam, alios in avaritiam, alios in iram et superbiam: nisi ergo sint quos timeant, solvitur disciplina. Denique ipsi honores in Christo in prima quidem facie videntur honores, re vera autem non sunt honores diversi, sed sunt diversa ministeria. Utpote, honor oculi videtur, quia illuminat corpus: sed ipse honor illuminandi non est ei honor, sed ministerium ejus. Et pedum humilitas esse videtur, quia bajulant corpus: sed ipsa humilitas bajulationis non est eorum contemptio, sed ministerium eorum. Propterea dominus corporis, scilicet homo, nec oculum suum amplius honorat quam pedem, nec pedem magis contemnit, quam oculum: quia nec oculum pro aliquo suo merito honoratus est, ut oculus sit, sed ad hoc ministerium creatus est; nec pes pro sua culpa contemptus est, ut sit pes, sed ad hoc ministerium est creatus. Propterea unumquodque membrorum nil minus se habere intelligens, secundum ministerium, ad quod est creatum, nec amplius, nec invidet alteri membro, quasi plus habenti, nec spernit alterum membrum, quasi minus habens. Sic est et inter sanctos. Uniuscujusque sancti honor non est honor ejus, sed actus ipsius. Utpote, apostoli apostolatus putatur et nobis honor esse ipsius apostoli: vere autem non est honor ejus, sed ministerium ejus. Unde Paulus de apostolatu suo dicebat: *Nam si evangelizem, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi, si non evangelizavero* (1. Cor. 9. 16). Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitatus, dispensatio mihi credita est. Similiter et diaconatus diaconi contemptibilitas videtur a nobis, vere autem non est contemptibilitas ejus, sed actus ipsius. Propter quod Deus nec apostolum amplius diligit, quam diaconum, quia apostolus est, nec diaconum, minus quam apostolum, quia diaconus est: quia nec apostolus pro merito suo antecedenti honoratus est, ut esset apostolus, sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus secundum motum animæ suæ. (a) [Nec diaconus pro merito suo antecedenti contemptus est ut esset diaconus, sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus secundum motum animæ suæ.] Propter quod neque apostolus laudem habebit apud Deum, quia apostolus fuit, sed si opus apostolatus sui bene implevit: neque diaconus exprobandus est, quia diaconus fuit, sed si opus suum neglexit. In nullo ergo hominis est honor, nisi in quo bene implevit opus suum: et nulla contemptio ejus est, nisi in quo neglexit proprium opus. Unde sicut pes libenter servit oculo, quasi sibi servienti, sciens quia nisi oculus, suo ministerio fuerit usus, nec ipse suo poterit uti: et oculus libenter servit pedi, quasi sibi servienti, sciens quia nisi pes suo officio fuerit usus, nec ipse suo poterit uti: sic et sancti invicem sibi debent esse subjecti, ut minor majori non invidet, quasi majori, sed libenter ei obsequatur, quasi sibi servienti, in eo ipso quod major est, et major non contemnat minorem, quia major est, sed libenter ei obsequatur, quasi sibi servienti. Hæc omnia tractavimus propter duos fratres, qui petierunt sibi primum, cum non debuissent: et decem apostoli indignati sunt contra eos, cum non

debuissent. *Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis.* Ad hoc enim ad imaginem Christi facti sumus, ut imitatores efficiamur voluntatis ejus et conversationis. Numquid ad similitudinem majestatis ejus sumus creati? Nam ille quidem nostram carnem imitari potuit, nos autem illius divinitatem imitari non possumus: sed in hoc sumus imago ejus, ut quod ei bonum videtur, et apud nos sit bonum, et quod ei malum videtur, et apud nos sit malum. Quicumque autem, Domino humilitati studente, jactantiae studet, non est imago Christi. Et qui, Domino paupertatem amante, divitiarum amator est in hoc sæculo, repellit a se Christi similitudinem. Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum: nec est vera imago, quæ similitudo non est auctori.

*Honilia xxxij. ex capite xx.*

29. *Et egredientibus eis ab Jericho, sequuta est eum turba multa, etc.* Testimonium studiosi agricolæ est messis fecunda: assidui autem doctoris documentum ecclesia plena: negotiatoris prosperata felicitas, apotheca multiplex. Neminem labor itineris impediit, quia amor spiritualis fatigationem non sentit. Neminem sexus muliebris retinuit, quia inter virum et mulierem corporis quidem differentia est, gratia autem una est, et una conditio in omnibus. Illic ergo differentia sexus requiritur, ubi causa carnalis est, et ubi caro, non spiritus operatur. Neminem possessionum suarum sollicitudo retraxit<sup>1</sup>, quia ingrediebantur in possessionem regni cælestis. Vere enim non habet super terram quod amet, qui bonum cælestis in veritate gustaverit. Sicut enim qui pretiosam gustaverit cibum, postmodum ei hæc esca communis ingrata videtur: sic et qui semel de dulcedine Christi bene gustaverit, terrenorum bonorum de cætero non multum sentit saporem. Quis non desideret illum, aut quis non sequatur eum quem etiam duo cæci, antequam corporaliter viderent, spiritualiter aspexerunt, et antequam audirent, crediderunt? Nimirum hæc est illa rosa in campis Jericho, de qua Sapientia loquitur per Salomonem: *Sicut palma exaltata non in Cades, et sicut plantatio rosæ in Jericho* (Ecl. 24. 18). Ergo hæc est illa speciosissima rosa, sanctitatis justitiæ candida, et passionis sanguine rubicunda. Sicut enim rosa antequam videatur, sentitur, et antequam invenitur, tenetur in odoribus suis: sic et Dominum transeuntem de longe, duo cæci antequam viderent, divinitatis ejus fragrantiam senserunt.

30. *Et ecce duo cæci.* Ecce, dicendo, opportunitatem ostendit: hoc est, opportune obliti sunt ante faciem Christi, ut aperti oculis, quasi testes virtutis ejus, ascenderent cum eo in Jerusalem: quia futurum erat, ut sacerdotes repleti invidia, dicerent contra eum, In qua potestate facis hæc? ut videlicet cæci respondeant, etsi non voce, tamen ipsa re: Ecce nos cæci fuimus, et videmus. Quid ergo de potestate requiritis, qui videtis virtutem? Erubescite, carnales oculi, qui ante vos Christum stantem non aspiciis, quem etiam crediderunt duo cæci sedentes secus viam, non in via. Duo cæci duo populi sunt, Judaicus, et gentilis. Aut sicut quidam interpretantur, ambo gentiam, unus ex Cham, alius ex Japhet. Ideo autem cæci, quia nondum eis apparuerat unigenita lux. Secus viam: id est, juxta veritatem conversabantur, sed veritatem invenire non poterant, quia via veritatis certior adhuc demonstrata non fuerat: vel secundum rationem verbi degentes, non autem in ipsa ratione verbi consistentes: quia notitiam verbi nondum acceperant. Sicut enim qui in tenebris ambulat, si semel viam perdidit, interdum tota nocte ambulat juxta viam errans, et non invenit viam, donec supervenerint dies: sic et homines ambulantes in erroribus vel

<sup>1</sup> v. d. et Editi in marg., *fastidioso, alia lectio, factioso.*  
(a) Uncinis clausa desunt in exemplari quodam.

<sup>1</sup> Iidem in marg., *possessionum suarum recordatio retraxit.*

peccatis, postquam Dei cognitionem semel perdiderunt, ad perfectam notitiam veritatis redire non poterant, nisi dies, scilicet Christus, venisset, quamvis circa veritatem vivebant. Quomodo juxta veritatem vel rationem verbi gentes conversabantur? Leges rationabiles proponebant, sincera judicia judicabant, dicente Apostolo: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt; faciunt* (Rom. 2. f4). Ergo quasi justitiam quidem faciebant, sed justitiam tenere non poterant, non intelligentes quomodo oporteat scire: quia qui Deum deligit, hic cognitus est a Deo. Judæi autem quomodo erant cæci? Quia legem sectantes, legis justitiam non invenerunt: quia ex operibus, et non ex fide justii erant. Dicit enim Paulus: *Testimonium illis perhibeo, quia æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam* (Rom. 10. 2). Nam volentes justitiam suam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. *Audierunt quod Jesus transiret, et clamaverunt dicentes: Miserere nobis, Domine fili David.* Currentium strepitum audiebant, et personas non videbant. Undique festinantibus cunctis, soli sedebant indissolubili tenebrarum catena ligati, nihil solum habentes de toto corpore, præter vocem. Et ideo quia pedibus eum sequi non poterant, voce tenebant<sup>1</sup> dicentes: *Miserere nobis, Domine fili David.* O tenebræ omni lumine clariores! o acutissimæ cæcitatæ aspectus! Pura quanti homines sani, et juxta Jesum, qui via est, ambulantes, hominem illum putabant: et duo cæci, et longe sedentes, Deum prospexerunt. Audierunt enim gentes de transitu Jesu, secundum testimonium prophetarum annuntiantibus sibi apostolis. Audierunt enim adventum ejus in mundum, et passionem ejus, et resurrectionem, et ascensionem ejus in cælum<sup>2</sup>: audierunt de transitu ejus, cum jam egressus fuisset ab Jericho, id est de hoc mundo. 54. *Turba autem increpabat eos, ut tacerent.* Videbant sordidas vestes, et non considerabant conscientia claritatem. Ideo vetabant eos, non invidentes eis, sed honorantes Christum. Indignam enim eis videbatur, ut tales homines vociferarent ad eum. Ecce fatua sapientia hominum. Existimabant injuriam pati magnos viros, si a pauperibus honorarentur. Quis enim pauper ausus est divitem publice salutare? Mox indignatur, quasi injuriam passus. Aut hi, qui vetabant, in mysterio Judæorum vetabant, quia omnia faciebant, ne gentes in Christum credentes salvarentur. *At illi magis clamabant dicentes: Miserere nobis, Domine fili David.* Inviabantur veliti, magis quam compescebantur. Talis est enim natura fidei: quanto magis vetatur, eo magis accenditur, propter quod et servi Dei in persecutionibus non vincantur, sed quanto magis afflicti fuerint, tanto amplius accenduntur. Virtus ergo fidei in periculis securæ est, et in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, quam longa tranquillitas? Ergo vetantes eos, addebant eis et alteram causam doloris. Primum, ne clamarent, quia cæci erant: secundo, quia vetabantur ad lumen venire. 52. *Et stans Jesus vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam vobis?* 53. *Dicunt ei: Domine, ut aperiantur oculi nostri.* O Domine, quid interrogas quod ipse oculis vides? infirmitas clamat, et ut quid vocem perquiris? Non quero propter passionem, sed propter fidem. Non capio audire quid dolent, sed volo cognoscere quid de me sentiunt. Tu, Domine, occulorum es cognitor, et nescis quid de te sentiunt? Etiam scio, sed volo ut procedant ad medium populi, et cunctis audientibus dicant quod volunt: et dum cæci me Dei Filium confitentur, confundantur videntes, qui me hominem tantum putant. Dominum me vocant, et verum dicunt: sed dum Alium David dicunt, dissipant quod bene confessi sunt. Nam abusive et homines domini dicuntur, vere autem nemo dominus est, nisi Deus.

<sup>1</sup> V. D. Editi in marg., voce *sequabantur.*

<sup>2</sup> Idem in marg., *resurrectionem et reditum ejus in cælum.*

Si ergo dicunt, *Domine fili David* (1. Cor. 8. 6), abusive secundum hominem me honorant: si autem solummodo Dominum, secundum deitatis divinitatem me confitentur: quia *Unus Deus, ex quo omnia, et unus Dominus, per quem omnia.* Filius enim David cæcos illuminare non potest, Filius autem Dei potest: ideo interrogat, *Quid vultis?* Tunc illi jam non dixerunt, Domine fili David: sed tantum, *Domine, ut aperiantur oculi nostri.* 55. *Miserere est autem eis Jesus, et tetigit oculos illorum, et confestim viderunt.* Quamdiu ergo dixerunt, *Domine fili David,* suspensa est sanitas, mox autem ut dixerunt tantummodo, *Domine, infusa est sanitas super eos.* Tetigit ergo oculos eorum. Tetigit homo carnaliter; nam verbo sanavit, ut Deus: tetigit, quia David filium eum dixerunt: sanavit eos, quia crediderunt potentie ejus, ut una eademque operatio sanitatis et fidem eorum remuneret, et infidelitatem castiget. Bonum munus obtulerunt Christo sananti. Quale? Sequuti sunt eum. Nam quid homo in vicem reddat Deo digne pro beneficiis ejus, nisi id quod ipse admonet per prophetam? *O homo, quid quærit Deus a te, nisi ut facias iudicium et misericordiam; et paratus sis ira cum Domino Deo tuo* (Mich. 8. 6). Consequenter et gentium oculos mentis tetigit Dominus Jesus, dans eis gratiam Spiritus sancti. Tangere enim Christi, est dare gratiam Spiritus sancti. Quæ gentes, cum fuissent illuminatæ, sequutæ sunt eum operibus bonis, nunquam postmodum relinquentes eum, sicut aliquando Judæi fecerunt.

#### Homilia xxxvij. ex capite xxi.

1. *Et cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, etc.* Puto, res ipsa exigit, ut quæramus. Frequenter quidem Jesus venit in Jerusalem, sicut Joannes testatur, nunquam tamen sibi adhibuit ministeria jumentorum, nec ramorum circa se virentia constituit ornamenta, nec ad terribilem laudem suæ divinitatis animos populi excitavit, nisi modo quando ut pateretur ascendit. Ideo ergo cum tanta gloria est ingressus, ut amplius eorum adversus se excitaret invidiam, quia jam tempus passionis ejus instabat, et non mors eum urgebat, sed ipse magis adversus se compellat mortem. Quotiens enim de manibus sacerdotum elapsus evasit, cum esset invisibilis factus? Quando Judæi Christum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt. Quando autem ipse sequutus est mortem, parcere ei Judæi non potuerunt. Ergo si Christus eos provocavit, forte de morte sua fecit eos innoxios? Absit. Excitavit eos, non ut facerent quod ante noluerant, sed ut possint facere quod prius volebant: facultas eis data est, non mutata voluntas. *Tunc Jesus misit duos discipulos, 2. dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, et confestim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. Solvite et adducite mihi.* Asina et pullus ejus Judæi sunt et gentes. Judæa enim secundum Deum mater est gentium. Sic enim dicit ad eam Deus per Isaiam prophetam: *Et constitui principes tuos sicut antea, et consiliarios tuos sicut ab initio: et tunc vocaberis civitas justitiæ, et mater civitatum* (Isai. 1. 26), id est, Ecclesiarum, *fidelis Sion.* Propter quasdam tales similitudines animalibus his assimilati sunt homines, Deus vel Dei Filium non cognoscentes. Est enim animal hoc immundum, et præ cæteris pene jumentis magis irrationabile et stultum, et infirmum, et ignobile, et oneriferum magis: sic fuerunt et homines ante Christi adventum idololatræ, passionibus diversis immundi et irrationabiles, verbi ratione carentes, quantum ad Deum stulti. Quid autem stultius quam Factorem contemnere, quam facturam et opus manuum suarum adorare, quasi Factorem? Erant enim infirmi secundum animam et ignobiles, non valentes resistere passionibus suis, et obliiti generationem suam cælestem, facti fuerant servi passionum suarum et dæmonium, quibus resistere non valebant. Et quicunque dæmonium vel philosophorum cujusque erroris vel dogmatis alicujus sarcinam eis vo-

huisset imponere, sufferebant : et omnia non bona patientia supportabant, nec resistebant. Propter quæ omnia et Apostolus ad Corinthios dicit : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi fortes, non multi nobiles; sed quæ stultitia mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia; et ignobilia, et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret* (1. Cor. 1. 26-28). At ubi Christus super eos ascendit, et induxit in templum, lavati per baptismum, facti sunt de immundis animalibus homines sancti. Percepta enim verbi ratione, sapientia Dei facti sunt rationabiles, et prudentes : et inventa est irrationalitas eorum esse simplicitas, et stultitia eorum mansuetudo. Nam simplicitas, sine ratione verbi, hominis irrationalitas est : et mansuetudo si non sit propter Deum stultitia est. Adhuc autem accepta gratia, et recognita regeneratione sua cælesti, facti sunt de infirmis et de ignobilibus fortes et nobiles : et quæ videbatur infirmitas, innocentia est inventa in eis, ignobilitas autem humilitas. Nam innocentia sine Deo infirmitas æstimatur, et humilitas non propter Deum ignobilitas judicatur. Item rejicientes a se onera dæmonum, suscipientes super se jugum Christi suave, et onus ejus leve, et ipsum sessorem in cordibus suis suscipientes, facti sunt patientes. Nam patientia irrationalis onerifera æstimatur et ligata, id est, diabolici erroris vinculo impedita, ut non haberet libertatem ire quo vellet. Nam omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quod si semel peccantes obligaverimus nos operibus ejus, jam nostra virtute evadere non possumus ; sed sicut navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, ubi tempestas voluerit : sic et homo, divinæ gratiæ auxilio perditio peccatum, agit non quod vult, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordiæ suæ solverit eum, usque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate et negligentia alligimur, sed per Dei misericordiam absolvimur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis, quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regem quem elegerit ; cum rex ille fuerit factus et confirmatus in regno, jam habet potestatem in hominibus, et non potest populus jugum ejus de cervice sua repellere : nam primum quidem in potestate populi est, facere sibi regem quem vult, factum autem de regno repellere jam non est in potestate ejus, et sic voluntas populi postea in necessitatem convertitur : sic et homo, priusquam peccet, liberum habet arbitrium, utrum velit sub regno esse diaboli ; cum autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, jam non potest de potestate ejus exire : et sic prima voluntas ejus in necessitatem convertitur. Et hoc est, quod homines sæculares et peccatores dicere solent : Numquid volumus esse sancti ? et quis non vult esse justus ? Sed non possumus. Verum quidem est, quod dicunt, sed non habent excusationem : quia primum potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent ; postquam vero posuerint thronum diaboli in cordibus suis, jam nemo potest eos de potestate diaboli eripere, nisi solus Deus. *Solvite*, inquit. Quomodo ? Per doctrinam vestram, per miracula vestra : quia omnes Judæi et gentes per apostolos sunt liberati. *Adducite mihi*. Per ministerium, id est, ad gloriam corrigite illos. Duos autem misit apostolos, quia per duo generalia mandata omne genus hominum de peccato absolvitur. Qualia ? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum* (Deut. 6. 5. Levit. 19. 18). In his duobus mandatis omne peccatum expellitur, et omnis justitia consummatur. Aut certe alia duo, *Quod tibi non vis fieri, uti ne feceris* (Tob. 4. 16). Item, *Quod vultis ut faciant vobis homines, facite et vos similiter* (Matth. 7. 12). Quidam autem istos duos Petram et Philippum apostolos exponit intelligi oportere : quoniam hi primum

transgredientes Judaicos fines, gentes adduxerunt ad Christum : Philippus quidem Samaritanam, quam ipsam Samaritanam asinam esse interpretatur : Petrus autem gentes, accipiens Cornelium ex gentibus, quasi Samaritanæ pullum. 3. *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicit : Dominus operam eorum desiderat*. Ne dicatis, Dominus tuus ; neque, Dominus noster ; neque, Dominus jumentorum : ut intelligant omnes, quia ego solus Dominus, non solum animalium, neque solum eorum qui mihi subditi sunt, sed omnium hominum etiam qui mihi contrarii sunt. Nam et peccatores conditione quidem mei sunt, voluntate autem sua diabolici. *Meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus* (Psal. 25. 1). *Dominus operam eorum desiderat*. Justum est ut aliquando creatura serviat suo creatori. Gentes enim Deus in potestate diaboli pro tempore reliquit, ut tentet, non in æternum contempsit, ut perdat. Necessè est autem ut fiat quod scriptum est : *Homines et jumenta subabis, Domine* (Psal. 55. 7). *Confestim autem remittet eos*. Animal quidem postquam ingressum est in Jerusalem Judæarum, ad dominum suum remissum est, animalis autem propheta in Judæa remansit. Nam de animali illo non hoc, quod videbatur, necessarium erat Christo, sed illud, quod intelligebatur, id est, non caro, sed ratio : ideoque caro remissa est, ratio autem remota est. Aut ita. Non dixit, et iterum remittet eos ad te : sed tantum, *Remittet eos*, ut ne mysterium præcederet rationem. Nam puto in primis homines non sermone nudo vocavit apostolorum, sed per virtutem Spiritus sancti solvit pariter et adduxit. Postquam autem adduxit, iterum dimisit eos in arbitrio, ut labore suo comitante gratia justificarentur. Nam quod vocati sumus, Dei est, quod autem digne post vocationem vivimus, nostrum pariter est et Dei. Hoc est quod ait, iterum remittet eos, non ad diabolum, qui prius tenebat eos, sed in arbitrio suo, adjuvante gratiæ scilicet dono. 4. *Hoc autem totum factum est ut impleteret quod dictum est per prophetam dicentem : 5. Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium jumenti* (Zach. 9. 9). Dominus noster ascendens ad mortem Jerusalem, magnam gratiam pacis et concordie mundo universo quasi in testamento reliquit. In mysterium enim gentium futurarum, sedens super asinam et pullum ejus, intravit in templum, et sic gentes Judæis conjunxit. Sciens autem propheta multam Judæorum, quia contradicturi fuerant Christo ascendenti in templum, ideo præmonuit, ut per hoc signum cognoscerent regem suum Judæi, dicens : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum ejus*. Ecce, ostendentes verbum est : id est, Non corporali aspectu, sed spirituali intellectu opera virtutum ejus aspiciat, non schema visionum ejus. Si enim schema ejus aspexeritis, deijciendi estis in natura humana : si autem opus ejus consideraveritis, salvandi estis in virtute divina. Ante tempora autem multa constitutus propheta, videns eum spirituali aspectu, qui nondum natus fuerat, ideo dicebat, *Ecce*, ut ostenderet quia ille, de quo loquebatur, antequam nasceretur, jam erat. Cum ergo videritis eum in templo, o Judæi, nolite superbe agere contra eum dicentes : *In qua potestate hæc facis* (Luc. 20. 2) ? Quia *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*. Nolite considerare, in qua potestate facit, sed considerate tantum, si facere potest : quoniam hoc credere est, illud autem tentare. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*. Nolite dicere, *Nos non habemus regem, nisi tantummodo Cæsarem* (Joan. 19. 15). *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*. Si intellexeris, venit tibi ; si non intellexeris, venit contra te : id est, si intellexeris, veniet ut salvet te, et sub pedibus tuis subjiciat gentes, et dicas per prophetam gaudens : *Quoniam Deus excelsus, terribilis, et rex magnus super omnem terram : subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris* (Psal. 46. 3-5). *Elegit nos in hereditatem sibi, speciem Jacob quem dilexit*. Si autem non intellexeris, veniet ut perdat te, et de te

plo sanctitatis expellat, et aliam sponsam de gentibus castiorem indicat in cubiculum sanctitatis, ut in projecto et in tenebris constituta dicas per Salomonem: *Ne asperxeritis me, quoniam ego sum denigrata, quoniam despezit me sol* (Cant. 1. 5). Vis cognoscere mansuetudinem venientis? Considera speciem adventus ejus. Non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens; nec ascendit super fervidum equum discordiæ amatorum et litis qui gloriæ jactantia pectus habet repletum, qui de longe odorat bellum, et gaudet ad vocem tubæ, et cum viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, Bene est factum: sed sedet super asinam tranquillitatis et pacis amicam. Non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum: sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansuetudinem amaretur, *Sedens super asinam et pullum ejus*. Super matrem sedebat. Numquid et super pullum sedebat? Tamen etsi corporaliter fieri non poterat, ut super animal utrumque sederet, spiritualiter poterat, cum esset Deus, ut et in Judæis sederet, et in gentibus simul. Sedere autem super jumenta est in præcordiis eorum habitare, ut dicat illis Christus: *Tollite onus meum super vos, et videte, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11. 29). Mansueti enim mansuetum debent portare; qui vocavit eos, sessor est, non ut illos puniat propter peccata eorum, sed ut ipse requiescat in eis propter mansuetudinem eorum. Nam sicut hoc genus jumentum, si quid errat, in simplicitate errat, et non in asperitate: ita et homines, qui crediderunt in Jesum Christum, sive ex Judæis, sive ex gentibus, ante Christum non in malitia, sed in ignorantia peccaverunt. Ideo se deridebant non puniri sub gravi sessorre. Nam sicut peccatores equi sunt diaboli, ita et sancti equi dicuntur Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens, instigat eos per deserta facinorum: id est, per fornicationes, per avaritias, et cætera; Christus sedens in sanctis, dirigit eos per plana justitiæ, id est, in castitate, in humilitate. Ergo equitatus diaboli, perditio est: equitatus autem Christi, salus, sicut Habacuc dicit in canticis suis ad ipsum Christum: *Qui ascendis super equos tuos, et equitatus tuus sanitas est* (Habac. 3. 8). Ergo induxit pullum in templum, ut gentes Judæis conjungat, ut adimpleat quod Jacob benedicens filium suum Judam prophetavit: *Alligatis, inquit, ad vitem pullum meum* (Gen. 49. 11). Quæ est illa vitis? Judæa, quæ de Ægypto translata est, et in Oriente plantata. Et sicut prophetavit Noe de filiis suis, dicens: *Benedictus filius meus Sem, dilatet Deus Japhet, et inhabitabit in tabernaculo Sem* (Gen. 9. 26. 27). Sem enim pater fuit Judæorum, Japhet autem pater gentium, quæ per Christum ingressa sunt in tabernacula Judæorum. 6. *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat eis Jesus, 7. et adduxerunt asinam et pullum*. Quoniam euntes apostoli solverunt asinam alienam, ministerium quidem fuit eorum, virtus autem et auctoritas Christi. Nec enim potuissent tollere jumentum alienum ab illo domino, qui eos non cognoscebat, unde essent, nisi præveniens spiritus Christi cor domini ejus præparasset ad dandum. Sic quod apostoli solverunt Judæos vel gentes de vinculo inimici, in prima quidem facie eorum videbatur opus: re vera autem fuit virtus et gratia Christi. Nec enim a Christo duodecim constituti totum mundum ligatum sub potestate diaboli solvere potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem inimici. *Et imposuerunt super eum vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt*. Vestimenta sunt præcepta divina, et gratia spiritualis. Sicut enim turpitudine nuditatis vestimento tegitur, sic naturalia mala carnis nostræ præceptis et gratia divina teguntur. Omnis enim homo naturaliter non solum peccator est, sed etiam totum peccatum, dicente Apostolo: *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (Ephes. 2. 3). Unde et Adam ideo se vidit nudum, id est, peccatorem: et ideo foliis fœci, id est, mandatis aspe-

re legis cooperuit nuditatem suam. Et alibi promittens Deus justitias suas, et gratias ablatum de gente Judæa, sicut dicit Dominus per Osee prophetam: *Et auferam vestimenta mea, et linteamina, ostendam gentibus turpitudinem tuam* (Osee 2. 9). Ergo imposuerunt vestimenta sua super eos, id est, mandata et gratias quas ipsi acceperunt a Christo: super Judæos et gentes imposuerunt, id est tradiderunt; nec enim requiescere in eis potuisset Christus, nisi mandata ejus fuissent in eis. 8. *Plurima autem turba vestimenta sua sternebat: alii autem cadebant ramos de arboribus, et sternebant in via*. Videlicet ut eo veniente calcarentur a jumento. Vestimenta sunt mandata, sicut diximus: frondes autem speciem tenent pietatis. Quoniam ergo et mandata legis et species Judæicæ religionis a Christianis fuerant conculcanda in via, id est, in Christo: ideo tunc illa sub pedibus jumentum sternebant in via. Et vide quoniam super jumentum quidem apostoli posuerunt vestimenta sua, sub pedibus autem jumentum cætera turba Judæica: quoniam mandatis apostolorum sternuntur quidem Christiani et odorantur, legis autem mandata conculcant. Quotiescumque enim circumcisionem spernimus, sacrificia Judæorum pro nihilo æstimamus, et cæteras consuetudines Judæicas reprobamus. Vestimenta Judæorum, quibus ipsi induebantur, nos, qui sumus ex gentibus, sub pedibus nostris conculcavimus. Alius autem sic: Qui vestimenta, inquit, deposuerunt super asinam, apostoli sunt, cæterique doctores: vestimenta autem sunt decus et schema gloriæ. Gloriam ergo, quam Christus accepit a Patre, dedit discipulis suis: discipuli autem accipientes eam a Christo, dederunt eam gentibus, ut delectabiliter Christus sederet in eis, sicut ipse dicit: *Et ego gloriam, quam mihi dedisti, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (Joan. 17. 22). Turbæ autem, quæ vestimenta sternebant in via, credentes erant ex circumcissione, qui gloriam, quam habebant ex lege, videntes Christum, dejecerunt in terram, senectipos humiliantes, et cum apostolo Paulo dicentes: *Secundum justitiam, quæ ex lege est, conversatus sum sine querela, sed quæ fuerunt mihi lucra, hæc æstimavi propter Christum detrimenta, et arbitror stercore esse, ut Christum lucrifaciam* (Philip. 3. 6-8). Quid est autem aliud, quam justitiam legis terræ coequare, ante sublimem gloriam Christi? Qui autem ramos de arboribus præcedebant frondentes, ipsi erant credentes et eruditi doctores, qui ex prophetis accipientes exempla viva de Christo, quasi de arboribus semper virentibus, et nunquam folia verborum suorum dejicientibus, ramos frondentes ante pedes subjugalis populi sternebant, et per ea exempla quasi per ramos frondentes, virentes sine offenculo ambularent per viam vite istius, donec introirent in sanctuarium Dei. 9. *Turba autem quæ præcedebat, et quæ sequebatur, clamabat, dicens: Hosanna filio David*, etc. Memores populi mirabilium ejus, quæ ostendit eis, et sanctorum, quas præstitit eis, exsultantibus cordibus suis, ante et retro clamabant, *Hosanna filio David*. Qui præcedebant, senioriores erant, id est, patriarcharum, prophetarum, cæterique sancti, qui ante adventum Christi de adventu ejus et prædixerunt, et cognoverunt: sequentes autem juniores, id est, apostoli, martyres, cæterique doctores, qui post ascensum Christi de resurrectione ejus et ascensione vel operibus prædicaverunt et prædicant; et licet diversis quidem temporibus fuerunt, tamen in omnibus unus exultationis spiritus fuit. Et illi quidem prophetantes de Christo venturo clamaverunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: hi autem laudantes clamant de adventu Christi jam impleto, *Hosanna filio David*. Hosanna autem quidem interpretantur gloriam, alii redemptionem, alii Salvificam, sive Salvum fac. Nam et gloria illi debetur, et redemptio illi convenit, qui omnes redemit, et pretiosi sanguinis effusione salvavit.



*Homilia xxxiiij. ex capite xxj.*

10. *Et cum intrasset Jesus Jerosolimam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic, etc.* Merito commovebantur videntes rem mirabilem: homo enim laudabatur quasi Deus, sed Deus laudabatur in homine. Dicebant enim, *Hosianna filio David*. Puto autem quod nec ipsi qui laudabant, sciebant quid laudabant, sed spiritus subito ingressus in eos, nesciente animo, veritatis verba fundebat. 12. *Et intravit Jesus in templum Dei.* Hoc erat proprium boni filii, ut et veniens ad domum curreret patris, et illi honorem redderet, qui genuit eum, ut tu imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad ecclesiam curras, hoc erat boni medici, ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam primum ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic et de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus, quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho ejus interrogat, et eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est, si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marida est. Cor autem et stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiae locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiae spiritualis, Isaia dicente, de regibus quidem, *Omne caput in dolore*; de sacerdotio autem, *Omne cor in tristitia* (Isai. 1. 5). Sicut enim stomachus accipiens cibum, coquit eum in seipso, et per totum corpus dispergit: sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas a Deo, et excoquant eam in se, id est, tractantes et meditantes apud se, universo populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante, unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se, secundum suam naturam: ut puta quod suscipit jecur, totum fit sanguis; quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata sunt; quod autem in mamillas, totum efficitur lac: sic sacerdotibus in ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor, ita ut unum id ipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem perversis suscitet iracundiam, quasi bilis; in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac; in aliis autem odia, quasi phlegma nocivum et expuendum. Videte ergo, sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo et opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquid infirmatum fuerit membrum, non omnino languet et stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes; si autem et sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem: sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddunt rationem (Hebr. 13. 17). Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, et intellexit studiosus agricola, quia lesuram in radicibus haberet. Nam vere quemadmodum cum videris arborem pallentibus foliis, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cum videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. *Et eiciebat vendentes et evendes de templo*: significans quia homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator; aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia Dei, dicente propheta: *Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini* (Psal. 70. 15). Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, et se commendare, sine mailloquio non potest esse:

necesse est enim ut et isti male loquatur de illo, et isti male loquatur de isto: sic qui emit et vendit, sine mendacio et perjurio esse non potest: necesse est enim ut negotiatoribus hic juret, quia non tantum valet res, quantum comparat eam, et ille juret quia plus valet res, quam vendit. Sed est nec stabilis substantia eorum. Talium enim substantia aut ipsis viventibus peritura est, aut a malis heredibus dissipanda est, aut ad extraneos et inimicos hereditas ipsorum ventura est. Non potest ad bonum proficere quod congregatur de malo. Quemadmodum si triticum, aut aliquam bladi speciem cernas in cribro, dum huc illucque jactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt, et in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: sic et substantia negotiatorum, dum vadunt, et veniunt interemptionem et venditionem, minuitur, et in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum. Ergo ostende nobis quis est negotiator? omnes enim homines videntur negotiatores. Ecce qui arat, comparat boves, ut spicas vendat<sup>1</sup>; et qui operatur lignum, comparat lignum, ut utensilia vendat; et lintearius comparat linteamina, ut vendat et ostendat: et fenerator mutuat pecuniam, ut tollat usuras. Et quomodo antiqui Judaei et apostoli artificia laudaverunt? Quia magis sunt sine peccato. Sicut et Paulus fuit sutor tabernaculorum, et ipse mandat, dicens: *Curae et nostri bonis operibus praevenae* (Tit. 3. 14). Et apostoli quidam, sicut legimus, piscatores fuerunt. Ego ostendam qui non est negotiator, ut qui secundum regulam istam non fuerint intelligas omnes negotiatores esse: id est, quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam<sup>2</sup> vendat, sed ut opus faciat ex ea, ille non est negotiator: quia qui materiam operandi sibi comparat, unde faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum, id est, qui rem vendit, cujus aestimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio: ut puta, faber comparat ferrum, et facit ferramentum; sed ferramentum illud non tantum habet ferri quantum valet, sed secundum opus ferramenti appretiat. Qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eiecit. Unde super omnes mercatores plus maledictus est usurarius. Si enim qui rem comparatam vendit, mercator est et maledictus: quanto magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed a Deo donatam sibi dat ad usuram? Secundo, quia mercator dat rem, ut jam illam non repetat: iste autem postquam fovenerit, et sua iterum repetit, et aliena tollit cum suis. Adhuc dicit aliquis: qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, num est similis ei qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primum quidem, quoniam pecunia non ad aliquem usum disposita est, sicut ager, vel domus, sed ad pretium emendi vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, et fructum accipit ex eo: similiter et qui domum habet, usum mansionis capit ex ea. Ideo qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur, et pecuniam accipere, et quodammodo quasi communis are videtur lucrum cum lucro: pecuniam autem si repositam in sacculo tenens apud te, nullum usum capis ex ea. Tertio, ager vel domus utendo veterascit; pecunia autem cum fuerit mutata, neq. minuitur, nec veterascit. *Et membra numulariorum subvertit*. Pecunia spiritualiter homines intelliguntur: quia sicut numus habet charagma Caesaris, sic homo habet charagma Dei. Et quemadmodum solidus, qui non habet charagma Caesaris, reprobus est: ita et homo, qui non ostendit in se imaginem Dei, reprobus aestimatur. Unde Isaias dicebat ad Jerusalem: *Pecunia tua reproba est, compones tu miscuit vinum aqua* (Isai. 4. 23), et cetera. Ideo ergo membra numulariorum subvertit, significans quia in ter-

<sup>1</sup> editi in marg., ut segetes vendat. r. D., et species vendat.

<sup>2</sup> Aut etiam, immaculatam.



plē Dei non debent esse nūmi, nisi spirituales, id est, qui Dei imaginem habent : et non illi nūmi, id est, non illi homines, qui terreni regis imaginem portant, id est, diaboli. Nam sicut homo bonus in se imaginem Dei ostendit, sic et homo malus imaginem diaboli habet. Aut certe mensas spiritualiter dicit scripturas numulariorum, id est, sacerdotum. Vere enim sacerdotum illorum scripturæ eversæ sunt, ut jam nemo eorum pascatur in eis, succedente Novo Testamento priori. *Et cathedras vendentium columbas evertit* : loquens etsi non sermone, tamen ipso facto : Quid faciunt in templo multe columbæ venales, ex quo una columba gratuita descendit in templum corporis mei? id est, Spiritus sanctus replevit Ecclesiam meam. Non enim in sacrificio columbarum postmodum placiturum est Deo templum, id est Ecclesia, sed in Spiritu sancto. Dixi enim vobis per prophetam : *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, iumenta in montibus et boves ; cognovi omnia volatilia cæli* (Psal. 49. 9-11). *Immola Deo sacrificium laudis* (Ibid. v. 14), quia non hostias volo, sed corda : non sacrificia, sed fidem. Item dixi vobis per eundem prophetam : *Afferte Domino gloriam et honorem* (Psal. 28. 2). Et si vere vultis in templo Dei consistere, tollite hostias, et sic introite in atria ejus sancta. Tollite taurinos de templo, quia unus taurus est offerendus pro grege universo : de quo Jacob dicebat accusans Levitas, id est, sacerdotes : *Quia in ira sua occiderunt hominem, et in furore suo subvertierunt taurum* (Gen. 49. 6). Tollite oves de templo, quoniam unus agnus occiditur. Quoniam ergo per prophetas admonuerat eos, ubi hostias de templo tollerent animalium, et corda sua contribulata et humiliata offerrent, illi autem non obaudierant : juste nunc tamquam iratus super inobedientia eorum, propria virtute expellit eos<sup>1</sup>, ostendens per hæc, quoniam ipse est qui tunc per prophetas admonuerat eos de hostiis expellendis. 13. *Scriptum est enim : Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum* (Isai. 56. 7). (a) Templum autem Dei speluncam facit latronum, qui lucra terrena et illicita, non etiā spiritualia in animarum salutem sectantur. Cultusque religionis eo modo non tam cultus Dei est, quam iniquæ negotiationis occasio. Nam quotidie ingreditur Jesus in templum suum, id est in sanctam Ecclesiam, et ejicit omnes vendentes gratiam Dei de Ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos, omnesque ecclesiasticos, necnon et laicos : quia unius criminis habentur, pariter Dei dona vendentes et ementes : quia scriptum est, *Gratis accipistis, gratis date* (Matth. 10. 8). Columbas quoque vendentium cathedras evertit, ut quod honor sacerdotalis debet auferri ab eis, doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant. Quod igitur de ecclesiasticis diximus, hoc unusquisque de se intelligat. Dicit enim Apostolus : *Vos estis templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (1. Cor. 3. 16). Non sit igitur in domo pectoris tui negotiatio illicita. Nihil boni, quod facimus, vel facere possumus adjuvante Domino, appetitu jactantiæ faciamus, non terreni lucri concupiscentia, non malarum cupiditate rerum, ne ingrediat Jesus iratus et rigidus, et non aliter emundet templum suum, nisi flagello adhibito, id est, correctione gravissima, et de spelunca latronum, id est, de habitaculo dæmonum per usum iniquæ cupiditatis, et de domo negotiationis, id est, de corde terreni lucri inhiante, suæ faciat domum habitationis. Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, cruciantur delicti sanandis vulneribus, quibus humana fragilitas sauciatur. Diligens est adhibenda

curatio. Unde dicit Scriptura : *Quis enim gloriabitur castum se habere cor, mundum a peccato* (Prov. 20. 9)? Omnes igitur intelligant delictorum indulgentiam, et reparationis suæ necessariam sibi esse medicinam. Nemo enim est tanta firmitate suffultus, ut de justificatione sua debeat esse securus. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et solertiori cura nostras maculas tergamus. Quantulibet enim caste et sobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur, et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis est alienus, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiā castissimis animis necessarium est, quanto magis est expectandum, qui tota forte anni spatia aut sæcularius aut negligentius transierunt? Quos caritate debita commonemus, ut confugiant omnes ad presentem ubique Dei misericordiam, et digna se confessione cum observantia mandatorum Dei cunctorum corda sanctificent. Mitescat sævitia, iracundia mansuescat. Remittant sibi omnes culpas invicem suas. Nec exactor sit vindictæ, qui petitior est veniæ. Dicentes enim, *Dimitte nobis debita, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. 6. 12), durissimis nos vinculis colligamus, nisi quod profitemur impleamus. Clementes autem et mites animos largitas deorum. Nihil enim est dignius, quam ut homo sit auctoris sui imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini operis sit exsequutor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, nonne auxilium Dei munus explet ministri? Et benignitas servi, munus est domini. Et merito Deo gratiæ referuntur de pietatis officii, cujus opera videntur in famulis. Propterea ipse Dominus discipulis suis ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est* (Matth. 5. 16). 14. *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos omnes* : ut quod illi verbis clamabant, iste factis ostenderet. Quasi testis vocis eorum sanavit cæcos, ut cæci videntes, cæcos aspicientes, viderent et ipsi : ut istorum illuminatio corporalis fieret illis spiritualis lucerna cordis. Curavit et claudos, ut claudicantes Judæi in fide currebant ad Christum, ut meliores pedes illi acciperent videntes quam isti. 15. *Videntes autem principes sacerdotum, et scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Hosanna filio David indignati sunt, 16. et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt? Quibus ipse poterat dicere : Et vos videtis quid ego facio? Illos loquentes attenditis, et me facientem non consideratis. Ego enim factis interpretor voces illorum. Quemadmodum columna in templo, si steterit recta, accepto pondere amplius confirmatur; si autem modice obliqua fuerit, suscepto pondere, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latera : sic et cor hominis si rectum fuerit, videns opera alicujus viri justii, aut audiens, per doctrinam sapientiæ ejus amplius confirmatur; si autem fuerit perversum eor, videns opera alicujus viri justii, aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. Illo modo et sacerdotes videntes sanitates ægrotantium, et audientes laudem puerarum, non solum non crediderunt in Christum, sed magis excitati sunt contra eum, dicentes : *Audis quid isti dicunt? Utinam vos audieritis quid dicunt? Hæc enim sanitates ægrotantium de vocibus clamantium testimonium dant, quia vera sunt quæ dicuntur. Item voces clamantium de sanitatibus ægrotantium testimonium reddunt, quia magna sunt quæ fiunt. Si sanitates ægrotantium mentiuntur de Christo, interrogate voces clamantium. Si voces clamantium mentiantur, interrogate ægrotantium sanitates. Et ut quid quasi rem arguitis, quem tantæ testes defendunt? Si justo clamant, consentiite clamantibus, et credite in Christum; si autem injuste dicunt, reprehendite illos magis injuste, dicentes : Et ut quid Christam culpa-**

<sup>1</sup> Editi in marg., *Propria manu expellit ea, v. D., Propria eos virtute compellit.*

(a) Hæc, *Templum autem Dei*, et cætera quæ sequuntur, desunt in Cod. V. D. usque ad hæc verba, *Et accesserunt ad eum cæci et claudi*, etc.

tis? Quid enim culpant Christum, si intelligunt<sup>1</sup> illi quid dicant? *Jesus autem dixit eis: Utique numquam legis, Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem (Psal. 8. 3)?* Tamquam si dicat, Esto: istud mea culpa est, quia isti clamant: numquid mea culpa est, quia ante tot millia annorum hoc futurum propheta prædixit? Si recordamur quomodo superius dixit, *Turba autem quæ præcedebat, et quæ sequebatur, clamabat: intelligimus quia infantes dicebantur, non ætate, sed simplicitate cordis. Infantes autem lactentes, nec intelligere aliquid, nec laudare possunt. Lactentes autem dicebantur, quoniam quasi lactis suavitate, ita mirabilium delectatione excitati clamabant, sicut scriptum est: Sic exaltavi animam meam, sicut ablactatus super matrem suam (Psal. 130. 2).* Lac enim dicitur opus miraculorum, panis autem doctrina perfecte justitiæ, sicut ait Apostolus: *Et verbum meum, et prædicatio mea, non in persuasione sapientiæ verbi, sed in ostensione spiritus et virtutis (1. Cor. 2. 4).* Item post modicum sic dicit: *Et ego non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (Ibidem c. 3. 1. 2).* Omnis prima inductio fidei, id est, simplex doctrina, lac dicitur, quoniam sicut lac sine labore et sine opere dentium manducatur, et manducantem suavitate sua delectat: sic et mirabilia nullum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratione delectant, et ad fidem molliiter invitant. Panis autem perfectioris doctrinam justitiæ significat, quam accipere non possunt, nisi exercitati sensus circa res spirituales: quoniam qui audit, necesse habet intra se tractatibus quibusdam discutere et meditari: quasi quibusdam dentibus spiritualibus molere. Unde et lex ruminantia animalia voluit esse munda (Deut. 14. 6). Illa enim cæca doctrinæ non tantum carnalibus suavis est, quantum spiritualibus utilis est ad salutem. Sicut enim infanti si dederis fragmentum panis, quoniam angustas habet fauces, officatur magis quam nutritur: sic et homini imperfecto in fide, et puero sensibus, si altiora mysteria sapientiæ volueris dicere, angustam habens fidem et sensum, magis scandalizatur, quam ædificatur. Et quemadmodum viro perfecto si dederis lac, fauces quidem ejus delectat, membra autem ejus non confortat. De pane enim scriptum est, non de lacte, quia confortat cor (Psal. 105. 15). Si autem panem manducet, non tantum fauces ejus delectat, quantum præstat ei virtutem: sic et viro perfecto in fide, et maturo sensibus, si miracula ostenderis, delectatur quidem aspectu, nihil autem proficit ei ad ædificationem sensus, aut notitiam veritatis; si autem verbum sapientiæ exposueris ei, et ratione delectatur, et ædificatur in fide. 17. *Et relictis eis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, et mansit ibi: ut recedendo comperceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non comperitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius locum dando potes vincere, quam respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare, et illum non placas, et teipsum subvertis. Et mansit ibi. Noluit manere in Jerusalem, de qua jam voluntate recesserat, quæ in mortem Domini sui jam manus armatas tenebat, seipsam magis occisura quam Dominum; sed mansit apud Lazarum et sorores ejus, ut illic requiesceret corporaliter, ubi et spiritualiter repauserat. Nam sanctorum virorum est, non ibi querere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideiores: nec gaudent ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanctitas floret.*

*Homilia xxxix. ex capite xxj (a).*

18. *Mane autem revertens in civitatem, esuriit, 19. et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, etc. Non*

<sup>1</sup> Alias, non intelligant.

(a) in Cod. v. D. hæc Homilia præcedenti jungitur.

quasi homo cibum, sed quasi Deus salutem humanam, non quasi indigens querit nostram justitiam, sed quasi misericos desiderat nostram salutem. Si autem quasi homo esurisset cibum, nunquam mane esurisset: sed ideo ad hoc mane esuriit, quia semper esuriit, qui justitiam illorum esuriit, aut aliorum salutem. Merito ergo veniens ad gentem Judæam Christus, mane esuriebat, cum per tot millia annorum nullum justitiæ suæ desiderat cibum. *Mane autem.* Id est, initium duodecimæ horæ, de qua supra loquuti sumus. Vides ergo quia mutationes istæ sæculi ejus et horæ dicuntur, et dies: et si consideres per singula sæcula, quasi et mane, invenies fieri et vespere. Ecce factum est mane super Adam, quando creavit eum Dominus, et dedit ei mandatum justitiæ quasi lucem. Deinde magis atque magis hominum iniquitate crescente, et quasi nocte veniente, justitia quasi lux recessit ab eis. Iterum factum est alterum mane, quando Dominus veniens ad Noe propter reparationem sæculi, ad eum et ad filios ejus posuit justitiæ testamentum, quasi lumen. Iterum crescente hominum iniquitate, quasi nocte prævalente, recessit ab eis sol, id est, Dominus cum luce justitiæ suæ. Iterum revertens reduxit tertium mane, eligens Abraham, et ostendens ei quasi lumen animæ notitiam veritatis, ponens testamentum in eo circumcisionis et fidei. Item prævalente iniquitate quasi nocte veniente, recessit ab eis, quando filii Israel secundum idola Ægyptiorum vivebant. Numquam enim afflixissent eos Ægyptii, si quantum ad primam faciem lux fuisset in eis. Item rediens quarto mane apparuit Mose, et educens Israel de Ægypto, lumen legis ostendit eis. Item crescente iniquitate quasi nocte novissima, deducti sunt in captivitatem filii Israel. Revertens iterum Dominus reduxit quintum mane, revocans filios Israel de captivitate, restaurans plebem per Zorobabel, et per Jesum filium Josedech, de cætero reparans legem per Esdram prophetam. Iterum crescente iniquitate quasi nocte veniente, subtraxit ab eis Dominus misericordiam suam quasi lucem, et facti sunt iterum sub Romanorum potestate. Sexto autem mane reversus est Christus ad Judæos et gentes, et dedit eis seipsum manifestissimum lumen. Etiam modo, sicut videtis, Christianorum iniquitate crescente, quasi nocte veniente, recedit a nobis, et auferet gratiæ suæ lumen a nobis, sicut ipse testatur, dicens: *Puto, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram (Luc. 18. 8)?* Septimum autem lumen daturus est nobis, cum venerit reddere singulis secundum opera eorum. Et quotiescumque peccata hominum prævalentia excludunt a se misericordiam Dei, illud tempus nox dicitur: quotiescumque autem misericordia Dei prævalens non aspicit peccata nostra, sed visitat homines in bono, dies dicitur visitatio ejus. Ut scias autem de nocte, quæ sit ante Christi adventum priorem, dicit propheta: *Ad vesperum demorabitur factus, et ad matutinum lætium (Psal. 29. 6).* De nocte autem consummationis futuræ ipse Dominus dicit: *Cum sero factum esset, vocavit operarios, et reddidit eis mercedem (Matth. 20. 8).* Ergo per istos sex dies et noctes laboravit Dominus, vadens a nobis, et revertens ad nos: vadens propter peccata nostra, et rediens propter misericordiam suam; cum autem factum fuerit septimum mane, tunc requiescet in septimo die, quia postmodum hominibus viventibus sine successione peccatorum lux justitiæ est permansura, et semper sol Christus erit nobiscum dicente Apostolo: *Rapicimus in nubibus obviam Domino in æra, et sic semper cum Domino erimus (1. Thess. 4. 16).* Ideo ergo mane revertens esuriit: quod mysterium intelligit et tempore resurrectionis ejus, quando relicta est synagoga, et suscepta est Ecclesia. *Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum.* Arbor fici est synagoga. Nam synagoga propter multitudinem multorum granorum sub uno cortice habitantium dicta est ficus quasi

multorum hominum fidelium habitantium in una domo, sicut scriptum est: *Deus qui inhabitare facit unanimes in una domo* (Psal. 67. 7). Denique vide ipsa folia fici, quomodo secundum similitudinem manus formata sunt. Folia autem viriditatis sunt species tantummodo sanctitatis in homine, aut sine fructu operum verba religiosa. Quicumque ergo homo religiosus, id est, arbor rationalis, proficitur se esse Dei, et justitiam non operatur, arbor est tantummodo, folia sine fructu portans, quales sumus nos, de quibus propheta ait: *Brunt, inquit, in novissimis diebus homines seipso amantes, cupidi pecuniarum, elati, superbi, parentibus non obedientes, voluntatis suae amatores magis quam Dei, speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes, quos in finem maledicturus est Dominus, ut numquam ex illis fructus nascatur; sicut maledixit Judæis, et aruerunt* (2. Tim. 3. 1-5). Secus autem viam est juxta mundum. Ideo ergo nullum in Judæis fructum Christus potuit invenire, quia juxta mundum viventes erant, id est, secundum mundum. Mundus enim via est communis, per quam omnes transeunt qui nascuntur, sicut exposuimus in parabola seminantis. Quicumque ergo homo fidelis, id est, arbor rationalis, juxta mundum vivens, numquam potest in se fructum justitiæ tenere. Unde Paulus dicebat ad Timotheum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit* (2. Tim. 2. 4). Ut quid non potest fructus suos tenere? Transeunt enim et retranseunt dæmones, vel ministri ipsius, per viam, id est, vagantes per mundum suum, excutiunt eos. Sicut enim irrationabilis terra, quæ secus viam posita est, semper conculcatur, et dura est, et semina doctrinæ in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea: sic et arbor rationalis juxta viam posita numquam potest esse fructifera, id est, homo secundum mundum vivens numquam potest evadere a peccato, ut sit justus. Frequenter enim transeunt spiritus ipsas gemmas justitiæ excutiunt de ramis ejus, antequam aperiantur in flores. Interdum autem ipsos flores jam apertos excutiunt, interdum vero etiam poma ipsa formata depouunt. Rami enim sunt animæ sensus ipsius, de quibus omnia bona procedunt. Gemmæ autem sunt bonæ cogitationes coherentes in sensibus. Aperti autem flores sunt bonæ voluntates. Sicut enim de gemmis flores procedunt, ita de bonis cogitationibus nascuntur bonæ voluntates. Sicut autem flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma: sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine cogitatio bona. Bona enim cogitantes incipimus desiderare quæ bona sunt apud Deum. Nam voluntates bonæ: sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. Unde Salomon dicebat: *Fili, servate a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (Sap. 1. 5). Poma autem sunt opera justitiæ perfectæ. Sicut enim ex floribus poma formantur, ita ex bonis voluntatibus opera perfectæ nascuntur. Sicut autem ante ponitur flos præcedit, ita ante opus bonum bona voluntas. Omnis itaque homo, qui jam nec cogitat aliquid quando quæ bona sunt, ipsas gemmas justitiæ de ramis, id est, de sensibus ejus, transeunt dæmones excusserunt. Qui autem cogitat quidem bona, et proponit in corde suo facere quod bonum est: puta, aut eleemosynas facere, aut jejunare, aut continens esse, et tamen concupiscentia sæculi victus, aut ex quacumque occasione mutaverit voluntatem suam: de illius sensu jam apertos flores dæmones excusserunt. Qui autem cogitavit bona, et proposuit, et perfecit quod proposuit, ille poma produxit. Quod si iterum peccaverit, et propter peccata sequentia justitiæ opera priora perdidit, de illis sensibus dæmones jam perfectæ poma excusserunt. Sicut ergo difficile est arborem juxta viam positam fructus suos usque ad maturitatem servare: sic difficile est virum fidelem juxta istum mundum viventem, id est, in acubus ejus, justitiam immaculatam usque

in finem servare. Si vis ergo fructus justitiæ usque in finem tenere, recede de via, et plantare in loco secreto, ut nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo. *Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternam.* Non quia maledixit arborem, ideo fructus non dedit, sed quia non dabat, ideo maledixit ei, ut nec folia ipsa præferret; id est, non ideo Judæi perdidit justitiam, quia Deus eos dereliquit, sed ideo eos Deus dereliquit, quia justitiam non afferebant, et nec ipsa species pietatis esset in eis, aut sermo. Et vere sicut melius est, ut non sit arbor, quam ut sit quidem, et secundum genus suum fructum non faciat: sic melius est, ut nec sit homo Dei, quam ut sit quidem, et conversationem non habeat secundum Deum. Qui enim tuus non est, si tibi non obaudit, non doles: de illo autem graviter doles, qui tuus est, et te contemnit, et alius servit: sic Deus non tantum de alieno et aperte diabolo servienti irascitur, quantum de suo diaboli faciente voluntatem. Ideo in fine sæculi ipse Deus mittet operationem erroris in tales, sicut et quotidie fieri videmus, ut credant mendacio, qui non crederent veritati, sed consenserunt iniquitati, ut judicentur omnes. Non vult enim ut videantur esse ipsius, qui vere non sunt ejus. Uxor meretricis melius est ut nec sit viri sui, quam ut ipsa illius, male ambulando excitet eum in zelo. *Et creata est continuo ficulnea*. 20. *Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit ficulnea? Mirati sunt, quia sermo ejus quasi flamma descendit ad radices ipsius.* O apostoli, qui vidistis Lazarum sepultum et putridum iterum venientem ad vitam solo sermone (Joan. 11): quid miramini, si videtis arborem solo sermone siccata? Qui enim potest vitam donare, ille potest et vitam auferre: qui autem vitam auferre non potest, nec vitam dare potest. 21. *Respondens autem Jesus, ait illis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis: sed et si monti huic dixeritis, Tolle te, et jacta te in mare, fiet.* Mons ille invisibilis, qui arbores infructuosas producit, ubi loca petrosa et aspera, ubi præcipitia pendentia, et cavernæ, non hominibus ad habitandum aptæ, sed bestiis, ubi nulla est planities ad requiescendum in pace, sed ascensionibus et descensionibus plenus est. Quicumque enim diabolo stant, alias ascendent, alias descendunt. Qui mons est dictus, non propter altitudinem dignitatis, sicut angeli sancti, sed propter inflationem superbiæ; non propter firmitatem virtutis, sed propter immobilem et incorrigibilem malitiam suam. Istum montem tollite de medio sanctorum, ubi fides, ubi spes, ubi caritas, ubi planities pacis, ubi speciosi fontes doctorum, ubi prata florentia rore gratiarum, ubi volucres sancti, assidue vernantes cantibus delectant. *Et mitte te in mare* id est, in istum mundum, ubi aquæ sunt salis, et non procedentes ad usum, id est, populi iniqui, non proficientes ad gloriam Dei, in quos omnia dulcia flumina spiritualium gratiarum currunt, et salinitatem eorum nitare non possunt; sed magis illorum salitas corrumpit in se dulcedinem venientium fluminum in mare hujus mundi, ubi semper dominantur potestates, et diversorum spirituum periculosa certamina. Sicut enim assidua est in mari tempestas, sic in isto mundo persecutio satanæ, ubi numquam tranquillitas est, sed ascendentibus undis, id est, tentationibus impellentibus et impulsis, invicem se percutiunt aquæ, et invicem se frangunt et confringuntur, et invicem se confringentes quemdam irrationabilem sonum dant. Sic seipso homines, occasionibus hujus mundi ex ipso mundo nascentibus, quasi undis, se invicem comedunt et impugnant, et ex se quasi insanas voces pelagi dimittunt. Unde dicebat Apostolus: *Omnis clamor et ira tollatur a vobis.* (Ephes. 4. 31). *Mitte te in mare.* Ubi sonus confusus, ubi inconstantia æterna, ubi infatigabilis contentio undarum, ubi timor est, et semper mortis fluit imago. 22. *Et omne quodcumque petieritis in creatione, credentes accipietis.*

Gratiam quidem fidei Deus donat; tamen homines eam nutriunt, et faciunt fortem: fides autem facit abstinenciam rerum malarum, et opus bonarum. Quanto magis te abstinueris a malo, et sequutus fueris bonum, tanto amplius fidem tuam fortem facis. Quanto autem minus abstinueris a malo, et negligentius feceris bonum, tanto magis fidem infirmam habes. 23. *Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentes principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? et quis tibi dedit hanc potestatem?* Quoniam autem unum diem viderant sacerdotes Christum cum magna gloria introeuntem in templum, ita ut populus undique voce angelica clamaret: *Hosanna filio David.* Qui ingrediebatur ut homo, laudabatur ut Deus. Qui celabatur in carne, demonstrabatur in voce. Quem malitia sacerdotum quasi hominem blasphemabat, hunc innocentium parvulorum quasi Deum exaltabat. Quantum autem ille glorificabatur, tantum sacerdotes invidia torquebantur, et illius honor illis fiebat in tormentum. Sic enim est res, ut quando boni in sua virtute laudantur, mali autem in sua invidia cruciantur. Itaque non sufficientes in pectore suo invidiæ stimulantis ardorem, prorumpunt in vocem: *In qua potestate hæc facis?* O invidia, quæ sibi semper est inimica! Nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit, illi autem, cui invidet, gloriam parat. Ipse vituperabilis invenitur de sua invidia, ille autem laudabilis demonstratur de sua virtute. Ergo invidia sibi soli nociva est: alterum autem non solum non gravat, sed adhuc magis commendat. Venerunt ergo ad eum quasi ad peccantem in templo, et dum non inveniunt culpam, criminantur beneficium, dicentes: *In qua potestate facis hæc?* Corpus sanum aliquoties percutitur, et non facile vulneratur: corpus autem debile ab intus tacitam habens læsuram, etiamsi modice tactum fuerit, citius dissipatur. Sic animal liberum et integrum non facile offenditur: animal vero invidia vulneratum non solum causa idonea, sed etiam levis occasio excitat in dolorem. Sic et sacerdotes Judæorum invidentes Christo, dum justas causas accusandi non inveniunt circa eum, etiam de bono ejus turbantur, dicentes: *In qua potestate facis hæc?* Cogitabant in dolore apud se: Nos fuimus columnæ templi, et ecce super illum recumbit tota Ecclesia, et nos inventi sumus sine causa erecti, quia ministerium perdidimus, et nomen vacuum possidemus. Nos fuimus tacentium Scripturarum quasi lingua visibilis, et ecce ille resonat in medio templi, et nos contempti tacuimus quasi cithara dissipata. Nos fuimus patres populi, et ille quotidie generat filios, nos autem steriles sumus inventi. Ideo non ferentes dicebant: *In qua potestate facis hæc?* Dicendo, *Quis tibi dedit hanc potestatem?* ostendunt illi quosdam esse personas, quæ dant hominibus potestatem, sive corporalem, sive spirituales. Tamquam si ita dicant: De sacerdotali familia genitus non es, senatus tibi hoc non concessit, Cæsar non donavit. Si autem credidissent, quod omnis potestas ex Deo est, numquam interrogassent, *Quis tibi dedit hanc potestatem?* scientes quia *Omne datum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jacobi 1. 17);* et, quia *Nemo potest accipere aliquid, nisi datum fuerit ei de cælo (Joan. 3. 27).* Omnis homo secundum se æstimat alterum; nec potest ipse melius sentire de alio, quam ipse senserit de se. Ecce fornicarius neminem æstimat castum. Item castus non facile de fornicario suspicatur. Superbus neminem putat humilem; humilis neminem credit esse superbum. Sic qui non est ex Deo sacerdos, nullius sacerdotum putat ex Deo. Unde autem putas fieri, ut invicem se sacerdotes contemnant et persequantur, nisi quia per ambitionem facti sacerdotes, omnes tales æstimant, quales sunt et ipsi? Sacerdos autem, qui est secundum Deum, omnem sacerdotem timet offendere, quia omnes ex Deo fieri arbitratur, quamvis ex hominibus sit factus. Ecce enim David quamvis manifestum sciret Saül non esse regem secundum Deum, tamen fre-

quenter sibi traditum volebat occidere, dicens: *Non injiciam manum meam in unctum Domini (1. Reg. 24. 7).* Item cum Paulus maledixisset sacerdotem Ananiam, et audisset quoniam erat sacerdos, penitentia ductus respondit: *Nesciebam, fratres, quia princeps erat sacerdotum (Act. 23. 5).* Aut certe scientes sacerdotes, quoniam multi quidem faciunt signa, non ex potestate Dei, sed ex potestate contraria, sicut in multis exposuimus locis, ideo blasphemantes interrogabant, *In qua potestate facis hæc?* in spiritu Dei, an in spiritu Beelzebub? Sicut alibi blasphemantes dicebant de eo, *Quia hic non eiecit demonia, nisi in Beelzebub principe demoniorum (Matth. 12. 24).* Respondens autem Jesus, dixit: *Interrogabo vos unum verbum, quod si dixeritis mihi, et ego vobis dico in qua potestate hæc facio. 25. Baptisma Joannis unde erit? de cælo, an ex hominibus?* Sciens Dominus inconvertibilem eorum malitiam, proposuit eis quætionem undique catenatam, non ut respondentes audiant, sed ut inpediti non interrogent: quia præceperat: *Nolite sanctum dare canibus (Matth. 7. 6);* et non decebat, ut transgrederetur præceptum, quod ipse præposuit. Deinde etiam si dixisset, nihil profecisset: quia non potest sentire quæ lucis sunt tenebrosa voluntas. Quid prodest, si cæco aliquam pulchritudinem monstras? Cæcitas autem spiritualis est malitia cordis. Sicut enim cæcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis. Sicut enim cautus venator, bestiam comprehendere volens, cum viderit ex una parte illius præcipitem locum, ex altera parte erigit retia, ut ex quacumque parte exilierit, aut in retia incidat, aut in præcipitium cadat: sic et Dominus illis simplici interrogatione laqueum posuit, ut si quidem de cælo dicerent, in laqueum reprehensionis inciderent: diceret enim eis: *26. Quare ergo non creditis eis?* si autem de terra dicerent, quasi in præcipitium, sic in periculum mortis incurrerent apud populum, ut lapidarentur. Interrogantem enim oportet docere, tantam autem quocumque modo retundere, et objectionis illius astutiam rationabili percussione confundere, et non veritatem ejus mysterii publicare. Sic enim alibi Dominus diabolo fecit, cum protulisset adversus eum exemplum Scripturæ, quam non intellexerat, dicens: *Scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum (Matth. 4. 5. 6. et Psal. 90. 11).* Non ei dixit, Non sic intelligitur scriptura illa, sed sic dimisit eum in ignorantia: et altero eum manifestiori confudit exemplo, ut et audaciam ejus confunderet, et prophetica mysteria non revelaret. 27. *Et respondentes dixerunt Jesu: Nescimus. Et ipse ait eis: Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio.* Non dixit, Nec ego scitis, ut homines, et deegatis, ut mali: ego autem scio ut Deus, et non dico quasi justus indignis. Nam mendacia, si non habeat quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Sic et veritas, si non invenit quem salvet, ipsa se sibi conservat immaculatam. 28. *Quid autem vobis videtur?* Quos reos proponit in causa, ipsos et iudices petit, ut a nullo mereantur absolvi, qui seipsos condemnant. Magna est fiducia justitiæ, ubi causa adversario ipsi committitur, reddi veritatis exitum non timet. In parabola figurat personas eorum, ut quia non intelligunt, ipsi adversus se sententiam dicant. Sic et aliquando cum David in peccatum incidisset, quasi stupore alicujus somnii vigilabat: nam quamvis peccaverat, tamen adhuc David erat sanctissimus. Itaque a Nathan parabolarum retibus comprehensus, coegit ut ipse adversus se iudicium mortis proferret (2. Reg. 12). Et circumventio quidem tunc talis, sed circumventionis exitum modo non talis: ille enim comprehensus ad penitentiam flexus est, isti autem magis ad malitiam sunt excitati: hæc enim proprietates honorum hominum et malorum. Bonus enim comprehensus in peccato ingemiscit, quia peccavit; malus autem comprehensus, fremit, non quia peccavit, sed quia comprehensus est

in peccato. Utpota, domesticum animal, si aliquanto tempore extra domum errando fuerit evagatum, cum venerit in manibus domini sui, quasi in recordationem naturæ suæ redactum, cito iterum mansuescit : animal autem silvestre, cum fuerit comprehensum, aut morsibus appetit, aut calcibus repugnat. Sic et malus homo correptus, non solum pœnitentiam non agit, sed adhuc adversus corripientem magis irascitur.

*Hœmilii xl. ex capite xxj (a).*

28. Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit : *Fili, vade hodie operari in vineam meam.* 29. Ille autem respondens, ait : *Nolo.* Postea autem pœnitentia motus, abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : *Eo, domine : et non ivit.* 31. *Quis ex duobus fecit voluntatem patris ?* Dicunt ei : *Primus.* Dicit illis Jesus : *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedunt vos in regno Dei.* 32. *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem et meretrices crediderunt ei : vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* Quis est ille, nisi Deus, qui omnes homines creavit, paterno affectu diligit : qui cum sit natura Dominus, tamen magis vult diligi quasi pater, quam timeri ut dominus ? Propterea in principio mandatorum legis non dixit, Timebis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, sed, *Diliges* ( *Deut. 6. 5* ). Dilectionem enim ab hominibus exigere non est domini, sed paternitatis. *Qui duos filios habuit.* Unum quidem gentium populum, alterum Judæorum : quorum major filius erat gentium populus, minor autem populus Judæorum, quoniam gentes quidem erant ex patre Noe, Judæi autem ex Abraham. *Et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie operari in vinea mea.* *Hodie*, id est, in tempore sæculi hujus. Quomodo loquutus est filiis suis ? Non in facie ut homo, sed in corde ut Deus. Homo in auribus verbum sonans, sed Deus in mentibus suggerit intellectum. Quoniam autem sic loquitur Deus, ipse signat dicens Helix : *Descende in Sarreptam Sidoniæ, et illic mandabo viduæ, ut pascat te* ( *3. Reg. 17. 9* ). Quomodo, putas, mandavit viduæ ? Non sermone, sed in spiritu ; nec enim legitur specialiter ei Deus mandasse. Quis autem non intelligat, Deum invisibiliter in corde ei locutum ? Quando enim venit ad eam Helias, illa colligebat hastellas, ut sibi quidem et filiis suis, non autem ut Helix cibum pararet ; sed repente magnanimiter obtulit admonenti, quod ante cum extrema desperatione paraverat. Quando enim modicum habebat farinam in capsâ, sed magnam fidem habebat in corde, quam esuriebat Helias : reges quidem esuriebant, vidua autem pascēbat : quia in illa tentatione horrea quidem defecerat, capsâ autem exuberabat, ut impleteretur quod fuerat scriptum : *Divites egerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* ( *Psal. 33. 11* ). Quid est operari in vinea ? Justitiam facere. Vineam enim justitiam diximus supra, quam generaliter quidem in natura omnium hominum Deus plantavit, specialiter autem dedit eam in libro Judæis : cujus diversæ vites sunt diversæ species justitiarum : in qua vinea unusquisque, secundum proprias vires, aut paucas vites operatur, aut multas. Nescio autem, si totam vineam quis hominam sufficiat operari. *At ille dixit : Nolo.* Quomodo dixit, *Nolo* ? In cogitatu. Qui enim habens intellectum boni et mali, relinquit bonum, et sequitur malum, in cogitationibus suis contra Dominum respondere videtur, quia *Nolo*, id est, contra intellectum suum creatum sibi a Deo. Nisi enim dixerit in corde suo, *Nolo*, non potest fieri ut aliquando peccet, dicente propheta : *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso* ( *Psal. 35. 1* ). Gentes enim a principio relinquentes Deum et justitiam ejus, et transeuntes ad idola et peccata, in cogitationibus suis respondere videtur :

(a) Hæc Hœmilii in Codice v. D. præcedenti jungitur.

Nolumus facere justitiam quam scimus et nobis. *Accedens autem ad alterum, dixit similiter.* *At ille respondens, ait : Eo, domine, et non ivit.* Judaicus enim populus, id est, minor filius, interrogatus, et per Mosem, et per Joannem, quasi a Deo per eos loquente, spondit se omnia facturum quæcumque præceperat Dominus : postea autem aversi, mentiti sunt Deo, sicut de illis dicit propheta : *Filii alieni mentiti sunt mihi* ( *Psal. 17. 46* ). *Quis ex duobus fecit patris voluntatem ?* *At illi responderunt : Primus.* Vide quomodo, sicut jam diximus supra, attracti parabolæ veritate, ipsi adversum se sententiam protulerunt, dicentes, priorem filium patris voluntatem fecisse, id est, populum gentium : quia melius est non promittere et facere justitiam Dei, quam promittere et mentiri. Quorum judicium abundanter confirmans addidit, et dicit : *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Ac si dicat : non solum populus gentium melior est vobis Judæis, sicut iudicatis et ipsi, sed etiam publicani et meretrices, qui sunt inter vos manifeste turpissimam profiteutes vitam, præcedunt vos in regnum Dei : quanto magis populus gentium ? Puto quod ex persona omnium virorum peccatorum publicani ponuntur, et ex persona omnium mulierum peccantium meretrices : quoniam quamvis multa sint peccata in viris et mulieribus præter ista, tamen præcipue in viris avaritia abundat, fornicatio autem in mulieribus. Utpota, mulier quamvis potest esse avara aut superba, tamen non facile per avaritiam aut superbiam peccat : quoniam non habet facile honores, pro quibus avaritiam exerceat : aut sit superba inter eos, cum quibus conversatur, ut in superbia peccet, quæ in domo sua sedet inclusa. Ideo autem facile peccatum fornicationis incurrit, maxime quia hoc vitium facile ex vacantia et otio nascitur. Nam qui sollicitudinibus animum habet occupatum, non facile fornicationi operam dat. Nam definitio amoris hæc est : animæ vacantis passio. Vir autem quoniam in actibus rerum diversarum est assidue, in avaritiæ peccatum incurrit ; in fornicationem autem non facile, nisi forte multum sit lascivus. Nam occupatio virilium sollicitudinum, suggestionum voluptates plurimum excludit. Unde proprium est hoc adolescentium nihil agentium. Nunc exponit causam, propter quam publicani et meretrices præcedunt eos, dicens : *Venit ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem et meretrices crediderunt ei : vos autem videntes, nec pœnitentiam egistis postea, nec credidistis.* Ac si dicat : *Etsi non venisset ad vos Joannes in via justitiæ, sed tantum baptismum pœnitentiæ prædicasset : vos quasi sacerdotes et prudentes, quasi iudices non personarum, sed rerum, debueratis ei credere, etsi non quasi justo, tamen quasi justa dicenti.* Quid enim pertinet ad auditorem vita prædicatoris ? Si enim male vivit, illius est damnus solius : si autem bene docet, omnium audientium lucrum est. Nunc autem venit ad vos in via justitiæ sic manifesta, ut conversatio ejus venerabilis et angelica vita etiam publicanorum et meretricum corda concuteret, et percussa pavore flecteret ad credendum, et vestra corda non tetigit. Videtis quia juste publicani et meretrices præcedunt vos in regnum Dei ? Considera autem, quomodo conversatio bona prædicatoris prædicationi suæ præstat virtutem, ut etiam indomabilia domet corda. Et ipsa quidem prædicatio justa unam ex se habet virtutem : duplicem autem habet, quando et prædicatio justa est, et ipse qui prædicat justus. Sic dicit : *Vos autem nec pœnitentiam egistis, quasi publicani et meretrices credentes Joanni.* Illi fecerunt quod majus est, isti autem neque pœnitentiam egerunt, quod est minus. Numquid publicani et meretrices credentes in Christum, sine pœnitentia crediderunt ? neque enim possibile erat credere in eum sine pœnitentiâ, qui baptismum pœnitentiæ prædicabat. Quod ergo

† V. D. et Editi in marg., *illi crediderunt.*

vult dicere, tale est: Debuertis vos quidem, sacerdotes, quasi iustitiam Scripturarum habentes, quasi populi praeversores, ante populares credere Joanni, ut omnes illi vestrum sequerentur exemplum: et non solum hoc non fecistis, sed nec postquam vidistis publicanos et meretrices credentes, nec nunc confusi estis, aut compuncti: quia publicani et meretrices crediderunt, qui credere non sperantur; vos autem in duritia permansistis, qui videbamini totius iustitiae sectatores, et ne tunc quidem poenitentiam egistis, ut crederetis, ut vel illorum exemplum sequeremini, quibus debuertis ipsi esse exemplum. Numquid vos magis sine peccato eratis quam illi, ut, illis credentibus ei, vos non crederetis Christo? Non, sed magis contemptores Dei, magis superbi, et vanae gloriae amatores, et duri, qui nec praecedere illos voluistis in fide, nec sequi. Et vere magna confusio est sacerdotum, et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideiorem eis, aut iustiores. Quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam aequales esse confusio est? Per hanc ergo parabolam eis prophetabat, quia gentes quidem quasi meliores fuerant eligendae, quae in primis quidem contumaciam ostenderunt, postea autem obedientiam exhibuerunt: et Iudaei quasi deteriores abijciendi, qui in primis quidem professi sunt obedientiam, postea autem inventi sunt contumaces, quia melius est apud Deum non promittere et facere, quam promittere et mentiri. Tamen in figurazione Iudaeorum et gentilium, quam exposuimus, multorum traditionem sequentes, aliquid mihi videtur esse contrarium. Si enim vere hi duo filii Iudaei et gentiles essent intelligendi, postquam sacerdotes interrogati responderunt, priorem filium voluntatem patris fecisse, concludens Christus parabolam, sic debuit dicere: *Amen dico vobis*, quia gentes praecedunt vos in regnum Dei: nunc autem dicit, *Quia publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei*. Quod magis profanorum hominum conditionem ostendit, quam gentium statum; nisi forte sic intelligamus, ut supra jam diximus: quia ex hac narrationis causa publicanos introduxit et meretrices, pro eo ut dicat, Sic gentium populus magis placens est Deo quam vos, ut etiam publicani ipsi et meretrices acceptabiliores sint apud Deum propter conversationem suam, quam vos propter promissionem vestram mendacem. Si ergo placet propter hanc rationem traditio illa, bene: sin autem, potest et altera esse traditio talis. Cum sacerdotes non discendi causa, sed terrendi interrogarent, *In qua potestate facis haec (Math. 21. 23)?* audierant frequenter, sicut exponit Joannes, quando dicebat, ut unum profetam de multis exemplum: *Dicit vobis, et non creditis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testificantur de me (Joan. 10. 25)*. Item, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Quod si facio, etsi mihi non vultis credere, vel operibus credite, ut sciatis et credatis quia ego in Patre, et Pater in me est (Ibid. v. 37. 38)*. Hoc enim non erat manifeste pronuntiare, quia in potestate Dei haec faciebat. Quoniam ergo, haec eo dicente, ex populis multi in eum crediderunt, sacerdotes autem iuxta quod non crederant, sed adhuc frequenter insurrexerant super eum, introduxit parabolam duorum filiorum: ostendens eis per eam, quoniam meliores sunt populares, qui a principio saecularem et carnalem profitentur vitam, quam sacerdotes, qui ab initio profitentur se Deo servire: quoniam populares quidem, vel satiati actibus suis malis, aliquando compuncti convertuntur ad Deum, et incipiunt operari iustitiam Dei; sacerdotes autem impoenitibiles constituti, numquam desinunt peccare in Deum. Duos ergo filios dicit laicorum conditionem, et ordinem sacerdotum. Quis est prior filius? Populus. Prior enim populus creatus est, deinde sacerdotes, qui regunt populum. Alioquin ante creati rectores, quam regerent? Non enim populus propter sacerdotes creatus est, sed sacerdotes propter populum. Nam et mundum Deus ante creavit, et postea

hominem, qui regeret mundum. Denique populus Dei ex tempore Abrahæ coepit, sacerdotes autem ex tempore Aaron. *Et dixit uni eorum: Fili, vad: hodie operari in vineam meam. At ille respondit, Nolo. Postea autem poenitentia motus, ivit. Et accedens ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domina; et non ivit.* Nam sicut omnes Iudaei quamvis interrogati et per Mosem et per Jesum, quasi a Deo per eos loquente, sponponderunt omnia se facturos, quae praecerat eis Deus, et non fecerunt; gentes autem quamvis non promiserint prius, tamen postea obedientiam Deo dederunt: ita enim et populares per hoc ipsum, quod saecularem suscipiunt vitam, denegare videntur obedientiam Deo; sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo, praecipue per hoc ipsum quod specialiter in ministerio Dei constituuntur. Nam qui doctor populi constituitur, sine dubio proficitur se talem fore, qualem esse oportet doctorem. Sicut enim qui sutoriam, verbi causa, aut quancumque alteram proficitur artem, etsi specialiter non spondet, tamen per hoc ipsum quod sutoriam professus est artem, et officium vel magisterium ejus artis aperuit, videtur tacite omnibus spondidisse, ut sine reprehensione impleat quam professus est artem: sic sacerdos, et omnis clericus, etsi specialiter non promittat, tamen per hoc ipsum quod doctor constituitur aliorum, tacite promittere Deo videtur, in omnibus obauditurum se Deo. Quae sit autem vinea, vel quonodo Deus loquatur ad homines, diximus supra. *Quis e duobus fecit voluntatem patris? At illi responderunt, Primus.* Et verum est, quia melior est laicus, qui in prima facie saecularem vitam proficitur<sup>1</sup>, re vera autem complectitur spiritualem, quam sacerdos, qui in prima quidem facie proficitur vitam spiritualem, re vera autem amplectitur vitam carnalem. Et melior est laicus ante Deum poenitentiam agens, quam clericus permanens in peccatis. Laicus enim in die iudicii stolam sacerdotalem accipiet, et a Deo chrisma ungetur in sacerdotium: sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotii dignitate, quam habuit, et erit inter infideles et hypocritas, dicente Domino de malo dispensatore: *Si autem coeperit sedere servus manducare et bibere cum ebriosis, veniet dominus eius die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis et infidelibus (Luc. 12. 45. 46)*. Unde et modo sic invenies rem. Saecularis homo post peccatum facile ad poenitentiam venit; nam occupatus negligentia saeculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei quae in Scripturis posita sunt, nova videntur: ideoque cum audit aliquid de gloria sanctorum, aut de poena peccatorum, quasi novum aliquid audiens, expavescit, dumque aut bona concupiscit, aut mala timet compunctus, ad poenitentiam cito decurrit. Nihil autem impossibile, quam illum corrigere, qui omnia scit, et tamen continens bonum, diligit malum. Omnia enim quaecumque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos ejus inveterata et vilia aestimantur. Nam quicquid illic terribile est usu vilescit. Propterea clericus, qui semper meditat Scripturas, aut omnino observatus est, et erit perfectus; aut si semel coeperit illas continere, numquam excitatur in illis, ut timeat. Quis aliquando vidit clericum cito poenitentiam agentem? Sed eisi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet quia peccavit, sed confunditur quia perdidit gloriam suam. Putasne, Dominus, quasi crudelis, clericis poenitentiam denegavit, dicens: *Si sal infatumatum fuerit, in quo condietur (Math. 5. 13)?* Sed quasi naturalem rem esse considerans, quia non est qui doceat illum errantem, qui errantes alios corrigebat, ideo addidit, et dicit: *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei.* Id est, Non dico populares, qui secundum rationem verbi vitam suam dispensant: sed publicani et meretrices, qui deside-

<sup>1</sup> V. D., in prima quidem facie incipit vitam carnalem.



rijs mundialibus et voluptatibus carnalibus seipsos mancipaverunt, præcedunt vos in regnum Dei, quia illi conversi desiderant esse, quod non erant: vos autem denegatis in opere, quod videmini profiteri in verbo, et estis tamquam arbores folia sine fructu habentes, non pascentes dominum suum, sed deludentes. Et vide quod non dixit, aut quia Publicani et meretrices introibunt in regnum Dei, vos autem repellimini longe: aut quocumque alio verbo significante non eos intraturos in regnum Dei: sed ita, *Præcedunt vos in regno*. Ubi alius præcedit in caelesti regno, alter sequitur, qui etiam lætatur: etsi in secundo loco, tamen nihilominus erit in regno. Adhuc autem vide, quia non dixit quasi de futuro, *Præcedent vos*; sed quasi de præsentem, *Præcedunt vos*. Secundum hæc igitur verba et sacerdotes significabantur ingressuri in regno Dei, id est, credituri in Christo. Sed quia credentibus publicanis et meretricibus Joanni, et baptizatis ab eo, sacerdotes æstimantes se justos, neque credere voluerunt ei, post publicanos et meretrices intraturi annuntiantur, sicut et factum est. Post ascensionem autem Domini multi eorum per apostolos crediderunt in Christo, sicut testantur Actus apostolorum, dicentes: *Et multa turba sacerdotum obediebat fidei* (Act. 6. 7). Et qui sunt publicani et meretrices, qui præcesserunt eos in regno? Matthæus publicanus, et Zachæus princeps publicanorum, et ceteri publicani, qui cum ipsis et propter ipsos crediderunt in Christo. Et quæ meretrices? Quas exponunt evangelistæ nuper testantes, quia publicani et meretrices crediderunt Christo adhuc in mundo hoc degenti. Sacerdotes autem post ascensum illius per apostolos crediderunt. Ergo propter misericordiam quidem Dei ingressi sunt: et ipsi in regno, propter elationem autem cordis sui post publicanos et meretrices ingressi sunt, ut steret eis pro peccata superbiæ processio meretricum et publicanorum: ut per hoc cognoscamus, quia nihil sic impedit fidem quam elatio cordis: unde dicebat ad eos, *Vos, qui justificatis vosmetipsos, Deus novit corda vestra: quia quod hominibus elatum est, abominatio est ante Deum* (Luc. 16. 15). 33. *Audite et aliam parabolam*. Ac si dicat: Iterum vos vulnero, ut aliquando sentiatis dolorem: nam aspera medicina citius sanat, ubi tamen sanabilis morbus est. (a) *Homo erat paterfamilias*. Homo nomine, non natura: similitudine, non veritate. Si quis autem existimat Christum hac causa etiam tantum animam habuisse humanam, quia dicitur est homo, audiat et Deum Patrem hominem dictum. Præscius Dei Filius, quoniam per appellationem humani nominis quasi homo purus fuerat blasphemandus, etiam Deum Patrem invisibilem constitutum hominem appellavit, ut dum et Pater homo dicitur, Filius de hæreticorum blasphemis liberetur. Paterfamilias est, cui cælum et terra quasi una sunt domus, qui angelorum et hominum natura dominus est, benevolentia pater. Qui ideo se Patrem omnium voluit dici, ut omnes considerantes bonitatem ejus, non sub specie simulata ei serviant, quasi mali servi domino; sed in veritate, quasi boni filii genitori. *Qui plantavit vineam*. Quam vineam? Quam de Ægypto transtulit. Quomodo plantavit vineam illam? Quomodo vinitor studiosus, qui primum omnes in circuitu infructuosas sylvas excidit, et sic postea plantat, ne forte arbores lascivientes, dum huc et illuc per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum efflucent malleolum. Sic Deus gentes sine fructu justitiæ constitutas occidit, et sic collocavit Israël, ne forte gentes indisciplinae, dum in longum terminum suæ dominationis extendunt, affligant populum Dei novitium. *Et sepe circumdedit ei, et torcular fodit in ea, et edificavit turrim*. Quid est seps, nisi angeli in circuitu, custodientes populum Dei, ne in vineam Christi invisibiles latrones irrumpant? Ange-

los enim præesse hominibus et Apostolus dicit: *Unguer velamen debet habere super caput propter angelos* (1. Cor. 11. 10). Item Dominus: *Amen dico vobis, quia angeli eorum quotidie vident faciem Patris mei* (Math. 18. 10). Et in Actibus apostolorum dicitur ad puellam nuntiantem de Petro, *Ne forte angelus ejus sit* (Act. 12. 15). Quid est torcular, nisi Ecclesia? Sicut enim area Ecclesia intelligitur, quia in ea per multam triturationem et ventilationem triticum separatur a paleis: sic rationabiliter Ecclesia torcular est intelligenda, in qua omnes fructus vineæ, id est, opera servorum Dei, et fides roborata ad Dei gloriam transmittuntur. Ecclesia autem torcular est, habens in se verbum Dei, quo non delectatur natura carnalis, adquiescit autem ei contorta propter timorem judicii, vel amorem præmii, ut non tantum ipsa Ecclesia torcular videatur, quantum ipsum verbum Dei, quod traditum est in ea fossum. Si enim verbum Novi Testamenti, quod leve est, cruciat hominem, contradicente carnis natura: quanto magis verbum Veteris Testamenti, quod importabile erat? Ubi ergo verbum Dei positum erat in lege, modum vivendi constituens, torcular erat fossum: ubi autem de fide Dei prophetabatur, turris ædificata erat. Nam sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, et hostium irruptionem ipsi facile non patiuntur, et hostes de turri facile conterunt: sic et qui in fide Christi consistunt, vel in lege Dei, et dæmones super se irruere non sinit, et spiritualibus bonorum operum sagittis eos facile vulnerant; et dæmones super illos irruere nequeunt, et a spiritualibus malorum operum sagittis non facile vulnerantur. Aut ita. Seps meritum est et custodia patrum justorum, qui tamquam murus factus est populo Israël. Nam propter promissionem factam a Deo, sic possidebantur ab eo, etiam contra meritum suum, septi meritis patrum suorum. *Torcular autem fodit in ea*. Prophetas, ex quibus quasi ex torcularibus gratia Spiritus sancti decurabat ut mustum. Ex quibus nonnumquam potati filii Israël, musti admirabantur virtutem. *Edificavit turrim*. Hoc est, legis fiduciam et altitudinem, ex qua sacerdotes velut speculatores Christum specularentur venturum. *Et locavit eam colonis*. Qui sunt coloni, quibus locatus est populus, id est, vinea, nisi sacerdotes? Plantatus est autem populus primum in Abraham, quando in primis loquutus est ad eum Deus, dicens: *Eci de terra tua, et de cognatione tua* (Gen. 12. 1), etc. Ex eo enim facta est vocatio seminis ejus. Locatus est colonis tempore Mosi, quando per legem constituti sunt sacerdotes et Levite, et procurationem regendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, et ad grande periculum. Ad gloriam quidem, si diligenter tractaverint populum Dei: ad periculum autem, si negligenter. Si enim ille pro negligentia debet timere periculum, qui procurationem suscepit terrenarum rerum de manu alicujus hominis potentis: quanto magis sacerdotes, qui de manu Dei susceperunt animarum procurationem sanctarum? Plantatus quidem legitur populus in terra repromissionis, secundum quod scriptum est: *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (Psal. 79. 9). Sed illam plantationem hic intelligere non oportet, ne prius locatam eam colonis inveniamur exponere, quam plantatam. Quoniam autem diximus sacerdotes populum Dei colere, Deum autem reddere mercedem vite: nemo sacerdos existimet, quoniam juste pro merito operum suorum accipiet a Deo mercedem, et non potius propter gratiam et misericordiam Dei. Non enim sacerdotes præstant Deo docentes populum ejus, sed Deus sacerdotibus committendo eis populum suum in spiritu. Nos autem doctrinæ mercedem acquirere non poteramus, nisi nobis procuratio populi commissa fuisset. Ergo coloni sunt sacerdotes, qui colentes populum quasi vineam, cum acutissimo ferro sermone faciunt eos bonos fructus justitiæ De-

(a) Hæc, Homo erat paterfamilias, in Cod. V. D. sunt Homiliae univarsæ.

<sup>1</sup> Al., deest non,



mino exhibere. Sicut autem duram terram ferrum emollit, sic et verbum duritiam cordis relaxat. Sicut rastro ferreo herbae radicitus evelluntur a vinea, sic et acri sermone vitia de populo resecantur. Ut sicut colonus quamvis de suo munera obtulerit domino, non sic eum placat, quomodo si de vinea ejus reditus ei obtulerit: sic et sacerdos non tantum propter suam justitiam placet Domino, quomodo si populum Dei in sanctitate docuerit, quoniam ipsius justitia una est, populi autem multiplex. 34. *Cum autem tempus appropinquasset fructibus, misit servos suos ad colonos, ut acciperent de fructibus suis.* 35. *Et apprehendentes coloni servos ejus, unum ceciderunt, alium autem occiderunt, alium vero lapidaverunt.* 36. *Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt eis similiter.* 37. *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.* Servos suos dicit propheta, quos per singulas generationes misit ad populum Judaeorum. Considera quomodo per singulos gradus misericordiae divinae malitia Judaeorum crescebat, et quomodo per singulos gradus Judaicae malitiae Dei misericordia addebatur, et contra clementiam Dei malignitas humana certabat. Ecce qualisvis amicus alicujus fuerit homo, si semel ab illo fuerit passus injuriam, quantumcumque frangitur ejus affectus; si iterum passus fuerit, iterum magis minuitur: et si iterum amplius non minuitur amicitia ejus, certe tamen non additur. Dei autem misericordia quanto magis a Judaeis offendebatur, tanto amplius addebatur in eis. Ecce enim post tanta beneficia Dei, et sine admonitione Domini, debuerant Domino justitiae suae tributa persolvere: tamen non reddentibus eis, misit paucos servos suos, quibus occisis, addidit bonitatem, cum debuisset irasci, et misit plures. Item pluribus interfectis, accumulavit bonitatem, et misit Filium suum, et hunc non quasi ad obnoxios poenae sententiam bajulantem, sed patientiae veniam: et post tot scelera adhuc eis misericordiae locum servabat. Sic enim dicit: *Forssan filium meum verebuntur.* Ergo misit, confundere illos, non autem punire. Nam pro tantis injuriis benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris. Cogitavit ergo apud se: quamvis neque contumeliare servos meos debuerant: quia qui servis faciunt injuriam, dominum exonorant: tamen mittam Filium meum, qui totum possidet in natura. Si amare cum voluerint, est quod ametur in eo, quia post me solus est bonus; si voluerint eum timere, est quod timeatur in eo, quia post me solus terribilis est Deus. 38. *At illi videntes filium dixerunt intra se: Hic est heres; venite, occidamus eum, et obtinebimus hereditatem ejus.* Ex omnibus operibus ejus cognoverunt eum Filium Dei esse; hoc enim significat dicens: *Ecce hic est heres*: tamen postquam introivit in templum, et omnes vendentes animalia, quae ad sacrificium vendebantur, foras ejecit, in quibus sacerdotes avari tunc delectabantur: tunc praecipue cogitaverunt eum occidere, dicentes intra se: Si populus istum habuerit Deum, necesse est ut dimittat consuetudinem hostiarum, quae ad nostrum pertinent lucrum, et acquiescat offerri sacrificium justitiae, quae ad gloriam Dei pertinet; et sic jam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei: videlicet non ad nostrum quæstum pertinens, sed Dei. Si autem occiderimus eum, dum non est qui justitiae fructus a populo quaerat neglecta justitia, sic semper tenebitur consuetudo offerendarum hostiarum, et sic fiet nostra possessio ad nostrum pertinens lucrum. Et hoc est quod dicit, Et nostra erit hereditas. Hac cogitatio communis est omnium sacerdotum carnalium, qui non sunt solliciti quomodo populus vivat sine peccato, sed aspiciunt quid in ecclesia conferatur, et hoc existimant sacerdotii sui lucrum. Et non solum sacerdotes, sed etiam omnes homines carnales hoc solum existimant suum, et hoc lucrum habere se de hac vita arbitrantur, quod secundum carnem

delectati fuerint in hac vita. Quoniam autem volentes ostendere quidem Filium semper fuisse, quemadmodum Patrem, cum dicimus illis, Si filius est, et natus est, et unicum habet: propositione negativa respondent, non de proprietate Filii Dei secundum carnem: quia post incarnationem dictus est Filius ex baptismo, sicut et caeteri sancti: antea autem verbum fuit semper cum Patre. Quos etiam Deus ex hoc loco convincit, dicens: *Mittam filium meum.* Quando ergo adhuc cogitabat de transmittendo Filio post prophetas, jam Filius erat. Deinde si eo modo dicitur Filius, sicut omnes sancti, ad quos factum est verbum Dei; debuit autem et prophetas filios dicere, sicut et Christum; aut et Christum servum dicere, sicut et caeteros prophetas: ex qua re prophetas quidem servos omnes, hunc autem solum Filium appellavit. 39. *Et ejecerunt eum extra vineam.* Il est, extra civitatem Jerusalem. Et Judaei suo consilio usi ejecerunt eum, et Deus suo consilio ejici eum ordinavit. Isti cogitabant, ut crimen mortis ejus extra civitatem expellerent: Deus cogitabat, ne virtus resurrectionis ejus civitatem scelerum salvaret, id est, ut Judaeis quidem moreretur ad mortem, gentibus autem resurgeret ad vitam. 40. *Cum ergo venerit dominus, quid faciet coloni illis?* 41. *Dicunt illi: Malos male perdet.* Non est illorum quod juste judicaverunt, sed ipsius causae. Est enim causa veritatis, quae quasi violentiam illis fecit, ut non possent eam celare. Sicut sole in nubibus constituto, hoc, quod est dies, non est nubium permittentium eum apparere super terram, sed virtus solis, quae pertransiens nubes, etiam impediens eis apparet: sic juste pronuntiavit Judaeorum non placata, sed apposita malignitas. Erraverunt benedicens. Nam mendaces quantum ad se tunc mentuntur, quando dixerint veritatem: sed in hoc saeculo, ubi licet hominibus aliud sentire in corde, et aliud dicere in sermone, tamen ita veritate Christi circumdantur homines et tenentur, ut ipsi adversus se judices fiant. Putas, quomodo in die judicii convincendi sunt peccatores in suis peccatis, ita ut nullum colorem excusationis inveniant? ubi ipsa opera stantur ante oculos peccatoris, dicente propheta: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua* (Psal. 49. 21); ubi animam ipsae cogitationes cordis accusant, et e contra excitatur conscientia quasi domestica testis, dicente Apostolo: *Cogitationibus se invicem accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum* (Rom. 2. 15. 16). Sic et sacerdotes, vineae spiritualis cultores, qui populum non ad Dei gloriam exercebant, sed ad suum lucrum fructificabant: ita eos Dominus suis parabolis circumclusit, ut ipsi se sua sententia condemnarent. Quis illum defendet, qui seipsum accusat? aut quis eum existimet innocentem, qui seipsum pronuntiat reum? Vae animae, quae sibi defensionem conscientiae non praeparat in die judicii! Datur enim nobis exemplum, ut per hoc iudicium consideremus futurum iudicium Christi. Sciendum est autem, quia Lucas quidem evangelista sic dicit: *Adduxerunt eum extra vineam, et occiderunt. Cum ergo venerit dominus, malos illos male perdet. Et responderunt sacerdotes, Absit: intellexerunt enim, quod de ipsis diceret* (Luc. 20. 15. 16). Secundum Lucam ergo sacerdotes contradicunt sententiae Christi: secundum Mattheum autem suscipiunt et confirmant. In prima quidem facie videntur esse contraria; revera autem non sunt contraria, sed diversa ratione sunt dicta. Ille enim secundum responsonem sermonis illorum exposuit, iste autem secundum responsonem cordis. Nam vere visibiliter quidem in facie contradixerunt, dicentes, *Absit*: in corde autem et in conscientia sua susceperunt, dicentes, *Malos male perdet*. Quid est quod dicimus? Omnis homo et malum cognoscit, et bonum: et intelligit quod est justum, et injustum. Posuit enim Deus quemdam spiritum scientiae boni et mali in hominibus, ut quotienscumque peccamus, ille in silentio quasi factum nostrum accuset: et

<sup>1</sup> Apud Commelin. et Morel. legitur, quae.

in conscientia tacite ad animam loquitur, dicens : Malum est hoc, et hoc bonum est. Propterea si fecerit homo malum, et deprehensus fuerit in eo, verbis quidem denegat, et excusat; ab intus autem conscientia ejus recognoscit, et sibi ipsa discussa, per spiritum confitetur quod fecit. Unde scriptum est : *In cogitationibus impij interrogatio erit (Sapient. 1. 9)*. Ecce si servum tuum deprehenderit in furto, et voleris eum castigare, verbis quidem denegat : et si interrogas eum, utrum dignus est castigari, dicit, Non; conscientia autem ejus confitetur, quia dignus est cædi. Sic ergo et sacerdotes malæ conscientiar, verbis quidem dixerunt, *Absit* : conscientia autem confessi sunt, quia malos male perdet. Frequenter autem Scripturæ cogitationes cordis ita exponunt, quasi dicta sermonis, sicut ait *Joh* : *Dicit impius Deo, Discede a me, quia vias tuas noscere nolo (Job 21. 14)*. Item propheta : *Pupillum et advenam occiderunt, et dixerunt : Non videbim Dominum, neque intelliget Deus Jacob (Psal. 93. 6. 7)*. Item Salomon : *Omnis homo transgrediens in lecto suo dicit : Quis ne videt ? Parietes et tenebræ circumdant me ; quem verbor ? Non memorabitur Aliissimus delictorum meorum (Eccli. 25. 25. 26)*. Alioqui quomodo potest fieri, ut qui intellexerant contra se dictas esse parabolas, ita ut vellent eum tenere, consentirent sententiæ ejus ? Denique quasi non acquiescentibus illis, ideo introducit aliud testimonium Scripturæ, dicens : *42. Numquam legistis : id est, Si parabolam meam non intellexistis, vel istam scripturam non cognoscistis ? Quod si non acquievisset confiteri dignos se esse pœna, utique non erat necesse adhuc eis aliud proferre exemplum ? Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (Psal. 117. 22)*. Id est, Quare non intelligitis, quia vos estis ædificatores ? et quomodo non cogitatis, in cujus ædificii angulo ponendus est ille lapis ? Numquid in vestro, unde reprobatus est ? Non, sed in alio. Ergo aliud ædificium est futurum. Si autem aliud ædificium est futurum, ergo vestra ædificatio contemnenda est. Ædificatores enim sunt sacerdotes, qui generationes hominum super generationem per doctrinam ædificantes, quasi lapides super lapidem ponentes, domum Dei component. Sicut enim ædificatores nodosos lapides, et habentes torturas, ferro dolant, postea vero ponunt eos in ædificio, alioqui non dolati lapides lapidibus non cohærent : sic et Ecclesiæ doctores vitia hominum, quasi nodos, acutis increpationibus primum circumcidere debent, et sic in Ecclesiæ ædificatione collocare : alioquin vitiiis manentibus, Christiani Christianis concordare non possunt.

*Qua de causa lites altercationesque inter nos. Christus cur dicitur lapis.* — Unde putas lites in Ecclesia, inimicitias, altercationes invicem, nisi propter avaritiam, propter invidiam, aut propter superbiam, propter vanos honores ? Tolle hæc, et nulla discordia invenietur in Christianis. Et sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, et ponit a foris in facie ædificii, cæteros autem lapides qualescumque mittit intus : sic Ecclesia meliores Christianos eligit et ponit in facie ecclesiæ, id est, alios facit sacerdotes, alios diaconos, cæterosque ministros ecclesiæ, ponit senes et viduas sanctam vitam habentes in ecclesia permanentes, ponit continentem juvenes et virgines : cæteri autem si mediocres fuerint, proficiunt in medio ecclesiæ, id est, ædificii, propter misericordiam Dei. Sicut ergo forani lapides nullum debent habere nodum, aut angulum, nec debent esse alter lapis intus, alter foris, quia si sic fuerint, totum ædificium deturpant : sic et clerici senes et viduæ continentem, et virgines nullam debent habere maculam, neque in verbo, neque in cogitatu, neque in facto, neque in opinione, quia ipsi sunt pulchritudo Ecclesiæ et virtus : et si mali fuerint, totam deturpant Ecclesiam. Sicut enim lapides, qui sunt intus in ædificatione, nemo aspicit, sed eos qui foris sunt considerant omnes : sic sæcu-

larium hominum vitia neque sic considerantur, neque sic nocent Ecclesiæ. Nam quamvis populus sæcularis sit et indisciplinatus, tamen si isti boni fuerint, tota Ecclesia speciosa videtur. Nam sicut forani lapides intraneos intra se tenent, et constringunt : sic totus populus istorum meritis et sanctitate salvatur. Lapis autem dicitur Christus propter duas causas. Primum, quia suis fundamentum est forte, et neque aliqua seductione illecebrarum solvuntur, qui super eum consistunt, neque tempestatibus persequutionum moventur. Deinde, quia in Christo iniquorum est magna confractio. Sicut enim omnis res, quæ percutit lapidem, ipsa quidem colliditur, lapidem autem non lædit : sic et omnis, qui contra Christianitatem agit, se quidem corrumpit, Christianitati autem non nocet. Quia ergo magnus est lapis Christus : *44. Qui ceciderit super eum, confringetur : super quem autem ceciderit, comminuet eum*. Aliud est confringi, aliud est autem comminui. Quod confringitur, aliquid remanet de eo, quod fuerit fractum : quod autem minuitur, minutatim quasi in pulverem convertitur, et nihil invenitur ex eo. Qui enim super lapidem cadit, non lapis eum frangit, sed ipse se frangit ad lapidem. Ideo quod cadit super lapidem, non tantum se frangit, quantum est lapidis virtus, sed quantum fortiter ipsum ceciderit. Fortiter autem cadit, quod cadit, propter duas causas : aut propter pondus suum, aut propter altitudinem suam. Quod enim ponderosum est, etsi de humili loco cadit, fortiter cadit ; quod autem de alto cadit, propter altitudinem spatii, etsi leve fuerit, graviter cadit. Super quod lapis cadit, non quæritur an grave fuit, quod inventum est subtile, aut leve, nec de alto, nec de humili. Qui sunt qui super lapidem cadunt ? Christiani, qui credentes in Christum stant super ipsum, quasi super proprium fundamentum. Si quis de istis peccaverit, non eum Christus corrumpit, sed ipse se corrumpit, offendens in Christum ; et ideo Christianus peccans non tantum perit, quantum potest perdere Christum, sed quantum seipsum secundum opera sua perdidit. Homo Christianus fortiter cadit in peccato, propter duas causas : aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis : ut puta, si sit clericus, aut continens vidua, aut monachus, aut virgo, id est, qui se Deo tradidit. Propter magnitudinem autem peccati : ut puta, si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliud aliquid de gravibus peccatis : ille talis, etsi de humili loco cadit, id est, etsi laicus sit, aut sæcularis, fortiter perit propter pondus peccati. De alto vero cadit, ut puta clericus, cæteræque spirituales personæ. Illi etsi pondus peccati non habent, id est, etsi grande peccatum non fecerint, sed leve, tamen fortiter pereunt propter altitudinem dignitatis. Sicut enim quod de alto cadit, grandem sonum facit, ut audiant omnes : sic et qui de alto gradu cadit, ruina illius ubique auditur. Qui sunt super quos lapis cadit ? Judæi, et gentes, qui non crediderunt in Christum. Ergo illi non secundum sua opera pereunt, neque secundum suas personas, sed tantum pereunt, quantum potest perdere Christus. Si videris ergo infidelem hominem, ne dicas, Bonus est, aut malus ; justa opera facit, aut injusta : sed omnes æqualiter ad nihilum deducuntur. Ideo dicit propheta : *Non sic impij, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Ideo non resurgunt impij in judicio, neque peccatores in concilio justorum (Psal. 1. 4. 5)*. Sicut vas, quod leviter cadit, et læditur, est quidem vas, sed ad usum non proficit ; quod autem dispersum fuerit, nec videtur esse vas : sic Christianus peccator resurgit quidem, sed inter sanctos non ponitur, infidelis autem non resurget in judicio. Quomodo autem resurget, super quem talis decidit lapis ? Qui autem neque de alto honoris, neque de pondere gravius peccati ceciderit super Christum, interdum neque læditur : et si læditur, non multum læditur. *45. Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisei parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret, 46. et quærebant eum tenere*. Homo, qui grave fecit peccatum, dum non habet amplius

quod jam speret in Deum, pejora committit, dicente Salomone: *Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit (Prov. 18. 3)*. Sicut enim infirmus, donec mediocriter habet aliquam passionem, et sperat se posse curari, servat se a nocivis escis; si autem intellexerit, insanabilem se esse, jam non sibi parcat: sic et homo donec mediocriter peccat, et sperat salutem, quantumcumque potest, observat se a malo; si autem graviter peccando cœperit desperare, jam nihil dubitat facere: quasi qui jam peccatis suis vincit iudicium Dei: nesciens miser, quia sicut in bono gradus sunt gloriarum, et unusquisque secundum mensuram boni sui accipit gloriam: sic et in malo gradus sunt poenarum, et unusquisque secundum mensuram mali sui accipit poenam. Sicut enim infinitus est Deus in retributione bonorum, sic infinitus est in retributione malorum. Similiter et sacerdotes omnibus malis repleti, qui jam in Deum sperare non poterant, in ipsum Deum manus mittebant: non ignorantes eum esse Filium Dei, sed sibi jam non parentes. Et mirum tibi videtur hoc? Vere omnis homo malus, quantum ad voluntatem suam, et manus mittit in Deum, et occidit eum. Qui enim Deum excitare ad iracundiam non dubitat, qui præcepta ejus conculcat, qui nomen ejus contemnit, qui blasphemat, qui murmurat contra Deum, qui turbato vultu aspicit contra caelum, qui in ira sua manus audacter sublevat contra eum: nonne si potuisset fieri, manus mitteret in Deum, et occideret eum, ut jam licenter peccaret? *Et respondens Jesus, iterum dixit eis in parabolis (Cap. 22. 1)*. Domino de vinea proponenti parabolam et dicenti, quoniam justitia Dei a Judæis fuerat auferenda, non sunt terri, sed magis exasperati, et volebant manus mittere et tenere eum. Quod intelligens Dominus, non tacuit, sed pejorem iram Dei per aliam parabolam annuntiavit eis esse venturam. Nam si illi, qui timere debuerant, non timuerunt, sed magis exasperati sunt: quanto magis Christus tacere non debuit, qui timere non poterat? Illos enim malitia fecit audaces, istum autem potestas.

*Homilia xij. ex capite xxij.*

2. *Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*, etc. Homo rex dicitur Deus Pater, qui numquam humanam suscepit formam: ut intelligamus quia nomen hominis præjudicium non facit divinæ suæ naturæ. Sed propter causam parabolæ homo dicitur, non quia pars aliqua hominis erat in eo. Ideo quando audis in Scripturis Filium Dei hominem dici, quia si Pater Deus, qui tantum Deus est, et non homo, tamen homo nominatur: quanto magis necessarium fuit, ut homo diceretur unigenitus Dei Filius, cum non esset homo purus, qui humanam suscepit naturam? Quoniam autem nuptias nominavimus, utile est ut breviter ostendamus, prout dant nobis sensum bonum Scripturæ, quomodo animæ fideles Christo in die illo jungendæ sunt, interim nunc desponsatæ. Omne bonum viva substantia est, et vita est, vita autem est Christus. Omne autem malum sine substantia est, et nihil est. Ita quidquid vivum creatum est super terram, ex vita vivit. Nec enim potest esse aliquid vivum, in quo non sit spiritus vitæ. Ex malo autem nulla res esse potest. Cum vero ipsum malum nihil sit, quomodo potest facere rem aliquam esse? Tamen perdere potest, sed non ipsum malum perdet rem, sed de illa re, in qua est malum, subtrahit se bonum propter inhabitans malum in ea: et sic bono recedente, res vadit ad nihilum. Ergo res, in qua solum bonum est, viva et immortalis est: in qua autem et bonum et malum habitat, vivit quidem, tamen pro tempore propter inhabitans bonum, moritur autem propter inhabitans malum, et est res mortalis, sicut homo. Homo autem ideo ex bono et malo creatus est, ut contempto malo, sequatur bonum, et per hoc habeat electionis mercedem. Quod si contempto bono, sequutus fuerit malum, suscipiet eum æternus interitus. Si autem, dimisso malo, sequutus fuerit bonum, in morte natura carnis ejus solvetur ab omni malo: et cum resurrectio facta fue-

rit sanctorum, tunc suscipiet eum sola vita, quæ est Christus, et mortalitatem ejus in sua immortalitate absorbebit: et sicut desiderat Paulus, ut mortale hoc absorbeatur a vita (1. Cor. 15. 54), ut tunc impleam Scriptura, quam interpretatur idem apostolus: *Erunt, inquit, duo in carne una (1. Cor. 6. 16)*. Christus enim cum anima, quasi unus spiritus factus, habitabit in carne universa, secundum quod dictum est: *Qui adjungit se Domino, quasi unus spiritus est (Ibidem v. 17)*. Nunc enim quasi modicas arrhas futuri conjugii Spiritum sanctum accepimus, tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus. 3. *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias*. Ergo quando misit servos suos, jam invitati erant. Primum ergo dicamus, quid sit ipsum convivium. Secundo, quando sunt invitati. Tertio, quando cœpit preparare convivium, et quando misit invitatores. Prædium enim est doctrina justitiæ, et verba cælestium mysteriorum de Filio Dei venturo. Quæ omnia mandens homo, id est, audiens, acquirit sibi vitam æternam. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primum molit eum dentibus, et ita dimittit in stomachum: sic et cum audimus omne verbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, et videre quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus: ita et verbum quod audimus, nisi masticaverimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. Nam et manna, quod edebatur in cremo, figuram habebat verbi. Ideo dicebatur manna, quod interpretatur Hebraice, quid est hoc? ut quotienscumque audimus verbum, admoveat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus? Et sicut cibum postquam masticaverimus, dimittimus in stomachum: ita et verbum postquam bene tractaverimus, commendamus ipsum memorie quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit, sic non prodest ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui et memorie traditum. Nam sicut cibus nihil prodest, si manducaverimus, et iterum evomimus eum de stomacho: sic nihil in nobis prodest verbum, quod audimus, et obliviscimur illico. Cibus, qui in stomacho stat, ille confortat: et sermo, qui in memoria manet, ille salvat. Unde et apud Judæos illa animalia sunt munda, quæ revocant cibum, et ruminant (Deut. 14. 6). Ergo animal illud est mundum, quod masticat et tradit utero, et iterum de utero revocat, et ruminat. Et homo ille est spiritualis et sanctus, qui audiens verbum tractat, et cum intellexerit, memorie quasi utero tradit, et iterum de memoria quasi de utero revocat, et ruminat, et retractat. Ille autem homo immundus est ante Deum, qui non recordatur aliquando, nec retractat quod audit. Qui autem manducat de spirituali convivio, impletur spiritu, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, et sic ingreditur ad interiora voluntatis Dei, et manens in eis acquirit sibi vitam æternam. Qui autem ab hoc convivio verbi longe fuerit factus, evacuat spiritum, angustatur sensibus, deficit a veritate, distillat a fide, et sic egrediens ab omnibus voluntatibus Dei ad inferiora, novissime cadit in mortem. Quando sunt invitati? In tempore Abraham, quando dixit ad eum Deus: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam tibi demonstravero. Et omnem terram, quamcumque tetigeris pedibus tuis, tibi dabo eam, et semini tuo in æternum (Gen. 12. 1. 2)*. Quam terram? Terram orientalem, fluentem lac et mel. Quod verum non est de terra illa Judææ, quoniam illa terra nunquam fluxit lacte et melle, sed terram rationabilem, quam Christus suscepit. De illius enim incarnatione lac et mel processerunt. Lac enim opus est miraculorum, quoniam et sine labore dentium, et cum suavitate comeditur, per quod rudes

in fide quasi pueri sustentantur. Mel autem eloquia et doctrinæ dicuntur, sicut ait propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et fuyum ori meo (Psal. 118. 103)*. Ergo Christi incarnatio promittatur, qui lacte miraculorum et melle doctrinæ nutriturus fuerat gentes rudes in fide. Vide ergo quoniam jam ex eo ostendebat Deus, quoniam non aliter Judæi poterant Christo credere, nisi ut relinquerent Judæismum, quod est, *Exi de cognatione tua*: et opus circumcisionis, quod est, *Exi de terra tua*. Ergo ex eo jam Judæismus relinquendus ostendebatur. Non solum autem Judæi, sed nullus homo potest lac et mel manducare Christi, nisi cognationem suam, et terram suam reliquerit, sicut scriptum est: *Nisi quis reliquerit patrem aut matrem (Matth. 19. 29)*, etc. Item, *Qui meus vult esse discipulus, abneget semetipsum (Luc. 9. 23)*. Relinquit ergo cognationem suam, non qui contemnit eam, sed qui amplius diligit Deum, quam parentes. Relinquit terram suam, qui carnis suæ non acquirit voluntatem<sup>1</sup>: qui autem concupiscentiæ carnales exigit, terram corporis sui exercet, sicut Cain. Qui vero perfecte cognationem suam et terram relinquit, hic lac et mel manducat, cum legit mirabilia aut eloquia Christi. Quando cœpit hoc convivium præparari? A tempore Mosi, quando lex Domini data est irreprensibilis, convertens animas; quando testimonium Domini fidele datum est, sapientiam præstans parvulis; quando justitiæ Domini rectæ lætificantes corda; quando præceptum Domini lucidum, illuminans oculos; quando timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi; quando judicia Domini vera, justificata in semetipsa; quando ex decem speciebus confectus est cibus decalogi salutaris. Sicut enim regale prandium multis ciborum speciebus ornatur, ita et hoc convivium Scripturarum diversis justitiarum speciebus est decoratum. Ex eo etiam tempore invitatores exierunt prophetæ, qui homines ad nuptias futuri sponsi vocarent, id est, ad fidem Christi, prophetantes eis de ipso. At illi noluerunt venire. 4. *Item misit alios servos, dicens: Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi, tauri mei et saginata occisa sunt, et omnia jam parata; venite ad nuptias*. Qui sunt alii servi? Apostoli, quos et ille misit, dicens: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicens, Quia appropinquavit regnum caelorum (Matth. 10. 5-7)*. Hoc est quod dicit, *Prandium meum paravi*: id est, Ex omni lege, et ex omnibus prophetis Scripturarum mensas ornavi. Qui sunt tauri et saginata occisa? Prophetæ, qui occisi sunt pro salute populi. Sancti quoque occisi sunt pro salute ejusdem populi, quemadmodum docet nos Apostolus, dicens: *Ego autem impendar et superimpendar pro animabus vestris (2. Cor. 12. 15)*. Item alibi: *Ego enim jam delibor (2. Tim. 4. 6)*. Hominis libatio alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolatus fuerat Paulus pro populo quem docebat. Sic et prophetæ occisi sunt, unusquisque pro salute populi quem docebat. Et quoniam mors prophetarum sustentabat quidem ex parte salutem humanam, non tamen plene salvare poterat totum mundum: ideo novissime immolatus est Agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua detergeret. Propterea et in diebus Scenopegæ, quæ interpretatur fixio tabernaculi, diversæ hostiæ occidebantur in figura sanctorum, novissime autem occidebatur et agnus. Si ergo agnum illic occisum intelligimus figuram Christi, consequenter et cæteras hostias intelligimus præcedentium sanctorum occisiones. Sed et Christus de figurata sanctorum suorum immolatione dicebat: *Holocausia medullata offeram tibi cum incenso et arietibus, offeram tibi boves cum hircis (Psal. 65. 15)*. Nec enim Christus aliquando hujusmodi animalia obtulit Patri. Obtulit autem rationabiles arietes, id est, principes omnium Christianorum. Obtulit boves, rationabilem terram

colentes. Obtulit etiam hircos ex gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi.

*In vita raro accepti prophetae.* — Hæc autem diximus, ut ostendamus tauros et saginata occisa, intelligi debere sanctos occisos. Omnes ergo prophetæ et Christus ideo occisi sunt, ut hoc spirituale tabernaculum firmiter figeretur. Denique sicut viscera agni, ita eloquia Christi homines non manducaverunt, nisi postquam occisus est. Nam post mortem ejus evangelia prædicata sunt et credita, et in eis homines quotidie nutriuntur. Sic et viscera ejus prophetarum, id est, eloquia, non sunt ante suscepta, nisi postquam occisi sunt. Quis audivit, aut credidit verbis Isaïæ viventis? Si enim suscepissent sermones ejus, nunquam eum sarrassent. Sed postquam occisus est, tunc postmodum Judæi susceperunt prophetias ejus, et cœperunt legere in synagogis suis. Quis Jeremiæ verba suscepit viventis? Si enim suscepissent verba ejus, nunquam eum post multas injurias lapidassent. Sed postquam occisus est, postea consecraverunt prophetias ejus, et cœperunt legere eas in conventu. Et sic invenies actum, in omnibus prophetis, quia vivos eos nemo coluit, sed post mortem. Unde et Dominus dicit: *Qui ædificatis sepulcra prophetarum, et dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non fuissetis participes eorum in sanguine prophetarum (Matth. 23. 29, 30)*. Sicut enim vivos animalis viscera nemo manducat, ita viventium prophetarum sermones nemo suscepit, sed post mortem ipsorum. Saginati autem sunt gratia Dei pleni. Ideo dixit, et saginata, et tauros: non quia, et tauri non fuerunt saginati, sed quia omnes saginati non fuerunt tauri. Ex prophetis enim omnibus quidam tantummodo prophetæ fuerunt, quidam autem prophetæ et sacerdotes, sicut Jeremias, sicut Ezechiel, sicut filius Joiadæ. Ergo saginata dicit prophetas tantummodo, qui fuerunt Spiritu sancto repleti. Tauros autem, qui et prophetæ fuerunt, et sacerdotes. Sicut enim tauri duces sunt gregis, ita sacerdotes sunt principes populi. Quosdam autem legi, dicentes, tauros hic dici martyres, tunc in primis pro Christo occisos, apostolis adhuc viventibus: saginata autem parvulos, Spiritu sancto pinguificatos. Quorum omnium interfectiones multas spiritualium gaudiorum epulas præbuerunt, et nuptias Christi adornaverunt. *Et omnia jam parata*. Quidquid quaeritur ad salutem, totum jam adimpletum est in Scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi quod discat. Qui contumax est, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias et promissiones vitæ perpetuæ, quas manducando amplius excitetur ad opus. Qui pusillanimitas est et infirmus, inveniet ibi mediocres justitiæ cibos, qui etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vitæ, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam. Qui percussus a diabolo, et vulneratus est in peccatis, inveniet ibi medicinales cibos, qui eum per poenitentiam revocent ad salutem. Ut quid ibi scriptum est, Achar propter furtum laminae aureæ lapidatus, nisi ut habeant fures quod timeant (*Josue 7. 24-26*)? Ut quid ibi filii Israel, qui fornicati sunt cum filiabus Moabitarum, percussi refugerunt in Beelphegor, nisi ut habeant fornicatores quod perhorrescant (*Num. 25*)? Ut quid concupitores carnis castigati sunt in deserto, nisi ut nemo delicias concupiscat (*Num. 20*)? Ut quid David arguit Nathan, et suscepit, nisi ut adulteri et homicidæ poenitentiam remedium non desperent (*2. Reg. 12*)? Raab meretrix sanctificata est, ut meretricibus spes daretur (*Josue 2*). Nihil ergo minus est in hoc convivio, quam quod necessarium habet salus humana. 5. *At illi neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius in negotiationem suam*. Omnis actus, quem agunt homines in hoc mundo, duplex est. Aut enim villa est, aut negotiatio. Et quando aliquem laborem quidem manuum nostrarum facimus, exercentes terram, aut aliquid opus terrenum, utputa agrum, vel vineam, vel hor-

<sup>1</sup> V. D., suæ nunquam sequitur voluptates.

tum, vel opus ligni aut ferri, villam colere videmur, id est, terram. Quando autem non labore manuum nostrarum, sed aliter lucra quocumque modo consequimur, utputa honores gerere, ut divitiarum permaneant alicui, aut mercari, omne hoc negotiatum appellatur. Duobus ergo verbis omne opus humanum conclusit, sive honestum, sive inhonestum. Honestum quidem opus est villarum cultura: sicut ait Salomon: *Non oderis rusticam operationem, et agriculturam ubi Altissimo creatam* (Eccli. 7. 16). Et Apostolus hortatur: *Rogo autem vos, fratres, studium habere quietis, et negotii proprii, et operandi manibus vestris, et nullum desiderium sit in vobis ad eos qui foris sunt* (1. Thess. 4. 11): inhonestum est enim apud Deum opus negotiationis, sive dignitatis, sive militiæ. Unde nihil horum antea Judæi agebant, propter quod dicit propheta: *Qui non cognovit negotiationes, intrabit in potentias Domini* (Psal. 70. 15): quia difficile quis negotians intrat in regnum caelorum. O miserimus mundus, et miseri qui eum sequuntur! Semper enim homines mundicialia opera excluderunt a vita. Sed forte dicis, Et villam colere peccatum est? Et si quidem impedimentum fidei, aut religionis tibi non facit villa, sicut fecit Judæis, non habes peccatum: si autem vel a fide, vel a religione tibi facit impedimentum, sit peccatum. Non ergo ipse villarum cultus peccatum est, sed tu præferendo eam Deo, facis eam esse peccatum. Opera enim nostra authentica, opera sunt justitiarum: opera autem carnalia superoperationes dicuntur, non opera, quia justitia ad vitam æternam pertinet veram, opus autem terrenum non ad vitam, sed ad sustentationem vite hujus temporalis. Ideo ergo opus justitiarum attente facere debemus, opus autem terrenum transitorie. Si ergo honestum opus sequendo homines debitum honorem Deo non reddiderunt, talem iram merentur. Putas, quali ira sunt digni, qui non honesta opera, sed negotiationes sequendo, non veniunt ad Deum? Aut ita. Villa est iste mundus, circa quem homines amatores mundi occupantur quæstibus ejus, quasi villarum cujusdam redditibus delectati; negotiatum autem prædicatio legis, et procuratio templi, quam avari sacerdotes quasi negotiationem æstimant, quando lucrosam, et non dispensationem divini operis putant, et non onerosam. Ergo per operationem villarum populares significantur homines, quos mundi delectatio separavit a Christo: per operationem autem negotiationis sacerdotes caterique ministri templi significantur, quos lucri obtentu venientes ad ministerium legis et templi, avaritia separavit a fide. Non dixit, Malignati sunt, sed, *Neglexerunt*: quia non omnes Judæi crucifixerunt Christum, nec audierunt doctrinam ipsius, aut consenserunt in mortem ejus. Quidam enim secularibus negotiis occupati, non venerunt ad Christum, nec audierunt doctrinam ipsius, nec viderunt mirabilia ejus, ideoque non crediderunt in eum. Qui ergo odio aut invidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt: qui autem negotiis impediti sunt, non crediderunt: illi neglexisse dicuntur, non malignati. Nam sunt quidam homines, qui possunt et audire et credere, sed sollicitudo rerum necessariorum, et delectatio mundi separat eos a Deo, quos Dominus terram spinosam appellat. 6. *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos occiderunt*. De sua morte tacet, quia jam in priori parabola dixerat: sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius, occiderunt Judæi, maxime sacerdotes, Stephanum lapidantes, in Jacobi morte gaudentes: item Jacobum Alphæi lapidantes (Act. 7. 12): propter quæ omnia Jerusalem destructa est a Romanis. Ideo dicit: 7. *Audiens autem rex, iratus est: et misit exercitum suum, et perdidit homicidas illos et civitates eorum succendit*. Romanus exercitus, dicitur exercitus Dei: quia *Domini est terra, et plenitudo ejus* (Psal. 25. 4). Nec enim venissent Romani in Jerusalem, nisi Dominus eos excitasset. Quidam autem exercitum angelos dicit, et civitatem pro civibus ponit; ac si dicat: Misit angelos suos, et cives illos misit in ignem

æternum. 8. *Et dixit servis suis: 9. Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias*. Manifestum est quidem, quia post contemplatam contumaciam Judæorum, de vocatione Gentium dicit, quod dicit, *Ite ad exitus viarum*. Propterea requiramus quæ sunt viæ istæ, et ad quarum exitus misit Christus discipulos suos. Puto ergo quoniam sicut generalis et publica via est Christus, quæ ducit ad vitam, et viæ dicuntur omnes prophetæ, et omnes apostoli: hæc enim omnes viæ ducunt ad Christum, Christus autem ad Patrem: sic generalis et publica via est diabolus, quæ ducit ad mortem, et viæ sunt omnes professiones sæculi istius. Uputa, professio philosophiæ, una est via: professio militiæ, altera est via: mundialis dignitas, altera est via: professio ludorum, altera est mundi. Et quid plura dicam? Quantæ sunt diversitates actu in hoc mundo, tantæ sunt viæ, quæ omnes viæ ducunt ad diabolum, generalem viam perditionis. Ideo ergo dicit: *Ite ad exitus viarum, et cujuslibet conditionis homines vocate ad fidem*. Adhuc sicut castitas via est, quæ ducit ad Christum, et misericordia, cæteræque virtutes: sic et fornicatio via est, quæ ducit ad diabolum, et avaritia, cæteraque species malæ. Jubet ergo ut cujuscumque conversationis homines invitent ad fidem, quoscumque, sive servos, seu liberos. Deus enim corporalem servitutem non contemnit, nec corporalem eligit libertatem. Omnis qui diaboli sequitur voluntatem, servus est diaboli, etsi sit liber: qui autem obaudit Deo, ille vere ingenuus est, etsi fuerit servus. Ingenuitatem enim spirituales non sordidat servitus corporalis, nec turpitudinem spirituales honestat corporalis libertas. Servitutem enim non Dei dispositio, sed humana violentia introducit. Omnis enim homo liber creatus est, quem Deus in libero arbitrio posuit, nisi ipse fecerit se servum. Et sicut non est distantia in natura creationis hominum, sic non sit differentia in vocatione salutis eorum omnium, sive barbarorum, sive sapientum: quoniam potens est Dei gratia barbaras mentes corrigere ad rationabilem intellectum. Qui cor Nabuchodonosor ad feralem sensum mutavit, et iterum feralem sensum ad humanum intellectum reduxit (Dan. 4); potens est, inquam, mutare omnes, sive bonos, sive malos: boni ne pereant, mali ut inexcusabiles fiant. Nemo propter ignorantiam percat, nemo propter ignorantiam excusetur. Omnes videant lumen, ut appareant, qui amant tenebras, et qui lumen. Qui enim filius est tenebrarum, etsi compellat eum, non accedit ad lumen: qui autem filius est luminis, nec si repellat eum, recedit a lumine. 11. *Intravit autem rex, ut videret discumbentes*. Intravit autem Deus, non quia est aliquis locus ubi non sit, sed ubi vult aspicere, ibi sit præsens: ubi autem non vult, absens videtur. Dies enim aspectus est dies judicii, quando visitaturus est Christianos, qui super mensam Scripturarum sanctorum recumbunt, id est, requiescunt in fide earum, et celestibus epulantur doctrinis. Aut dies aspectus est dies tentationis: quando dignatur tentare Ecclesiam suam, ut videat qui habent fidem, et opera digna Christi vocatione. Nuptiale vestimentum est fides vera, quæ est per Jesum Christum et justitiam ejus: de qua ait Apostolus: *Exspoliare vos veterem hominem cum actibus suis, qui corruptipitur secundum concupiscentiam erroris, vestientes vos novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* (Coloss. 3. 9. 10). Quod dicit, *In justitia*, ad conversationem pertinet: quod autem dicit, *In sanctitate veritatis*, ad fidei veritatem. Vestimenta ergo veteris hominis sunt pannosa et sordida opera carnis, corruptibilia: et immunda: vestimenta autem novi hominis sunt fortia et decora opera spiritus, incorruptibilia et sancta. Quemadmodum enim si aliquis cum nigris vestimentis inveniat in nuptiis, sordidat gloriam nuptiarum: ita et qui opera habet tenebrosa, et inter Christianos quasi unus ex eis conversatur<sup>1</sup>, ipsi Christianitati facit injuriam. Novum

<sup>1</sup> Apud Commel. legitur, *conservatur*.

## Homilia xliij. ex capite xxiij.

itaque aut secundum locum eligat vestem, aut secundum vestem eligat locum: id est, aut secundum opera eligat professionem, aut secundum professionem faciat opera. Qui vult esse Christi, faciat opera Christi: qui autem non vult opera Christi facere, non veniat ad Christum: alioquin audiet in die iudicii: 12. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? et obmutescet. Hic enim abscondimus opera nostra, et invicem corda nostra celamus: in illa autem die nihil est quod respondeamus, ubi cælum, et terra, et aquæ, sol et luna, dies et noctes, et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum. Etsi omnia taceant, tamen ipsæ cogitationes nostræ, et ipsa opera nostra specialiter stabunt ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum, dicente Apostolo: Cogitationibus invicem se accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. 2. 15. 16). 13. Tunc dicit rex ministris: Ligatæ ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores. Sicut est differentia gloriarum in sanctis secundum opera, dicente Apostolo: Stella enim a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum (1. Cor. 15. 41. 42): sic quoque differentia est tormentorum in peccatoribus. Sunt enim primæ tenebræ et exteriores, et novissimi lacus. Ex eo autem quod dixit, Ingressus, ut remuneraret amicos: non autem dixit, Congregavit rex omnes qui venerunt ad nuptias: datur suspicio æstimandi, ne forte dicat hoc de vindicta iudicii. Adhuc autem, quia non dixit, Mittite eum in tenebras inferiores, ut eas tenebras inferiora loca inferni æstimemus: sicut ibi, *Et eripuit animam meam in inferno inferiori (Psal. 85. 13)*: sed ita dicit, *In tenebras exteriores*. Ergo quotiescumque tentat Deus Ecclesiam suam, et ventilat ventilabro iudicii, ingreditur ad eam, ut videat discumbentes qui sunt, aut quales sunt: si digni sunt cælestibus nuptiis, et convivio illo vivo. Et si invenerit aliquem non habentem vestem nuptialem, secundum ea quæ diximus, interrogat eum in cogitationibus suis, sicut scriptum est: *Quia in cogitationibus impii interrogatio erit (Sap. 1. 9)*. Et interrogat eum, Quæ sunt opera ista quæ agis? Quia non sunt opera Christiani. Ut quid factus es Christianus, si hæc opera diligebas? Ita ut non habeat quid respondeat contra conscientiam suam. Et hunc ergo talem cum viderit in Ecclesia Christus, jubet ministros suos, id est, aliquos spiritus seductionum. Nam mala per malos spiritus reddet: qualis fuit spiritus erroris, quem misit Deus, ut seduceret Achab, sicut scriptum est in tertio libro Regnorum (Cap. 22). Vel qualis est illa operatio erroris, quam dabit eis Deus, qui caritatem Dei non acceperunt, ut credant mendacio. Et ligant manus hominis illius: id est, opera ejus, quæ sunt animæ manus, quæ homines rectius tollunt ad mandata Dei. Ligant et pedes ejus, id est, motus animæ ejus, quibus anima solet incedere et transire, non de loco ad locum, sed de malo ad bonum, vel de bono ad malum: id est, obligant, et inebriant, et involvunt opera ejus, ut quomodo nescit, sic in laqueum perditionis incurrat. Et apprehendentes eum, per ipsa opera ejus, mittunt eum in tenebras, id est, in errores vel gentium, vel Judæorum, vel hæreticorum. Et forsitan propinquiores tenebræ sunt gentium, exteriores Judæorum, plus autem exteriores hæreticorum. Quoniam gentiles veritatem spernunt, quam non audierunt: Judæi autem, quam non crederunt: hæretici autem, quam audierunt et didicerunt. Ipsarum quoque hæreticarum tenebrarum quædam sunt prope lucem veritatis: aliæ autem longius a veritate, et ideo nigriores: aliæ autem amplius longe, et ideo pressiores et exteriores. Ideo dixit, *Mittite eos in tenebras exteriores*. Id est, in hæreses perversissimas. *Ibi erit fletus, et stridor dentium*. Videte quia non dixit, *Ibi est fletus et stridor dentium*; sed, *Erit*. Ergo modo mittuntur in illas tenebras mali, postea patientur fletus, ubi est et stridor dentium.*

15. Tunc abeuntes Pharisei, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. 16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. 17. Dic ergo nobis quid tibi videtur: licet census dari Cæsari, aut non? 18. Cognita autem Jesus nequitiæ eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ? 19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt denarium. 20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio? 21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo. 22. Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt. 23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, et interrogaverunt eum, 24. dicentes: Magister, Moses dicit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. 25. Erant autem apud nos septem fratres, et primus uxore ducta defunctus est, et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. 26. Similiter secundus et tertius, usque ad septimum. 27. Novissime autem omnium et mulier defuncta est. 28. In resurrectione ergo cuius erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam. 29. Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. 30. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælo. 31. Et de resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo, dicente vobis: 32. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac (Exod. 3. 6), etc. Omnis quidem malitia confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, maxime eorum qui proposito malo, et non ignorantia peccant. Sic etenim sacerdotes postquam terrere Dominum non potuerunt, dicentes: *In qua potestate facis hæc (Math. 21. 25)?* postquam parabolarum ratione constricti, sic iudicio ipsi se reos fecerunt, dicentes: *Malos male perdet (Ibid. v. 41)*, nemine contra eos dicente testimonium, nisi conscientia sola: numquid compunxit eos timor peccati? numquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? *Abierunt, et consilium acceperunt, ut eum caperent in sermone*. Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis ineam, si una ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit: sic et eorum malignitas ex una parte confusa, aliunde sibi aditum advenit. Sicut enim non potest fieri, ut ligna mittendo extinguas ignem: sic non potest fieri, ut rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis quanto amplius ligna susceperit, in majorem flammam erigitur: sic animus malus quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malitiam excitatur. Abierunt ergo, et consilium acceperunt. Quo abierunt? Ad Herodianos. Nam ex eo quod non dicit, Consiliati sunt, sed, *Consilium acceperunt*, et ex eo quod pariter cum Herodianis venerunt, apparet quia cum illis ejusmodi circumventionis consilium tractaverunt. Homo colonus, cuius terram possidet, illius auxilio opus habet. Qui iustitiam tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium necessarium habet. Colonus enim Dei, diaboli auxilium non requirit: colonus autem diaboli, auxilium Dei et si querit, non invenit. Vidisti aliquando euntem ad furtum Deum orare, ut bene prosperetur in furto? aut qui vadit ad fornicationem, numquid sibi signum crucis ponit in fronte, ut non comprehendatur in crimine? Quod si fecerit, non solum non adjuvatur, sed adhuc amplius traditur: quia nescit iustitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic et isti, Christum expugnare cupientes, convenienter non ad servos Dei, viros religiosos, sed ad gentiles, id est Herodianos, se contulerunt. Quale est consilium, tales et consiliatores. Quis autem poterat dare consilium contra Christum, nisi diabolus qui erat adversarius Christi? Cogitabant enim apud se sa-



cerdotes, Si nos soli euntes interrogaverimus Christum, quamvis dixerit quia non licet dari Cæsari tributum, tamen nemo nobis credet dicentibus contra eum: jam enim omnes sciunt, quia inimici ejus sumus. Inimicorum autem testimonium in judicio, etsi verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. Sed nec per seipso Christum interrogare volebant, quia in magna suspitione inimicitiae eorum fuerant apud Christum, ne forte quasi suspecti circumvenire eum non possint. Nam inimicus manifestus melior est, quam amicus fictus. Ille dum timetur, facile vitatur: iste dum non agnoscitur, prævalet. Miserunt ergo discipulos, quasi adhuc minus cognitos, et minus suspectos, ut aut abscondite facile deciperent eum, aut deprehensi minus erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior. Sed discipuli illi magistris suis ætate minores erant, malitia autem pares. Nam et pulli serpentium statura breviores, veneno autem æquales sunt. Et catuli luporum adhuc teneri constituti, etsi venationem exercere non possunt, jam tamen sanguine gaudent, et morsibus ludunt.

*Hypocritarum mos. — Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Magistrum eum vocant et veracem: magistrum, ut quasi honoratus et laudatus, mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, nunquam volens eos habere discipulos. Hæc enim est hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere volunt, ut per delectationem laudis paulatim corda hominum ad simplicitatem benignæ confessionis inclinent. Veluti si quis taurum validum viribus non potest subjugare, et vinculo flectere, mollihus manibus nodosam ejus fricat cervicem, ut quem virtute tenere non potuit, per blandimentum comprehendat: sic et isti catenam subdole laudis portantes in ore, et gladium malitiæ abscondentes in corde, taurum ecclesiastici gregis dolo laudis comprehendere festinabant. De quo tauro prophetans Jacob, jam tunc increpabat Levi filium suum, quia de Levi erant nascituri sacerdotes, qui interfecituri erant Christum: *Simeon et Levi fratres consumnaverunt iniquitates suas. In cogitationes eorum non venit anima mea, et in consilia eorum non cadant precordia mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in furore suo subnaverunt taurum (Gen. 49. 5. 6).* De talibus dicit propheta: *Molliti sunt sermones eorum super oleum, et ipsi sunt jacula (Psal. 54. 22).* Quid tibi videtur? licet censum dari Cæsari, an non? Non est justum, ut servi summi regis, terrenis regibus serviamus. Si enim indignum est, ut ex duobus regibus homo alterius alteri obsequatur, et injuriam facit suo, si subiacet alieno: quanto magis indignum est, ut cultores Dei humanarum potestatum gravamina cognoscamus? *Cognita autem eorum nequitia Jesus, non secundum sermones eorum pacificos blande respondit, sed secundum conscientiam eorum crudelem asper dixit: quia Deus plerumque ad animam loquitur, non ad corpus: voluntatibus respondet, non verbis. Hypocritas, quid me tentatis? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Dicit eis, Hypocritas, ut quod ab eo audierunt in aure, apud semetipsos inveniant in corde: ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo, quod Pharisei quidem blandiebantur, ut perderent; Jesus vero confundebat, ut salvaret: quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitiis. Et ait eis: Cujus est imago hæc, et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc dixit eis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo. Imago Dei non est in auro depicta, sed in hominibus figurata. Numisma Cæsaris, aurum est: numisma Dei, homo. In solidis Cæsari videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Ideo divitias vestras Cæsari date, Deo autem conscientie vestræ solam innocentiam reservate, ubi Deus videtur. Cæsaris enim imaginem manus artificis sculpsit, et corruptibilibus literis annotavit: Dei autem imaginem in homine divina*

manus decem vivis apicibus demonstravit. Quibus? Illis quinque sensibus carnalibus, et quinque spiritalibus, per quos consideramus et apprehendimus quæ sunt utilia ut Deus. Ideoque ilibatam Deo semper imaginem suam reddamus: non superbiæ fastu tumidam, non iracundiæ livore marcidam, non avaritiæ facibus succensam, non gula illecebris deditam, non hypocrisis duplicitate contextam, non luxuriæ sordibus attaminatam, non elationis protensione levem, non vinolentiæ tæbe amentem, non dissidio multæ caritatis extorrem, non detractionis mordacitate pestiferam, non multiloquii vanitate inanem, sed caritate perspicuam, fide et spe certissimam, patientiæ virtute fortissimam, humilitate tranquillam, castitate purpuream, parcimonia sobriam, tranquillitate juvenam, hospitalitate devotam. Talibus enim inscriptionibus suum Deus numisma non mallei vel incudis ictu composuit, sed prima conditione formavit. Cæsari enim suam in nummo requirit imaginem, Deus vero hominem quem creavit, exquirat. Non dimittit Cæsari suum quod debetur numisma, nec Deus suam unquam exquirendo relaxat facturam. Sicut qui suam Cæsari adulterinam imaginem reddit, flagellari tormentis et atrocibus jubet subijci pœnis: sic Deus omnipotens corruptores imaginis suæ morti tradit perpetuæ, et infernales jubet pœnas persolvi immensas. Ita qui vitare horrenda exitia cupit, incorruptam studeat actoris sui imaginem conservare, quatenus cum suam, quam formavit, requisierit Deus imaginem, saltem et immunem ab inimici infectionibus eruenens, suo collocet gremio, angelorumque choris admiscens, perpetuis faciat cælorum gaudiis perfrui. *In illa die accesserunt ad eum Sadducei, qui dicunt resurrectionem non esse. In qua dicit? Quando recedebant Pharisei, et accedebant Sadducei. Recedebant Sadducei, et iterum accedebant Pharisei. Unus dies est, et multa certamina. Frequentant enim super eum, tali forte consilio, ut quis aut comprehendere eum posset, aut si certe eum ratione superare non posset, vel per ipsam frequentationem subverterent sensum ipsius. Quemadmodum si inter plures hostes inveniatur unus pugnator fortis, dum singuli viribus eum superare non possunt, circumveniunt eum omnes, ut quod virtute non poterant superare, ipsa multitudine convertant eum in fugam. O stulti, si quis corruptibili fonte utatur assidue, magis fontis illius venas laxat, et majorem aquam infundit. Et illi de fonte vivo aquæ salientis in vitam æternam hauriebant sermones, et putabant eum plura interrogando siccare. Circumdabant ergo eum, quasi plures canes garruli unum leonem. De his enim dixerat per prophetam: *Quoniam circumdederunt me canes multi (Psal. 21. 17).* Et vere tamquam irrationabiles canum latratus, sic erat vox Sadduceorum. Videamus consilium inimici, quod per Sadduceos operabatur. Diabolus enim semper adversarius Christi est, qui semper sibi thronum Domini usurpabat, testante propheta: *Super stellas cæli ponam tribunal meum, et ero similibus Altissimo (Isai. 44. 13, 14).* Ab initio mox ut creatus est homo, tentavit unius Dei notitiam obscurare, et cultum multorum deorum inducere, dicens ad Erant: *Et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (Gen. 3. 5).* Sicut enim omne malum non a perfecto malo incipit, sed paulatim in primis, sic et istud tam audax malum primum leviter et latepter inspiravit, id est, persuasit: non quidem ut colerent deos, sed interim fecit mentionem deorum, quos debeant colere. Adhuc enim non erat multitudo hominum pessimorum, in quibus seminare fallacia deorum multorum. Nam virtus diaboli est, quod homines mali sunt. Nec enim potest aliquod malum seminare in mundo, nisi per ministros suos: quia in sanctis non invenit locum. Crescente itaque numero hominum malorum, crevit et virtus erroris, et inquit notitiam Dei, usque ad dies Abraham, quem Deus*

<sup>1</sup> Codex V. D., apprehendimus sicut Deus. Quæ sequuntur desunt usque ad illud infra, in illa die accesserunt ad eum Sadducei, etc.



suscitavit, ut tam per eum, quam per ejus familiam Dei notitia in mundo, tamquam lucerna, luceret in tenebris. Videns itaque quia notitia Dei omnino extinguere non potuit, aliam adventionem excogitavit erroris, ut etsi cognoscatur Deus virtutum, tamen nullus obediat præceptis ipsius. Nam dominus, cujus præcepto nullus obtemperat, cum sit dominus, esse dominus non videtur: quia nomen habet tantummodo, non potestatem. Quid ergo? Introduxit hæresim Sadducæorum, qui dicerent non esse resurrectionem mortuorum. Quæ res omnium propositum faciendæ justitiæ frangit. Nam in omni re, aut actu, sive corporali, sive spirituali, agendi virtus spes est præmii futuri. Qui enim arat, arat ut metat. Qui pugnat, pugnat ut vincat. Nam cum sit ita difficile in hoc mundo servare justitiæ sanctitatem, quis contentus esset, adversus seipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem aspiceret resurrectionis? Tolle ergo spem resurrectionis, et soluta est tota observantia pietatis. Numquid Sadducæi credebant esse conjugia post mortem? Absit. Quomodo enim conjugia crederent fieri, quando ipsam resurrectionem negabant? Sed ad defensionem erroris sui putabant se invenisse acutissimam rationem, hoc modo apud se dicentes: Sicut non est possibile, ut ea mulier quæ fuit septem virorum, sit unius uxor privata, aut omnium communis: sic non est possibile, ut fiat resurrectio mortuorum. Respondens autem Jesus, ait eis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo. Stulti, qui sæculum illud huic sæculo simile existimabant. In hoc sæculo quia morimur, ideo morimur, quia nascimur: ideo uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, nascendo supplicetur. Tolle moriendi necessitatem, et nascendi utilitas superflua invenitur: tolle nascendi utilitatem, et nubendi causa soluta est. Nam iste mundus carnis est, ille autem animarum. Sicut anima in hoc mundo peregrina est, ita caro in illo extranea est. In isto mundo anima carni subjecta est, quantum ad passiones humanas, in illo autem caro animæ. Unaquæque res in sua patria fortior est, et dominatur. Si ergo anima sic potens claudi potest in hoc sæculo infirmo, et terreno corpori sic subdita est, ut nihil pene spiritualiter sapere aut agere possit secundum suam naturam: quanto magis cum in illo sæculo caro infirma et vilis dignitas animæ et potenti cœperit esse subjecta, nihil poterit carnale sapere, aut agere secundum suam naturam? Nam hoc ipsum modicum, quod in hoc sæculo in corpore constituta anima spiritualiter sapit, nimia potestas animæ hoc sibi vindicat extra ordinem, quia dominatio carnis est in hoc mundo. Quemadmodum dives peregre profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicujus, quamvis non potest juberi in domo quod vult, quia hospes est, tamen magnam sibi fiduciam agendi aliquid vindicat, quia potens est: sic et anima peregrina in hoc regno carnis ingressa, quamvis non omnia spiritualiter agere potest secundum se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale vindicat et in carne, quia nimium potens est. Et e contrario: sicut peregrinus pauper nihil in hospitio divitis potest, primo quia peregrinus et hospes est, deinde quia mendicus et pauper est: sic et caro cum in illud sæculum resuscitata migraverit, nihil omnino sibi poterit carnale defendere: primum, quia extranea est in illo sæculo spirituali: secundo, quia infirma est carnis natura. Et hoc quidem diximus secundum rationem mortalem. Alioquin in resurrectione mutanda est ipsa carnis natura, ut nihil carnis habeat in se, nisi forte tantummodo formam, sicut scriptum est: *Seminatur corpus animale, resurget autem corpus spirituale* (1. Cor. 15. 44). Respondens Jesus ait: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo. Quare, cum de jejunis, aut elemosinis, cæterisque virtutibus spiritualibus loquutus fuisset, nunquam angelorum similitudinem introduxit, nisi cum de so-

lito viri et mulieris coitu loqueretur, dicens: *Næ que nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo*? Quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, præcipue tamen actus libidinis opus est animalium: sic et omnes quidem virtutes spirituales res sunt angelicæ, præcipue tamen castitas res est angelica. Per hoc enim solum singulariter homines angelis assimilantur, et vincitur natura virtutibus. Ideo dicit, *Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo*. Sicut enim quando hoc agimus, quod animalia habent nobiscum commune, animalia esse nos profiterentur: sic quando illud agimus, quod est extra naturam carnalem, naturam carnis egredimur, et angelis cœquamur. Sed quia primum quidem et naturale est animalium, ut non unius masculi, vel unius femine lege contenta sint: proprium autem naturale est angelorum omnino separatos esse ab usu libidinis. Qui vero unius masculi, aut unius femine lege contentus est, mediam tenet conditionem, et est homo, id est, neque angelus, neque animal est. Angelus quidem non est, quia nec est separatus ab usu libidinis: animal autem non est, quia unius lege contentus est. Qui autem omnino separatur ab usu libidinis, supergreditur naturam humanam, quæ media est, et ad conditionem transit angelicam. Sed nunc videamus, qua ratione diximus, quod omnis quidem actus carnalis opus est animalis, præcipue tamen libido. Per omnem actum carnalem homo animalibus similis invenitur, maximo autem per usum libidinis, quoniam omnium quidem carnalium sensuum opus non solum ad malum proficit, sed etiam ad bonum. Est enim et secundum Deum videre, et audire, et odorari, et gustare, et tangere. Quotiescumque enim aspicimus multiformes species rerum, audimus varios sonos vocum, odoramus diversas fragrationes odorum, gustamus innumerabiles suavitates gustuum, palpamus qualitates rerum innumeras, de operibus potentie et sapientie Dei judicamus, ut cognoscamus et colamus ejusdem creationis auctorem. Ideo si tollimus a nobis usum sensuum illorum propter malum quod fit ex illis, impeditur etiam bonum quod fieri solet per eos. Tantummodo sensus libidinis semper in malo est, et nunquam in bono. Propterea si repellamus a nobis libidinis usum, nullam bonum impeditur ex illo: nec enim aliquid bonum est, quod generetur ex illo, nisi sola nativitas carnis, quia et ipsa generatur ex malo. Ideo autem dissipata est, ut ex corruptione nascatur, quoniam et ipsa post modicum est corrumpeunda. Sicut enim non est dignum, ut quod æternum est ex corruptione nascatur: sic non est dignum, ut quod ex corruptione nascitur sit æternum. Quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Item dicit Joannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, neque ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (Joan. 1. 12. 13). Item alia ratio. Quoniam secundum istos sensus carnales, quos habet caro, habet e contrario anima spiritualiter. Nam et videt anima spiritualiter, et audit, et odorat, et gustat, et tangit, sicut in multis exposuimus locis. Unde et decachorda cithara dicitur homo. Solus autem libidinis sensus inter animam et carnem non est communis, sed solius carnis proprius et privatus. Propterea per omnes actus carnales, qui sunt ex quinque sensibus carnalibus, homo animalibus similis invenitur: maxime autem ex usu libidinis, quia ad solam pertinet carnis naturam. *Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei*. Sapienter primum arguit stultitiam eorum, quia non legebant. Secundo ignorantiam, quia non cognoscebant Deum, quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei; ignorantia autem negligentie filia est. Si enim nec omnes, qui legunt, cognoscunt Deum, quomodo cognosceret, qui non legit? Quod autem diximus, non omnes legentes cognoscere veritatem Dei, tunc est, si, nolentes invenire, legant. Qui enim, legens de Deo, vult invenire Deum, festinet vivere Deo digne, et ipsa conversatio ejus bona sit, quasi iampadis lumen ante oculos cordis ejus viam aperiens

veritatis : qui autem non festinat vivere digne Deo , legens non Deum quærit ad salutem suam , sed scientiam Dei ad gloriam vanam . Ideo etsi semper legat , nunquam invenit : sicut nec philosophi invenerunt , qui ipsam causam quærebant . Putas , sacerdotes Sadducæorum non legebant Scripturas ? Sed cognoscere non poterant Deum in eis , quia volebant vivere digne Deo . Nec enim poterant sua verba docere , quos mala opera docebant . Talis est enim Scriptura nolenti vivere secundum Deum , quemadmodum si aliquis agricolæ , non habenti voluntatem pugnandi , exponat bellicam disciplinam : e contrario autem viro bellatori , nolenti colere terram , agriculturam exponat : si tota die audiat verba expositionis illius , nihil intelligere aut comprehendere potest , quia nec habet desiderium disciplinæ illius . Ubi cumque enim fuerit desiderium hominis , illuc dirigitur et sensus ipsius . Ideo ad illud quidem quod dixit , *Nescitis virtutem Dei* , hoc retulit dicens : *In resurrectione enim neque nubent , neque nubentur* . Ad illud autem , quod dicit , *Nescitis Scripturas , exemplum protulit , dicens : Ego sum Deus Abraham , et Deus Isaac , et Deus Jacob ( Exod. 3. 6 )* . Si enim Abraham et Isaac et Jacob morientes periissent , nunquam diceretur Deus eorum esse , qui non erant . Diximus supra , cum de manu extensa hominis arida tractarem , quia calumniatoribus primum oportet in aliqua quæstione auctoritatem Scripturæ proferre , deinde rationem exponere , non prius rationem , postea auctoritatem : et causæ hujus ibi exposuimus rationem , quia et ibi sic fecit Christus . Hic autem interrogantibus Sadducæis , et per ignorantiam aliquid se scire æstimantibus , prius rationem exposuit dicens : *In resurrectione enim neque nubent , neque uxores ducent , sed erunt sicut angeli Dei in celo* ; deinde protulit Scripturæ auctoritatem dicens : *Ego sum Deus Abraham , et Deus Isaac , et Deus Jacob* : ut et nos calumniatoribus prius auctoritatem Scripturæ proferamus , postea rationem reddamus ; interrogantibus autem quocumque proposito , prius rationem exponamus , postea auctoritatem : ut ratione quidem eos placemus , auctoritate confirmemus . Quoniam calumniatores convincere oportet , interrogatores autem docere . Quoniam et calumniator , etsi intelligit rationem , consentire rationi non acquiescit : fratribus autem , id est interrogantibus , solam exponere sufficit rationem quæstionis , quia discendi , et non contradicendi propositum habent : propter quod et audita ratione credunt . Item vide quomodo sit infirmior Judæorum congressio contra Christum . Prima , cum terrore : ut est , *In qua potestate facis hæc ( Matth. 21. 23 )* ? Secunda , cum dolo : cum dicunt , *Magister , scimus quia verax es , et viam Dei in veritate doces , et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personas hominum* . Non enim terrent , sed circumveniunt laudibus : quæ congressio , etsi non minus periculosa est priore , tamen minus terribilis est . Contra illam enim necessaria erat fortitudo animæ , et constantia cordis : contra istam autem acuta sapientia . In tertio vero loco neque cum terrore neque cum dolo , sed ex præsumptione ignara . Satis enim fecerunt sibi Sadducæi , ita esse , sicut putabant , et cum idoneo argumento existimaverunt se vincere Christum , resurrectionem annuntiantem , quæ duabus præcedentibus facilius est . Hominem enim putantem se aliquid scire , cum nesciat , facile est viro scienti circumvenire <sup>1</sup> . Contra tales enim necessaria est sola scientia Scripturarum . Hæc autem diximus , ut per servos diaboli , actusque eorum , habitudinem ipsius diaboli describamus : quoniam omnis operatio inimici talis est . In primis gravis et intolerabilis est impetus ejus . Quod si quis forti animo sustinerit eum , in secundo inveniet eum infirmiore , in tertio magis debilitatum . Et quanto plus percussus fuerit , tanto magis frigescit et deficit . Unde puto in persecutionibus Christianis , si in primis quando comprehenduntur non denegaverint

territi , nullis poterunt postea vinci doloribus : quia diabolus non tantum habet in se virtutis , quantum terroris . 34. *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis , convenerunt in unum* . Frequenter Judæi diversis interrogationibus Christum tentantes , sibi quidem acquisierunt interitum , nobis autem providerunt salutem . Nam verba Christi illis profecerunt ad confusionem , nobis autem ad ædificationem : quoniam responsis ejus vincebantur , et non placabantur . Nam malitia frequenter quidem vincitur , numquam autem placatur . Pharisæi sunt omnes , qui contra veritatem contendunt : quia non veritatem defendere cupientes certant , sed subvertere festinantes . Qui enim pro veritate contendunt , et cogita veritate non consentiunt veritati : manifestum est , quoniam prius non pro veritate , sed contra veritatem certabant <sup>1</sup> . Audi ergo , homo fidelis qui contra hæreticum libenter contendis : si Pharisæi victi placati non sunt , et tu certando contra hæreticum potes eum placare , cum viceris ? numquid fortior Christo es , ut quos ille non placavit , tu placabis ? Debuerunt quidem timere Sadducæorum exemplum , ut non similiter interrogantes confundantur , sed ardens malitia , dum sauciare festinat , non respicit exitum rei , ut tantummodo alteri noceat , nec sibi penitus . Si neminem ante eos vicisset , forsitan justa ratione sperassent posse eum vincere , a quo nullus esset victus : nunc autem videntes , quoniam quotquot interrogare eum ausi sunt , omnes victi recesserunt : quid æstimandi sunt isti ? numquid fortiores quam cæteri , qui victi omnibus , vincere speraverunt ? Sed impudentiores , quam omnes qui confusis omnibus ante se , similiter erubescere non timerunt . *Convenerunt in unum , 35. et interrogavit eum unus ex eis legis doctor , tenans eum . Convenerunt in unum , ut multitudine vincerent , quam ratione superare non poterant : a veritate nudos se esse professi sunt , qui multitudine se amaverunt* . Dicebant enim apud se : unus loquatur pro omnibus , et omnes loquamur per unum , ut siquidem vicerit , omnes videamur victores : si autem victus fuerit , vel solus videatur confusus . O Pharisæi , qui omnia propter homines cogitatis et facitis . Primum quidem venientes cum uno , vincendi esis per unum ; tamen pone quia , uno victo , homines non intelligunt omnes vos esse victos : numquid conscientia vestra consentiunt se esse confusas ? Levis enim est consolatio , ut qui in seipso confusus est , quod ab aliis ignoratur . 36. *Magister , quod est mandatum magnum in lege ?* Magistrum vocat , cujus non vult esse discipulus . Simplicissimus interrogator , et malignantissimus insidiator . De magno mandato interrogat , qui nec minimum observat . Ille enim debet interrogare de majori justitia , qui jam minorem complevit . Dominus autem sic ei respondit , ut interrogationis ejus fictam conscientiam statim primo responso percuteret , dicens : 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* : id est , Non sicut tu , qui devotionem ostendis in ore , et fradem meditaris in corde . Magnum autem et minimum mandatum dicimus , quantum ad dignitatem mandatorum , non quantum ad utilitatem . Alioquin utilitas omnium mandatorum una est , et omnia mandata quasi unum videntur esse mandatum , quia ita sibi coherent , ut alterum sine altero esse non possit . Ubi si interroget te aliquis in ædificatione domus , quæ pars est melior , dicis , *Fundamentum* ; sed quemadmodum ædificatio non potest esse , nisi fuerit fundamentum : ita nec fundamentum esse potest , nisi ædificatio fuerit subsequuta . Nec dicitur fundamentum , nisi sit ædificatio , cujus fundamentum dicatur . Ergo fundamentum in ædificatione dignius est , non utilius : sic et caput dignius est quam membra : tamen nec membra sine capite , nec caput sine membris esse potest . Sic digniores sunt sacerdotes , quam populus .

<sup>1</sup> Faltu in marg. , scienti convincere . V. D. , scienti convenire .

<sup>1</sup> Alias hic locus sic effertur : *Quis enim... et, cogitans veritate , non consentiunt veritati ; manifestum est quoniam prius non contra veritatem , sed pro veritate certabant .*

non tamen utiliores : quia nec populus sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine populo esse possunt. Ita et dignus est hoc mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* : quam illud, *Non occides, non concupiscas* ; tamen utilitas una est : nam qui diligit Deum, ille non occidit, nec concupiscit ; qui autem occidit, aut concupiscit, ille non diligit Dominum Deum suum. Esse autem minoram mandata Dominus manifestat, dicens : *Si quis unum ex minimis mandatis istis solverit, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum* (Matth. 5. 19). *Diliges*, inquit : non dicit, Timebis : quia diligere majus est quam timere. Inchoatio enim culturæ Dei habet timorem, perfectio autem dilectionem, dicente Joanne : *Perfecta dilectio foras mittit timorem* (1. Joan. 4. 18). Donec enim homo timet Deum, non eum diligit : cum autem diligere cœperit, jam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim servorum est, diligere autem filiorum : timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore servit Deo, pœnam quidem evadit, mercedem autem justitiæ non habet, quia invitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, ut timeatur ab hominibus, quasi dominus : sed ut diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donavit hominibus. Nam si consideremus ab initio creati hominis causam, intelligimus quia Deus magis se patrem voluit esse hominum, quam dominum. Non enim dixit tantummodo, *Faciamus hominem* : sed, *Faciamus hominem secundum imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1. 26). Similare autem filii convenit ad patres suos, non etiam servis ad dominos suos.

*Quid sit diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Quis sit proximus noster.* — Quid est, diligere Deum ex toto corde? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quam ad Dei : nec deleteris in aliqua specie mundi amplius quam in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in possessionibus, aut vineis, non in animalibus, aut mœncipiis, non in ornamentis, aut vestibus, non in filiis, aut parentibus, aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum : pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandum inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Uxor neminem debet sapienterem reputare, quam virum suum : etsi sit alter sapientior, tamen illa sapienterem esse alterum intelligere non debet. Uxor neminem fortior debet putare, quam virum suum : etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortior. Uxor neminem formosior debet putare, quam virum suum : etsi sit alter formosior, tamen coram oculis ejus alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, et perfectus amor judicium rerum non cognoscit. Utoputa, si perfecte odias aliquem, qualiacumque fuerint apud illum, omnia tibi displicent sive quæ dicit, sive quæ agit : etsi vere bona sunt, tamen tibi mala videntur. Sic etsi perfecte aliquem amas, quæcumque sunt apud eum, placent tibi, sive quæ loquitur, sive quæ agit : etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo et uxor, si videns aliquem di xerit, Quam sapiens vir, utinam vir meus talis esset, jam amor ejus minus habet de perfecto amore : et pro quanta parte amplius aliquid laudaverit in altero viro, quam in suo, tanto dilectio ejus minor est ad virum suum. Sic ergo et omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet quam eum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid ama verit, pro tanta parte minus amat Deum. Quid est, in tota anima diligere Deum? Id est, certissimum animum habere in veritate, et firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, et alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, ut etiam carnaliter Deum amemus : quod facere non

possumus, nisi recesserimus ab amore mundalium rerum. Sicut enim casta mulier, quæ virum suum amat, nullum amat alium ; si autem alterum amaverit, jam non amat virum suum : ita et homo, si Deum amat, mundum non amat ; si autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non amat. Ergo cordis amor non intelligitur sed sentitur in corde, quia quodammodo carnalis est. Amor autem animæ non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ judicium ejus est. Puta, si didicisti unum Deum, ex quo omnia, et unum Deum, per quem omnia : si iterum intellectus tuus per alicujus doctrinæ seductionem percussus, cœperit dubitare de substantia Dei, in tota anima non diligis Deum. Item qui puta. incantationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut divinationes aliquid nutiare, non ille in tota anima diligit Deum. Quis autem diligit Deum? Qui omne bonum credit apud Deum, et omne bonum credit esse Deum, et extra Deum non credit esse bonum : qui omnem virtutem et sapientiam credit esse Deum, et extra Deum non credit esse aliquam sapientiam neque virtutem : qui credit Deum omnia facere, et sine Deo nihil fieri posse ; ille tota anima diligit Deum. Quid est, in tota mente diligere Deum? Id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad te, Deo vacent. Cujus intellectus Deo ministrat, et cujus sapientia circa Deum est, cujus cogitatio ea, quæ sunt Dei, tractat, cujus memoria quæ sunt bona recordatur : tota mente diligit Deum, sicut ait Apostolus : *Psallam spiritu, psallam et mente* (1. Cor. 14. 15). Cujus autem intellectus quæ sunt Dei non intelligit, aut non secundum Deum sapit, aut scientia illius vana est et sæcularis, singularis autem recordatio ejus non est bona, aut cogitatio displicens Deo : ille non tota mente diligit Deum. 38. *Hoc est primum et maximum mandatum.* 39. *Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Videtur Christus non ad interrogationem respondere. Ille enim interrogavit, *Quod est magnum mandatum?* Puta, dixit, *Diliges Dominum.* Si voluit et alterum mandatum inducere, debuit minimum dicere, non secundum. Nam contra magnum minimum est, non secundum ; secundum autem ad primum respicit. Sed vide quid voluit ostendere. *Diliges Dominum*, et magnum est : *Diliges autem et proximum*, magnum quidem est, primum autem non est : et ideo dixit, *Simile est.* Considera ergo mysterium. Quis est proximus noster? Christus, qui suscipiens carnem nostram, factus est proximus nobis, sicut in parabola illa Christus ostendit, cum interrogat Pharisæus : *Et quis est meus proximus* (Luc. 10. 29)? Introducit hominem vulneratum a latronibus, et a sacerdotibus despectum, a Samaritanis autem receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est magnum, Deum Patrem diligere : secundum autem et simile est, Dei Filium diligere, id est, cognoscere : ergo Filius Dei magnus est, sicut Pater. Quicquid enim Pater potest, et Filius potest. *Pater enim diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus* (Joan. 3. 35). Sed quia omnia Filius, dante Patre, potest, sicut Pater, ideo Pater magnus Deus et primum. Filius autem magnus Deus quidem, non tamen primum, sicut ait Apostolus : *Expectantes adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi* (Tit. 2. 13). Ut autem simpliciter intelligamus, proximum nostrum omnem hominem esse fidelem, qui hominem amat fidelem, simile est sicut qui amat Deum, quia imago Dei est homo. Sicut in imagine sua rex honoratur, vel contemnitur, sic et Deus in homine vel diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat : nec potest Deum amare, qui hominem odit, sicut ait Joannes apostolus : *Qui dicit se Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur. Si enim fratrem, quem vides, non diligas, Deum, quem non vides, quomodo potes diligere* (1. Joan. 4. 20)? Quis enim honorat regem, et contemnit imaginem ejus? aut quis honorat imaginem, et auctorem contemnit imaginis? Aut ita : Quoniam Pharisæi quidem sciebant, quod

es set magnum mandatum in lege, sed tentantes interrogat: volens eis ostendere, quia non sufficiebat eis solus Dei Patris agnitio ad salutem, ideo non solum dixit, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua*: sed addidit, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, qui erat ipse. Alioqui si ad solum interrogacionem eorum respondisset, sufficeret dicere, *Diliges Dominum Deum*: et non addere, *Et proximum tuum sicut teipsum*: secundum quod et alibi dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. 17. 3). Et vide quia non dixit, *Cognosces Dominum Deum tuum*, sed, *Diliges*: quoniam cognoscere unum Deum pene proprium est humanæ naturæ: diligere autem Deum, religiosi cordis et recti. Et quicumque dilexerit Deum et in toto corde, non est possibile ut non perveniat ad Filii ejus agnitioem; id est, proximi. Ipsa enim dilectio Dei, quæ in eo habetur, illuminans eum, præstat ei ducatum, ut per Patrem cognoscatur et Filium. 40. *In his duobus mandatis tota lex pendet et propheta*. Qui proximum suum diligit, nec falsum testimonium dicit de eo quem diligit, nec occidit, nec mentitur illi, quem diligit, nec concupiscit rem illius quem diligit, nec mulierem ejus invadit. Sicut odium omne malum suggerit, sic dilectio omne bonum. Unde ait Apostolus: *Est fides, quæ per caritatem operatur* (Gal. 5. 6). Aut ita, Quoniam de Patre et Filio omnis prophetarum et legis prædicatio existebat, per quos prophetas agnoscebat quis proximum suum, hoc est, Filium Dei, ad primum vel maximum mandatum perveniebat, ut diligeret Dominum Deum, melius cognoscens eum per ipsum. 41. *Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus*, 42. *dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Responderunt, David. 43. *Et dixit eis: Quomodo ergo David in spiritu Dominum eum vocat, si filius ejus est?* Judæi astutantes hominem Christum tentabant: nec enim tentassent eum, si eum Filium Dei credidissent. Volens ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, et quia non erat homo, qui tentabatur, sed Deus, quem nemo poterat tentare. Nec dicere poterat manifeste veritatem de se, nec tacere: dicere enim non poterat, ne majorem occasionem blasphemie invenientes Judæi, insanirent amplius; tacere autem non poterat veritatem, qui ad hoc venerat, ut veritatem annuntiaret: ideo talem interrogacionem eis proposuit, ut, eo tacente, ipsa ejus interrogatio ostenderet eis, quia non erat homo, sed Deus, dicens: *Et quomodo David eum in spiritu Dominum vocat?* Nunquid poterat Dominus ejus esse, qui ex eo fuerat nasciturus? Puto, hanc interrogacionem non solum contra Pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuit. Nam secundum carnem filius erat David, Dominus autem secundum divinitatem. Si ergo secundum carnem dixerunt Christum Dominum David, aut secundum carnem jussus est sedere ad Patris dexteram, sicut hæretici putant, a qualitate mendacium componere festinantes: numquid Christus David se filium denegasset, nisi quia post David futurus esset? Nam filius potest nobis esse, qui post nos futurus est: dominus autem non potest esse, nisi qui aut nobiscum est, aut ante nos est. Christus ergo secundum carnem post David est, secundum divinitatem autem ante David. Ergo illum significabat Dominum suum, illum significabat jubendum sedere, qui jam tunc erat Unigenitus Dei. 46. *Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus est quisquam ex illa hora eum amplius interrogare*. Confusio multorum facta fuerat disciplina cæctorum. Nam si credimus, quia omnia ibi secundum Dei providentiam agebantur et dicebantur, intelligimus quoniam non, illis desinentibus interrogare, Christus desiit docere: sed quia Christus desierat eos jam ulterius velle docere, ideo et illi desierunt ausi esse interrogare. Nam qui mari terminum posuit, ipse audacia diaboli adversus se agentis, quando voluit, tunc finem posuit.

*Homilia xlvj. ex capite xlvj.*

1. Tunc Jesus loquutus est ad turbas, et ad discipulos suos, 2. dicens: *Super cathedram Moïi scribe scribæ et Pharisæi*. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere*. Dicunt enim, et non faciunt: 4. *alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*. 5. *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*. Dilatant enim pælagia sua, et magnificant fimbrias: 6. *amant autem primos recubitus in cænis, et primas cathedras in synagogis*, 7. *et salutationes in fora, et vocari ab hominibus Rabbi*. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis*. 9. *Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus enim est Pater vester, qui in cælis est*. 10. *Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus*. 11. *Qui major est vestrum, erit minister vester*. 12. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur*. Postquam Dominus impiis sacerdotibus super se irruentes, quasi feroces bestias, quodam venabulo acutissimæ respersionis prostravit, et incorrigibilem conditionem eorum ostendit: nam laici delinquentes facile emendantur, clerici autem, si mali fuerint, inemendabiles sunt: tunc convertit sermonem suum ad apostolos, et ad populum dicens: *Super cathedram Moïi scribe scribæ et Pharisæi*: ut illorum confusio istorum fieret disciplina. Infructuosum namque est verbum, in quo sic alter confunditur, ut alter non erudiat. Nam et Deus non propter malos castigationem super terram transmittit, sed propter bonos: scilicet enim, quia malos flagella non corrigant: sed malos castigat, et corrigit bonos: quia bonus nisi admonitus fuerit, per negligentiam evanescit. Sic et Christus, numquid non potuit eorum interrogaciones contemnere? Sed nihil indignos indigne docere, et dignos digne addicere. Sicut in sæcularibus in eo, quod alter pauperescit, alter ditatur: et nisi alter descenderet, alter non ascenderet: sic et in spiritualibus in eo, quod alter confunditur, alter emendatur. Quid ergo dicit de sacerdotibus? *Super cathedram Moïsi sederunt scribe et Pharisæi*, id est, multi sacerdotes, et pauci sacerdotes. Multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quomodo sedeatis super eam: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa; qui male sederit, injuriam facit cathedræ. Licetque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen accipiat, non dignitatem. In judicio enim sedens, siquidem bene vixeris, et bene docueris, omnium judex es: si autem bene docueris, et male vixeris, tui solus condemnator es. Nam bene vivendo, et bene docendo, populum instruis, quomodo debeat vivere: bene autem docendo, et male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Ad populum autem quid? *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum vero facta eorum nolite facere*. Id est, Vos qui sedetis in ecclesia, quasi iudices sacerdotum, et non auditores, aliena discutientes, et propria non considerantes, ex vobis ipsi iudicate de sacerdotibus. Sicut vos omnes auditis, et non omnes facitis, quod auditis: sic et sacerdotes omnes docent, sed non omnes faciunt quod docent. Nam in hominibus dignitas quidem diversa est, omnium autem natura una est. Homines enim ab initio creati sunt propter se, postea autem ordinati sunt propter vos<sup>1</sup>. Propterea ergo natura eorum, ipsorum est: ordinatio autem eorum, vestra. Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene docuerint, vestrum. Accipite ergo quod vestrum est, et nolite discutere quod alienum est.

<sup>1</sup> Montef., in margine, e regione hujus loci, tres conjunctas variantes, videlicet: hic, nos, pro, vos; mox, ordinatio... nostra, pro, ordinatio... vestra; et paulo inferius, docuerint, nostram, pro, docuerint, vestrum.

Sicut enim sacerdotes etiam infideles docent propter fideles, melius iudicantes propter bonos etiam malosovere, quam propter malos etiam bonos negligere: sic ergo et vos propter bonos sacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius est enim malis iusta prestare, quam bonis iusta subtrahere. Frequenter enim et de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim et vilis terra pretiosum aurum producit. Numquid propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non: sed sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquit. Nam ut apibus herbarum necessariorum non sunt, sed flores herbarum: flores enim illarum colligit, herbas vero relinquit: sic et vos flores doctrinae colligite, et conversationem relinquit, ut quasi inutilis herba arescat. Fidem predicant, et infideliter agunt. Pacem aliis dant, et sibi non habent. Veritatem laudant, et mendacia diligunt. Avaritiam castigant, et avaritiam exercent. Quia ergo scire bonum et malum, in natura positum est, facere autem, in voluntate: ideo benedicere, omnium est; bene autem facere, paucorum. Legi aliquem sic interpretantem hunc locum: Quoniam, inquit, super cathedram Mosi, id est, in honore et gradu, in quo fuerat Moses, paulatim ad pedes redacti, constituti sunt contra meritum suum scribae et Pharisei indigni, qui legem prophetantem de Christo venturo predicabant quidem aliis, ipsi autem non recipiebant presentem: propter hoc hortabatur populum audire legem, quam predicabant, et facere, id est, credere in Christum predicatum a lege, et non imitari scribas et Phariseos incredulos, predicantes in lege de Christo, et non credentes in eum. Et reddit causam, ut quid predicabant quidem in lege Christum venturum, et non credebant in eum: quia omnia opera sua faciebant, ut ab hominibus viderentur. Id est, quia non vere predicabant Christum venturum, desiderantes ipsis Christi adventum, quem predicabant: sed propter hoc solum, ut predicatores et traditores esse legis ab hominibus viderentur. Simile propositum habent omnes, qui iustitiam Dei docent, et non faciunt: quia non docent vere ipsam iustitiam Dei, non amantes quam docent, sed propter hoc solum, ut doctores esse iustitiae Dei ab hominibus videantur. Numquam audistis aliquem de consummatione mundi, et de futuro Christi iudicio eleganter tradentem Scripturas? Et si consideres vitam ejus, intelliges, quia sicut Iatro non desiderat aspicere faciem iudicis terreni, sic nec ille desiderat ad Christi venire iudicium. *Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt super multos hominum; ipsi autem digito suo nolunt ea movere.* Quantum ad Phariseos quidem et scribas, de quibus loquitur, onera gravia et importabilia dicit legis mandata, maxime quae dederat eis Deus propter peccatum vituli adorati, quae scribae et Pharisei docebant, suadentes populo secundum mandata vivere legis, et non venire ad facilem et delectabilem gratiam Christi. De quibus onerosis mandatis et Dominus supra dicebat, exhortans populum Iudaeorum: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vobis requiem dabo* (Math. 11. 28). Et Petrus in Actibus apostolorum dicit: *Et vos, quid tentatis Deum, et vultis imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Christi credimus salvi fieri* (Act. 15. 10. 11). Erant enim quidam, qui onera legis quibusdam rationibus fabulosis commendantes auditoribus suis, quasi vincula super humeros cordis eorum alligabant, ut quasi rationis vinculo constricti, non rejicerent ea a se: ipsi autem nec ex modica parte ea implebant: id est, non dicam, plena opere suo, sed nec modico tactu, hoc est digito. Secundum consequentiam autem tales sunt etiam nunc sacerdotes, qui omnem iustitiam populo mandant, et ipsi nec modice servant, videlicet non ut facientes sint iusti, sed ut docentes appareant iusti. Tales sunt et qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt, qui dicunt et

non faciunt; et sic, dum poena poenitentiae praesentis fugitur, contemnitur poena peccati futuri. Si enim fascem super humeros adolescentis, quam non potest bajulare, posueris: necesse habet, ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini, cui grave pondus poenitentiae ponis, necesse est, ut aut poenitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus, modicam poenitentiam imponentes: nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid sacerdos vitam austerus? Vis apparere sanctus? Circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, et grandia videant facientem. Talis est autem sacerdos, qui sibi indulget, et ab aliis gravia exigit: quemadmodum malus descriptor tributi in civitate, qui se relevat, et onerat impotentes. *Omnia autem opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur.* Postquam supra sacerdotum et Phariseorum et Sadduceorum contentio vexatus est, in suis autem responcionibus non auditis convertens se, sicut audivimus, docuit, tales doctores audiendos esse, non imitandos. Nunc autem vult ostendere causam, propter quam non poterant credere Christo: hoc est, quia omnia faciebant, ut ab hominibus videantur. Impossibile est enim ut credant Christo caelestia predicanti, qui gloriam hominum concupiscunt terrenam, sicut alibi ipse dicit: *Quomodo potestis credere, gloriam quaerentes ab invicem, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis* (Joh. 5. 44)? In omni re ex ipsa re nascitur, quod exterminet rem: ut puta, in ligno ex ipso ligno nascitur vermis, qui exterminat lignum. Ex vestimento nascitur tinea, quae comedit vestimentum; ex oleribus nascitur vermis, qui olera universa corrumpit: sic et in spirituibus ex ipso proposito eorum spirituali accipit occasionem inimicus, unde eis retia texit: quia a seipso nihil agere potest, nisi occasionem a nobis acceperit. Ideo unumquemque hominem aggredditur secundum conditionem, et statum, quem invenerit circa eum: ut puta, inter bellatores nascitur de virtute contentio: in dignitosis de ambitione honoris surgit invidia: inter divites de acquisitione fit zelus. Quid dicam? Inter ipsos thymelicos, qui exercent vana ludibria, de ipsis ludibriis sibi invicem adversantur, ut qui pejus deridetur, melior existimetur. Ideo et sacerdotes, qui positi sunt ad ornamentum populi, et ad aedificationem sanctitatis, ex ipso ministerio eorum accipit colorem diaboli, et corrumpit bonum ministerium eorum, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. Tolle ergo hoc vitium de clero, ne velint hominibus placere, et sine labore omnia vitia resercentur. Ex hoc vitio nascitur, ut ne velint inter se meliorem habere, sicut Iudaei Christum. Non enim nescientes eum Dei Filium esse, occiderunt, sed habere eum talem non sustinentes, sicut et prophetat de illis Salomon: *Venite, circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, et impropereat nobis peccata legis* (Sap. 2. 12). Ex hoc vitio nascitur, ut clerici peccantes difficile poenitentiam agant. Erubescit enim aliquando reus videri, qui semper fuerat iudex. *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificunt fimbriam vestimentorum suorum.* Puto quod illorum tunc scribarum et Phariseorum exemplo et nunc multi aliqua nomina Hebraica angelorum conflingunt, et scribunt, et alligant sibi, quae non intelligentibus linguam Hebraicam quasi metuenda videntur. Sic ergo et isti vani sunt, sicut illi fuerunt: quoniam personae illorum de mundo recesserunt, non mores. De hominibus itaque nostri temporis exponentes, de illis videmur exponere. Ergo sacerdotes ex eo quod ab hominibus volunt videri iusti, phylacteria alligant circa collum, quidam vero partem aliquam Evangelii scriptam. Dic, sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in ecclesia legitur, et auditur ab homi-

nibus? Cui ergo in auribus posita evangelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt circa collum suspensa salvare?

*Evangelii virtus ubi.* — Deinde ubi est virtus Evangelii, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis; si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Alii autem, qui sanctiores se ostendere volunt hominibus, partem fimbriæ aut capillorum suorum alligant, et suspendunt. O impietas! Majorem sanctitatem in suis vestimentis volunt ostendere, quam in corpore Christi: ut qui corpus ejus manducans sanatus non fuerit, fimbriæ ejus sanctitate salvetur, ut desperans de misericordia Dei, confidat in veste hominis. Et quid Paulus? non dabat sudaria sua, et semicinctia sua, ut salvarentur infirmi (Act. 19. 12)? Etiam antequam Dei notitia in hominibus esset, ratio erat ut per sanctitatem hominum Dei potentia cognosceretur: nunc autem insania est. Nam postquam Dei potentiam cognoverimus, quid necessarium est, ut hominum potentiam cognoscamus? Nam qui necessarium non habet, ut Deum ostendat per suam sanctitatem, et hoc facit: sine dubio se festinat ostendere, non Deum. Alius autem sic interpretatur hunc locum: Quia per observationes, inquit, quorundam dierum dilatant verba sua, quasi phylacteria: et ostendunt populo ea assidue prædicantes, quasi conservatoria legis et salutis eorum: quales erant de quibus Christus dicebat: *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* (Math. 15. 9). Fimbrias autem vestimentorum magnificatas dicit supereminentias eorumdem mandatorum magnificatas. Quando enim per minimas illas et superfluas observationes justiciarum suarum laudant eximias, et valde Deo placentes, fimbrias vestimentorum suorum magnificant. *Amant enim primos recubitus in conviviis.* Hæc si spiritualiter intelligantur, ædificant: si vero corporaliter, non solum non ædificant, sed adhuc magis destruunt. Quomodo? Pone aliquem esse corde jactantem, audientem laudabile esse in ultimo loco discumbere, discumbit post omnes: et non solum tunc jactantiam eordis non dimittit, sed adhuc aliam jactantiam humilitatis acquirit: ut qui vult videri justus, etiam humilis videatur ab aliis. Quanti enim sunt superbi, qui corpore quidem in novissimo recumbunt, cordis autem elatione videntur sibi in cornu recumbere? Et quanti sunt humiles in cornu recumbentes, et conscientia se existimant in ultimo esse? Quid ergo? Deus spiritus est, non ad carnem loquitur, sed ad spiritum. Caro enim spiritualia non intelligit, dicente Apostolo: *Si quis spiritualis est inter vos, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata* (1. Cor. 14. 37). Si ergo spiritus ad spiritum dicit, spiritualiter, non carnaliter dicit. Non enim tantum curat Deus, ubi corpus hominis jaceat, sed in qua parte mens conscientiæ sit collocata. Ergo quod jubet nobis in ultimo loco Dominus recumbere, non solum sic jubet, ut corpore in novissimo jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos esse omnium judicemus. Nam sine causa loco se humiliat, qui corde se præfert. Unde non vituperat eos, qui in primo loco recumbunt, sed eos, qui amant primos discubitus: ad voluntatem vituperationem referens, non ad factum. *Et salutationes in foro.* Primas salutationes non solum in tempore, sed etiam in voce: non solum in voce, sed etiam in corpore: non solum in corpore, sed etiam in loco: id est, non solum exigunt, ut prius illos salutemus, sed etiam cum voce clamantes, Ave, Rabbi; non solum hoc, sed etiam ut flexis capitibus, ac nudatis, et in publico ad genua eorum non incurvemus. *Et vocari ab hominibus Rabbi.* Id est, vocari volunt, non esse: non enim appetunt, et officium negligunt. Quomodo enim potest esse magister, qui discipulum non habet? Na ergo operam, et invenies fructum: acquirere discipulum, et esto magister. *Vos autem nolite vocari*

*Rabbi*: ne quod Deo debetur, vobis sumatis. Nolite et alios vocare Rabbi, ne divinum honorem hominibus deferatis. Unus est enim magister omnium, qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent, qui habent doctores: nunc autem quia homo non docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci autem discunt. Homo enim non intellectum homini præstat docendo, sed a Deo præstitum per admonitionem exercet. Doctrina enim cotis habet officium. Sicut enim eos non facit ferrum, sed acuit: et sicut sine causa ferrum acutum acuitur, ita sine causa homo sensatus docetur. Maxime vos, qui spirituales estis, quomodo vocatis vobis terrenum magistrum? Numquid carnalis doctrina disciplinam generat spirituales? Scriptum est enim: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (Psal. 95. 12). *Et, Patrem nolite vocari vobis super terram, quia non estis filii terræ.* Ex quo enim cælestem te esse professus es, ex quo patrem tibi vocasti de cælo, dicens: *Pater noster, qui es in cælis* (Math. 6. 9), ac ex quo te cælestem esse professus es, Patrem vocando Deum; turpe est, ut iterum te profitearis terrenum, patrem tibi vocando super terram. Ecce enim in arbore, quamvis plurimos ramos producat, tamen omnium ramorum una dicitur radix: sic et in mundo, quamvis homo hominem generet, tamen unus est Pater, qui omnes creavit. Nam et nos filii fratres sumus patrum nostrorum, quia non ab ipsis nati sumus, sed per ipsos: id est, non initium vite ex eis habemus, sed transitum vite per eos accepimus: *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur.* In convivio enim hoc nuptiali, id est, in hac Dei vocatione primos discubitus sibi defendebant Judæi: humiliati autem facti sunt post gentes novissimi, et gentes, quæ contra meritum suum se vocatas intelligebant, factæ sunt ante Judæos, qui illis quidem erant in tempore primi: quia non prima vocatio est consideranda, sed dignitior. Illi enim ad prandium mediocre invitati sunt, isti autem ad cœnam magnam. Illorum invitatores prophetæ fuerunt, istorum autem ipse filius, qui erat causa convivii. Illorum delectio apud Deum ex partibus erat, istorum autem ex fide ipsorum. Ideo alibi tangens Judæos dicebat: *Tu autem cum vocatus fueris ad nuptias* (id est, ad nuptias Christi), *noli recumbere in loco priori* (Luc. 14. 8).

#### *Homilia xlv. ex capite xxij.*

14. *Væ vobis autem, scribæ et Pharisei hypocrite, qui devoratis domos viduarum, etc.* Sexus mulierum incautus et mollis est. Incautus quidem, quia non omnia, quæ videt, aut audit, cum sapientia et ratione considerat: mollis autem, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Virilis autem sexus cautior est et durior. Cautior quidem, quia omnia, quæ videt, discutit ratione: durior autem, quia nec de malo facile inclinatur ad bonum, nec de bono facile revocatur ad malum: nam sequitur rationem. Ideo autem durior quia rationalior. Hæc autem præmissimus, ut ostendamus mulieres incautas et faciles. Propterea impostores sanctitatis circa mulieres facile se constituunt, quia nec intelligere imposturas eorum facile possunt mulieres, cum sint incaute: et ad dilectionem eorum religionis gratia facile inclinantur, cum sint molles corde. Maxime tamen permanet cum viduis mulieribus, propter duas causas. Primum, quia virita mulier nec facile decipitur, habens consiliatorem virum: deinde nec facile de facilitatis suis aliquid eis dat, cum sit in potestate viri: viduæ autem facile decipiuntur, non habentes consiliatorem virum, et facile de rebus suis talibus præstant, cum sint nullius potestati subjectæ. Propterea etiam dum Judaicos sacerdotes confundit, Christianos monet, ut non cum viduis mulieribus amplius permaneat, quam cum cæteris: quia etsi voluntas permanendi mala non fuerit, tamen suspicio est



*Væ vobis, qui devoratis domos viduarum, oratione longa orantes.* Qui avaritiam vestram religionis colore depingitis, et quasi diabolo Christi arma præstatis, ut ametur iniquitas, dum pietas æstinatur, qui longis orationibus quasi magnis retribus viduarum facultates piscatis. Ob id dupliciter rei. Primum quidem, pro eo, quod estis iniqui: alterum, pro eo, quod sumentum assumitis sanctitatis. 15. *Væ vobis, scribæ et Pharisei hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines.* Vult enim Dominus ostendere, sacerdotes Judæorum omnia avaritiæ causâ facere, qui per Scripturas quidem Christi cognoscebant adventum, considerabant autem, quoniam etsi Christus creditus fuisset, consuetudo sacrificiorum offerendorum fuerat extinguenda, et sacrificium iustitiæ valiturum: sicut de utrisque propheta testatur, dicens: *Afferte Domino gloriam et honorem: tollite hostias, et introite in atria ejus (Psal. 28. 3).* Ideo perversa interpretatione ante conspectum populi claudabant janua legi et prophetarum, qui de adventu Christi manifestissime prædixerunt, ut a fide Christi homines separarent, timentes ne forte, credito Christo, ipsi sacrificiorum oblationibus fraudarentur. Magis enim cupiebant, ut, lege manente, in usu essent sacrificia, quibus ipsi ditabantur, non Deus: quam, lege cessante, sacrificium iustitiæ veniret in usum, quo Deus delectatur, et homines justificabantur.

*Regnum cælorum dicuntur Scripturæ; quare obscuræ sint.* — Regnum enim cælorum dicuntur Scripturæ, quia in illis insertum est regnum cælorum. Janua eorum, intellectus earum. Vel regnum est beatitudo cælestis, janua autem ejus est Scriptura, per quam introitur ad eam. Clavicularii autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi et interpretandi Scripturas. Clavis autem est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis. Adpartio autem est interpretatio vera. Videte quia non dixit, *Væ vobis, qui non aperitis regnum cælorum: sed, Qui clauditis.* Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, ut cum labore inveniantur: non autem clausæ, ut nullo modo inveniantur. Propterea dicit Petrus in Epistola sua, de Scripturarum obscuritate: quia *Non sicut voluit homo, loquutus est Spiritus: sed sicut voluit Spiritus, ita loquutus est homo (2. Pet. 1. 21).* Ratio autem obscuritatis multiplex est, tamen satisfactionis causas dicimus duas. Primum, quia Deus alios voluit esse doctores, alios discipulos. Si autem omnes omnia scirent, doctor necessarius non erat: et ideo esset rerum ordo confusus. Nam ad eos quidem, quos voluit esse doctores, sic Deus dicit per Isaiam prophetam: *Loquimini, sacerdotes, in cordibus populi (Isai. 40. 2).* Ad eos autem, quos voluit discendo cognoscere mysteria veritatis, sic dicit in cantico: *Interroga patrem tuum, et dicet tibi: presbyteros tuos, et annuntiabunt tibi (Deut. 52. 7).* Et sicut sacerdotes, nisi omnem veritatem manifestaverint in populo, dabunt rationem in die iudicii, sicut dicit Dominus ad Ezechielem: *Ecce speculatore te posui domui Israel, si non dixeris impio, ut a visis suis pravus discedat, ipse quidem in suis peccatis morietur, animum autem ejus de manu tua requiram (Ezech. 3. 17. 18):* sic et populum, a sacerdotibus nisi didicerit et cognoverit veritatem, dabit rationem in die iudicii. Sic enim dicit Sapientia ad populum: *Et extendebam sermones meos, et non audiebatis: ideo et ego in vestra perditione ridebo (Prov. 1. 25. 26).* Sicut enim paterfamilias cellarium aut vestiarium suum non habet expositum cunctis, sed alios quidem habet in domo qui dant, alios autem qui accipiunt: sic et in domo Dei alii sunt qui docent, alii qui discunt. Deinde obscurata est notitia veritatis, ne non tam utilis inveniantur, quam contemptibilis. Contemptibilis enim est, si ab illis intelligatur, a quibus nec amatur, nec custoditur. Non ergo abscondita est in Scripturis veritas, sed obscura: non ut non inveniant eam, qui quærunt eam, sed ut non inveniant eam, qui quærere eam no-

lunt: ut ad illorum quidem gloriam pertineat qui inveniunt eam, quia desideraverunt eam, et quæsierunt, et invenerunt: ad illorum autem condemnationem qui non inveniunt eam, quia nec desideraverunt eam, nec quæsierunt, nec invenerunt. Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Nam si veritas, salus et vita est cognoscendum se, magis debet quæri quam quærere. Quomodo claudabant Scripturas sacerdotes? Aliud pro alio interpretantes, utputa dicit Isaias: *Ipse veniet Dominus, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, et lingua mutorum diserta erit (Isai. 35. 4-6).* Hæc signa erunt adventus Christi. Quando ergo Dominus mutum sanavit et surdum, Judæi perversa adinventione dicebant, *Hic non eiecit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum (Matth. 12. 24),* ut averterent populum a fide ipsius. Aut certe claudabant janua veritatis, quando posuerunt decretum, ut si quis diceret eum Filium Dei, fieret extra synagogam. Sic et modo hæretici sacerdotes claudunt janua veritatis. Sciunt enim quoniam si manifestata fuerit veritas, eorum ecclesia est relinquenda, et ipsi de sacerdotali dignitate ad humilitatem venient popularem. Ideo quando legunt in populo suo aliquid tale, *Qui me misit, major me est: perversa interpretatione claudunt janua veritatis, dicentes Filium minorem Patre, cum secundum dispensationem carnis dicitur minor.* Et nec ipsi intrant in veritatem Scripturæ, propter avaritiam, neque alios intrare permittunt, propter ignorantiam. Quid ergo? ignorans populus excusabilis erit? Absit. Si enim vestimenta empturus, gyras unum negotiatorem et alterum, et ubi meliores vestes inveneris, et pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes doctores, et inquirere ubi sincera veritas Christi venundatur, et ubi corrupta, et omnium confessiones cognoscere, et veriorum eligere plus quam vestimentum? Dicit Apostolus, *Omnia probate, et quod bonum est tenete (1. Thess. 5. 21).* Aut si propter utilitatem aliquam, vel necessitatem mundialem, proficisci volueris ad aliquem locum, cujus viam ignoras, numquid propter ignorantiam viæ discedis a protectione proposita? Non, sed experieris nunc istam viam, nunc illam: et quos interroges, quæris: et cum inveneris, rogas, et postulas ut semitam discas. Et si velles Scripturarum ingredi veritatem, nunc peteres orationibus, nunc quæreres in Scripturis, nunc pulsares bonis operibus, nunc interrogares sacerdotes, nunc istos, nunc illos. Non investigas qui veri sint clavicularii Scripturarum, qui falsi. Sed ista non fiunt, quia verbum Dei non creditur: quia nec promissio beatitudinis ejus desideratur, nec iudicium comminationis ejus timeatur. 15. *Væ vobis, scribæ et Pharisei hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut facialis unum proselytum: et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos estis.* Judæi enim ubicumque videbant gentiles, proposita quæstione de veritate unius Dei, et de vanitate idolorum facile disputantes, vincebant. Non enim labor est contra vanitatem idolorum manifestam, unius Dei dicere veritatem, cum ille qui dicit magis adjuvetur ab ea, quam adjuvet eam: tamen corripiebant eum forte, sed non propter gloriam Dei, ut additis cultoribus honoretur Deus, nec propter misericordiam volentes eum salvare quem docebant, sed aut propter avaritiam, ut, additis in synagoga Judæis, sacrificiorum adderetur oblatio: aut propter vanam gloriam, propter hoc ipsum ut videantur gentilem corrigere potuisse: sicut et nunc faciunt hæretici sacerdotes, aut promissionibus corumpunt, aut minis terrent: non propter gloriam Dei, neque de ignorantia hominum dolentes, sed aut propter avaritiam, aut gloriam vanam, ut videantur aliquos potuisse corrigere. Sed qui propter Deum aliquem vult corrigere, aut qui propter vanitatem, ex ipsius actibus docentis ostenditur. Quando enim pise



in sanctitate conversatur, cognosce quoniam errantem propter Deum corrigere vult: si autem ipse in malis versatur, quomodo alterum propter Deum corrigere valet ad bonum? Numquid magis misericors potest esse aliquis alteri, quam sibi? aut qui seipsum mergit in gurgitem peccatorum, quomodo alterum de peccatis valet eripere? *Facitis autem eum filium gehennæ duplo quam vos estis.* Nam qui forte sub cultura idolorum constitutus, vel propter alios homines justitiam servabat, factus sub Deo: malorum magistrorum provocatus exemplo, fit pejor magistris, et sic impietas discipulorum imputatur magistris. Aut sic: Omnis gentilis in simplio est filius gehennæ, quia idolorum est cultor. Item Judæi in simplio erant filii gehennæ, quia non credebant in Christum. Quicumque ergo ex gentibus adungebatur Judæis, non solum non justificabatur: nec enim justificabatur aliquis nisi per fidem Christi, maxime post adventum ipsius: sed adhuc instruebatur exemplo scribarum et Phariseorum, discredere Christo, et blasphemare eum, quemadmodum et illi: et sic fiebat duplo filius gehennæ. Primum quidem, quia idolorum fuerat cultor. Deinde, quia factus fuerat blasphemator Christi, et interfector. Sicut et nunc, qui transit ad hæreses, duplo fit filius gehennæ. Primum quidem, quia veritatem, quam tenebat, reliquit. Deinde quia factus est adversarius veritatis. Qui enim in erroribus natus est, et in erroribus permanet, in simplio est filius gehennæ: qui autem natus in veritate, propter aliquam causam mundialem ad perfidiam migrat, duplo fit filius gehennæ. 16. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit per aurum templi, debet.* Templum enim vel altare ad gloriam Dei pertinet, et ad hominum spiritualium salutem: aurum autem, quod est in templo, vel donum, quod est super altare, ad gloriam quidem Dei pertinet: et ipsum tamen aurum vel donum magis ad delectationem hominum, et ad utilitatem sacerdotum offertur super altare. Judæi ergo aurum, quo ipsi delectabantur, et dona, quibus ipsi pascebantur, sanctiora dicebant esse, quam ipsum templum et altare: ut homines promptiores fierent ad offerenda dona quam ad preces fundendas in templo, aut justitias faciendas. Multa enim et modo Christiani simpliciter et insipienter sic intelligunt. Ecce enim si aliqua fuerit causa, modicum videtur facere, qui jurat per Deum: qui autem jurat per Evangelium, magis aliquid fecisse videtur: quibus similiter dicendum est: Stulti, Scripturæ sanctæ propter Deum sunt, non Deus propter Scripturas. Major est enim Deus, qui sanctificat Evangelium, quam Evangelium, quod sanctificatur a Deo. 23. *Væ vobis, scribæ et Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentam, et anethum, et cuminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem.* Quoniam scribarum et Phariseorum, ad quos loquebatur, quidam erant sacerdotes, quidam autem populares: non congruum existimo, si duplicem hujus loci faciamus traditionem: ut una quidem pertineat ad populares, qui decimas dant; altera autem ad sacerdotes, qui decimas accipiunt. Etenim ipse sermo dubius est, qui dicit: *Væ vobis, qui decimatis.* Nam et qui accipit decimas, recte decimare videtur, et qui dat. Scribæ ergo et Pharisei minorum olerum decimas dabant, ut per hoc videntes eos dicerent omnes: Putas, quomodo omnium rerum suarum decimas offerre non præmittunt: quia etiam contemptibilem olerum decimas dare non negligunt? Putas, quomodo secundum omnia Dei præcepta vita eorum est consummata, ut ne in modicis his negligere acquiescant? Quod non erat verum. Nam minorum quidem rerum decimas offerbant, ostendendæ religionis gratia; in judiciis autem erant injusti, in fratres sine misericordia, in Deum semper increduli. Quas simulationes eorum arguens Dominus, hæc dicit et adjungit: 24. *Hypocritæ, liquantes culicem, camelum autem glutientes:* quoniam a modicis quidem delictis se abs-

tinebant, quæ fieri solent ex decimis non oblati, magna autem mala alacriter committebant, qualia sunt, injustum judicium judicare, in proximos suos odia exercere, in Deum incredulum esse. In causa autem scribarum et Phariseorum illorum cadent multi. Et nunc qui videntur quidem Ecclesiam honorare, pauperes consolari, in judicio autem sedentes, aut secundum personarum acceptionem judicant, aut secundum differentiam munerum: inter seipsos lites quotidianas exercent, et odia sine fine, præponentes semper avaritiam caritati. In fide autem semper infirmi sunt, quia inter Christianos et hæreticos nullam differentiam arbitrantur: sicut et meretrix melior adulterum idipsum putat et virum. Et ipsi ergo hypocritæ sunt, et culicem liquant, modicum repellentes peccatum: et camelum glutunt, maxima et pessima committentes. Nunc veniamus ad sacerdotes. Scimus quia servare justitiam, et facere misericordiam, et habere fidem, propter gloriam suam Deus mandavit: decimas autem offerre Deo, propter utilitatem sacerdotum: ut sacerdotes quidem populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrarent. Sacerdotes ergo avaritia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset, quia decimam alicujus rei vel saltem minimæ non obtulisset: si quis autem de populo in Deum peccabat, aut lædebat aliquem, aut aliquid tale faciebat, nemo curabat corripere eum, quasi nullam culpam fecisset, quia in Deum peccabat; et de suo quidem lucro sollicitè agebant, de gloria autem Dei, et salute, Dominum negligeabant. Ideo dicit de eis: *Væ vobis, qui decimas etiam rerum minorum exigitis a populo, et misericordiam et justitiam non facientes, populum non admonetis.* Sic enim et modo fit. Ecce enim episcopus, si debitum honoris non acceperit a presbytero, aut presbyter si non acceperit a diacono, aut diaconus a lectore, irascitur et turbatur: si autem viderit aut episcopum presbyterum, aut presbyter diaconum, circa Ecclesiæ obsequium non permanentem, aut alias peccantem in Deum, neque irascitur ei, neque curat: quia omnes quidem de suo honore solliciti sunt, de honore autem Dei nullus. Et portiones quisque suas secundum dignitatem suam vigilantè aspiciunt, et defendunt, et secundum dignitatem suam curam impendere circa obsequium Ecclesiæ non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: et si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eum. Quam contumeliose in tribus his complexus est, et conditiones hominum, et quæ necessaria sunt hominibus ad salutem! Omnes enim homines aut iudices sunt, sive spirituales, sive mundiales, aut sub iudicibus sunt: et omnibus generaliter hominibus tam iudicibus quam his, qui iudicantur, duo hæc necessaria sunt ad salutem, fides vera, et opera bona. Dicens ergo. *Judicium,* tetigit eos qui iudicant, sive mundiales iudices, qui præsentunt mundo: sive spirituales, qui præsentunt Ecclesiis, ut justum iudicium iudicent. Hæc est enim eorum prima justitia, ut si vere, aut iudices mundiales, loquuntur justitiam, aut iudices spirituales. Si vero loquuntur justitiam in ecclesia, per hoc ostenditur si juste iudicant, dicente propheta: *vere utique justitiam loquimini, juste iudicate, filii hominum (Psal. 57. 2).* Si autem non iudicaverint iudicium, non in veritate loquuntur justitiam, sed in labiis tantum. Dicens autem, *Fidem,* admonet omnes in fide vivere Dei. Dicens vero, *Misericordiam,* conversationem bonam omnibus prædicavit. Nunc sive abstinentia a malis, sive opus bonarum rerum per misericordiam conservatur. Nam et non facere homini quæ pati non vult, et facere quæ sibi bene vult, utrumque misericordie est. *Duces cæci, liquantes culicem, camelum autem glutientes.* Omnes ergo sacerdotes, qui propter non oblatam populi decimas curant, et docent populum, et corripiunt, et alia præjora eorum peccata videntes, tacent: ipsi sunt, qui

docent populum suo exemplo liquare culicem, et camelum glutire: id est, a modico quidem peccato se abstinere, majora autem committere. 25. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui emundatis quod foris est calicis et paropsidis.* Quoniam in specie calicis et paropsidis homines dicit, manifestum est ex eo quod addidit, dicens: *Ab intus autem pleni estis rapina et iniquitate.* Judæi enim quotienscumque ingressuri erant in templum, aut sacrificia oblaturi per dies festos, et seipsum, et vestimenta sua, et utensilia lavabant, et a peccatis nemo seipsum purgabat, cum Deus neque corporis munditiam laudet, neque sordes condemnet. Pone tamen, quia Deus odit sordes corporum, et rerum, et vasorum. Si ergo rerum sordes odit, et aut vis, aut non vis, necesse est ut ipso usu sordideatur: quanto magis Deus sordes conscientiarum horret, quam si volumus, semper mundam servamus? Non ergo vasa lavanda sunt aquis, sed conscientiarum precibus. 26. *O Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod foris est, mundum.* Non ergo sensus est, si catinus ab intus mundatur, a foris vero mundatus non fuerit, mundus est: sed homo, si ab intus peccatis non fuerit sordidatus, et si numquam tetigerit aquam, mundus est ante Deum: si autem peccaverit, et si toto pelago et cunctis fluminibus se laverit, sordidus et niger est ante Deum.

*Homilia xlv. ex capite xxij.*

27. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, etc.* Merito justorum corpora templa dicuntur, quia anima in corpore justorum dominatur et regnat, quasi Deus in templo. Vel certe, quia ipse Deus in corporibus habitat justis. Corpora autem peccatorum sepulcra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Nec enim vivens putanda est, quæ nihil vivum aut spirituale agit in corpore. Vel quia mors ipsa habitat in corporibus peccatorum. Sicut ergo sepulcrum quamdiu quidem clausum est, putrum videtur a foris, si vero fuerit apertum, horribile est: sic et simulatores bonorum quamdiu quidem non cognoscuntur, laudabiles sunt, cum autem cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. Dico milii, o hypocrita, si bonum est, esse bonum, ut quid non vis esse, quod vis apparere? Si vero malum est, esse malum, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem formosum est apparere, formosius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es: quia manifestum malum a sapientibus non facile reprehenditur, dum insania æstimatur. 29. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui edificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.* Omne bonum, quod fit propter Deum, in omnibus rebus æqualiter observatur. Ubi autem in omnibus rebus non æqualiter observatur, bonum illud propter homines fit, sicut res ipsa præsens demonstrat. Ecce enim qui martyria ædificant, ecclesias ornant, bonum opus facere videntur: sed si quidem et alias justitiam Dei custodiant, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua: scito quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem alias justitiam Dei non servant, si de bonis eorum pauperes numquam gaudent: si aliorum bona faciunt sua aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam insensatus est, ut non intelligat quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, sed propter æstimationem humanam? Et juste ædificant martyria, ut pauperes violentiam passi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant. Qualis est virtus illa justitiæ, munere mortuos, et exspoliare viventes? Ne sanguine miserorum tollere, et Deo offerre? Illud non est Deo offerre, sed velle violentiæ

sux socium facere Deum: ut cum oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit, consentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare? Da fidelibus pauperibus unde vivant, et ædificasti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines exspoliant, et ædificia martyrum faciunt? habitationes hominum componunt, et habitationem Dei destirpant? Jam ergo ex antiquis temporibus morbus iste in hominibus habebatur. Dicebant enim apud se: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt? Et si viderint, non multi vident: etsi multi viderint, pro tempore vident. Transit enim tempus, et transit cum tempore benefacti memoria. Nonne ergo melius ædificia facimus, quæ omnes aspiciunt, non solum hoc tempore, sed etiam in posterum? Nam quamdiu ædificium permanet, tamdiu ædificantis memoria nominatur. O insipiens homo, quid tibi prodest post mortem ista memoria, si ubi es, torquearis: et ubi non es, laudaris? Ergo dum Judæos castigat Dominus, Christianos docet: quoniam si juxta alia bona, ædificia sancta fecit homo, aditamentum est bonis: si autem sine aliis bonis operibus, passio est gloriæ secularis. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui edificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.* Qui considerat consequentia tunc Pharisæorum, et modo intelliget: quia hæc non solum illis dixit Pharisæis, sed et omnibus postmodum nascituris. Nam etsi ad illos solos dixisset hæc, dicta fuissent tantum, et non etiam scripta. Nunc autem et dicta sunt, et scripta. Dicta videlicet propter illos, scripta autem propter istos. Nam etsi patres Judæorum mortui sunt, tamen filii eorum vivunt, qui prophetas quidem et martyres colunt, filios autem prophetarum et martyrum persequuntur, mortuorum sanctorum cultores, et vivorum persecutores. (a) [ Si vero Trinitatem ejusdem substantiæ confitentis, martyres passi sunt: quare eos quasi sanctos colunt, qui unum Ingenitum, et unum Unigenitum, et unum Spiritum sanctum crediderunt? Si autem martyres colunt, quasi qui veram confessi sunt fidem: quare persequuntur eos, qui fidem eorumdem prophetarum et martyrum confitentur? Pharisæi ergo hæretici sunt, qui a vera fide præcisi sunt.] Pharisæi enim præcise intelligunt ipsi, qui sepulcra ædificant prophetarum, et martyrum nomina colunt, et præcepta blasphemant: memoriam honorant, et fidem contemnunt. 30. *Et dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non fuissetis socii eorum in sanguine prophetarum.* Semper Judæi præteritorum sanctorum cultores fuerunt, et præsentium contemptores, magis autem et persecutores, et inimici viventium, et amici mortuorum. Non enim sustinentes increpationes prophetarum suorum, persequabantur eos et occidebant. Nam volentibus male vivere, semper contraria videtur esse correptio, dicente Salomone: *Argue sapientem, et umabit te: insipientem vero, et odiet te (Prov. 9. 8).* Postea autem nascentes filii intelligebant culpas patrum suorum, et ideo quasi de morte innocentium prophetarum dolentes, ædificabant monumenta eorum, et ipsi tamen similiter persequabantur, et interficiebant suos prophetas, increpantes eos propter peccata. Nam alter alterius culpam cito intelligit, suam autem difficile: quia homo in causa alterius tranquillum cor habet, in sua autem turbatum. Perturbatio autem cordis non permittit, hominem considerare quod bonum est. Sic ergo per singulas generationes Judæi colebant illos quasi sanctos, quos patres eorum quasi malos occidebant. Hoc autem fiebat, non ut unaquæque generatio suam innocentiam ostenderet, sed ut invicem se domestico filiorum judicio condemnarent. Quis enim existimare potest innocentes, qui a filiis suis quasi rei damnantur? Sic et Judæi qui fuerunt in tempore Christi, prophetas quidem colebant, et Dominum per-

(a) Ucinis clausa alias non leguntur. Cæterum series postulat ut legatur, si non Trinitatem.

sequabantur et servos honorabant, et Dominum contemnebant. Naturalem consuetudinem omnium malorum hominum Christus exponit. Nam Judæi corripuntur a Judæis: sed pene in omnibus hominibus malum hoc invenitur, ut alios quidem culpant errantes, et ipsi in eosdem currant errores. Ecce si tu audias aliquem de antiquis episcopis loqui, quia ille (nescio quis sit) peccantem populum libere increpabat: sic personas divitum non aspiciet, sed unicuique verum dicebat: statim collaudas eum, et beatificas, et dicis, quia talis debet esse in populo doctor. Et si audias, quia aliquis exstitit increpatus, et fecit illi injuriam, vituperas et dicis: Quare illum non sustinuit increpantem? Ego si essem, et me aliquis pro mea culpa corripere, non solum non irascerer, sed magis gauderem. Sicut enim familia sine flagello non regitur, sic et populus sine increpationibus non gubernatur. Ecce si quis de tuis doctoribus voluerit te increpare propter peccatum tuum, et dicere tibi quod verum est, statim irasceris, et blasphemias: sic et Judæi suos quidem prophetas non sustinebant, antiquos autem quasi sanctos colebant. Non ergo ille est bonus, qui quod malum est reprehendere potest, et bonum laudare: sed qui reprehensus in malo, bono animo suscipit reprehensionem. In alterius causa facile possumus omnes justis iudices esse: ille autem vere bonus, et justus, et sapiens est, qui sibi ipsi iudex fieri potest. Cum audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba illum qualis est circa suos doctores. Si enim illos sustinet, et honorat cum quibus vivit, sine dubio et illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit, vere et illos contempturnus fuerat, si cum illis vixisset. Nam omnis correctio similis est cæteris tentationibus. Sicut ergo omnis tentatio fideles quidem ædificat magis, infideles autem destruit amplius: sic et omnis increpatione disciplinæ religiosum hominem, et Deum timentem, meliorem facit: irreligiosum autem et malum conturbat, et ad deterius ire compellit. Sicut ergo vas figuli igne probatur, sic et bonum cor increpatione cognoscitur. Et dicitis: Si in diebus patrum nostrorum fuissetis, non fuissetis socii eorum in sanguine prophetarum. Non quia Judæi specialiter omnino talia loquebantur, sed quia talia cogitabant et faciebant, cogitationibus suis hæc loquebantur et factis. Quando enim colebant filii quos patres occiderant, condemnare videbantur homicidia patrum suorum, et se ab illorum consortio separare. Sic et hæretici quando colunt prophetas, et apostolos, et martyres, qui a patribus eorum, id est a Judæis, vel a gentilibus persecutionem passi sunt, et occisi, condemnare videntur acta patrum suorum, id est Judæorum atque gentilium: et dicere, quia si fuissetis in diebus illorum, non fuissetis socii eorum in sanguine prophetarum, apostolorum, et martyrum. 31. *Itaque testimonium redditis vobis, quia filii estis illorum qui occiderunt prophetas.* Naturæ regula dicit, quia non potest fieri, ut de bonis parentibus mali nascantur: aut de malis boni: sed quales fuerunt parentes, tales erunt et nati. Quia sicut arbor in fructu cognoscitur, et fructus per arborem demonstratur: sic parentes cognoscuntur in filiis, et filii per parentes. Nonne hoc ante Christum propheta prædixit, *Quoniam Deus in generatione justa est (Psal. 13. 6)?* Item, *Generatio rectorum benedicetur (Psal. 111. 2).* Ergo dant testimonia de filiis mores parentum. Quod si pater fuerit bonus, et mater mala: aut si mater fuerit bona, et pater malus: interdum filii patrem sequuntur, interdum matrem: interdum omnes filii patrem, interdum omnes matrem: tamen frequentius est, ut nati patrem sequantur. Si autem ambo fuerint æquales, aliquando fit, ut de bonis parentibus mali exeant filii, aut de malis boni, sed raro. Recce enim regula est humanæ naturæ, ut omnis homo nascatur duos oculos habens, et quinos digitos: aliquando tamen, *Ut manifestentur opera Dei (Joan. 9. 3),* nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omnino non habens: sicut in Evangelio scriptum est.

Sicut ergo extra regulam naturæ raro evenit, ut deformis nascatur: sic et homo extra regulam naturæ raro procedit, ut dissimilis nascatur filius parentibus suis.

*Uxor qualis ducenda.*— Tu itaque, juvenis, quando uxorem ducere vis, si virgo, aut si puella nuptui tradatur, noli querere divitem, sed bene morigeratam: quia mores boni divitias frequenter acquirunt, divitiæ autem mores numquam fecerunt: et gloriosior est paupertas fidelium, quam divitiæ peccatorum. Noli querere speciem, quia scriptum est: *Sicut iures aureæ in naribus porci, ita mulieris male morigeratæ species (Prov. 11. 22):* quia in specie meretrices placent, in moribus autem matronæ. Cum autem requiris, aut necessarium habes, matronæ mores discernere, considera quales habet parentes, et sine labore cognosces de illa. Si ergo ambo fuerint boni, fiducialiter pone pedem tuum in domo illius: si autem alio fuerint mali, fuge familiam illam. Crede enim testimonio Christi, quod verum est, et non mentitur. Si autem dissimiles fuerint parentes illius, dubium inde habes eventum, quomodo nauta, qui in mare tradit animam suam, nesciens utrum pereat aut eradat. Aut ita: Non quia aut de justis parentibus justus nascatur, aut de iniquis iniqui, secundum ea quæ diximus: sed si de parentibus justis justus nascatur, per hoc ipsum quod similes sunt parentibus suis, sibi ipsis testimonium perhibent, quia sunt filii eorum: si autem de justis iniqui nascantur, per hoc ipsum quod dissimiles sunt parentibus suis, perhibent testimonium sibi, quia non sunt filii eorum. Et e contra, si de iniquis parentibus iniqui nascantur, sicut homicidæ Judæi de homicidis Judæis, de quibus præsertim loquitur sermo, per hoc ipsum quod similes sunt parentibus suis iniquis, sibi ipsis testimonium perhibent, quia filii sunt eorum. Si autem de iniquis nascantur justi, ipsi sibi perhibent testimonium, per hoc quod dissimiles sunt parentibus suis, quia non sunt filii eorum. Secundum hoc ergo et hæretici ipsi sibi testimonium dant, quoniam filii sunt Judæorum atque gentilium, qui persecuti sunt prophetas, et apostolos, et martyres. Quomodo? Eadem ipsa opera facientes in Christianos, quæ fecerunt Judæi atque gentiles in prophetas, et apostolos, et martyres. Numquid prophetæ, aut apostoli, et martyres, persecutorum volebant aliquid fieri suum? Numquid terroribus carnalibus, aut promissionibus mundialibus aliquem credere suadebant? Nec enim est fides, quæ ex necessitate timoris procedit, aut desiderio muneris alicujus terreni: sed bene docentes, et melius viventes, ut et verbis docerent et factis. Et non minus proponebant carnales, sed futuram Dei iudicium exponebant: non mundialia bona, sed regna caelestia hominibus promittebant. Si hæc faciunt hæretici, vere filii sunt prophetarum, et apostolorum et martyrum, qui ita fecerunt: si autem alius persequuntur, alios terrent, alios pronuntiant, aliorum bona diripiunt, aliis autem donant, sine dubio ipsi de se testimonium dant, quia ipsi filii non sunt prophetarum, et apostolorum, et martyrum. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Prophetæ illis futurum, ut quemadmodum patres eorum interfecerunt prophetas, sic et ipsi interficiant Christum, et apostolos, et martyres, cæterosque sanctos. Non jubet illis ut faciant quæ facturi non erant, nisi jussisset: sed ostendit eis, quia sciebat quod essent facturi. Utopia, si contra aliquem litiges adversarium, et scis quod aliquid cogitat adversus te, dicis illi: Fac mihi quod facturus es. Non jubes illi ut faciat, sed ostendis te intelligere quod cogitat facere. Sic et Dominus ad Judam dicebat: *Quod facis, fac citius (Joan. 13. 27).* Et quam bene dixit, *Implete:* et non, *Superimplete!* Quoniam ad veritatem, excesserunt mensuram patrum suorum. Illi enim homines occiderunt, isti Deum crucifixerunt. Illi ministros, isti regem. Sed quia voluntate sua descendit in mortem, non imputabat illis suum peccatum: sicut et in cruce petebat pro illis: *Pater,*

*remitte eis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. 23. 34). Imputat autem illis apostolorum mortem, ceterorumque sanctorum, qui nolentes occisi sunt. Ideo dicit, *Implete*: et non, *Superimplete*. Nam benigni et justi iudicis est, suas injurias contemnere, et aliorum injurias vindicare. Qui autem suas vindicat, quamvis juste vindicet, nunquam tamen iudex justus esse putatur. (a) [Consequenter et hæreticis dicitur hoc. Quando enim vides hæreticos, tres per omnia æquales dicentes, ejusdem esse substantiæ, ejusdem esse auctoritatis, sine principio omnes, hos aliqua parte distantes a se, non mireris: implent enim mensuram patrum suorum gentilium, quoniam et illi similiter multos deos colebant. Quando vides eos, tres unam personam dicentes, et ipsam esse Deum Patrem, ipsam Deum Filium, ipsam Deum Spiritum sanctum, non mireris: Judæorum enim patrum suorum implent mensuram. Sic enim et illi semper unum Deum Patrem colebant, Filium non confitentes Deum post Patrem. Quando vides eos confitentes, ac dicentes, quia Filius de ipsa Patris substantia processit: sicut et omnis filius corporalis de corpore patris, et actum carnalem applicant spiritui impassibili et invisibili: cognosce quia mensuram implent patrum suorum gentilium: et illi enim tales deos colebant, qui secundum carnem et generabantur et generabant. Quando vides eos dicentes, purum hominem crucifixum et anima, et corpore, non Deum in corpore solum, in quo nulla esset divinitas: scito quoniam implent mensuram Judæorum patrum suorum. Nam et illi hominem purum se crucifixisse credentes, dicebant ad apostolos: *Ecce enim implevisti Jerusalem doctrinam vestram, et vultis inducere super nos sanguinem istius hominis* (Act. 5. 28). Si enim homo purus est passus, dimitto: quia nos mors hominis, non Dei salvavit. Sed dico, Judæi tale peccatum fecerunt, quale facit qui hominem occidit, non Deum. Quando vides eos persequentes, et facientes omnia quæ diximus, non mireris: implent enim mensuram Judæorum et gentilium patrum suorum.] 33. *Serpentes, gemina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Sicut enim serpentes præ omnibus animalibus astutiores sunt, et astutia eorum non est in bono, sed in malo: hoc enim semper aspiciunt, quomodo aliquem mordeant; et cum non orderint, quomodo se occultent: sic et omnes hypocrite astutiores sunt cæteris hominibus, simpliciter viventibus, et in astutia sua cogitant quomodo aliquem lædant: et cum læserint, ita simpliciter ambulat, quasi neminem noverint. *Gemina viperarum*. Superius diximus de Judæis, quoniam per singulas generationes invicem sua facta condemnabant, et semper patres reprehendebantur a filiis suis. Item filii reprehendebantur a patribus suis<sup>1</sup>. Ideo ergo omnes viperæ similavit: quoniam talis est viperarum natura, quando conceperint in utero matres, nati earum rumpunt uterum matris, et sic procedunt. Item ipsi nati, quando conceperint, sic patiuntur a suo foetu. Sic ergo viperæ semper parentes comedunt, et comeduntur a pullis suis: sic et Judæi semper patres condemnant, et condemnantur a filiis suis. *Quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Numquid sepulcra sanctorum ædificant, an potius a malitia corda vestra mundantes? Numquid sic judicat Deus, quomodo judicat homo? Homo hominem judicat in opere, Deus autem in corde. Quæ est autem ista justitia, sanctos colere, et contemnere sanctitatem?

*Pietatis gradus duo. Hæretici serpentibus comparati.* — Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere; deinde sanctos: quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante sanctos. Sine causa ergo justos honorat, qui justitiam spernit. *Quomodo fugietis?* Numquid liberabunt vos sancti, quorum monumenta ornatis? Non possunt sancti amici esse illorum, quibus Deus est inimicus. Numquid potest esse

pacata familia, domino adversante? *Quomodo fugietis?* An forsitan nomen vacuum vos liberabit, quia videmini esse populus Dei? Quid prodest meretrici, si nomen habeat castum? Sic nihil prodest peccatori, si servus Dei dicatur. Ne putetis, quia melior est Christianus impie agens, quam infidelis impius. Denique quis pejor est tibi, inimicus apertus, an qui se fingit amicum, et est inimicus? Puto quod melior est inimicus apertus, quam amicus falsus. Sic et apud Deum odibilior est qui servum Dei se dicit et mandata diaboli facit. *Serpentes, gemina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Serpentes enim sunt et omnes hæretici, prudentes in malo, et stulti in bono. Et sicut serpentes varii sunt in corpore suo, sic hæretici varii sunt in erroribus suis, et multiplices in malignitate: qui deposuerunt imaginem Dei, quæ est in justitia, et sanctitate veritatis: et suscipientes imaginem serpentis, quæ est in malitia et schemate veritatis, facti sunt serpentes, filii serpentis illius, ad quem Dominus in persona Ecclesiæ et diaboli dicit: *Ecce pono inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum, et semen illius. Super ventrem tuum et super pectus tuum repes, et terram manducabis omnibus diebus tuis* (Gen. 3. 15. 14). Propter quam sententiam Domini, inter hæreticos et Christianos pax non potest esse. Si ergo filios Ecclesiæ non persequuntur hæretici, neque adversantur, et ipsi filii sunt Ecclesiæ: si autem persequuntur, semen sunt serpentis illius, cujus semen inimicitias exercet adversus semen Ecclesiæ. Nam et isti, qui gemina sunt serpentis similiter sicut et illi super ventrem suum et super pectus repunt, et semper manducant terram. Super ventrem quidem et pectus repunt, quoniam quicquid faciunt, propter ventrem suum faciunt, et propter vanam gloriam pectoris sui. Terram autem manducant, quoniam neminem lucrantur, aut capiunt in perfidia sua, nisi illos qui in terra sunt: id est, carnales homines. Spirituales autem viros seductio non consumit. Manducare enim est lucrari, vel acquirere, sive ad vitam, sive ad mortem. Non solum autem serpentes sunt, sed et viperæ, quarum natura est, ut rumpentes viscera matrum nascantur: sic et auctores hæresum, rumpentes fidem matris Ecclesiæ, processerunt ad principatum. *Quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Ecclesiæ ædificant, non ecclesiasticæ veritatis fidem tenentes: Scripturas legentes, non Scripturis credentes: prophetas, et apostolos, et martyres nominantes, non opera martyrum imitantes, nec confessionem eorum sequentes. Nec audistis eum qui dicit: *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum, sed qui faciunt voluntatem Patris mei* (Matth. 7. 21)? Sicut enim non omnes qui Dominum vocant, Domini sunt, sed qui faciunt Domini voluntatem: sic non omnes qui in locis suis predicant apostolos, et prophetas, et martyres, jam per hoc sunt cultores eorum: sed qui opera eorum imitantur, et fidem sequuntur.

*Homilia xlvj. ex capite xxij.*

34. *Ideo, ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex ipsis occiditis, et crucifigitis, etc.* Prophetas, et sapientes, et scribas apostolos dicit. Prophetæ enim erant, quia propheticis spiritu erant repleti. Sapientes autem erant corde, sicut propheta dicit de eis: *Et eruditis corde in sapientia* (Psal. 89. 42). Scribæ autem erant corde, quia de thesauris suis nova et vetera proferebant (Matth. 13. 52). Sed primum videamus, qua causa dicit: *Ideo, ecce ego mitto ad vos.* Superius dixerat, *Væ vobis, scribæ et Pharisei hypocrite, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*: id est, Quoniam ædificatis sepulcra prophetarum, et per hoc non solum verbis, sed et ipsis ædificationibus dicitis, Si in diebus patrum nostrorum fuissetis, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum: volentes vos justifi-

<sup>1</sup> v. D. et Editi in marg., a filiis suis.

(a) Hæc alias desunt.

care coram hominibus, qui secundum visionem operum judicant, et non coram Deo, qui corda cognoscit: quod est hypocritarum. Ideo dixit Jesus turbis Judæorum, et principibus sacerdotum: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex ipsis occiditis, et crucifigitis, et persequimini de civitate in civitate, ut mensuram homicidarum patrum vestrorum non bene plenam impleatis, pejora facientes patribus vestris: quoniam illi quidem prophetas occiderunt, vos autem ipsum Dominum prophetarum. Illi enim eos, qui annuntiabant venturum Filium Dei: vos autem eos qui eum jam advenisse testantur, ut sic per ipsa opera vestra homicidalia testimonium vobis reddatis, quia filii estis patrum homicidarum: ut non solum sanguis istorum sanctorum, verum etiam propter istorum sanguinem, omnis sanguis præcedentium sanctorum veniat super vos. Nunc virtutem ipsorum verborum videamus. Ostendit eis, quia intelligit corda ipsorum, quia tales sunt, ut faciant quod fecerunt patres eorum. Nam apud Deum, qui hominem occidere disponit, antequam occidat, quasi homicida habetur. Et qui adulterium committere ausus est, antequam committat, jam adulter est ante Deum. Et qui perjurare paratus est, antequam perjurat, jam perjurus videtur: quia Deus non ex operibus judicat, sed ex cogitationibus cordis, dicente Apostolo, *Testimonium reddente conscientia eorum, etiam cogitationibus invicem accusantibus se, aut etiam defendentibus se. in die, cum judicabit Dominus occulta hominum (Rom. 2. 15. 16)*. Voluntas est enim quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis. Ut quid ergo expectat opera, qui conscientias novit? Numquid et tu in aliquo negotio testimonia quæris, cum tibi res ipsa fuerit manifesta? Sed dicis: Si secundum voluntatem judicat, et opera non expectat, non misisset ad illos prophetas et sapientes. Ideo expectat, ut duo bona fierent misericordie, ut et Judæi secundum conscientias suas condemnarentur, et justii homines non occiderentur. Et quis scit, quia aut malus juste damnatus sit propter malitiam suam, aut bonus propter benevolentiam suam, juste remuneratus sit, nisi voluntas demonstraretur in opere? Quale est enim illud iudicium justum, cuius justitiam nemo cognoscit? Non ergo Deus quærit opera propter se, ut sciat quomodo judicet, sed propter alios, ut omnes intelligant quia justus est Deus. Nam Deus est, qui omnium corda cognoscit, et hominum, et angelorum, et spirituum cæterorum. Cor autem Dei nemo cognoscit, neque homines neque angeli. Ideo ergo et malis dat occasionem, per quam in operibus ostendatur propositum voluntatis suæ malæ: sicut dedit scribis et Phariseis, mittens ad eos prophetas, et sapientes, et scribas: et bonis præbet occasionem, per quam ostendant propositum voluntatis suæ bonæ, sicut prophetis, et sapientibus, et scribis suis præbuit, excitans super eos persecutionem scribarum et Phariseorum, ut non sine causa quantum ad homines coronarentur. Et sicut homo habens benefaciendi propositum, certe justum est, ut Deus provideat ei occasiones, per quas faciat bona. Ut quid pinguis terra jaceat sine fructu? Sic justum est, ut homini malam voluntatem habenti provideat causas, per quas faciat mala, dicente Salomone: *Ad pravos pravos vias mittit Dominus. Unde David rogat, dicens: Viam iniquitatis amove a me, legem tuam (Psalm. 118. 29)*, etc. Nam et de benevolis tibi propheta sic dicit: *Quia non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justii ad iniquitatem manus suas (Ibid. 124. 3)*: id est, non dat potestatem dæmonibus super justos, ne quando contra voluntatem suam malum facere compellantur ab illis. De malevolis autem statim sic dicit: *Declinantes autem ad suffocationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem (Ibid. v. 5)*: id est, qui declinatus est ad malefaciendum, sociat illum cum operantibus mala. Utpote, volenti tibi elemosynas facere, occurrit ante faciem tuam captivus, aut desolata*

vidua, aut miserabilis orphanus: non tantum tenuit ad utilitatem illius, quantum illum transmisit ad utilitatem tuam: id est, non tantum præstitit illi per te, quantum per illum tibi. Nam quod per te illi præstitit, temporale est, et terrenum: quod autem tibi præstitit per illum, perpetuum est, et cælestis. Ne putes quia propter utilitatem pauperum Deus divitem fecit, quos et sine divitibus poterat sustentare: sed propter utilitatem divitum pauperes fecit, qui infructuosi et steriles erant futuri, nisi pauperes facti fuissent. Si ergo benefacere volentibus, quando provideat causas benefaciendi, justus est Deus: sine dubio et quando malefacere paratis malefaciendi provideat causas, non est injustus. Sicut enim bonus rogat, ne occasionem peccandi incurrat, dicens: *Viam iniquitatis amove a me (Psalm. 118. 29)*: sic et malus optat, ut inveniat occasionem nocendi. Ideo ergo dicit Dominus: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex ipsis occiditis, et crucifigitis, et flagellabitis, 35. ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effunditur super terram. Ergo Deus occasiones provideat peccandi? Etiam, sed non ut peccare laici, sed ut peccatorem ostendat. Ecce enim si tu vitulum compares servum, et volueris mores suos scire, nonne pones ante illum sacculos cum solidis, ad aliquid concupiscibilem cibum: et si quidem servus ille incontinentis fuerit, et sine timore, porrigat manum suam, et accipiat inde, numquid male fecisti? aut numquid tu coegisti illum ut faceret male? Non, sed propalasti malitiam ejus. Sic et Deus dans hominibus occasionem peccandi, si peccare voluerint, non illos facit peccare, sed manifestat pertinaciam cordis eorum. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justii usque ad sanguinem Zacharie filii Baruchie, quem occidistis inter templum et altare. Id est, non tantum super Judæos, qui jam non sunt, sed super vos malos homicidas. Nam in tempore Abel Judæi quidem non fuerunt, mali autem fuerunt. Nam quantum ad homines, multe generationes sunt secundum diversitates terrarum: quantum autem ad Deum, duæ generationes sunt. Utpote, per singulas generationes sanctis suis bona promittens Deus per prophetas, ad consolationem eorum Christum eis prophetavit venturum, utputa: *Constituam iudices tuos sicut prius, tunc vocaberis civitas justitie (Isai. 4. 26)*, etc. Ergo promisit quidem, non autem præstitit: præstitit autem novissimis sanctis. Sicut et per singulas generationes peccantibus mala promittens, Deus ad terrorem eorum hunc eis prophete minabatur interitum, quem Judæi sunt passi, utputa: *Terra vestra deserta (Isai. 4. 7)*, etc. Ergo manus est omnibus, non autem reddidit, sed reddidit generationi novissimæ. Sicut ergo omnia bona, quæ in singulis generationibus a constitutione mundi omnes sancti merebantur, illis novissime sunt donata, qui receperunt Christum: sic omnia mala, quæ in singulis generationibus a constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, et sanctorum interfectores, super novissimos Judæos venerunt, qui Christum repulerunt. Aut ita: Numquam ab initio mundi hæc talis gratia Dei donata est hominibus, qualis in Christo: aut talis interitus venit super impios, qualis venit super Judæos, Christo repulso. Exempla temporalia dico, quæ passi sunt a Romanis. Quid enim melius esse potest, quam Deum in corpore venientem suscipere? aut quid pejus contingere potest, quam Deum cum tanta humilitate et misericordia venientem ad se non solum non suscipere, sed ad se interficere, et tali modo interficere? Pone ergo Deum dicere ad illos, qui receperunt Christum: *Ecce ego mitto ad vos Filium meum in corpore velatum, et discipulis ejus in nomine ipsius: et recipietis eum, et credetis in eum, ut veniat super vos omnis justitia, quæ facta est ab Abel usque ad Zachariam. Nonne verum dicit? Vere enim, quantum ad multitudinem gratiæ, quæ data est hominibus in Christo**

non dicam omnem justitiam præcedentium sanctorum, quæ ab initio venit super illos : sed puto, quod omnium sanctorum justitia tantum mereri non poterunt, quantum illis donatum est. Sic et super Judæos, qui crucifixerunt Christum, et persecuti sunt discipulos ejus venientes ad se : quantum ad magnitudinem iræ, quæ effusa est super eos, non dicam quia omnium impiorum præcedentium peccata venerunt super illos, sed magis omnium impiorum peccata tantum mali non meruerunt, quantum venit super illos, ut talia paterentur, qualia passi sunt a Romanis : et sic postmodum omnes generationes eorum usque in finem sæculi projicerentur a Deo, et ludibrium fierent gentibus universis : sic et modo fit in omnes gentes et civitates. Vel ita : Omnis gens vel civitas, non cum peccaverint, statim punit eas Deus ; sed expectat per multas generationes, et modo mandat, modo minatur, interdum ex parte castigat : ut quanto magis diutius eos expectaverit, tanto amplius et Dei judicium justius sit, et illorum dignior pœna. Quando autem placuerit Deo perdere civitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis : quoniam quæ illæ omnes generationes merebantur. hæc sola passa est. Quid ergo ? injustus est Deus, qui aliorum peccata vindicavit in istis ? Absit. Sed quoniam quæ illi merebantur, isti sunt passi, et soli passi sunt talia, cum non soli peccassent : propterea quæ aliorum erant, dicuntur isti perpassi. Res enim ista moralis est, et sic omnes homines quotidie facimus. Ecce enim cum servi tui peccant, expolias unum, et iterum parcis ei, dicens : Nisi observaveris, hoc passurus es : similiter facis et alteri. Non meliorantibus vero eis, si incurrerit unus, castigatur secundum suum peccatum, et videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus : quia quod aliis est promissum, illi est redditum. Rursum autem non pro aliis castigatus est, sed pro se : quia secundum meritum culpæ suæ castigatus est. Ille enim pro aliis dicitur castigari, qui, aliis peccantibus, ipse castigatur non peccans : qui autem peccans castigatur, non pro aliis, sed pro se castigatur. Sic et generatio ista pro patribus quidem suis videtur punita, quia illi territi sunt, isti puniti : vere autem non pro aliis, sed pro se condemnati sunt : quia sic peccantes, juste damnati sunt. Hæc eadem ad hæreticos convenit dicere Christum : *Idco, ecce ego mitto ad vos sapientes, et scribas, et ex illis occidatis, et crucifigatis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effunditur super terram.* Vere enim missi sunt sapientes adversus hæreticos, scilicet patres vestros. Sapientes autem non literati, quorum sapientia non est in sensibus carnalibus posita, et in lingua acquisita per exercitationem carnalem, sed sapientes circa Dei timorem, sapientes circa Dei notitiam : sapientes animo, non corpore : corde, non ore : fide, non verbis ; de quibus dicit propheta : *Dexteram tuam sic notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia* (Psal. 89. 12). Misit scribas, id est, presbyteros, et diaconos, et fecerunt eis qualia fecerunt prophetis, et apostolis, et martyribus patres eorum. Quanta passi sunt ab hæreticis patres nostri, nullus ignorat, recedente de medio testimonio scribarum. Ipse enim actus hominum per singulas generationes decurrens sufficit ad testimonium veritatis, qui sunt filii prophetarum, et apostolorum, et martyrum, persecutionem patientium semper, et qui sunt filii Judæorum atque gentilium persequentium semper. Quid opus est verbis ad probationem generis vestri, cum res ipsa loquatur ? Quod autem dicit : *Ut veniat super vos omnis sanguis justus a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ* : non ita est intelligendum, ut omnium generationum præcedentium et persequentium merita generatio una persolvat. Nec enim justum est, ut alter pro alterius puniatur peccatis, sed cum in die judicii

unaquæque generatio punita pro peccatis suis fuerit, de hac una et ipsa generatione videbitur esse judicatum. Omnium enim iniquorum, et persequentium, et homicidarum a Cain usque ad finem una generatio est : etsi non sint omnes in tempore uno, omnes tamen filii sunt persecutoris et homicidæ illius Cain. Ideo et alibi dicit : *Amen dico vobis, non transibit generatio hæc, donec omnia fiant* (Matth. 24. 34) : id est, donec impleatur omne mysterium vocationis sanctorum. Ulpota Cain fuit persecutor Abel, et mortuus est : facti sunt gigantes persequentes filios Seth. Ecce Cain transit, sed generatio ipsa stetit. Perierunt gigantes in diluvio, sed nati sunt ex Cham<sup>1</sup> Chananæi, et cæteræ gentes persequentes filios Sem. Gigantes transierunt, sed generatio ista stetit. Secundum animam enim Chananæi de generatione erant eorum iniquorum, qui fuerunt ante diluvium. Interempti sunt Chananæi ex parte a filiis Israel, sicut legimus, et ex eis facti sunt alienigenæ, qui persequerentur Judæos. Ecce et illi transierunt, sed generatio eorum stetit. Postmodum conversu sunt gentes quædam ad Christum, surrexerunt perfidi Judæi post Christum adversus Christianos, ipsa vice habentes ipsam generationem quantum ad animam, quam habuerunt gentes illæ, quæ prius persequabantur Judæos. Deinde gentiles quidem crediderunt omnes, Judæi autem defecerunt, qui persequabantur Ecclesiam : et ex ipsa Ecclesia surrexerunt hæretici, qui persequabantur Ecclesiam, sed generatio ipsa stetit. Ecce Judæi et gentes persequentiores transierunt, sed generatio ipsa stat. Nam de generatione impiorum Judæorum et gentilium sunt hæretici isti. Ideo et mores et perfidiam sequuntur eorum, sicut diximus supra. Postmodum autem et hæretici transiunt, ut non sint secundum quod modo esse videntur, et futuri sunt gentiles et populi Antichristi, et transeuntibus istis, generatio justorum stabit in illis. De generatione enim justorum erant etiam illi qui fuerunt, et impletur quod dictum est : *Non transibit generatio ista, donec omnia fiant*. 37. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te mittuntur.* Omnia futura ante prospiciens Dominus, prævidit etiam ruinam civitatis Jerusalem, et plagam, quæ a Romanis ventura erat super populum illum : ideo extollens lamentum lugebat eam dicens, *Jerusalem, Jerusalem.* Recordabatur quidem sanguinem sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, et qui adhuc postmodum fuerat effundendus. Sed non tamen dolebat de injuria sanctorum suorum, sciens qualem illis gloriam præparaverat pro morte temporali : sed de illorum interitu flebat, quibus et in isto sæculo mala ventura fuerant, et in illo pejora. Sicut enim benefacientes, non Deo præstamus, sed nobis : Deus autem gaudet, non de suo lucro, sed de nostra salute : sic nos peccantes non Deo nocemus, sed nobis : Deus autem tristatur, non de sua injuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus, audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat adversus eos, tamen misericordia instigante lacrymas fundit super illos, et vult eos adjuvare, et non potest, contradicente sibi justitia : quoniam misericordia tunc vera est misericordia, si sic facta fuerit, ut justitia per eam non contemnatur : si autem contempta justitia, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas : nam justitia non est vera justitia, nisi habuerit in se et misericordiam : sic et misericordia non est vera misericordia, nisi habuerit in se justitiam ; injuste agentibus ac malefactoribus misericordiam exhibere, nec eos punire, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas : sic et Dominus ipse quidem mortis sententiam dictabat super Judæos, dicens : *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et ex ipsis occidatis, ut veniat super vos omnis sanguis justus.* Ecce ipse eos miserabili lamentatione plangebat dicens :

<sup>1</sup> V. D. et Editi in marg., in die vindictæ.

<sup>1</sup> Montoi. in margine conjicit, Chanaan.



*Jerusalem, Jerusalem.* Nam Deus invitus compellitur cum magno dolore peccatores dammare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit salvare. Nam quemadmodum in nobis contra naturam est bene facere, sic et Deo contra naturam est male facere, aut perdere. Sed dicit aliquis: Cum in potestate habeat Deus perdere et salvare, quis eum invitum compellit condemnare, si non vult? Tu, qui non desideras misericordiam Dei. Nam sicut qui desideranti misericordiam Dei denegat, crudelis est: sic qui non desideranti misericordiam præstat, injustus est. Sed dicitis: Quis est homo, qui non desiderat misericordiam Dei? Tu, qui permanes in peccatis. Desiderare autem misericordiam Dei, est converti ad eum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram ejus: qui autem non timet iram ejus, non desiderat misericordiam ejus, sed contemnit. *Jerusalem, Jerusalem,* quæ usque nunc luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis, nunc autem ipsam superasti. Volo enim in te misereri, sed vires misericordiæ faciendæ non habeo, nec possunt te amplius jam sufferre. Incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi jam lassata, a proposito suo deficit. *Quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te.* Misi ad te Isaiam, et serrasti eum: misi ad te Jereniam, et lapidasti eum: misi Ezechielem, et tractum super lapides excerebrasti eum. Quomodo sanaberis, quæ nullum ad te medicum venire permittis? quomodo curabo infirmitatem tuam, quæ omnem medicinam conculcas? Sanctis meis non peperci, ut tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne tuam mortem viderem. Omnes medici spirituales in te defecerunt, et tu curata non es. Insanabilis est passio tua; vicit enim artem divinam. Si de morte tua gavisus fuisset, numquam ad te misisset prophetas. Si te perdere voluisset, numquam ad te ego ipse venissem. Ego tibi quid faciam, si tu ipsa vivere non vis? *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, et noluisti?* Cum te in Ægypto quasi sanguinariis accipiter persequeretur Pharaon, misi super te Moysen et Aaron (*Exod. 4. et 5*); quasi duas mollissimas penas misericordiæ meæ, et liberatos vos de unguibus ejus rapui in desertum, et noluistis sequi me, facientes vobis vitulum in Horeb, ut serviretis potius idolo mortuo, quam Deo viventi (*Ibid. 32*). *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, et noluisti?* Percurre, si vis, Judicum librum, quotiens peccaverunt et tradidit illos Deus, et iterum liberavit? Gallina, Ecclesiæ ponit similitudinem. Sicut enim pulli gallinarum pastum suum quærentes, per diversa vagantur, et maternis vocibus congregantur ad ipsam, et iterum similiter pascentes dispergunt, et iterum maternis vocibus congregantur: sic et populus Dei; carnalem voluptatem et mundialem concupiscentiam sequentes, per diversos vagantur errores, quos Ecclesia mater per sacerdotes, modo increpationibus, modo blandimentis, quasi quibusdam vocibus congregare et allectare festinat. Et quemadmodum gallina habens pullos, vocando illos non cessat, ut assidua voce vagositatem corrigat pullos suorum: sic et sacerdotes in doctrina cessare non debent, ut studio et assiduitate doctrinarum suarum negligentiam populi errantis emendant. Et quemadmodum gallina habens pullos, non solum suos calefacit, sed etiam cujuscumque volatilis filios exclusos a se diligit quasi suos: ita et Ecclesia non solum suos Christianos studet vocare, sed sive gentiles, sive Judæi, si suppositi illi fuerint, omnes fidei suæ calore vivificat, et in baptismo generat, et in sermone nutrit, et materna diligit caritate. Ut autem et hæreticis hæc eadem coaptemus, Jerusalem hic semper Ecclesiam intellige, quæ dicitur civitas pacis, cujus fundamenta solida sunt super montes Scripturarum. Sicut ergo illi Judæi, qui fuerant Jerusalem spiritualis, ingressi crediderunt in Christum, illi autem, qui erant Jerusalem corporalis, manentes in corporali Judaismo, per-

sequebantur spirituales Judæos, id est, apostolos, cæterosque ex circumcissione credentes: sic et de ista nova Jerusalem, id est, de Ecclesia, qui spirituales Christiani fuerunt, relicta corporali Ecclesia, quam perdidit occiperant violentia, exierunt ab illis. Magis autem illi exierunt a nobis, sicut Joannes exponit (*1. Joan. 2. 19*).

*Exire de Ecclesia quis dicitur.* — Non enim ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis ecclesiasticæ fundamenta reliquit. Nos enim ab illis exivimus corpore, illi autem a nobis animo. Nos ab illis exivimus loco, illi a vobis fide. Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta Scripturarum. Nos ab illis egressi sumus secundum aspectum hominum, illi autem a nobis secundum judicium Dei. Ideo et illi corporales Christiani persequuntur nostros spirituales, specie colorata, varietate fundata. Propterea quæ superius Dominus commemoraverat, ad illam Jerusalem corporalem dicta esse videntur: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te mittuntur.* Non dixit, *Quæ occidisti et lapidasti*: sed, *Quæ occidis et lapidas*: id est, *Quæ hoc proprium, et quasi naturalem consuetudinem habes, ut occidas et lapides sanctos.* Non enim occidit aut lapidavit sanctos ante Christum, et cessavit facere post Christum quæ fecit aliquando prophetis, sed eadem ipsa facit apostolis, quæ fecit aliquando prophetis. Sic et hæreticorum Ecclesia non solum persequuta est patres nostros, et persequi jam cessavit: sed eadem illi eorum faciunt nobis, quæ patribus nostris fecerunt patres eorum. Mittuntur enim ad illos viri fideles, quotienscumque inter illos et fideles certamen fidei commovetur, non ex ebrietate vini, sicut fieri solet frequenter, sed ex aliqua causa religionis. Mittuntur ad illos, sicut mittebantur prophætæ et apostoli ad Judæos, non ad salutem eorum; insanabiles enim sunt: sed ad præjudicium ipsorum; ut sine excusatione ignorantia judicentur. Item aliter. Hæretici prophetas, et apostolos, et martyres occidunt, qui modo sunt apud nos: sine dubio occidunt in verbis suis, et actibus. Quotiens enim leguntur in Ecclesiis nostris verba et acta prophetarum et apostolorum, prophætæ et apostoli missi nihilominus loquuntur ad nos, quos omnes missos ad se hæretici dum legunt et male interpretantur, occidunt et lapidant eos. Ut autem manifeste cognoscas, quomodo prophætæ et apostoli ab hæreticis occidunt et lapidantur: primum intellige, quomodo nascitur Christus in nobis, et quomodo occiditur. Quando enim credimus in Christum, Christum generamus et formamus in nobis, sicut dicebat Apostolus Galatis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (Gal. 4. 19)*. Consequenter et quando perdinus fidem Christi, Christum occidimus in nobis, sicut et prophætæ apud hæreticos occiduntur. Quando enim fidem et veritatem verborum eorum prava interpretatione subvertunt, prophætæ et apostolos occidunt in se. Ipsius enim verbi quasi sanguis veritas est, quæ vivificat verbum. Omne enim verbum, quod non habet in se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. Propterea omnia verba divina, quamvis rustica sint et incomposita, viva sunt: quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, et ideo vivificant audientem, sicut testatur Petrus ad Christum, dicens: *Quo ibimus? verba viva habes (Joan. 6. 69)*. Omnia autem verba sæcularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, et quamvis sint composita et ingeniosa, mortua sunt, quoniam in venis sensuum suorum non habent virtutem Dei: propterea nec audientem salvant. Secundum hæc jam intelligis, quomodo hæretici occidunt et lapidant prophetas et apostolos missos ad se. Quoties enim veritatem verborum eorum gladio maligni spiritus et verbi perversi corrumpunt, occidunt prophetas et apostolos, et sanguinem verborum eorum, id est, veritatem effundunt in terram: totiens aliud intelligentes in verbis prophetarum et apostolorum, et



aliud proloquuntur in populo, blasphemias suas quasi lapides quosdam factant super apostolos et prophetas. *Quotiens voluisti congregare filios tuos*, etc. Quotiescumque enim, sicut diximus, inter hæreticos et fideles fidei movetur certamen, evidenter vult illos Dominus congregare sub veritate alarum suarum, id est, duorum Testamentorum, quotiescumque leguntur apud eos verba prophetarum et apostolorum: illi autem non quasi domestici pulli gallinæ, quæ est Ecclesia, sed quasi silvestres pulli sanguinari vulturis, aut accipitris, non solum ad veritatem duorum Testamentorum venire non acquiescunt, sed adhuc irruunt super ipsam gallinam, id est, Ecclesiam, et diripiunt et dispergunt pullos ejus, et evellunt eam: totiens vult eos congregare, illi autem nolunt. 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; id est, ecce nunc, tempore instanti. Cum ego fuero crucifixus, scindetur velum templi, et secreta mysteria sanctitatis ejus publicabuntur, et recedet ab eo Spiritus Dei. Et sicut corpus anima recedente prius quidem frigescit, deinde putrescit et solvitur: sic et templum vestrum, Dei Spiritu recedente ab eo, prius quidem seditionibus, et indiscipline replebitur tyrannicis, quasi Deo jam illud non gubernante; deinde veniet ad ruinam. Sicut enim ante mortem hominis, insanabilis præcedit infirmitas: sic et ante ruinam aut hominis, aut loci alicujus, aut civitatis, inemendabilia præcedunt peccata. Sicut enim pulli frequenter a matre vocati, cum non obaudierint, neque sequuti fuerint matrem, matre longius abeunte, aut venit accipiter, et diripit eos, aut longius evagantur, ut pereant: sic et Domino frequenter Judæos vocante, quoniam non obaudierunt, neque sequuti sunt eum, recedente illo ab eis, ad gentes venit quasi accipiter rex Romanus, et partem<sup>1</sup> quidem eorum comedit fames et gladius, alii autem per singulas provincias dispersi sunt, ut perirent. 39. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Præcessores nostri exponunt, circa ipsum diem iudicii et resurrectionis quosdam Judæorum credituros in Christum. Quod et Apostolus significare videtur, dicens: *Ex parte cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet* (Rom. 11. 25. 26). Et sequens lectio illa tota hoc dicere velle videtur. Si quis autem mysterium hoc per illos putat impletum, qui in Actibus apostolorum leguntur (a), Petro prædicante aut aliis apostolis crediderunt: intelligit propter tres causas non esse verum quod dicit. Primum, quia tunc pars modica secundum electionem credidit, non totus Israel. Secundo, quod illi ante gentes crediderunt, non post gentes. Plenitudo autem gentium tunc adhuc non introierat, sed inchoaverat hoc. Tertio, quia quando hæc futura prædicebat Apostolus, gentes jam crediderant, et Judæi qui fuerant credituri: et tamen Apostolus adhuc credituros significat Judæos, dicens ad gentes: *Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis propter illorum incredulitatem: ita et illi nunc non crediderunt in vestra miseratione, ut et ipsi misericordiam consequantur: conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnibus miseretur* (Ibid. v. 50-52). Dicens ergo. *Amodo non me videbitis, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*: hoc dicere vult, Donec veniat tempus, in quo credentes dicatis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Spiritualiter enim videre Christum est ipsum in fide cognoscere. Sicut autem ad illam Jerusalem dictum est, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*: scilicet cum occideritis Filium Dei apud vos, cum de illo templo corporali templum exierit spirituale, quod fuerunt sancti, qui ex circumcisione crediderunt in Christum: sic et ad Ecclesiam omnium hæresum dictum esse videtur, *Ecce relinquetur vobis*

*domus vestra deserta*, ex quo Filium Dei occidistis. id est, Ex quo vivum verbum veritatis illius, mendacis verbi gladio, veritate effusa, mortuum fecistis: sicut superius diximus, spiritualiter prophetas suscipi aut occidi. Qui enim credunt secundum veritatem verbis prophetarum, suscipiunt prophetas: qui autem corrumpunt veritatem ipsorum, occidunt verba eorum, et eos ipsos in verbis ipsorum. Sic et Christus aut suscipitur, aut occiditur apud nos. Si enim credimus verbis ejus, suscipimus eum, et generamus in nobis: si autem non credimus, et adhuc veritatem verborum ejus corrumpimus, repellimus eum, et occidimus apud nos. Unde fit, ut quotidie Christus apud fideles quidem suscipiatur, atque nascatur, apud hæreticos autem repellatur.

*Hæreticorum ecclesia derelicta a Deo et omnibus sanctis*. — Relicta est autem et deserta, ex quo de illa corporali Ecclesia spiritualis exivit: id est, de populo suo, qui videbatur Christianus, et non erat, populus iste exivit, qui non videbatur, et erat: et magis autem, secundum quod diximus, illi a nobis exierunt, quam nos ab illis. Sicut autem membrum a corpore præcisum vivere non potest, neque ramus arboris viridis esse: sic et omnes hæretici præcisi a corpore unius Ecclesiæ, nec vitam Christi in se habere possunt, nec viriditatem gratiæ spiritualis, sed est Ecclesia eorum deserta: non ab hominibus; abundat enim perversis hominibus, quomodo semper malorum major est copia quam bonorum: sed deserta est a sanctis, deserta a sanctitate, a fide, a veritate, a gratia, a spiritu; deserta denique ab ipso Deo, et a bonis omnibus quæ sunt Dei. Sicut enim homo, qui Dei non est, mortuus dicitur esse, quamvis vivat: quia non Deo, sed diabolo vivit: sic omnis Ecclesia quamvis abundet hominibus, tamen si ab illis bonis quæ dicta sunt defuerit, deserta est: quia non Deo, sed diabolo plena est. Dico enim vobis: *Non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Vere enim ex tempore perditionis suæ hæretici numquam Christum viderunt. Vident enim eum fide, non oculis, qui secundum veritatem ejus credunt in eum: qui autem non credunt, cæci sunt corde, non corpore: non necessitate, sed voluntate. Cognituri sunt autem eum in die iudicii nolentes, quando videbunt eum in majestate Patris, quando videbunt cum etiam omnes iniqui, et Dominum cum constabuntur nolentes: *Domine, Domine, nos in nomine tuo demonia ejecimus* (Math. 7. 22), etc.; sed nihil illis proderit tarda confessio. Tunc et isti dicturi sunt Christo: *Nos in nomine tuo docuimus, et in nomine tuo demonia ejecimus*. Dicit autem ad eos: Numquid in virtute mea? numquid in spiritu meo? In nomine enim meo aliquid agere, seductorum est: sed in virtute mea, et in spiritu meo, sanctorum. Discedite a me, nescio qui estis. Sicut enim vos cognoscentes me, cognoscere nolulistis, non propter difficultates veritatis meæ, sed propter iniquitates malitiæ vestræ: sic et ego cognoscens vos, nolo cognoscere, non propter extraneas personas vestras, sed propter odibiles malitias vestras.

#### Homilia xlvij. ex capite xxiv.

1. *Egressus Jesus de templo, ibat: et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei adificationes templi*. Superius ingressus est Dominus templum, quærens sanctitatem templi: sed cum in templo nihil inveniret proprium templi, egressus de templo ibat: quia ædificium quidem stabat, quod erexerunt homines, sanctitas vero ceciderat, quam constituerat Deus. Nam templum hominum est ædificatio lapidum pulchre composita: templum autem Dei est congregatio electorum religiose conversantium. Ibat de templo foras, id est, de Judæis ad gentes. Ibat non solum corpore, sed voluntate recedens in spiritualibus. Ecce si pars aliqua domus fuerit decisa, cum labore tamen possibile est ut reparetur: si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciat pater-

<sup>1</sup> Apud Comenelin. legitur, *Patrem*.

(a) In hæc verba desunt codex RR. PP. Cartusianorum Valis Del.

familias, nisi forte in aliquo loco nova faciat fundamenta, et lapides de priori domo transvectans, aliam sibi adificet domum? Sic et in spiritualibus, si quidem populares peccaverint, per penitentiam corriguntur: si autem sacerdotium ipsum fuerit dissipatum, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? Hac ratione gentem Judæam relinquens, in alio loco, id est, in medio gentium universarum, nova posuit fundamenta, id est, apostolos suos, et omnes bonos transferens, qui fuerint ex Judæis, dicente propheta: *Convertantur ad me, qui timent te (Psal. 118. 79)*. Novam sibi fecit Ecclesiam, et admonuit illam, ut sicut mutavit locum, mutet et mores, dicens per prophetam: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum (Psal. 44. 11. 12)*. Ibat enim, numquam ad illud templum iterum reversurus: jam enim maledixerat ei, dicens: *Numquam ex te fructus nascatur (Matth. 21. 49)*. Hæc enim synagoga erat illa ficulnea, ornata foliis, et fructibus vacua: quæ arbor videbatur, non autem erat nisi figuralis, sed erat synagoga realis: sicut et Judæa, quæ verba sanctitatis portabat, et opera pietatis non habebat; quæ videbatur populus Dei, non autem erat, ad quam venit Christus esuriens.

*Christus esuriens quomodo satiatur.*—Christus enim, si esurit, quomodo satiatur? Satiatur in fide hominum, esurit autem in infidelitate eorum. Et desuper Samaritanum puteum gaudens sedebat, quoniam fides Samaritanorum offensa ei fuerat (*Joan. 4. 6*) tamquam optimus cibus. Hic autem in templo nullam escam humanæ sanctitatis inveniens, egressus de templo, tristiter ibat. Et vere merito tristabatur, et erat quod irasceretur. Apud Samaritanos in peregre satiatus est, apud Judæos in domo propria mansit jejunos. Nam ibat. Per hoc quod hic dicitur, *Ibat*, hoc significat, quasi offensus ibat. Alioqui sufficeret dicere, cum egressus fuisset de templo, accesserunt ad eum. Quemadmodum homo, si vadat alicubi, existimans invenire responsum, si non invenerit, confusus egreditur, quasi quid perdidit aliquid, quia quod sperabat non invenit. Ideo et apostolis quasi dolore repletus, respondit: *2. Amen dico vobis, non stabit hic lapis super lapidem, qui non destruetur.* Non potest pacifica loqui, qui cor habet turbatum. *Et accesserunt ad eum discipuli ejus, ut ostenderent ei structuram templi.* Adhuc apostoli carnales constituti, spirituales oculos nondum bene apertos habebant, et ideo spiritualiter adhuc vivere non poterant. Ecce enim totum templum jacebat spiritualiter dissipatum, et illi quasi mirabilem compositionem templi Christo monstrabant, non intelligentes quia homo quidem in ædificatione parietum delectatur, Deus autem in conversatione sanctorum, dicente propheta: *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ (Psal. 25. 8)*. Quem decorem? Non quem diversitas splendorum marmorum facit, sed quem præstat varietas viventium gratiarum. Ille decor carnem delectat, iste vivificat animam: ille pro tempore decipit oculos et deludit, iste autem in perpetuum ædificat intellectum. *Jesus autem respondens eis, ait: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur.* Apostoli unam rem ostendere voluerunt, et ipsam inutilem: Christus autem eis diuvarum rerum salutarium dedit vivam responsionem. Nam et de futuro eos admonet, quasi præscius Deus, et de præsentibus eos docuit, quasi benignus magister. Illi aspiciunt illa quæ in hoc sæculo viva servant: ipse autem monet de his quæ in futuro sæculo æterna perdurant. *Nam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna (2. Cor. 4. 18)*. Quid mirum, si hæc sunt peritura, quæ manus humana construxit? Sciamus etiam illa esse solvenda, quæ manus divina creavit. *Quia initio tu terram fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes in æternum (Psal. 101.*

*26. 27)*. Quicquid enim videtur, carnis est mysterium: quicquid non videtur, animatum. Cum ergo caro transierit, necesse est ut et visibilia universa pertranscant: quia non est fas, ut cum rerum visibilibus domina caro transierit, mysteria quasi dignitiora remaneant. Si civitas aliqua regi suo terreno fuerit facta rebellis, nonne tollit ab ea jus civitati, et milites suos transmittit, ut fiat deserta, ut quæ potestatem regis sui non cognovit in bono, cognoscat in malo, et ipsa desertio testificetur, quid ei profuerit antea propitiatus regis? Hæc autem gens mihi Regi cælesti rebellis effecta est, legem meam corruptam, præcepta mea contempsit, ministros meos occidit, super meipsum jam impias manus erexit, et adhuc interficere me cogitat, nisi me defenderet immortalis natura. Ideo tollam ex ea pignora veritatis mee, id est, Spiritum sanctum. Tollam exercitum meum, id est, angelos qui custodiebant eam, ut non stet hic lapis super lapidem. Cum ergo salus ab ea recesserit, necesse est ut perditio dominetur.

#### *Homilia xlvij. ex capite xxiv.*

*3. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi?* Id est, Quando hæc erunt, ut non stet in templo lapis super lapidem, sicut dicitis? Et addunt interrogationibus suis et alterum, scilicet ut significet eis etiam sæculi finem, cujus Christus non fecerat mentionem. Sed illud primum interrogant ex se et propter se, hoc autem secundum ex nobis et propter nos. Nam neque nos templi illius diruptionem aspeximus, neque illi sæculi finem: ideo illis expediebat audire signa diruptionis illius, nobis autem expedit consummationis agnoscere signa. Omnibus enim laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat, ubi est mansio; mercenarius frequenter computat, quando annus completur; agricola semper tempus messis exspectat; negotiator die ac nocte thesauri sui discutit rationem; mulier prægnans semper de cimo mense cogitat: sic et servi Dei libenter de consummatione sæculi requirunt. Scriptum est enim: *Ubi erit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum (Matth. 6. 21)*. Ecce si solidorum aliquam quantitatem habes in arca repositam, quotienscumque veniens de platea, domum tuam ingrederis, ante omnia illum locum oculi tui respiciunt, ubi solidos habes: sic et sancti illum locum respiciunt, ubi repositam habent coronam. Nam utile est tempus consummationis agnoscere: quia et homo in itinere constitutus, quanto magis appropinquaverit mansioni, tanto amplius incipit festinare. Nam in longa via etiam veloces homines pigriter ambulat: quando autem via fuerit brevior, etiam pigri velociter ambulat. Hac ratione et Paulus exhortans dicit: *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus (Rom. 13. 11)*: quia appropinquata spes excitat magnanimitatis virtutem. Ideo quanto magis laudabiles sunt sancti, qui ante Christum fuerunt, tanto nos vituperabiles, qui post Christum sumus, et adhuc de sæculo recedere volumus. Illi quidem sciebant finem esse futurum; quando autem, nesciebant. Nos autem, Domino demonstrante, quotidie sæculum finiri videmus, et tamquam mali servi, jam albescit aurora, et adhuc dormimus. Nam peccatores homines numquam putant sæculi finem esse futurum. Et quid mirum, si quod audiunt non credunt: cum nec illud credunt, quod quotide vident? Nam quotidie manibus suis efferunt mortuos, et mortales se esse non putant. *4. Et respondens dixit eis: Videte ne quis vos seducat.* In primis hoc æstimo prætermitti non oportere, ut consideremus quid interrogant apostoli, et sic melius intelligamus quid Christus respondit. Interrogant enim hæc duo apostoli, Quod signum erit destructionis Jerusalem, et, Quod signum consummationis mundi. In consummatione enim gentis Judææ Jerusalem destructa est,

quæ tamen videbatur esse Jerusalem, non autem vera erat. In consummatione autem mundi Ecclesia aut desolata, aut desolanda est: adhuc tamen illa quæ videbatur Ecclesia, non autem quæ vera erat, aut est: Dominus autem non separatim dixit, quæ signa pertineant ad destructionem Jerusalem, et quæ ad consummationem mundi, videlicet ut eadem signa pertinere videantur et ad manifestationem destructionis Jerusalem, et ad manifestationem consummationis mundi: quia non quasi historiam per ordinem exposuit eis, quomodo res erant agenda, sed prophetico more prædixit eis quæ res erant agenda. Prophetia autem semper per mysterium dicitur, et per mysterium intelligitur. Quid igitur? Hæc signa de fame, de bellis, et de terræ motu, si ad plenum spiritualiter voluerimus intelligere, non possunt pertinere ad manifestationem destructionis Jerusalem: quia tunc spiritualiter gens contra gentem non surrexit: id est, hæresis contra hæresim. Nam tempore apostolorum tantummodo seminatae sunt hæreses, tempore autem regis Christiani germinaverunt: nostris autem temporibus maturuerunt et prævaluerunt. Tunc enim faues non erat spiritualis, sed magna ubertas, de qua propheta dicebat: *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti ditare eam (Psal. 64. 10)*. Item si voluerimus hæc signa tantum corporaliter intelligere, non proficiunt ad manifestationem consummationis mundi. Nam et bella hæc corporalia semper fuerunt, et semper erunt. Et fames, aut terræmotus carnales semper fuerunt. Non potest autem esse in signum alicujus rei futuræ, quod semper fuit in usu: sed quod novum sit, illud dicitur signum. Sicut ergo fuit Jerusalem illa corporalis, quæ jam expugnata est in figura: est autem altera Jerusalem spiritualis, scilicet Ecclesia Christi, quæ in finem mundi etiam tentanda est, et adhuc tentatur: sic et signa illa quæ Dominus dicit, et spiritualiter intelligenda sunt, et carnaliter: ut carnaliter intellecta, significant destructionem illius Jerusalem: spiritualiter autem intellecta, significant tentationem Ecclesiæ in consummatione futura. Ergo ad utrumque tempus porrigere mentem qui audis, et ad illud quod fuit antequam Jerusalem caperetur, et ad illud quod fiet antequam tentetur Ecclesia Christi. *Videte ne quis vos seducat. 5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducet.* Hoc et Apostolus (2. *Thess. 2. 3*) dixit iis qui fuerunt antequam caperetur Jerusalem, quia prius venturi fuerunt pseudochristi. Etenim hoc erat signum primum destructionis Jerusalem: quod vere factum est. Venerunt enim Dositheus, et Simon, et Cleonius, et Varius in nomine Christi, et alii multi, quos Apostolus in Epistolis suis tangit. Hoc et patribus nostris dixerunt, qui fuerunt prius antequam tentaretur Ecclesia, quia ventura fuerant hæresum multa verba mendacia, dicentia: Ego sum Verbum Dei, Christus. Et hoc signum fuit expugnationis Ecclesiæ, quod et factum est. Vere enim priusquam ex tempore Theodosii, prævaricantibus multis, expugnaretur Ecclesia, multa dogmata præcesserunt ex tempore Constantini, dicentia, Hoc est verbum Dei: per quæ signa intelligere potuerunt periclitaturam esse Ecclesiam Christi, si prophetia Christi ante exitum intelligi potuisset. *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus.* Venient in nomine sponsi, ut sponsæ castitas tentata probetur. Nam sicut omnis mulier, quamdiu non admonetur a malis hominibus, non bene cognoscitur utrum sit casta: si vero admonita conscientiam vel fidem viro servaverit, tunc merito casta laudatur: sic Ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi Antichristi venerint ad eam. Sive de illis pseudochristis, qui præcesserunt antequam tentaretur Ecclesia, hoc convenit dicere. Quoniam sicut cum domus incendio comprehenditur, omnes latrones consurgunt, quærentes unusquisque quod rapiat: sic quando casus specialiter tunc Judæorum, aut generaliter, aut modicum Christianorum fieri cœperit, omnes demones spirituales latrones insurrexerunt,

per suos ministros quærentes unusquisque quem perdant. Non audistis prophetam dicentem, quomodo in nocte omnes bestię circuierunt militantes, hoc modo? *Posuit tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestię silvæ (Psal. 103. 20)*, etc. Sic et demones spirituales bestię, quamdiu lux justitiæ est super terram, in cubilibus suis latent, id est, in cordibus impiorum, et non se ostendunt: cum autem tenebras impietatis aspexerint dominari, tunc demones procedunt, aut ministri eorum de latibulis suis, quærentes quem valeant devorare. Ideo videte ne quis vos seducat. Homo circa mortem phantasias videt: sic et mundus in exitu suo multos patietur errores. Hoc puto, quod ad omnes Christianos dicebat, sive tunc, sive modo, præcipue tamen ad sacerdotes, *Videte ne quis vos seducat.* Vos estis luminaria, verbum vitæ continentes, quasi candelabra lucentia; facile, vobis extinctis, Ecclesia a latronibus prædam patietur in tenebris. Quomodo autem stet ædificatio domus, si columnæ ceciderint? Et ne putes quia corporaliter jubet eos aspiceret, cum dicit, *Videte*: sed spiritualiter mente considerare. Mente autem potest considerare, qui per bonam conversationem mentem habet illuminatam. Qui ergo bene conversatur, lucidam habet mentem, et intelligit qui sunt doctores: qui autem peccat, sensus ejus cum sit tenebrosus, non intelligit qui sunt servi Dei, et qui ministri diaboli. Sicut enim qui corporaliter oculos habet acutos, de longe prospicit venientem, an amicus ejus est, an adversarius: qui autem oculos habet infirmos, quamvis intenderit, non cognoscit an amicus sit, an inimicus: sic qui mentem a peccatis possidet mundam de longe considerat, homo Dei est ille qui venit, aut homo diaboli: in nomine Christi venit, aut in spiritu Christi. Aut putamus quod semper venturi fuerant novi Christi? Absit. Quod ergo dicebat, *Multi venient in nomine meo*, ad tempus apostolorum pertinet. Tunc enim sciens diabolus, quia adhuc novus erat Christus in mundo, quia veritas evangelii ejus adhuc erat ignota, quia apostoli ejus multis incerti, multos introducebant Christos in mundum, ut homines volentes venire ad Christum, per similitudinem nominis ejus errantes, transeant ad diabolum, et volentes ab eo exire, impingant in eum. Quemadmodum si rex in bello victus atque fugatus ab alio rege, indueret indumentum regis illius victoris, et in parte sua erigat simile signum signo regis illius, ut ille populus victoris schema sui regis aspiciens, et signum partis ipsius, dum putat se ad proprium currere regem, incurrat in manus adversarii sui: sic et diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, ut volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati ad diabolum vadant. Postquam vero notitia Christi in toto mundo prævaluit, et veritas evangelii ejus facta est manifesta, mandata discipulorum ejus implicare jam non poterat, sed submittere Christos. Neque aliquid agit etiam si submittat: quoniam omnibus manifestus est Christus, et evangelium ejus, et apostoli ejus: sed alio modo submittit Christos, ut verba diversorum hæreticorum introducta, unumquodque eorum dicat, quia Ego sum Christus, unigenitum Verbum Dei. 6. *Audietis prælia, et opiniones præliorum.* Tunc quidem corporaliter ea dicebat prælia audienda, quæ contra Judæam præparabat Imperator Romanus. Nam sicut solet fieri in præparatione belli dum eliguntur principes, dum deputatur et congregatur exercitus, auditio currit, maxime ad eos, adversus quos præparatur. Sed postquam ingressus est exercitus Judæam, sicut exponit Josephus, non statim ad Jerusalem applicavit, sed ad civitates singulas regionis illius, et diversa prius gesta sunt bella, et plurimæ civitates captæ, et sic novissime Jerusalem obsedit exercitus. Ideo mandabat apostolis, *Videte ne turbemini*, sed opus predicationis vestræ implete. Illius Jerusalem corporalis typum gerit Jerusalem spiritualis Ecclesia. Nam nisi templum illud destructum fuisset, observantia legis non facile fuerat

compescenda. Ideo autem destructum est, ut etiam si velint Judæi postmodum legem servare, non possint, aut de pascha, aut de sacrificiis, aut de cæteris festivitatis. Ceciderunt ergo corporalia et figuralia, ut surgerent spiritualia et vera mysteria. Postea autem spiritualiter hæresum annuntiabat fore certamina, quæ impiorum princeps Antichristus contra Christianos fuerat operaturus in fide. Nam excitans diabolus errorum scandala, non statim oppressit Ecclesiam, sed prius per varia loca schismata excitavit. Utoputa, audiebatur quomodo in illa civitate Fotinus hoc prædicet. Item in illa alia civitate Acoluthus presbyter hoc sapere cœpit. Sic audiebantur a Christianis schismata, et opiniones schismatum, donec omnium hæresum dux una eligeretur perversio omnibus. Sed in illis non opus erat Christianis turbari, quia oportebat fieri illa. Quod autem oportebat, docet Apostolus dicens: *Oportet inter vos hæreses esse, ut præbati manifesti fiant* (1. Cor. 11. 19). Et sicut in illis tunc auditionibus præliorum non fuit finis gentis Judææ, sed postea et Jerusalem debellata est, et Judæi quidam in gladio perierunt, quidam a bestiis, quidam in servitute venditi sunt, quidam per singulas gentes dispersi sunt: sic in illis auditionibus schismatum, tempore patrum nostrorum, non est factus finis, sed postmodum Ecclesia debellata est, multis ad prævaricationem aut seductis, aut coactis: modo jam restat ut fiat finis. Bene ergo ait, Vos nolite turbari. Sive enim tunc in additione corporali præliorum, sive modo in auditione spiritualium præliorum, nostri inturbabiles manent: quia ea, quæ fiunt in mundo, non possunt nocere eis, qui sunt extra mundum: et quæ fiunt carnaliter, non possunt nocere eis, qui sunt extra carnem: nec mendacia lædunt eum, in quo habitat Spiritus sanctus: sed mundus mundialibus nocet, et mendaces seducunt mendacia. Quemadmodum si quis in campo quodam tabernaculo circumdatus sit, si aliqua surrexerit tempestas ventorum, sonum quidem tempestatis audit, vexationes silvarum videt, ipse autem statum non sentit: sic qui intra justitiam sedet inclusus, quando mundus concutitur, rumores turbationum audit, sæcularium miserias aspicit, ipsum autem concussio mundi non movet. 7. *Insurgit enim gens super gentem, et regnum super regnum.* In tempore illo omnes gentes, et omnia regna, quæ videbantur esse sub imperio Romanorum, super gentem Judæam sunt congregata, et omnia pene regna super regnum ipsorum. Nec enim poterat aliquis parcere eis, quibus Deus irascebatur. Spiritualiter autem ita insurgit hæresis super hæresim, et episcopatus super episcopatum. Sicut enim tunc insurgens gens super gentem, et regnum super regnum, signum erat destructionis Jerusalem, sic postea insurgens hæresis super hæresim, et episcopatus super episcopatum, signum fuit expugnationis Ecclesie. Et vere quod dicit, *Insurgit gens super gentem, et regnum super regnum*, plus convenit ut spiritualiter intelligamus nunc de hæresibus, quam corporaliter tunc de gentibus. Tunc enim non gens super gentem insurrexerunt, nec regnum adversus regnum, cum pene omnes illæ gentes et regna super unam excitatæ sunt gentem Judæam. Tunc enim gens super gentem, et regnum adversus regnum insurgere recte dicitur, quando invicem sibi gentes non sunt subjectæ, sed adversantur. Nunc autem hæresis super hæresim insurrexit, et episcopatus super episcopatum. Nam omnis hæresis impia adversus eas hæreses videtur insurgere, quæ non sapiunt similiter. Utoputa, hæresis Fotini non solum Christi Ecclesie adversatur, sed omnibus hæresibus aliter sapientibus. Hæresis Homoousianorum, non solum Christi Ecclesie adversatur, sed et omnibus hæresibus non similiter sapientibus. Ideo dicit: *Insurgit gens super gentem, et regnum super regnum*; magis autem omnis hæresis super Ecclesiam veritatis. Quoniam sicut tunc omnes gentes, quamvis non essent ejusdem generis, aut ejusdem moris, tamen non sibi adversaban-

tur, sed unam debellabant Judæam: sic diversæ hæreses, quamvis non sint ejusdem pravitatis, tamen non sibi adversantur, sed omnes unam debellant Ecclesiam veritatis. Et quid? putas ideo diabolus multas hæreses induxisse, ut invicem se mendacia ejus expugnent? Absit. Sed multiformes causas erroris induxit, ut multis modis Christi circumveniantur Ecclesia, ut pars pereat per illam sapientiam, pars per istam. Sicut qui multas etiam venationes præterdit, cogitans quia necesse est aut in hæc, aut in illa reia venatio cadat. *Et erunt fames, et pestilentie, et terræmotus per loca.* Quales pestilentie, et qualis fames, et terræmotus præcesserunt Judæam, antequam Jerusalem caperetur, cognoscere potest qui Josephum legit. Spiritualiter autem ita priusquam expoliaretur Ecclesia, sine dubio præcesserunt in populo Christiano fames spiritualis verbi, pestilentie diversorum carnalium vitiorum, terræmotus spirituales turbationum populi Christiani. Nec enim nata fuissent tam multa schismata in populo Christiano, nisi fuisset in eis fames verbi: *Pestilentie*, id est, morbi carnalium passionum, nisi fuissent in eis commotiones turbationum, sicut significat Dominus in illa parabola, quam de seminandis zizaniis ab homine malo proponit, dicens: *Cum dormirent autem homines, id est, cum negligerent in peccatis, venit inimicus homo, et seminavit zizania* (Matth. 13. 25). Qui autem satiani sunt pane verbi divini, qui sani sunt a pestilentia passionum carnalium, qui stabiles sunt in fide et justitia, apud eos schismata non inveniuntur dogmatum. Omnia autem hæc initia sunt parturitionis, id est, pseudochristi venientis, et auditiones præliorum, et insurgens gens super gentem, et fames, et pestilentie, et terræmotus. Sicut hæc omnia corporaliter intellecta, initia fuerunt malorum Judæis, incrementum autem desolatio fuit Jerusalem: sic spiritualiter hæc intellecta, initia fuerunt Christianis, incrementum autem oppresio fuit Ecclesie. Sicut ergo certamina hæresum initia fuerunt parturitionis: quomodo non intelligimus, quia ex quo hæreses nate sunt, et discessio facta est multorum, ex eo consummatio cœpit? 9. *Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Estimo quod hic jam deficit expositio corporalis, ut de tempore illo dicamus, quo Jerusalem capta est a Romanis: ex eo quod dicit, *Tunc tradent in tribulationem*, quoniam apostoli et cæteri Christiani tunc cœperunt pati persecutionem, quando illa omnia cœperunt preparari contra Jerusalem, et non potius ab initio, ex quo Christus ascendit, sicut Actus apostolorum testantur. Plane igitur spiritualiter intelligere convenit, quia quando hæc omnia cœperunt fieri contra Ecclesiam Christi, id est, quando cœperunt esse dogmata falsa, quasi pseudochristi, quando cœperunt auditiones fieri, quando cœpit insurgere hæresis super hæresim, et episcopatus super episcopatum, quando facta est fames verbi in populo Christiano, quando comprehenderunt eos pestilentie vitiorum multorum, quando facti sunt eis terræmotus turbationum de rebus divinis: tunc traditi sunt patres nostri in multas tribulationes persecutionum in toto mundo, et occisi sunt, et quidam odio habiti sunt omnibus gentibus, id est, omnibus hæresibus. Nam si hoc, sicut dixi, non convenit de tempore apostolorum, quando erant adhuc multæ gentes non cognoscetes Deum, sed de isto tempore dicitur quando hæreses factæ sunt: consequenter hæc gentes, quibus odio facti sunt patres nostri, hæreses sunt intelligendæ: quia quando Ecclesia cœpit periclitari, nescio si erat in circuitu aliqua gens, quæ non cognosceret Deum, cui odio esset. Qua autem ratione gentes hæreses appellentur, attende. Sic enim aliquando, destructa turri, filii Noe dispersi sunt, et in tot partes divisi, et super singulas quasque gentes præpositi sunt principes secundum propositum ipsorum, angeli maligni: sola autem gens Judæa in portione facta est Dei, sicut in Deuteronomii cantico scriptum est:

*Cum divideret, inquit, Excelsus gentes, quando dispersit filios Adam: statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei, et facta est portio Domini populus ipsius Jacob (Deut. 32. 8. 9).* Numquam enim diceret, quia gens Judæorum facta est portio Domini, nisi omnes gentes extra portionem factæ fuissent. Postquam ergo venit Filius Dei in mundum, quod nulla sæcula nec sperare potuerunt, nec promereri: ne tali misericordia gens aliqua fraudaretur, vocatæ sunt omnes gentes ad fidem, mixti boni et mali: boni, ut salventur: mali, ut inexcusabiles fiant. Quando ergo Ecclesia ex mixtis voluntatibus erat repleta, sicut repleta, quæ dicuntur in Evangelio (*Luc. 5. 6*), repleta de piscibus mixtis: necesse erat, ut purgaretur Ecclesia, ut boni quidem pisces mitterentur in vasis, mali autem projicerentur foras. Ideo concessa est diabolo erroris seminandi licentia, et sic dispersæ sunt per plurimas hæreses, unusquisque secundum propositum suum, remansit autem una fides tantummodo apud Deum. Ideo ergo dicunt evangelistæ, hæreses gentes esse: quoniam sicut tunc, cum omnes homines essent una gens et lingua, divisi sunt per plurimas gentes: ita et modo cum esset totus populus Christianus una Ecclesia, et una fides, divisi sunt per multas hæreses. Et sicut tunc omnes gentes factæ sunt sub principatu principum malignorum, una autem gens sub principatu Michaelis: sic et modo omnes hæreses factæ sunt sub dæmonum principatu, una autem sub principatu Christi remansit, de qua dicit propter Ecclesiam: *Una est columba mea, perfecta mea (Cant. 6. 8)*. 10. *Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.* Etiam ex his verbis ostenditur, quomodo hæc non dicuntur de temporibus apostolorum, quamdiu Jerusalem fuerat capienda: quoniam tunc pauci scandalizabantur, pauci Christiani invicem se tradebant, quia nec odiebant invicem, sed *Erat omnium credentium cor unum, et anima una (Act. 4. 32)*: sed de nostris dicit, in quibus plures scandalizati sunt, et scandalizantur a fide, quam confirmantur in fide. Nunc alterutrum et tradiderunt, et tradunt, quomodo et odium se alterutrum, ita ut nec in duobus sinceram invenias caritatem, non dicam in multis. 11. *Et multi pseudoprophetae exsurgent, et seducent multos.* Prophetæ dicuntur, non solum qui de Christo annuntiaverunt, nec qui omnino futura loquuntur, sed doctores dicuntur prophetæ. Ergo pseudoprophetas, pseudodoctores appellat hæresum diversarum, ut illos quos modo videmus diversis argumentis religionis speciem prætendentes. Alii enim se dicunt neque manducare, neque dormire, neque algere, neque æstare, sed semper pendere in aere. Alii autem vestiti ciliciis, aut circumdati catenis, socia sibi dæmonia commoventes: et quia gratiam Dei non habent, patrocinia dæmonum commendant. Sed et hæc talia rursus sunt, etsi insensatos fallunt, per hæc tamen non seducuntur sapientes. Alii autem sunt, qui vehementer seducunt: quoniam etsi mendaciter, tamen Christum prædicant, fidem annuntiant: quoniam sic Ecclesiam habent, sic ordines clericorum, sic fideles, sic lectiones legunt divinas, eadem dare videntur baptisinata, eadem sacramenta corporis et sanguinis Christi. Similiter apostolos et martyres colunt. Per hæc ergo valde tenebescere faciunt mentes, non solum mediocrium hominum, sed etiam prudentum. Quem ex parte non moveat Antichristus faciens opera Christi, et ante Christianos officia universa explens Christianorum, nisi forte illum qui considerat quod Apostolus ait: *Cum enim ipse satanas transfiguratur se in angelum lucis: quid magnum est si et ministri ejus transfigurentur, sicut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera eorum (2. Cor. 11. 14)*, non secundum schemata Christianitatis eorum? *Multos, inquit, seducent, non omnes: quia non est seducentium virtus, sed negligentia seducentium.* Si autem seducentium esset virtus, omnes seducent: nunc autem ex eo, quod non omnes seducuntur, apparet quia seductorum negligentia est,

non seducentium virtus. Nam sicut veritas allicit fideles ad se, et amicos veritatis: sic et mendacium infideles rapit ad se et amicos mendacii, non veritatis. Et veritas quidem interdum aut infideles trahit ad se, aut inexcusabiles facit eos. Mendacium autem nullo modo potest flectere ad se fideles: quoniam veritas habet in se et rationem manifestam, et firmam virtutem: mendacium autem nec rationem habet manifestam, nec virtutem aliquam. Deinde quia veritas et in sensu fidelium dominatur, mendacium autem in sensu fidelium nihil habet. 13. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Miror quomodo de Deo hæretici hæc intelligant: aut enim legentes hæc, quomodo ausi sunt perscrutationes facere: aut perscrutationes facientes, quomodo hæc legere non erubescunt? Quibus dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem? Numquid persequentibus seductis Christianis? numquid seductoribus prophetis? Non.* Sicut enim non sanis, sed infirmis apponitur medicina, sic et consolatio non periculum facientibus, sed periclitantibus datur. 14. *Et prædicabitur hoc evangelium in universo orbe.* Marcus manifestius addit: *Primum, inquit, prædicabitur evangelium (Marc. 13. 10).* Quando autem illa bella corporalia movebantur contra Jerusalem, adhuc initiabatur Evangelium. Nondum prædicatum erat in toto orbe. Ante hæreses autem consummatum est Evangelium. Nam usque ad tempus Christiani regis, prædicantibus quibusdam, aut de gente in gentem notitia Christi corrente, pervenit ad omnes. Vis scire, quia tunc completa est notitia Christi? Considera quia ex ea hæresum bella cœperunt, ut fieret electio meliorum. Nam quamdiu vocatio est, non potest esse electio: et quamdiu electio est, non potest facilis esse vocatio. Nam sicut impedimentum est vocacioni electio, sic electioni vocatio.

*Homilia xlix. ex capite xxiv.*

15. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele (Cap. 9. v. 27) propheta, stantem in loco sancto; qui legit intelligat, etc.* Quidam dicunt abominationem desolationis esse imaginem Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo. Verius autem quid sit abominatio desolationis Lucas evangelista interpretatur. Nam in quo loco Marcus et presens Matthæus ponunt, *Cum videritis abominationem desolationis (Marc. 13. 14)*: in ipso loco Lucas sic ponit: *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia propinquavit desolatio ejus (Luc. 21. 20)*. Et sic dicit, qui in Judæa sunt: videlicet ut per alteram similitudinem expositionis ejusdem loci ostendat, quid sit abominatio desolationis stans in loco sancto. Fuit enim exercitus alienigenarum et Romani Imperatoris stans circa Jerusalem, quæ usque tunc fuerat sancta. Hoc et Petrus apud Clementem exponit. Denique hanc esse abominationem desolationis et ipse textus ostendit. Quasi enim replicans illa omnia quæ superius dixit, breviter comprehendit, et dicit: *Cum ergo videritis abominationem desolationis stantem.* Hoc est, Cum videritis ea ipsa prælia jam stantia circa Jerusalem, quæ ante audiebatis. Similiter et in fine mundi, et in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando et hæreses, et fames, et pestilentia, et illa omnia ante præcesserint: novissime autem abominatio desolationis stetit in loco sancto, id est, exercitus Antichristi. Exercitus autem Antichristi sunt omnes hæreses, præcipue ista, quæ obtinuit Ecclesie locum, et stetit in loco sancto, ita ut videatur quasi verbum veritatis stetitisse, cum non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas a Deo. Et hoc est forte quod Apostolus dicit: *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat, ostendens se quasi sit Deus (2. Thess. 2. 4)*. Et sic omnia illa mala hæresum diversarum, quæ antea audiebantur tantum, postea steterunt in loco sancto desolantia Ecclesiam Christi. Ex quo data sibi licentia, cœpe-

runt omnes publice habere Ecclesias. Et nos quidem exposuimus hic auditiones praeliorum, et fames, et terræmotus, et pestilentias, auditiones hæresum, et inopias verbi, et concussiones Christianorum, et corruptiones morum, quæ ante præcesserunt a tempore Constantini, usque ad tempus Theodosii. Abominationem autem desolationis diximus esse hanc ipsam hæresim, quæ occupavit sanctæ Ecclesiæ loca, et multos desolavit a fide, et ipsum exercitum Antichristi, et ceteras hæreses, quæ cœperunt publice habere Ecclesias, locum obtinentes Ecclesiæ sanctum. Si quis autem auditiones quidem praeliorum, fames et tumultus, et pestilentias, intelligat esse omnia hæc mala spiritualia, quæ facta sunt tempore Constantini simul et Theodosii usque nunc, abominationem autem desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, et obtinere loca Ecclesiarum sancta sub specie Christi, et multos fidelium desolare: non irrationaliter dicit. Nam sive ista hæresis, quæ jam tenuit, sive populus ille qui postmodum cum ipso Antichristo est futurus: recte exercitus intelligitur esse Antichristi. Et sic prophetæ verba significant magis de consummatione mundi: prophetia tamen, sicut docet Christus, ad utrumque est dicta. Sunt autem verba illa sic: *In dimidio septimi anni auferetur iuge sacrificium, et abominatio desolationis stabit in loco sancto, usque ad consummationem temporis, et consummatio dabitur super solitudinem* (Dan. 9. 27). Illic exercitus Romanus dicitur esse abominatio desolationis, quia ad desolationem redactus fuerat Iudaicum cultum: hic autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Christianorum animas facturus est desolatas a Deo. Nam antequam caperent Romani Jerusalem, in dimidio hebdomadis Christus per suam doctrinam tulit de medio iuge sacrificium Iudeorum. Nam dicitur tribus annis et sex mensibus docuisse, qui numerus facit dimidium septem annorum, ut illud sacrificium, quod iugiter fuerat in usu, tolleretur de medio, et offerretur sacrificium laudis in voce, et sacrificium iustitiæ in operibus, et sacrificium pacis per eucharistiam. Usque ad finem autem sæculi tumultus est, quia Iudaica consuetudo de sacrificiis offerendis nunquam est reparanda. Item in dimidio hebdomadis, hoc est, tribus annis et sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta: non erit qui aut in ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis et sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multæ scripturæ significant, maxime tamen in Revelatione sua Iohannes. Et solitudinem illam consummatio occupavit: *Nam usque in finem tenebit Antichristus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui* (2. Thess. 2. 7. 8). De hoc enim et Apostolus ait, dicens: *Nemo vos conturbet: quia nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat* (Ibid. v. 3. 4); et addit: *Jam enim mysterium iniquitatis operatur* (Ibid. v. 7). Legi quemdam sic exponentem: Quoniam omnia, inquit, quæcumque exposuit supra, signa fuerunt præcedentia diruptionem civitatis illius et templi. Hoc autem quod dicit, *Cum videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto*, et omnia quæ dicuntur deinceps, signa sunt consummationis futuræ, et venturi Filii Dei, qui et in abominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum. Quod autem staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo: Reedificaturus est, inquit, sanctuarium, quod fuit in Ierosolymis quondam, et ibi staturus (Dan. 9. 25): ut videntes Iudæi credant in eum, non solum propter signa ejus, sed etiam propter reparationem templi ipsius, æstimantes prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Jerusalem prophetaverunt: non intelligentes quomodo propheta de reparatione templi spiritualis loquutus est, quam Christus implevit, non de corpo-

rall quam Antichristus est impleturus. Et tunc, inquit, implebitur ibi quod propheta Jeremias in Juda. Quando non crediderunt, inquit, veritati, in tempore illo loquetur populo huic et Jerusalem in spiritu seductionis (Jer. 4. 11. 12). Hic excitabit tribulationem super sanctos, pro eo quod non glorificabunt eum, et multos occidet. Sed hoc de hac interpretatione dubitabile mihi videtur, si locus templi illius, ex quo dirutum est jam a Deo, postmodum sanctus vocatur secundum quod et hic dicit: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*. 16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: 17. et qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: 18. et qui in agro, non revertantur retro tollere tunicam suam. Tunc, quando viderimus abominationem desolationis stantem in loco sancto, quibus mandata fugere? Non solum illis, qui tunc fuerunt ante captivitatem Jerusalem, sed etiam nobis, qui videmus abominationem desolationis jam stantem in loco sancto: id est, populum Antichristi in locis Ecclesiæ. Illi autem visibilem hostem fugerunt pedibus, nos autem invisibilem hostem fugiamus actibus bonis. Quamvis enim diabolus sit spiritus, et homo corpus: tamen, numquam illos diabolus potest comprehendere, qui fugiunt eum per opera bona. Sine causa autem fugit ante eum pedibus, qui sequitur eum peccatis. Sed ut sapienter intelligamus hæc quæ prophetice sunt dicta a Christo, breviter cognoscendum est, qualis est consuetudo prophetarum. Frequenter ex occasione carnali incipiebant, et sic miscbant prophetiam. Ulpula, David cum fugeret a facie Absalon, ex occasione suæ tribulationis incipiens dixit: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me* (Psal. 3. 1)? Et introducens prophetiam dominicæ passionis, addidit ita: *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me* (Ibid. v. 6). Illa ergo quæ dixit, *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me, et cetera*, quæ præcedunt, secundum historiam intelligamus. Hæc autem, quæ dixit, *Ego dormivi et soporatus sum*, si secundum historiam velis intelligere, nullum habent saporem, ut dicamus, David cum pateretur a filio, dormivit et surrexit. Quomodo enim dormivit, ut surgeret? Quid ergo? Necesse habemus relinquere ordinem historiæ, et spiritualiter intelligere de Christo. Tale est quod Petrus dicit in Actibus, interpretans, *Et non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (Act. 2. 27. et Psal. 15. 10): quia non poterat hoc intelligere de David, sed de Christo: quia David vidit corruptionem, Christus autem tertia die resurgens, non vidit corruptionem. Sic intelligenda est et hæc Christi prophetia. Cœpit ex occasione corporalis fuge, et quæ facta est tempore illo in Jerusalem, et prophetia magis de spirituali. Ecce enim hoc quod dicit, *Qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*: corporaliter secundum historiam, et si vis intelligere, possibile est in tempore Romanorum: in tempore autem Antichristi de Judæa ad montes fugere corporaliter, non proderit. Primum, quia nec erit Antichristus tantummodo in terra Judæa, nec Iudæi futuri sunt ante illum, sed ubicumque fuerint Christiani, ab illo aut a ministris ejus persecutionem passuri sunt: nec civitas alia tunc est circumscindenda, sed ubique Christianus populus indagandus. Hoc autem quod dicit, *Qui super tectum est, non descendat tollere aliquid de domo*: sive in tempore Romanorum, sive in tempore Antichristi, non potest habere corporalem intellectum: quia in tempore captivitatis, aut persecutionis, quid prodest homini, si sedeat super tectum, et non descendat deorsum? Sine dubio enim, aut quando non vult deponitur, aut cum ipsa domo succenditur. Quid ergo? Spiritualiter hæc omnia magis sunt intelligenda, hoc modo: *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. Tunc cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*. Id est, Cum videritis hæresim impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis Ecclesiæ, in illo tempore qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: id est, qui



sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Sicut enim verus Judæus est Christianus, dicente Apostolo. *Non qui in manifesto Judæus est, sed qui in occulto (Rom. 2. 28. 29)*: sic vera Judæa Christianitas est, cujus nomen intelligitur confessio. Montes autem sunt Scripturæ apostolorum aut prophetarum, de quibus dictum est: *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis (Psal. 75. 5)*. Et iterum de Ecclesia dicit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis (Psal. 86. 4)*. Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ divinæ. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, et quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Quare? Quia omnia hæc, quæ sunt proprie Christi in veritate, habent et hæreses illæ in schismate: similiter Ecclesias, similiter et ipsas Scripturas divinas, similiter episcopos, cæterosque ordines clericorum, similiter baptismum, aliter eucharistiam, et cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tantâ confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? Item antea et per signa cognoscebantur, qui erant veri Christiani, et qui falsi. Quomodo? Falsi quidem aut non poterant facere, sicut veri Christiani: aut talia non poterant, qualia veri Christiani: sed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, utilitatem autem nullam habentia: sicut frequenter exposuimus. Christiani autem faciebant plena, non solum admirationem facientia, sed etiam omnem utilitatem habentia. Et per hæc cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino levata est: magis autem et apud eos invenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri facta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenum signorum faciendorum est danda potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum, aut omnium, aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat. Nunc autem aut tales aut peiores facti sunt Christiani, quales sunt hæretici aut gentiles. Adhuc autem et major continentia apud illos invenitur, quamvis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in novissimis diebus esse futuram: ideo mandat, ut Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, et peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Et per hoc incidit in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis. *Et qui super tectum est, in tempore illo non descendat tollere aliquid de domo sua*. Domus nostra est corpus nostrum. Superiora ejus sunt cor, aut caput, quæ intelliguntur domus tecta. Inferiora autem sunt ventres, aut cætera occultabilia membra. Tamen ut melius intelligamus quæ sunt tecta domus, historiam de Raab proferamus. Hæc suscepit legatos Jesu Nave, et in superiori parte domus abscondit, ne inveniret rex Jericho (*Josue 2*). Hæc est Ecclesia, quæ aliquando meretrix fuit, quæ legatos Jesu Christi, id est, apostolos et prophetas, hoc est, scripta eorum suscepit, et in superiori parte corporis sui abscondit: id est, in sensu, in memoria, et in corde, ut non inveniat eos rex mundi diabolus, ut confidenter dicere possit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (Psal. 118. 11)*. Quid ergo? Quicumque in tempore illo fuerit super tectum, id est, in rebus spiritualibus vivens, quæ sunt aut in

capite, aut in corde: quæ tecta dicuntur corporis nostri, et fastigia prima: non descendat ad inferiores corporis sui partes, unde aliquid tollat: id est, non descendat ad aliquas res carnales, ut desideret aliquid quod est corporale. Alioqui comprehendet eum abominationem desolationis. Et vide quia quotquot pereunt de Christianis, propter aliquam corporalem causam pereunt constituti deorsum. Alii propter avaritiam, ut ne perdant quod habent, aut inveniant quod non habent: alii pereunt propter gulam, paupertate coacti: alii propter uxores, aut propter maritos: alii propter alias causas carnales: quæ omnia pertinent ad inferiores corporis partes. Sicut enim viventes in carne, relinquere videntur carnem, relinquentes opera carnis, et transimus ad spiritum, facientes opera spiritus, ut recte dicatur de nobis: *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu (Rom. 8. 9)*: sic relinquere videntur inferiora corporis nostri, opera relinquentes carnis, et ascendimus ad cor et caput, viventes secundum illas virtutes, quæ sunt in capite, aut in corde, aut in spiritu: quæ omnia tecta domus nostræ dicuntur. Mandat ergo fidelibus viventibus in sanctitate, ne aliquid concupiscant carnale, quod est descendere, ne forte per occasionem desiderii illius diabolus inveniat locum, et trahat ad abominationem desolationis, et pereant. Item. *Qui est in agro*, id est, aut in Scripturis, aut in Ecclesiis, aut in Christo, *non revertatur retro tollere tunicam suam*, id est, aut conversationem, aut cultum priorem. Utpote, Judæus fuisti, et factus es Christianus: in agro es, ne ad Judaicum revertaris cultum. Gentilis fuisti, et factus es Christianus: ne aliquid quod est gentilitatis resumas, ne per alias occasiones incidas in errores abominationis illius, quam hæreses illæ, si vis Judaismum, habent in se: si vis gentilitatem, invenies apud eos. Propterea facile cadunt in illas, qui non fuerint cauti secundum mandata Domini hæc præmonentis. *19. Væ autem prægnantibus et nutriendibus in illis diebus*. Quia aut ventris, aut gremii pondere prægravati, non possunt expediti esse ad fugam. Si enim dimiserint infantes suos, viventium viscerum suorum patient separationem: si autem bajulaverint, suscipient vitæ periculum. Puto hoc melius intelligi posse spiritualiter ad tempus Antichristi, quæ sunt spirituales prægnantes, et nutriendes Ecclesiæ Christi in singulis quibusque gentibus constitutæ. Ecclesiæ, quando prædicant verbum veritatis, credentes in fide concipiunt, et habent eos in gremio suo, quasi in utero, donec formentur catechizati per singula membra pietatis et fidei. Cum autem formati fuerint sic, pariant eos in baptismo: postquam autem pepererint, necesse eos habent lactare doctrinis assiduis. Sed primum videamus, quomodo Deo formantur in utero Ecclesiæ hominem conceptum in fide. Utpote, legis justitia est, abstinere a malis operibus tantum, non etiam facere bona opera: Christi autem justitia non est, abstinere a malis operibus tantum, sed etiam facere bona opera. Item legis justitia prima, et salutaris, decem habet mandata, quasi decem menses. Primum, cognoscere unum Deum; secundum, abstinere ab idolis; tertium, non perjurare; quartum, colere sabbatum spirituale; quintum, honorare patrem et matrem; sextum, non occidere; septimum, non adulterari; octavum, non furtum facere; nonum, non falsum testimonium dicere; decimum, nullam rem proximi concupiscere (*Exod. 20*): videlicet secundum mysterium nominis Jesu Christi, quod est in litera lota: id est, perfectionis indicio. Omnis ergo Ecclesia, quæ concipit hominem in utero suo per verbum in fide, prius debet eum formare omnibus his mandatis, quasi mensibus decem, ut discat prius abstinere ab omnibus malis, et sic eum maturum in baptismo parere Deo. Alioquin antequam discat ab his omnibus abstinere, si baptizaverit eum, non parit, sed immaturum projicit: sicut mulier, nisi completis novem mensibus et decimum tangens peperit, abortum facit. Propter quod nec est homo ille vitalis. Sicut et

<sup>1</sup> Apud Commelin. legitur, *quoniam*.



modo pene omnes non parit Ecclesia secundum ea quæ diximus, sed abortos facit. Propter quod nec baptizantur in veritate a Spiritu sancto. Differt enim Deus dare eis baptismum Spiritus sancti, donec dignos se præbuerint illo tali baptisate. Sed et fornicatum in decem illis supradictis mandatis, et abstinentem a vitiis baptizans, bene parit: tamen adhuc parvulus est ille qui baptizatus natus est Ecclesie filius, et tenere adhuc duorum Testamentorum quasi duarum mamillarum modica iustitia est nutriendus, quasi tenero lacte secundum angustias faucium fidei suæ, quam ipse cepit carnis natura, quam etiam gentes volentes laudabiliter vivere servant. Cum autem sic enutritur, paulatim incipit posse suscipere fortiora et spiritualia Christi mandata, quasi nutritorios et vivos panes: id est: *In lege scriptum est, Non occides: ego autem dico, Nec irascaris. In lege scriptum est, Non adulteraberis; ego autem dico, Nec usque ad oculum concupiscas. In lege scriptum est, Non perjurarbis: ego autem dico, Non jures omnino. In lege scriptum est, Oculum pro oculo: ego autem dico, Non resistere malo omnino. In lege scriptum est: Amabis amicum, et odies inimicum: ego autem dico, Diligite inimicos vestros (Matth. 5. 21. sqq.).* Item, *Beati pauperes, beati mansueti, beati qui lugent, beati qui esuriant et sitiunt iustitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (Matth. 5. 3. sqq. Luc. 6).* Nam adolescenti cuidam interroganti, *Quid faciam, ut vivam (Matth. 19. 16. sqq.)?* sic primum ei secundum legem mandavit, *Non occides, non adulterabis, etc.* Cum autem ille dixisset, *Hæc omnia servavi a juventute mea, secundum ætatem carnalem quam nos uterum dicimus: sic ei supermandatur: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni, sequere me.* Qui ergo talis est, neque mori potest quasi abortivus, nec seduci quasi insipiens, nec vinci quasi infirmus, nec perire quasi parvulus: sed est vir perfectus, et adversus omnia invincibilis filius Dei. Qui autem parvuli sunt, scandalizabiles sunt. De quibus dicit Dominus in Evangelio: *Amen dico vobis, quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis credentibus in me, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur in collo ejus et denegatur in profundum maris (Marc. 9. 41).* Et si parvuli in Ecclesia scandalizabiles sunt, quanto magis abortivi non sunt vitales? Si ergo hæc ita se habent, quare non dixit, *Væ* iis qui in utero habentur, et *væ* iis qui nutriuntur adhuc: sed, *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus?* Quia quando hujusmodi abortivi abstracti ab utero Ecclesie, aut parvuli tales, nesciunt quid patiuntur: quando enim non sentiunt, sic pereunt. Adhuc autem ut de proprietate loquar parvulorum, gaudent seducti, ad interitum ducuntur, et ridet illecti. Ideo dicit, *Væ prægnantibus Ecclesie et nutrientibus*, quando ipsæ de perditione illorum talium lamentabuntur et plangent. Ecce quantos videmus de Ecclesia hujusmodi abortivos, et parvulos ductos ad prævaricationis interitum! Numquid aliquis eorum lacrymavit? numquid aliquis tristatus est? Sed adhuc ead diverso abierunt gaudentes. Sed Ecclesie dolorem perditionis eorum ipsæ lamentantur et plangent. Ideo dicit, *Væ Ecclesie prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.* Et si quidem negligentia Ecclesiarum aut innaturati fuerint nati, aut parvuli, non habentes qui aut informaret eos, aut postmodum consummaret in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: dupliciter *Væ Ecclesie prægnantibus et nutrientibus in illis diebus:* quia et in hoc sæculo dolorem patientur perditionis eorum, et in die iudicii damnabuntur propter negligentiam et eruditionem eorum. Si autem Ecclesie quidem competenter circa eos diligentiam impenderunt, illi autem nec audierunt, nec ante baptismum informati acquivenerunt, elongantes se a conventu et ab omni auditu Scripturarum, et ab omni verbo doctrinæ alloquentium sacerdotum, neque post baptismum proficere voluerunt: Ecclesie quidem *væ*, quia sive hoc, sive illo modo patientur dolorem per-

ditionis eorum: illis autem multipliciter *væ*, quia omnis causa perditionis eorum ab illis solis requiretur in die iudicii. Quoniam corporis quidem profectus non est in potestate hominis, sed Dei: animæ autem profectus voluntarius est. Videamus ergo, ne nos imperfectos inveniat aut nunc hæreticorum dominatio, aut tunc ipsius Antichristi. Quoniam sicut opera bona in die tentationis præstant spei virtutem: sic opera mala desperationis operantur infirmitatem. 20. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.* Et carnaliter et spiritualiter legitur. Fugientibus enim et in via manere necesse est, et in silvis latere, et per deserta vagari. Fuga autem vestem portare non sinit, domum intrare non permittit, ignem accendere non concedit. In hieme autem quid faciat fugiens? Necesse est ergo, aut fugiens frigore pereat, aut manens gladio moriatur. Similiter in sabbato non licebat amplius ambulare, nisi certum spatium viæ. Unde dictum est in Actibus apostolorum, *Sabbati habens ius (Act. 1. 12).* Quid ergo faciet fugiens Judæus in sabbato? Necesse est ut aut legem prætereat fugiens, aut mortem suscipiat manens. Spiritualiter autem de Christianis talem habent interpretationem. Hiemem dicunt frigus infidelitatis spirituale. Qui enim non habet in corde suo ignem, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram (Luc. 12. 49).* id est, verbum divinum, de quo calefiat in fide: ille semper in hieme est, etsi fuerit in media ætate: quia dubitationum incursum, quasi quasdam tempestates de fide Christi patitur anima ejus, et alget. Aut in hieme est, qui in persecutione est, et tempestatem patitur impiorum. Et ideo frigida sit fides omnium, et ad plenum gelat, nisi iterum calefecerit eos Spiritus sanctus. Item est corporale sabbatum secundum literas legis, quod Judæi intelligebant, et conservabant, dum a corporali opere abstinere, non a corporalibus malis. Et est spirituale, secundum quod gratia Christi manifestavit: quod intelligunt Christiani et observant, abstinentes se non ab opere corporali, sed a corporalibus malis. Qui ergo vacat ab opere malo, faciens opera bona, laudabiliter sabbatizat, et sancte secundum spiritum, et Dei consilium: qui autem recedit ab opere bono, faciens opera mala, culpabitur, et impiè sabbatizat. De hoc itaque non bono sabbato loquitur Dominus in hoc loco admonens, ut ne dies ille inveniat eos in peccatis. Ideo ergo dicit, *Ne fuga vestra hieme vel sabbato fiat*, quia quicumque in hieme infidelitatis inventus fuerit, aut in deliciis hujus mundi sabbatizans, et otians ab opere bono, necesse est ut tribulationum tempore superatus, pereat credendo Antichristo, quoniam, sicut diximus, opera bona in persecutionibus ad fidem spei præstant virtutem. Quoniam autem de deliciis et peccatis loquitur locus iste, manifestius adaperit evangelista Lucas. Cum enim locum istum exponeret, ita subjunxit: *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate (Luc. 21. 34).* Ex duabus ergo parabolis superioribus prior quidem docet ut festinemus perfecti esse in fide Christi: quod possumus adimplere, si Scripturis et doctrinæ sacerdotum assidui fuerimus: quoniam qui in fide Christi et operibus bonis sunt imperfecti, ipsi sunt qui adhuc in utero habentur, aut adhuc parvuli sunt, qui facile periclitantur in tempore persecutionis, et pereunt, quia dubii sunt de fide Christi; sequens autem docet, ut ne vacui inveniamur ab operibus bonis, et ab exercitatione virtutum: quia qui sic inventi fuerint, ipsi sunt parvuli, qui in die persecutionis cito periclitantur a fide Christi: quia non habent opera bona confortantia eos in spe, nec exercitationem virtutum in sufficientia adversorum. Similiter et ex duabus parabolis sequentibus, prior quidem admonet, ne imperfecti inveniamur in fide: ipsi sunt quidem, qui dubitationis hiemem patiuntur; sequens autem, ut ne sine bonis operibus inveniamur in tempore illo, sabbatizantes ab opere bono. 21. *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio sæculi usque modo.* Quoniam dixit, *Væ prægnantibus et nutrientibus:* et, *Videte ne fuga vestra*

*hieme aut sabbato fiat* : nunc exponit quare, id est, quia *Erit tribulatio magna*. Usque ad Christum enim Judæi etsi peccatores fuerunt, tamen filii erant, non hostes : et ideo omnis ira quæ veniebat super eos, castigatio erat de misericordia veniens, non condemnatio de ira descendens ; crucifixus autem Domino desierunt esse filii, et sunt facti hostes. Propterea jam non castigatio venit corrigens, sed condemnatio eradicans. Capta est enim Jerusalem ab Assiriis, et iterum reparata est. Destructa est ab Antiocho, et iterum reedificata est. Invasa est tertio a Pompeio, et iterum reparata est. Sicut enim homo, priusquam dies mortis ejus adveniat, languere quidem potest, mori autem non potest : sic et Judæa ante Christum vexata est quidem, perditam autem non est. Postquam vero horridum patricidium commiserunt, crucifigentes filii patrem, mortem inferentes, a quo acceperunt vitam : et quod majus est, occidentes servi Dominum, homines Deum, tali eos plaga percussit, ut nunquam sanctur. Sicut illi tale facinus commiserunt, quale nunquam commissum est, nec est committendum : sic et super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, nec veniet. Ille aptius est de consummatione mundi suscipere, cujus figura fuit tribulatio illa. Tunc vere talis erit tribulatio, qualis nunquam fuit. Tunc dicent homines, Aperiatur terra, et glutiat nos. Usque tunc enim omnis ira quæ sit a Deo, ideo sit, ut fideles quidem tentet, infideles autem emendet : cum autem Antichristus venerit, talis veniet ira, ut et infideles omnino pereant, et fideles plenius coroneantur. Cum enim multi Christianorum, credentes Antichristo, signum nominis ejus in manu dextera, et in fronte susceperint : tunc exibunt angeli cum igneis curribus volantes per aera : et invisibili manu signabunt omnes fideles, in quibus tamen inventum non fuerit signum Antichristi. Ex illo jam plagæ, quæ venturæ sunt super terram, in quibus et finiendus est mundus, jam non tangunt fideles, qui signati sunt, sed illos percutient, super quos Antichristi inventum fuerit signum. Erit enim tribulatio magna, qualis nunquam fuit. Nonne major fuit tribulatio in diluvio, quando ab omni creatura nihil remansit, nisi solus Noe cum familia sua ( *Gen. 7* ) ? Ille autem etsi multi occiderunt, tamen multi evadent. Sed in hoc pejor erit tribulatio ista, quia illic corporalis fuit perditio, hic autem spiritualis. Quis autem illic tormentis astricuit, quia coluit Deum ? Sed e contrario puniti sunt, quia noluerunt colere Deum. Hic autem tormentis afflicti sunt, qui non transeunt ad diabolum, relinquentes Deum. Nonne major fuit tribulatio in Sodonis, ubi nullus evasit ab igne, nisi solus Lot ( *Gen. 19* ) ? Sed illic fuit adversus peccatores justa Dei vindicta, hic autem erit adversus sanctos crudelis diaboli violentia. Quanto ergo pretiosior anima, quam corpus : tanto miserabilior perditio animarum, quam corporum. Illic perditis iniquis, evaserunt justi : hic autem punitis aut fugatis justis, iniqui gaudebunt. Sed et si qui prudentes sunt, cum considerant non corporalem hujus mundi statum, qui adhuc quodammodo stare videtur, quamvis et ipse sit minoratus, sed spirituale totius Christianitatis statum subversum : intelligunt quia nunquam talis fuit tribulatio spiritualis, qualis facta est nunc ex tempore hæresum corruptumque universa. Perierunt, sicut diximus, omnes in diluvio, sed corporaliter perierunt. Perierunt omnes spiritualiter ante Christum, præter Judæos, sed ignorantia perierunt : nunc autem in scientia perierunt, et pereunt. Multum enim interest inter illos, qui in ignorantia sunt, et in ignorantia perierunt : et inter istos, qui in veritate quidem nati sunt, propter aliquid autem mundiale scientes ad mendacia transierunt, et perierunt in eis, et pereunt. Illi enim forsitan aliquo modo habebunt remissionem ; isti autem nullam remissionem habebunt, neque in hoc sæculo, neque in futuro : quoniam ipsi sunt qui blasphemaverunt, et blasphemant in Spiritum sanctum. Illi enim

judicandi sunt, quia veritatem non quesierunt ; isti autem condemnandi, quia spreverunt. Levior enim culpa est veritatem non apprehendere, quam contemnere apprehensam. 22. *Et nisi Deus breviasset dies illos, non fieret salva omnis caro*. Abbreviabuntur dies, ut atrocitas tribulationum breviate compendio temperetur. Breviatos autem dies intelligimus, non mensura, sed numero. Sicut enim longitudinem dierum, quam dicit propheta, *Domum tuam decet sanctitas in longitudinem dierum* ( *Psal. 92. 5* ), non per longos dies intelligimus, sed multos : sic et breviate dies non breves dies sunt intelligendi, sed pauci. *Omnis caro*. Frequenter enim Scripturæ pro hominibus animas ponunt : sicut ibi, *Septuaginta animæ intraverunt in Egyptum* ( *Deut. 10. 22* ). Frequenter pro hominibus dicitur caro, sicut ibi, *Orationem meam exaudi, ad te omnis caro venit* ( *Psal. 64. 2* ). Quando ergo et animas appellat, spirituales et perfectos homines vult ostendere : ubicumque autem carnem, carnales homines et infirmos. Ergo dicendo, *Non fieret salva omnis caro*, vult nobis ostendere, quia non solum spirituales homines et perfecti, sed etiam mediocres homines et infirmi de illo persecutionis periculo sunt liberandi, non virtute fidei, aut merito operum suorum, sed velociter subveniente Christi adventu. Non enim propter peccatores dimittit diutius, ut etiam electi periclitentur, sed propter electos festinaturus est, ut neque mediocres deficient : quia promptior est Deus ad liberandos bonos, quam ad perdendos malos. Nam et aurifex, si invenerit aurum sordibus mixtum, non propter sordes etiam aurum contemnit, sed propter modicum aurum contentus est etiam sordes accipere. Sed et semper dies mali sanctorum abbreviantur. De iniquis scriptum est : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* ( *Psal. 54. 24* ). De justis autem : *Non dabit in æternum fluctuationem justo* ( *Ibid. v. 23* ). Accipe autem mihi ad documentum ipsa tempora anni. Ab æquinoctio vernali duodecimi mensis incipiunt paulatim tepescere aeres per singulos dies, usque ad mensem tertium, et dies fieri noctibus longiores ; item ab æquinoctio autumnali mensis septimi incipiunt paulatim iterum frigescere aeres per singulos dies, et noctes fieri longiores diebus usque ad mensem nonum, quando celebratur Christi natalis : et sic inveniuntur novem quidem mensibus aeres quidem temperati, et dies prolixiores, tribus autem mensibus aeres glaciales, et dies breves. Vides quomodo Deus misericorditer dispensavit, ut dies quidem mali inveniantur et pauci, boni autem plures et longi. Si ergo statum mundi hujus, qui ad usum omnium hominum communis habetur, sic Deus misericorditer dispensavit : quanto magis statum vitæ eorum cum majori dispensat misericordia, ut et voluntas eorum in malis tentata clarescat, et virtus voluntatis eorum velociter Deo subveniente non patiatu deflectionem ? Secundum quod et Apostolus dicit : *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis evadere* ( *1. Cor. 10. 13* ). 23. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*. Qua ratione supra quidem, priusquam de abominatione desolationis exponeret, sic dicit : *Videte ne quis vos seducat : multi enim venient in nomine meo dicentes, quia Ego sum Christus* ( *Matth. 24. 4. 5* ) ; hic autem, postquam de abominatione desolationis statum in loco sancto loquutus est, ita dicit : *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*. Si memor es quia abominationem desolationis interpretati sumus statum in loco sancto hanc impiam hæresim occupaturam loca Christianorum, intelligis quoniam eleganter est dictum. Per hanc enim significabat quomodo et priusquam hæresis ista abominationis loca sancta obtineret, et priusquam diversarum hæresum constituerentur Ecclesiæ, seductio quorundam erat futura : sicut et factum est. Et postquam obtinisset,

et hæresum diversarum Ecclesiæ constitutæ fuissent, eo amplius seductio quorundam erat futura : sicut et fit. Nam prius nudi dogmatum sermones faciebant errorem, nunc autem multarum hæresum ipsæ Ecclesiæ constitutæ. Ideo tunc uniuscujusque dogmatis nudum verbum dicebant : Ego sum verbum veritatis, Ego sum Christus. Nunc autem singulatum professores hæresum diversarum dicunt, *Ecce hic est Christus*, id est, Ecclesia, et *illic*, id est, Ecclesia : quia jam non audiendo dogmatum verba, sed videndo eorum Ecclesiæ, Christiani scandalizantur infirmi. Adhuc autem de Antichristo ostendit per hæc verba, quia in illo tempore sancti in multis tribulationibus constituti, fortiter desiderabant Christi adventum, jam non sustinente carnis natura. Aliquotiens diximus, quod diabolus non ingerat genus tentationis in hominem, sed desiderium uniuscujusque considerat, et secundum quod viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi. Unde et Christum cum esurientem sensisset, tentavit in fame. Et Adam et Evam cum vidisset divinitatis amorem habentes, divinitatis promissione seduxit. Et Judam cum invenisset avarum, pecuniæ cupiditate ad proditorem Salvatoris attraxit. Sampsonem cum invenisset amatorem feminarum, per mulierem præcipitavit (*Judic. 16*). Sic ergo et tunc diabolus videns sanctos in angustiis constitutos, et fortiter desiderantes Christi adventum, primum quidem propter intolerabiles persecutiones, deinde propter repositionem temporis illius de adventu Christi, quæ facta fuerat in Scripturis, ideo sub nomine Christi et prophetarum tentabat seducere sanctos. Et quos diversis cruciatibus non potuit superare, victus in sua credulitate, armabat se fraude, dicens per suos ministros : *Ecce hic est Christus, ecce illic*. Nam quando aliqua rerum perturbatio fit, tunc abundant mendacia. Unusquisque enim dum aut timet adversi, aut desiderat prospera, ipse sibi novas generat famas. Et ita diabolus suspensas animas hominum inventa occasione deludit, hoc nuntians in auribus hominum, hoc ostentans ante oculos eorum, quod unumquemque aut timere aut desiderare cognoverit. Sicut enim ægrotus in doloribus positus, omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium, facile credit, non judicans personas medicantium, neque discutiens artificia eorum : ipsa enim doloris anxietas omnia omnibus credere cogit : sic et tunc sancti in necessitate persecutionum positi, et quasi ægroti, desiderantes refrigerium Christi, omnibus referentibus aliquid de Christo, facile credent. Ipsa enim pressuræ necessitas credere cogit. **24.** *Exsurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna* : non inutilia, neque vana, quæ ministri diaboli facere solent : sed magna, id est, utilia et plena, quæ sancti facere solebant. Nam in tempore quidem apostolorum et postmodum, ministri quidem Christi utilia et plena signa faciebant ex parte dextra : qualia sunt, cæcos illuminare, et alia hujusmodi facere : ministri autem diaboli inutilia faciebant, et vana ex parte sinistra, quæ admirationem quidem videntibus excitarent, ad utilitatem autem nullius proficerent. Et erat inter ministros Christi et ministros diaboli ex hoc judicare, qui inutilia, et qui utilia facerent signa. In fine autem temporis concedenda est potestas diabolo, sicut in historia Clementis Petrus exponit, ut faciat signa utilia, et ex ea parte qua prius facere consueverant sancti, ut jam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia utilia faciunt signa, sed quia omnino non hæc faciunt signa. Qua autem ratione hoc ordinavit Deus, attende : quia non semper tempus vocationis est, sicut ait Sapientia : *Tempus congregandi lapides, tempus dispergendi* (*Eccle. 3. 5*). Tempus ergo fuit congregandorum lapidum, quando lapides vivi, id est, fideles, ab infidelitate vocabantur ad fidem. Tempus autem erit dispergendi lapides, quando Ecclesia tradetur ad tentationem, ut lapides, id est, Christiani, qui non proficiunt in edificationem corporis Christi, foras projiciantur.

Donec ergo fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa et servi Christi : quia signa divinae vocationis testimonia sunt, ut prædicationis veritas miraculis commendetur ; cessante autem vocatione, incipit seductio revocans homines a fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione, tradenda sunt seductionis adjutoria diabolo, id est, potestas faciendorum signorum, ut signis et prodigiis mendacia sua pro veritate commendat. Sed forte dicis : Si Deus concessit diabolo virtutem faciendorum signorum, quomodo ipse mandat, ne seducantur sancti ? si ergo non vult ut seducantur, ut quid diabolo dat seducendi virtutem ? si autem vult ut seducantur aliqui, quare omnibus mandat ne seducantur ? Audi. Concedit diabolo seducendi virtutem, ut ne mali inter bonos remaneant apud Christum : mandat autem, ut ne boni inter malos transeant ad diabolum. Nam sicut crudele est fideles cum infidelibus perire, sic indignum est fideles cum infidelibus glorificari. *Ita ut in errore militant, si fieri potest, etiam electos*. Non dixit, *Ut seducant, si fieri potest, etiam electos, sed, In errore militant*. Frequenter enim sancti videntes aliquas operationes diaboli absconditas sub specie pietatis, dum non possunt intelligere profundas insidias inimici, conturbantur in corde suo, ac scandalizantur, et dicunt : *Quid sit hoc quod ita fit ? Non tamen cito flectuntur, ut credant : et si sensu vincuntur quasi homines, fide autem stant quasi invicti*. Magnitudinem autem signorum ostendere volens, ideo dicit, *Ut, si fieri potest : quoniam quantum ad magnitudinem signorum illorum potest fieri ut seducantur etiam electi : sed ideo non seducantur, quia perire non possunt, quos Deus præordinavit ad vitam*. Dum ergo signorum magnitudinem prædicit, in conservandis fidelibus, Dei potentia demonstratur. Et de tempore hæresum nihilominus conveniunt intelligi hæc. Falsi enim Christiani sunt falsæ veritates hæresum : falsi autem prophetae, prædicatores veritatum falsarum. Dant autem signa, eadem facientes in simulatione, quæ faciunt fideles in veritate. Nam et castitati student, et jejunia celebrant, et eleemosynas faciunt, et omnem ecclesiasticum canonem suppleunt. Aut non tibi videntur magna esse signa seductionis, cum videas diabolum facientem opera Dei ? **25.** *Ecce prædixi vobis*. Contestationis verba sunt hæc, ut ne aliquis dicat, *Vidi eum talia facientem signa, qualia ipse Christus fecit, et ideo credidi, existimans illum esse Christum*. Propterea dicit, *Ecce prædixi vobis* : ut excusationem ignorantia tollat ab hominibus, et præcedens contestatio justam faciat poenam sequentem. Misericordia enim est, mandatis prævenire periculum. Non enim vult quempiam perire, qui omnibus monstrat perditionis adventum. **26.** *Si autem dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire : ecce in domibus, nolite credere*. Hoc nunc tertium de cavendis seductionibus dat mandatum. Primum est, *Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus*. Secundum, *Tunc dicent vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*. Tertium, præsens, dicens : *Si dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire : ecce in domibus, nolite credere : Ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Math. 18. 16*), ut trina denuntiatio inexcusabilem faciat negligentem. Primum ergo mandatum dedit de seductionibus futuris, priusquam abominatio desolationis constitueretur in loco, et priusquam hæresum adifficerentur Ecclesiæ. Secundum autem de seductionibus post futuris, sicut jam diximus supra. Tertium vero manifestissime de tempore furentis Antichristi, dicens : *Si quis vobis dixerit, Ecce in solitudine est, nolite exire*. Seducere enim vos volunt. Sed dicat aliquis, *Quid enim ? si fideles tunc non exierint in desertum, aut non intraverint in domos : numquid per hoc ipsum poterunt declinare periculum, maxime cum tunc Antichristus universa ubique continet, et intus et foras, et in civitate et in deserto ? Sed vide quoniam hæc dicens ostendit, quia tunc fideles latentes erunt in*

locis quibusdam secretioribus, Deo eos abscondente potius quam loco, sicut scriptum est: *Abscondes in abscondito vultus tui a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum* (Psal. 30. 21). Præmonet ergo eos, ne forte tunc audito Christi adventu, per homines seductores procedant ad palam, et aut in deserto comprehendantur egressi, aut in domibus concludantur ingressi. Quid enim faciat in solitudine Christi adventus? numquid magis amat solitudines locorum, quam congregationes hominum? aut numquid homines timet, ut in solitudine lateat? Si enim quando passurus advenit, non timuit reges aut iudices, sed inter impios populos prædicavit pietatis sermonem: quomodo tunc timebit, cum venerit iudicare peccatores? *Si quis vobis dixerit, Ecce in domibus, nolite credere.* Injuriam enim facitis Divinitati, si in domibus illam queritis, quæ implet cælum et terram: aut si latere putatis qui venit superbis resistere, et humiles exaltare. In primo enim adventu ideo celatus venit corpore, ut probaret fideles: in secundo autem adventu venit manifestus in gloria, ut remuneret fidem eorum. Ideo tunc necessarium erat ut quereretur: nunc autem non est querendus ut credatur, sed querit ipse a quibus creditus est. Spiritualiter autem de novissimis temporibus hæc ita sunt exponenda. Sunt hæreses, quæ mendacia sua quodammodo Scripturarum colorant auctoritatibus: quædam autem, quæ omnino ita contra Scripturas habentur, ne colorare valeant mendacia sua de Scripturis divinis. Solitudines ergo appellat hæreses illas, quarum dogmata omnino deserta sunt a Scripturis. Domus autem, hæreses quæ Scripturarum colorantur exemplis, quamvis non sint domus veræ, tamen vel videntur. Aut ita: Domus dicit hæreses, solitudinem autem Judæam, secundum quod scriptum est de illa: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (Matth. 23. 38). Aut ita: Solitudines dicit omnes hæreses desolatas a veritate, domus autem Ecclesias Christi: ac si dicat: Non dico, si dixerint vobis. Ecce in hæreticis Ecclesiis illis, vel in illis apparuit Christus, sed etiamsi in ipsis veris Ecclesiis, quæ et Dei sunt, id est, domus vestræ, dixerint vobis Christum apparuisse, nolite eis credere dicentibus ista de me, quia non est digna divinitatis meæ notitia hæc: ostendens per hæc, quomodo ex ipsis Ecclesiis veris frequenter exeunt seductores, propterea nec ipsis omnino credendum est, nisi ea dicant vel faciant, quæ convenientia sunt Scripturis. Vos ergo nolite exire, nolite credere. Non mandat illis, ut ne exeant de domibus, vel civitatibus. Nec in dono enim, aut in civitate sedentibus sanctis, ista dicenda sunt: sed, Nolite exire de regula veritatis, quam tradidit vobis: nolite credere: quia sicut fumus ante ignem præcedit, ante victoriam pugna: sic et ante gloriam Christi, tentatio Antichristi. 27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et parit usque ad Occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* Manifestum et velocem adventum Christi ostendere volens, fulguris similitudinem introduxit. Sicut enim cum exierit fulgur, non solum videtur ab hominibus, sed adhuc secundum qualitatem fulgoris sui non digne aspicitur: sic et cum venerit Christus, non solum eum omnes aspicient, sed secundum mensuram gloriæ ejus neque poterunt eum sufficienter aspicere. Et non solum magnitudo ejus omnem locum implebit, sed adhuc magnitudine ejus deficiet omnis locus, sicut scriptum est: *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ; vidit, et commota est terra* (Psal. 96. 3. 4). Quem ergo peccatores videbunt, etiam nolentes: quomodo non videbunt eum sancti desiderantes? Et sicut in ictu oculi fulgur universa pertransit, sic et Filius Dei, non veniens adhuc, sed etiam venisse videbitur. Si enim sol, qui ad ministerium nostrum creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut in quacumque parte cæli fuerit, ubique appareat quasi præsens: quanto magis Sol spiritualis Christus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur? Apo-

stolus autem ait: *Quem suis temporibus ostendet beatus, et solus, et potens* (1. Tim. 6. 15): non dixit, Quem mittet. Christus enim, cum sit ubique, non venit ab loco ad locum, sed ubique ostenditur, qui erat celatus ubique. 28. *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ.* De vulturibus enim dicit Scriptura in Job, quoniam ubicumque fuerit corpus, illic invenientur vulturum pulli (Job 39. 30). Hoc enim naturale est vulturum, sicut dicunt quidam, ut etiam naturalia cadavera sentiant. Quoniam ergo turpes aves sunt vultures, ideo vulturinis quidem moribus aptavit nomina aquilarum, ut in moribus quidem vulturum, sanctorum congregatio ostendatur ad Christi adventum, in aquilis autem regalius, regalis sanctorum dignitas ostendatur. Ideo enim sancti aquilis assimilantur, quia sicut filii aquilarum ad solem probantur, ut siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios solis, intelligantur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscantur adulterini: sic et filii Dei ad Christi justitiam comprobantur: si enim potuerint pleno corde justitiæ verba suscipere, intelliguntur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscuntur de diabolo esse nati. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stelle cadent de cælo.* Patrefamilias moriente, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et conscissis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis: sic et humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cæli ministeria lugent, et candore deposito, pro vestibus luctuosis tenebris vestiuntur. Nam *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum*: aut propter indignam persecutionem sanctorum dolentes, aut super impiorum pessima opera indignantes, aut novissimam in eis Dei iracundiam demonstrantes, ut adhuc viventibus impiis super terram, jam gustus detur infernalium tenebrarum. Sive hoc, sive illo modo, merito nox interveniens inter diem et diem, prædicet, quia post modicum nova dies resurrectionis est nascitura. Dividetur enim, ne istius sæculi et illius una videatur esse natura. Sicut enim omnes carnales morimur, ut spirituales surgamus: sic et illa dies tenebris interceditur quasi quadam morte, ut nova iterum renascatur. Aut certe quia spiritualiter iniquitas nox intelligitur, justitia autem dies. Ex nativitate autem Christi lux orta est, dicente propheta: *Ad vespere demorabitur fetus, et ad matutinum lætitia* (Psal. 29. 6). Mane Christi tempus vocatur. Hæc dies justitiæ in exitu mundi finitur, iniquitatum et errorum tenebris obscurata. De qua et Dominus ad apostolos dicit: *Ambulate dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendunt* (Joan. 12. 35). *Sol obscurabitur, id est, notitia Christi silebit. Luna non dabit lumen suum, id est, Ecclesia sanctitatis suæ claritatem non demonstrabit. Stelle cadent de cælo, id est, qui videntur sancti transgredientur, et cadent de dignitate cælesti.* Nam quod de diabolo dictum est, *Quomodo cecidit Lucifer de cælo, qui mane oribat* (Isai. 14. 12)? sic interpretantur apostoli, vel sancti, non de altitudine cæli ad terram, sed de angelica dignitate ad ignominiam tenebrarum. Quomodo autem multi transgredientur Christianorum, significat Daniel: *Et de eruditiss, inquit, cadent multi* (Dan. 11. 35). Sicut ergo tempestas suscitavit nubila, nubila autem cooperiunt solem: sic impiorum persecutio suscitabit transgressionem, transgressio autem Christianitatis obscurabit candorem. Unde propheta dicit in alio loco: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem* (Joel 2. 31): id est, Ecclesia, aut propter assiduam occisionem sanctorum, aut quia ipsi Christiani contra justitiam Christianitatis inter seipos furentes bellabunt. Hoc et si de tempore hæresis hujus scriptum intelligatur, expositionem habet convenientem. Quomodo? Ex quo obtinuit hæresis ista sanctum Ecclesie locum, quasi abominatio desolationis, et Antichristi exercitus constitutus, Christi solis veritas est.

obscurata: Ecclesia fidei suæ splendorem non potuit dare clarum, et Christiani multi, qui erant stellæ rationabiles, ceciderunt a firmamento Scripturarum sanctorum. 30. *Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo.* Quidam putant crucem Christi ostendendam esse in caelo: verius autem est, ipsum Christum in corpore suo habentem testimonia passionis: id est, vulnera lanceæ et clavorum; ut impleatur illud quod dictum est, *Et videbunt in quem pupugerunt* (Apocal. 1. 7). Denique in quo loco præsens evangelista ponit, dicens: *Apparebit signum Filii hominis*: alii evangelistæ hoc solum dixerunt: *Et videbunt Filium hominis venientem* (Marc. 13. 26. et Luc. 21. 27): videlicet ostendentes signum Christi esse ipsum corpus Christi, qui in signo corporis sui cognoscendus est, a quibus crucifixus est. Unde in Actibus ad apostolos angelus sic dicit: *Hic Jesus, qui receptus est a vobis, sic veniet iterum, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum* (Act. 1. 11). Non sic portatus in tali nube: nec enim cum tali gloria ascendit, cum quali venturus est judicare: sed, *Sic veniet*, hoc est, similiter cum hoc corpore, cum quo ascendit. Vides ergo, quia quasi signum datur apostolis corpus ejus, dicens: *Sic veniet.*

*Vulnera Christus quare servavit.* — Vis autem scire quia ad signum passionis suæ vulnera corporis sui servavit? Audi post resurrectionem dicentem ad Thomam: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas: et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (Joan. 20. 27). Qui mortuum corpus suum suscitavit, qui tulit costam de latere Adæ, et supplevit carnem: numquid etiam non potuit corpus suum sanare, et integrum suscitare? Sed corpus quidem suscitavit, vulnera autem ejus servavit, ut in die judicii proficerent ad testimonium passionis contra Judæos, et omnes, qui denegantes Filium Dei crucifixum in corpore, judaizant. Propterea quasi manifesto signo convenienter subiungit, dicens: *Tunc plangent se omnes tribus terræ.* Plangent enim se Judæi, videntes viventem et vivificantem, quem quasi hominem mortuum astimabant, et convincentes se corpore vulnerato, scelus suum denegare non poterunt. Plangent se et gentiles, qui vanis philosophorum disputationibus decepti, irrationabilem stultitiam putaverunt esse, Deum colere crucifixum, et detulerunt creaturæ gloriam Creatoris. Lugent et Christiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quam Christum, cum audierint eum hæc verba dicentem ad se: Ego propter vos homo factus sum. Propter vos alligatus, et cæsus, et crucifixus sum. Ubi est tantarum mearum injuriarum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum. Ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei debetis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus, apparens homo, et vilior me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terræ amplius dilexistis, quam justitiam meam et fidem. Plangent se hæretici, qui purum hominem crucifixum dixerunt, cum viderint ipsum esse judicem, in quem compunxerunt Judæi. Quomodo enim arguat Judæos quasi interfectores Filii Dei, si non Filius Dei, sed purus homo est crucifixus? *Et tunc plangent se omnes tribus terræ*, quia nec resistendi virtus est contra eum, et fugiendi nulla facultas ante faciem ejus, nec poenitentiae locus: ex angustia omnium rerum nihil eis remanet præter luctum. Merito plangent se, quia tunc neque pecunie divitiibus prosunt ad eleemosynam faciendam, neque parentes justi pro parentibus intercedunt, neque ipsi angeli pro hominibus, sicut solebant, faciunt verbum: quia non recipit natura judicii misericordiam, sicut nec tempus misericordiae judicium, dicente propheta: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (Psal. 100. 4). Misericordia in priori adventu, judicium in secundo. In priori adventu, volentibus apostolis ignem de caelo deponere, dixit: *Nescitis cujus spiritus estis. Filius enim hominis non venit judicare mundum, sed*

*salvare* (Luc. 9. 55. 56). De secundo autem sic dicit: *Nam Filius hominis veniet in majestate Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria multa* (Matth. 16. 27). 31. *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis.* Si quando rex terrenus processum aliquem aut expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, et exercitus exercitatur, tota civitas fervet: quanto magis Rege caelesti exsurgente judicare vivos et mortuos, virtutes angelicæ commoventur? Terribiles ministri terribiliorem Dominum procedentes: Cherubim et Seraphim præparentur ad sedem unius, et rationalis thronus vivam sapientiam portaturus. Nec enim potest esse res mortua, quæ lajulat vitam. Ante ipsum pro candelabris fulgura viva præcedent, et pro tubis horrenda tonitrua. Qualis rex, talis et preparatio regis. Vere magna vox tubæ terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, clausuras tenebrarum pertransit, portas areas conterit, vectes adamantinæ et ferreæ confringit, vincula mortis dirumpet, et de profundo abissi animas liberatas corporibus suis assignat. Hæc omnia citius consummet in opere, quam sagitta transit in aere, dicente Apostolo: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Tuba enim canet, et mortui resurgent incorrupti* (1. Cor. 15. 52). In illa voce pulvis jam dissolutus corporum mortuorum in nova membra constringitur. In illa voce quasi una persona obnoxia totum mare discutitur, ut si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat. In illa voce a quatuor partibus mundi spiritus congregatur, qui resuscitet populum dormientem. 32. *A ficu autem discite parabolam.* Quare non ex aliis arboribus, sed potius de ficu sumit similitudinem astatis? Quia postquam alie arbores vernare cœperint, frequenter eventit ut accedens frigus præcidat astatem, et iterum arbores indurescunt: ficus autem, quia pene post omnes arbores vernat, difficile post ficum frigus intervenit. Ideo ergo sic comparata est Ecclesia illi tempori, propter indubitabilem sæculi novi adventum. Sed quæ est ista assimilatio rei, videamus. Ficus bono verni temporis temperamento mollescit ad folia, Ecclesia autem miserabili persecutione afflicta compellitur ad mortem. Sed Dominus hanc assimilationem jucunditatis ex ficu non ad afflictionem corporalem retulit, sed ad spiritualem profectum animarum. Nam quando carnalia hominis affliguntur, tunc spiritualia ejus florent, sicut ait Apostolus: *Et vos suscepistis verbum Dei in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti* (1. Thess. 1. 6). Sicut enim vernali flatu arbores laxantur in folia et fructus: sic persecutionibus excitantur animæ ad virtutem. Ideo autem semper ficus Ecclesiæ similatur: quia sicut ficus sub uno cortice plurima grana intra viscera dulcedinis inclusa constringit: sic Ecclesia sub uno corpore multos Christianos intra viscera suæ caritatis congregatos complectitur. Deinde et alia ratione. Omnis arbor pene in uno tempore fructum præbet: nam intra paucos dies et maturescunt, et cadunt; ficus autem ex quo cœperit fructus afferre, usque ad hiemem fructificare non cessat: nam alii colliguntur maturi, et alii hinc procedunt. Sic Ecclesia ex quo cœperit sanctos offerre, usque ad finem sæculi non cessabit. Nam per singula tempora alii dormiunt, alii autem nascuntur. De hac autem ficu sub alia specie interpretationem fecimus apud Marcum, æstimantes ubique quod verum est, non affirmantes: ut secundum quod visum fuerit unicuique, hoc probetur. 34. *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Res dubia semper facit hominem negligentem. Nam quod sine dubio venturum nobis esse cognoscimus, ad id nosmetipsos magnanimitè confortamus. Ne ergo audientes apostoli, certum periculum pro incerto suscipiant, et dubitantes de ejus adventu, semetipsos in negligentia

ponant, ideo sermonem suum juramento confirmans dicit: *Amen dico vobis, non transibit generatio hæc, donec omnia fiant.* Quia contra magnum periculum magna præparatio est necessaria: magna autem præparatio assiduam admonitionem requirit, et cautam. Et sciendum est, quia non illud vult Christus apostolis suis ostendere, quia jam in continentia futura est tentatio illa, sed quia omnino futura est. Ergo non illos homines dicit, qui illo in tempore fuerant nati, sed familiam gentis ipsius. *Generatio ista*: id est, aut facientium hanc tentationem, aut patientium, aut peccatorum hominum, aut dæmonum, qui operantur in eis. Nam utrique non cessabant esse in sæculo, donec consummatio fiat, ut dicat illis, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (Matth. 25. 41). Necesse est enim, ut quamdiu fides tentatur, tentatio reservetur. Aut certe Christianorum generationem dicit, id est, *Generatio ista* mortalis non transibit ad immortalitatem: *Donec*, id est, nisi hæc fuerint consummata, ut postea immortalis et impassibilis fiat. *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quia cælum et terra ad ministerium vestrum creata sunt, verba autem mea ad gubernationem vestram disposita. Cælum et terra vanitati subjecta sunt, dicente Apostolo: *Vanitati enim creatura subjecta est* (Rom. 8. 20). Naturaliter autem veritas nescit mentiri, nec potest aliquando perire.

*Homilia l. ex capite xxiv.*

36. *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, neque Filius, nisi solus Pater.* 37. *Sicut enim in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.* 38. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem qui intravit Noe in arcam, 39. et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.* Usque nunc exposuit signa consummationis, præcedentia ante consummationem: nunc docet, quia subitus veniet, novissimus mundi interitus hominibus nihil adhuc tale fieri suspicantibus, secundum quod dicit et Apostolus: *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus* (1. Thess. 5. 3). Et de die illo incerto ad cunilium etiam seipsum ponit dicens: *De die autem illa et hora nemo scit.* Id est, non solum aliquis hominum, sed neque angelorum quisquam, nec ipse Filius, nisi solus Pater: ut nemo ferat moleste, quia diem illum Deus posuit in incerto, cum de ipso sit Filius incertus. Simile aliquid scriptum est et in Actibus apostolorum. Nam cum interrogasset eum discipuli ejus, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel* (Act. 1. 6. 7)? respondit eis: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Opportune ex hoc loco convenit admonere, cum multi homines, maxime qui videntur docti, cum interrogati fuerint aliquam quæstionem, si contingeret eos ignorare quod quæritur: erubescere ne videantur aliquid ignorare, quia totum scire putantur, colorant falsa pro veris, et dicunt aliis, quod non audierunt a Christo. Propterea considerantes hunc locum, non deberent erubescere aliquid mysteriorum Dei se ignorare, cum legant, ipsum Christum non erubescere suam ignorantiam confiteri ad respondendum, quia *De die illa et hora nemo scit, neque angeli, neque Filius*: maxime cum sit mysteriorum Dei multa profunditas: nec tamen mentitur, quando ipsum quod scit, a Patre accepit. Merito suam scientiam denegat, quæ non ex eo: sicut et alibi cum esset bonus, hominibus se denegavit, quia bonitas ejus erat ex Patre. Et ne propter dispensationem humanam æstimetur scire se negasse, non dixit, Neque Filius hominis: quia secundum divinitatem dixisset, non secundum humanam naturam. Nam inter Filium Dei et Filium hominis nihil interest. Ecce senectutis signa cognoscimus, diem autem ultimum ignoramus: sic et labentis signa scimus, finem ejus non agnoscimus. Sicut enim quando videmus hominem senem, scimus quia propemodum moriturus

est, quando autem, nescimus: sic et mundum quando perturbatum videmus, casurum cognoscimus, diem autem ignoramus. Mysterium Dei scire expedit quidem hominibus. Nam et servus fidorum sit circa obsequium domini sui, cum cœperit secreta sua committere. Sed illud scire bonum est, quod proficit ad ædificationem scienti: hoc autem scire, quod nihil nobis prodest, magis nocet, et superfluum est. Deus ergo, quia non omnia mysteria dicit hominibus, non invidet scientiæ nostræ: sed quia non omnium mysteriorum scientia nobis prodest. *Sicut enim in diebus Noe, sic erit et adventus Filii hominis. Sicut erant in diebus ante diluvium manducantes et bibentes, et nubentes, et nuptui tradentes.* Quod dicit, Sicut fuit in diebus Noe, manducabant et bibebant, nubebant et nuptui tradebant: non vetat manducare, aut bibere, aut nubere. Nec enim fas est ut destruat quod ipse constituit: sed jubet nos, ut quod carnaliter facimus, ad Dei gloriam facientes, spiritualiter faciamus, ut carnalia nostra propter spirituale propositum spiritualia fiant. Quis est, qui ad gloriam Dei manducat et bibit? Qui de manu Dei accepisse æstimat quod manducat et bibit. Quis autem de manu Dei se accepisse æstimat? Qui operatur justitiam, et Deum timet offendere. Nam et servus ille quasi servus fidelis manducat in domo, qui considerat ideo accepisse a domino, ut opus domini operetur. Nam qui Deum non timet offendere, ille sine dubio non æstimat a Deo se accepisse quod bibit: sed propter hoc solum manducat, quia caro est. Quis autem est, qui ad gloriam Dei nubit? Qui nubit aut propter desiderium bonorum filiorum, aut periculum peccati timens. Quis est, qui propter desiderium bonorum filiorum nubit? Qui postquam habuerit filios, circa Dei disciplinam continet eos. Alioquin qui filios negligit, ille non desideravit Deo generare, sed diabolo. Quis est, qui propter periculum peccati nubit? Qui postquam nupsit, matrimonium caste conservat. Qui autem propter matrimonium indifferenter abutitur amoribus suis, ille non propter tutelam animæ nupsit, sed propter abundantem lasciviam carnis. Qui ergo sic manducat et bibit, non tantum manducare et bibere videtur, quantum Dei gloriam operari: quia non sibi servit, sed Deo. Et qui sic nubit, non tantum videtur nubere, quantum Dei gloriam operari: quando non sibi, sed Deo multiplicat, et sine peccato conservat. Hoc ergo dicere vult. Sicut ante diluvium, recedente ab hominibus Dei timore, nihil faciebant homines ad gloriam Dei, sed omnia propter solam carnem: sive enim manducabant aut bibebant, non ad gloriam Dei manducabant aut bibebant, sicut mandat Apostolus (1. Cor. 10. 3. 4), sed propter solam voluptatem carnalem: sic erit circa sæculi finem. Sicut enim homines, qui in totum carni subjecti sunt, quamvis habeant animam, tamen solummodo carnes dicuntur, testante Scriptura: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam sunt carnes* (Gen. 6. 3). In quibus autem pars anima prævalet, quamvis sint carnales, spirituales dicuntur, sicut dicit Apostolus: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, et tamen spiritus Dei habitet in vobis* (Rom. 8. 9). Sic opera hominum, quamvis sint spiritualia, si facta fuerint propter causam carnis, utputa, si quis opus bonum propter homines faciat, invenitur esse carnale: et quamvis sit carnale, si propter causam spiritualem fuerit factum, id est, propter gloriam Dei, invenitur spirituale esse propter causam spiritualem. *Sicut fuit in diebus Noe* (Gen. 7). Id est, sic erit generalis interitus, sic subitaneus. Sicut tunc omnis creatura deleta est, sola autem arca evasit, de trabibus quadratis facta, octo aënas bajulans: ita et in consummatione omnes hereses interibunt, una tantummodo arca salvabitur, id est, Ecclesia Christi, de justis hominibus congregata. Sicut tunc quicquid fuit extra arcam, perit, sic et in fine quicumque fuerit extra unam Ecclesiam veritatis, peribit. Quæ Ecclesia habet octo rectores, septem spiritus, quos enumerat Isaias (Cap. 11. v. 2. 3), et unigenitus Deus: sic et Salomon dicit: *Sapientia adis-*



*fecit sibi domum, et suffulsit columnis septem (Prov. 9. 1): et ipse qui suffulsit, octavus. Subitanus autem, non ante nuntiatus, sive ab ullo creditus. Et quid mirum, si periturum mundum audiunt et non credunt? Ecce morituros se esse quotidie audiunt homines, quotidie alios mortuos vident, et tamen non credunt se morituros. Si autem se crederent morituros, non facerent ea pro quibus moriuntur, id est, morte digna non facerent. Si ergo illud, quod quotidie fieri vident in aliis, de se futurum esse non creant, quomodo illud credent futurum, quod adhuc numquam factum est? 40. Tunc duo erunt in agro; unus assumetur, et alter relinquetur. Aestimo neminem dubitare sensatum, hæc præcipue in parabolis esse dicta, et spiritualiter ea intelligi oportere. Et prima quidem parabola posita est de popularibus justis, et peccatoribus. Secunda de doctoribus piis et impiis, quando omnes homines aut discentes sunt, aut docentes. Et Lucas quidem evangelista exponit de duobus in lecto, et de duobus ad molam: præsens autem Matthæus de duobus in agro, et de duobus ad molam, Ubi enim Lucas (Cap. 17. v. 34) posuit duo in lecto ubi Matthæus posuit duo in agro. Ex quo intelligere nobis datur, quoniam lectum et agrum ambo evangelistæ id ipsum intelligere voluerunt: quoniam qui in corpore sunt, et in mundo sunt: et qui in mundo sunt, in corpore sunt. Mundus enim nihil aliud intelligitur, nisi homo; propter quod agrum intelligere convenit mundum huic, sicut Dominus interpretatus est supra in parabola zizaniorum seminatarum in agro (Math. 13. 38). Duo ergo in agro, omnes Christiani in mundo viventes eodem, non tamen iisdem actibus conversantes. Et justis quidem assumuntur, peccatores autem derelinquentur. Omnes justis in uno homine figurantur, et omnes peccatores in uno. 41. Duæ molentes ad molam; una assumetur, et una relinquetur. Quæ sunt istæ mulieres molentes? Puto, Ecclesiæ, quarum una est, de qua Dominus dicit: *Simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier miscuit in tribus fermenti mensuris (Math. 13. 33)*. Sicut enim, quamvis multi sint justis, et peccatores, tamen quoniam omnium duæ sunt partes, in duabus ponuntur personis: sic et Ecclesiæ hæresum quamvis multæ sint, tamen omnium hæresum una Ecclesia dicitur, et una Christianorum. Una ergo mulier molens est Ecclesia Christi. Mola est orbis terrarum, propter rotunditatem suam, sicut scriptum est de ea: *Vox tonitruum tui in rota (Psal. 76. 19)*. Lapis superior est verbum veritatis, quod descendit de cælo, ut terrena omnia complectatur, et protegat simul, et premat, et molat: dicitur autem lapis, propter fortitudinem suam. Subterius autem lapis est omne verbum impietatis, quod lapis dicitur propter duritiam suam, quod de spiritu mundi a deorsum ascendit, ut suscipiat omnia desursum venientia grana, et adversetur verbo veritatis. Hæc ergo Ecclesia molens, id est, prædicans, circumducit verbum veritatis, id est, superiorem lapidem cælestem; et circumducit per orbem terrarum, et circumducit super omne genus humanum, ut quotienscumque sub gremio verbi desuper miserit Deus, molat eos, id est, catechizet, et cogat eos deponere corticem veteris hominis inutilem et insuavem: ut exuti fiant pura medulla et spiritus, id est, ut jam non sint caro, sed spiritus: et fiat similago mundissima, et digna ad sacrificium Dei, secundum quod admonerat Apostolus, dicens: *Exuite vos veterem hominem, qui corrumpitur in concupiscentiis, renovamini autem spiritu sensus vestri (Ephes. 4. 22. 23)*. Sicut ergo grana in cortice, nisi molita fuerint, et deposuerint cortices, et surfures, et processerint secundum quod sunt abintus, quamvis aquam acceperint, non conjunguntur ad alterutrum, ut fiat ex omnibus unus panis, quamvis et fermentatum acceperint, non fermentantur: sic et homines, nisi moliti fuerint sub verbo, id est, catechizati, ut depositis corporibus, spirituales efficiantur, quamvis et aquam baptismatis acceperint, quamvis verbum fidei fuerit missum in*

eos, sicut fermentum: non conveniunt in idipsum, nec possunt sapere unum, ut unum corpus efficiantur, quia moliti non sunt. Sicut ergo inter duos lapides molares teritur triticum, et separatur a cortice suo, et fit similago munda: sic fideles in medio desuper quidem urgente se verbo Dei ad fidem et jositiam, inde autem verbo impio se compellente ad infidelitatem atque peccatum conteruntur, et carnalia sua universa deponunt, et spirituales efficiuntur. Sed et illa mulier videtur molere, et verbum mendacii leve et fragile circumducit: propterea neque molet, quia non habet virtutem divinam verbum eorum, nec est lapis superior. Quomodo enim mendacium mendacio adversatur, aut iniquitas iniquitati, ut molatur aliquis inter eas? Propterea populis eorum molitus non est. Considera autem et intelliges. Si deponunt carnalia, fiunt spirituales, et moliti sunt. Si sunt in idipsum fidei, omnes moliti sunt. Si autem secundum veterem hominem sunt, si altera iterum sapiunt, quomodo moliti sunt? Desuper enim verbum veritatis non compellit eos ad fidem, quasi lapis superior; nec enim habent eum: desubtus autem verbum impietatis non tribulat eos, quia volentes requiescunt in eo. Quomodo ergo molantur, quando non stringit subterius verbum, nec premit superius? Hæc ergo sumetur, quæ et videtur Ecclesia, et est: illa autem relinquetur, quæ videtur, et non est. Quidam autem et hoc modo exponit. Molentes sunt filii Israel, mola autem est verbum legis: quod volunt et molunt, sunt Dei mandata in lege, quæ quasi tritici grana minutatim quidem molentes, id est, quantum ad se diligenter mandata Dei tractantes, numquam tamen ex eis panem nutritorium proferentes. Panis autem nutritorius est unigenitus Deus Verbum, qui intus in mandatis Dei habetur secundum prophetiam inclusus, quem filii Israel carnaliter interpretantes numquam proferbant ad manifestum. Filiorum autem Israel molentium, una videtur quidem esse synagoga, vere autem duæ sunt. Una quidem iniquorum, et secundum carnem Judæorum: altera autem sanctorum, et secundum spiritum Judæorum. Hanc ergo sanctorum Judæorum et spiritualium synagogam molentem, et supervaciam, et sine profectu molam legis trahentem, assumet Deus in fine sæculi hujus jam occumbentis, et liberabit eam de mola: illam autem alteram secundum meritum infidelitatis et perversitatis ejus relinquet.

#### Homilia lj. ex capite xxiv.

42. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, etc.* Qua enim ratione homini absconditus est dies mortis ipsius? Videlicet, ut semper benefaciat, semper mortem suam sperans. Eadem ratione et ab omnibus hominibus absconditus est dies adventus Christi, videlicet ut non una generatio salvetur, sciens adventum ipsius, sed omnes, dum in singulis quibusque generationibus Christi adventus speratur. Ideo et interrogantibus se discipulis suis, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (Act. 1. 6. 7)*. 43. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perferri domum suam.* Paterfamilias est unusquisque secundum animam in domo Patris sui, fur autem diabolus est: domus autem, nostra corpora: januæ sunt, os et aures: fenestræ autem, oculi. Sicut ergo per januas et fenestras cito ingreditur latro, et spoliat patremfamilias: sic per os et aures et oculos hominis facile invenit diabolus occasionem ad animam, et finit eam captivam: sicut et in Jeremia tale aliquid scriptum est: *Quia mors intravit per fenestras nostras (Jer. 9. 21)*. Si vis ergo esse securus, pone seram januæ tuæ, id est, legem divini timoris ori tuo, ut dicas cum propheta: *Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam (Psal. 38. 2)*. Item Sapientia docet: *Obstrue aures tuas spi-*



nis, ne audias verba maligna (Eccli. 28. 28). Sed quoniam fragiles sunt nostræ seræ, nisi Deus illas servaverit: quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam* (Psal. 126. 1): rogemus Deum pariter cum propheta: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba maliitæ* (Psal. 140. 3. 4). Pone seras super fenestras oculorum tuorum, ut dicas cum castissimo Job: *Posui testamentum oculis meis, ut non sentirem in virginem* (Job 31. 4). Item, *Si concupivi agrum proximi mei, ego seminem, et ulii metent* (Ibid. v. 8). Item quia fragiles sunt seræ fenestrarum nostrarum, Dominum invocemus cum propheta dicentes: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem* (Psal. 118. 36. 37). Quid ergo? nescit anima quando per istos introitus fur ingreditur super eam? Vere nescit. Et quidem quando ducitur ad peccatum, scit: quando autem ingreditur, nescit. Ideo vigilare debet, et claudere omnes istos introitus: os quidem narrationibus sanctis, aures auditionibus piis, oculos consideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare cælestibus. Non enim sufficit, ut non loquatur, vel audiat, vel videat vel cogitet mala. Qui enim hæc agit, clausit introitus suos, et implevit, et oppilavit malis adversus bona, ut ne locum habeat introeundi bonus spiritus: qui autem mala quidem deponit ab eis, bona autem non suscipit, ille dicitur apertos habere introitus. Propterea vacantes eos inveniunt iniuriosus, intrat ad animam. Propter quod opus est, ut justus introitus non solum vacent a malis, sed etiam ut sint clausi, et pleni, et oppilati bonis adversus mala, ut malus non inveniat locum introeundi. Unde et sapienter Petrus dicit apud Clementem, quomodo debet quis incessanter quæ Dei sunt cogitare et loqui: quoniam si mens fuerit in his occupata, malus non invenit locum ad mentem. Consequenter Propheta non dixit tantum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit; sed addidit: sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (Psal. 1. 1. 2). Et Paulus cum diceret, *Non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, non dixit tantum, Deponite mala: sed, Suscipite omnem armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo* (Ephes. 6. 12. 15): id est, Omnia opera bona facite. Sicut enim vas quandiu plenum est de aliquo, non recipit supermissum: si autem vacuum fuerit, recipit omne quod mittitur: sic homo quamdiu occupatus est malis, non recipit bonum: et si occupatus fuerit bonis, repellit malum: si autem nec isto, nec illo se occupaverit, id est, si neque bonis, neque malis intenderit, omnis spiritus intrat in eum. Intrans autem, non statim ducit eum ad peccatum, sed primum delectat eum in malis, et sensum desiderii carnalibus alligat, et postea ducit ad peccatum, quando jam, etsi intelligit malum esse quod facit, non potest resistere contra malum. Si ergo, te negligente domum corporis hoc modo servare, ingressus fuerit fur diabolus, et furatus fuerit vestimenta justitiarum, quibus te renatum in baptismo induit Deus: si furatus fuerit aurum intellectus tui, si divinarum eloquiorum argentum, quod forsitan cum multo fabricasti labore: si linteaminum gratiarum quæ tibi dedit Deus, cum te adoptaret in filium, cæterasque divitias spirituales tollens, te dormiente, feceritque te mendicum et nudum, sicut serpens Adam: quid facies? quomodo nudus ante conspectum Domini tui accedes (Gen. 3)? Et ille quidem nudatus abscondit se inter ligna paradisi: tu autem sub quæ scis-sura petrarum te abscondes a facie Domini, cum venerit confringere terram? Et Adam quidem a Deo quæsitus est et inventus, tu autem abijcieras et peribis: quia ille ignorans serpentis versutiam, per simplicitatem nudatus est suam: tu autem sciens, tot Scripturis admonitus, per negligentiam factus es nudus. Propter quod ille quidem mortalitate vestitus est ad tempus, tu autem

in æternum ipse tradendus es morti, maxime si te comprehenderit finis, priusquam tibi per penitentiam altera texes vestimenta. Nam prima gratis præstatur a Deo: secunda autem vix, et cum nimio reparatur labore et luctu, quomodo hæc parabola est. Veniamus itaque ad ipsam parabolæ causam. Omnis homo, si sciret, quando dies Domini venturus est super eum sicut fur (sed insperate veniens sicut fur), præveniret, et non sineret perfodi domum suam. Non dico quia repelleret a se furem, sed faceret iustitiam, ut veniente sententia Dei, non perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi jam preparatus ad exitum. Quando animæ peccatrices delectantur in corpore, et tamquam in suo proprio domicilio gaudent, veniens cum sententia Dei angelus mortis perfodit corpus, et animam violenter divellit ab eo: animæ autem justæ, quæ non delectantur in corpore, sed quasi in exilio sunt, in eas veniente sententia, non perfodiuntur, sed vocantur gaudentes. 45. *Quis enim fidelis servus et prudens, quem constituit dominus ejus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Cum de vigilante et non vigilante super domum suam Dominus loqueretur, sciens quoniam plerumque sacerdotes mali populum obdormire faciunt in peccatis, boni autem excitant a negligentia somno, et faciunt vigilare in operibus bonis: quasi assidua tuba doctrinæ suæ excitans ad bona opera animas auditorum, consequenter de bonis et justis sacerdotibus introducit sermonem, dicens: *Quis est fidelis servus et prudens?* Si enim patrefamilias super possessionem suam villicum ponit, ut non cum singulis colonis habeat causam, sed de solo villico omnium exigit rationem: si ergo inter colonos aliqua indisciplina fuerit fœda, unusquisque pro suo delicto reus efficitur, villicus autem pro omnium delictis; et si bene reditum suum reddiderint, unusquisque quid pro sua fide laudatur, villicus autem pro fide omnium remuneratur: sic et Deus in populo ideo ordinat sacerdotes, ut actuum eorum ipsi discutiant rationem. Ideoque peccante populo unusquisque quidem pro suo peccato punitur, sacerdos autem pro peccatis omnium. Et bene agente populo unusquisque quidem pro suo bono remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium. *Quis est servus fidelis et prudens?* Rem quidem laudabilem proponit, rarissimam autem, ut quis fidelis inveniat et prudens. Ecce si quæras fideles, id est, Deum timentes: et istos quidem non multos invenies, tamen adhuc facile invenis: item si prudentes quæras, invenies multos: fidelis autem et prudens difficile invenitur: quomodo qui fideles sunt, id est, Deum timentes, difficile sunt et prudentes: et qui prudentes inveniuntur, difficile sunt et Deum timentes. Quanto ergo rarior invenitur fidelis et prudens, tanto qui inventus fuerit, beatior est. Prudentem autem dico, non scientem et doctum, sed sensatum et mente acutum, qui potest rerum ponderare naturas, et secundum quod potest, rationaliter omnia agere. Plerique autem sunt habentes scientiam multam, sed nec se sapienter regunt, nec scientiam suam sapienter dispensant. Et omnis quidem prudens potest et scientiam habere ex parte, non autem et omnis sciens sapientiam potest habere: quoniam sapientia uniuscujusque in actu probatur, scientia autem in sermone. Fidelis quidem quæritur propter Deum, ut timeat Deum: prudens autem propter homines, ut populum Dei sapienter gubernet. Quoniam ergo Deo non tantum prudentia hominis, quantum conscientia placet: hominibus autem non tantum conscientia, quantum sapientia prodest: si fuerit tantum quis fidelis, laicum quidem facit, sacerdotem autem non facit, nisi fuerit fidelis et prudens. Ergo fidelis quæritur, ut faciat priusquam dicat: prudens autem, postquam fecerit, dicat, et dicat intelligens cui qualis doctrina conveniat, et quando. Item fidelis quæritur, ut memor sit pauperum, sicut Paulus (Rom. 15. 26): prudens autem, ut intelligat cui et quomodo debeat dispensare. Et hoc est quod dicit, dare cibum in tempore et spirituales et

corporales : spirituales quidem animabus, corporales autem corporibus. Quoniam autem in Ecclesia non solum sunt pauperes in corporalibus rebus, sed etiam in spiritualibus multo pauperiores : *Ut det cibos in tempore*, id est, in tempore opportuno. Quid est, in tempore opportuno? Quasi est aliquid tempus, quando non est opportunum docere, cum dicat Salomon : *Doctrina et flagella in omni tempore* (Eccli. 22. 6). Sed puto hoc intelligendum tempus opportunum doctrinae, quomodo dicit et propheta : *Tempore acceptabili exaudi te, et in die salutis adjuvi te* (Isai. 49. 8). Quando misericordia Dei non est acceptabilis? Sed praecipue tunc est acceptabilis, quando necessitatis et angustiae tempus est : sicut et semper pluvia bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum semper suavis est, multo tamen suavior in tempore luctus : sic doctrina et consolatio sacerdotis semper opportuna est, maxime autem in tempore persecutionis. Sciens ergo Christus sanctos suos sine tentatione nunquam futuros, ideo dicit, In tempore opportuno : quia qui semper aegrotat, semper illi ars medici opportuna videtur. Nam sicut navis tunc praecipue gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur : quando autem prosperata est, ipsa se dirigit ; et miles tunc praecipue necessariam habet annoniam de rege, quando bellum et periculum instat : quando autem pax est, undecumque possunt se milites sustentare : sic Ecclesiae praecipue in tempore persecutionis doctrinam sacerdotis necessariam habent, quasi spirituales milites spiritualem annoniam : quando autem securitas est, unicuique naturalis sufficit intellectus. Nam in persecutionibus, quando naturalis ille intellectus deficit in timore carnali, necessarius est sermo doctoris : ut quod delicit in timore periculi, reparatur per exhortationem doctrinae. Sicut autem tubicen, commisso bello, pugnantem exercitum circuit, et bellicos cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem : sic et sacerdos, persecutione imminente, exponens in populo fortissimorum martyrum gloriosa pericula, et inenarrabiles regni caelestis coronas vincens preparatas, Christianum populum ad virtutem patientiae vehementer accendit. Aut ita : In tempore opportuno, ut in persecutione magis instanter de veritate fidei doceamus, quam de iustitia conversationis, in pace autem magis assidue de iustitia conversationis, quam de veritate fidei. Quoniam in persecutionibus quidem plus necessaria est doctrina fidei, quam conversationis : in pace autem plus necessaria est doctrina conversationis, quam fidei. Quoniam in persecutionibus non propter conversationem suam bonam aut malam veniunt Christianis in periculum, sed propter fidei confessionem : in pace autem non propter fidem suam veram periclitantur Christiani, sed propter conversationem : quoniam in persecutione fides Christianorum periclitatur, in pace autem iustitia. 46. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem*. Quomodo? Sicut superius diximus, in fide, in sapientia, in tempore opportuno. In fide, ut credamus sic esse, sicut docemus. Ille autem credendo docet, qui facit quod docet : qui autem non facit bonum, non credit bono. Qui non credit in bono, non docet in fide : qui autem cum fide non praedicat, non solum non est beatus ille servus, sed multum infelix : quia alios quidem docet, se autem negligit. Sic prudenter, quia non semper omnia, neque omnibus omnia sunt dicenda. Frequenter illa, quae alios aedificant, alios destruunt. Sicut infantibus esca mutatur secundum aetatem, sic in populo secundum virtutem doctrina temperatur, praemonente Apostolo : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulus in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (1. Cor. 3. 1. 2). In tempore, ne importune oblata doctrina non prosit, sed noceat, sicut esca cruciat aut extra tempus accepta. 47. *Amen dico vobis, quo-*

*niam super omnia bona sua constituet eam*. Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat. Nam si super omnia opera sua pretiosiores existimat Deus animas hominum : quanto magis credibile est, ut super omnia bona sua constituat eum, qui confert Deo lucrum animarum? Non solum autem omnibus bonis suis meliorem judicat hominem, sed etiam sui ipsius impassibilitati praeposuit salutem humanam. Ideo magnus est, qui bene regit hereditatem ejus, quam proprio sanguine acquisivit. 48. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire : 49. et incipiat percutere servos suos, manducet autem et bibit cum ebriis*. Percutere est injuste percutere : qui autem propter justam causam percutit, etsi percutat, percutere non videtur. Percutit enim, non ut suum dolorem vindicet, sed ut illius animam salvet. Si autem propter Deum percutere percussio esse videtur, nunquam diceret Deus, *Qui parcit baculo, odit filium suum* (Prov. 13. 24). Nam et alibi non absolute dicit : *Qui iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio* (Matth. 5. 22) : sed, *Qui sine causa iratus fuerit*. Sicut justa ira non est ira, sed diligentia : sic justa percussio non est percussio, sed correctio. Manducare et bibere sic intelligendum est, sicut supra interpretati sumus de manducantibus et bibentibus ante diluvium, id est, male manducare et bibere. Propter quod non simpliciter dicit manducare et bibere, sed, *Cum ebriis* : id est, cum peccatoribus, qui tenebrosorum actuum vitio ebrii sunt, de quibus et Paulus dicit : *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt : et qui inebriantur, nocte ebrii sunt* (1. Thess. 5. 7). Vides ergo, quia manducare et bibere sacerdotibus non est peccatum, sed cum ebriis manducare et bibere : id est, sic manducare, quomodo ebrii illi desiderant. Non enim jubet nos Scriptura malorum personas abominari, sed voluntates. Nam et Christus cum publicanis et peccatoribus manducavit, sed non sic quomodo publicani et peccatores volebant. Nec vitium suum aliquis Scripturae illius auctoritate defendat, quae jubet sacerdotem hospitalem esse debere. Hospitalitas enim non circa deliciosos cibos et magnos ostenditur, sed circa assiduas susceptiones impotentium peregrinorum, ut hospitalitas nostra non ab hominibus laudetur, sed a Deo sentiatur. Nam deliciosa convivia magis luxuriam accensant, quam humanitatem commendant. Dicit enim Salomon : *Ne delecteris in multa epulatione, nec in turpibus et modicis* (Eccli. 37. 52). Ergo nec multum permittitur, nec modicum et pretiosum. 50. *Venit dominus ejus hora qua nescit, 51. et dividet eum, partemque ejus cum hypocritis et infidelibus ponet. Dividit eum* : id est, de consortio Christianorum, ut neque cum sanctis glorificetur, neque cum iis, qui mediocriter deliquerunt, mediocriter puniatur : sed jungat eum cum hypocritis et infidelibus, ut quorum imitatus est mores, ipsorum puniatur interitu. Quomodo sacerdos super omnem populum glorificatur, si benececit, non solum propter suam iustitiam, sed propter omnium, quia causa est ipse iustitiae universorum : ita et peccans super omnes puniatur, non solum propter suum peccatum, sed etiam propter omnium : quia ipse causa fit omnibus ad peccandum. Ideo autem non solum hypocritas dixit, sed etiam infideles : quia si omnes quidem hypocritae infideles sunt, non tamen omnes infideles hypocritae sunt. Ecce enim gentiles infideles quidem sunt, hypocritae autem non sunt : quia non se fingunt colere Christum, cum non colant, sed manifestum sequuntur errorem. Hypocritae autem sunt Judaei et heretici : illi autem, quia dicunt se Judaeos, cum non sint, sed sunt synagoga satanae : isti autem, quia fingunt se esse Christianos, cum sint Antichristi, id est, contra Christum. Item si quis videtur in Ecclesia esse, et agat contra Ecclesiam : et ille talis hypocrita dicitur esse.

## Homilia lii. ex capite xxv.

1. *Tunc simile est regnum cælorum decem virginibus*, et reliqua. Notandum quod priorum quidem parabolam de doctoribus dicit, hanc autem de popularibus: tamen etsi spirituales intellectum habeat parabola, nihil nocet interpretari eam etiam carnaliter. Tunc simile erit, cum diebus suis completis solutus fuerit mundus, cum venerit Iudex omnium occultorum. Modo autem interim omnes homines nobis invicem mentimur. Alii fingunt se justos, cum sint iniqui; alii humiliant se ut peccatores, cum sint sancti: alii autem turpes actus suos usque ad mortem abscondunt, amplius homines erubescens, quam Deum timentes, et semper sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vulnerati. Qui autem Deum timet, homines non erubescit. Nec enim pejor potest esse timor terrenus, quam pœna cælestis. Quibus simile erit? *Decem virginibus*. Quidam putant hic virgines dici, de quibus Apostolus loquitur, *Ut sint sanctæ et corpore et spiritu* (1. Cor. 7. 34). Et sapiens quidem virgo est, quæ et corpore et animo virgo est, ut neque habeat virum neque habere desideret. Quid enim si aut parentes ejus propter votum suum in virginitate eam tenuerunt, cum ipsa tamen post votum nubere voluerit? quid si pro aliqua occasione quæsitâ non est talis? Hæc si non est nupta, voluntatem tamen nubendi habuit, corpore quidem virgo est, animo autem nupta: quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate. Quamvis frequenter, occasione necessitatis carnalis, Deus præstet hominibus misericordiam spirituales: si tamen postea voluntas necessitati consentiat, non solum autem ut non concupiscat, sed etiam absterneat se ab omni re mala, ut neque faciat, neque loquatur, neque cogitet quod displiceat Deo: quia corpus fornicatur, quando cum viro conjungitur: anima autem, quando diaboli voluntatibus sociatur. Quæ hæc non servat, fatua est ipsa virgo. Et vere fatua est, quæ per solam virginitatem corporis putat se Deo placere. Ecce enim quemadmodum cum manducas et bibis, non anima manducat, sed corpus: res enim incorporalis corporali cibo non pascitur: sic cum vir mulieri, aut mulier viro conjungitur, non anima copulatur, sed corpus. Propterea frequenter fit, ut nupta si alias non peccet, melior sit, quam illa, quæ virgo est, et alias peccat. Quoniam si illa non peccat quæ nupta est, corpore quidem nupta est, animo autem virgo est. Quæ autem alias peccat, et virgo est: corpore quidem virgo est, animo autem fornicaria. Sed ne desperare faciamus etiam virgines bonas, quia diximus per concupiscentiam animas fornicari, sciendum est quod aliud est concupiscere, aliud velle. Concupiscere, passionis est, velle autem arbitrii. Frequenter enim concupiscentiam etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem et gloriosiore facit virginitatis coronam. Nunc veniamus ad spirituales ejus narrationem. Decem virgines omnes homines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus, et quinque spiritualibus; omnium enim hominum duæ sunt partes. Aut enim peccatores sunt, aut justi. Peccatores, qui secundum carnales ambulant sensus: justi, qui secundum spirituales. Ergo et omne genus peccatorum in quinque dividitur, et omne genus justorum in quinque, secundum numerum sensuum, non secundum numerum hominum. Has autem virgines dividendas profert Christus, quando et justus ab injustis et sancti a peccatoribus per verbum suum dividendi sunt: ut quinque quidem ponantur ad dexteram justis Iudicis, hoc est, sapientes: quinque autem ad sinistram, id est, fatuæ. Secundum autem mysterium et Moses in duabus tabulis legem suscepit decem verborum: quinque quidem mandata in tabula una, quinque autem in tabula altera. Sicut ergo tabulæ testamenti illius in uno quidem hærebant, tamen non poterat fieri ut

ambæ fierent ad dexteram legentis: sed necesse erat ut una quidem cum quinque esset ad dexteram, altera autem cum quinque alii esset ad sinistram: sic omnes Christiani in una tenentur vocatione. Non est autem possibile, ut omnes ad dexteram fiant sedentis: sed necesse est, ut justis quidem fiant ad dexteram, id est, quinque sapientes: injusti autem ad sinistram, id est, insipientes. Quidam putant hanc parabolam ad omnes pertinere, et ad hæreticos, et ad Judæos, præterquam ad gentiles: quoniam illi idolorum cultura corrupti sunt, et virgines dici non possunt. Vere autem nec ad Judæos pertinet, nec ad hæreticos: quia non possunt Judæi dici virgines, qui projecto et crucifixo sponso, adulterum super se diabolum susceperunt. Neque hæretici virgines dici possunt, qui et ipsi adulterino sensu corrupti sunt, et virginitatem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt. Sed ad Christianum tantummodo populum pertinet, de quibus scriptum est: *Statui vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens seduzit Ilevam astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri a castitate, quæ est in Christo Jesu* (2. Cor. 11. 2. 3). Fatuæ autem virgines sunt, quæ fidem quidem Christi integram habent, opera autem justitiæ non habent. Judæi vero et hæretici neque fidem habent, neque opera possunt habere. Sed et si operum oleum habeant, nihil eis prodest: quia lampades fidei non habent, quas accendant. *Tunc simile erit. Bene, Tunc*: quia interim non apparet quæ prudentes sint, quæ fatuæ: quousque tunc multæ fatuæ fient prudentes, et multæ quæ videntur prudentes, fatuæ efficiuntur. *Quæ acceperunt lampades suas*. Lampas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum in qua est, sic fides illuminat animam cujus est. Accenditur autem hæc lampas igne divini verbi. Verbum enim Dei ignis est, sicut dicit Dominus: *Ignem veni mittere in terram* (Luc. 12. 49). Item dicente apostolo: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (Rom. 10. 17). Accipiunt autem homines hanc lampadem, quando venientes ad Christum, per sacerdotes accipiunt traditam sibi veritatis doctrinam. Aut sicut alius putat, verbum Dei, quod accepimus accedentes ad Christum, lucerna est, secundum quod scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (Psal. 118. 105). Oleum autem doctrina sacerdotum, aut cæterarum Scripturarum. Quoniam sicut lucerna, nisi ei subministraveris oleum, exstinguetur: sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus Scripturarum, exstinguitur, et non satis illuminat animam. Aut oleum dicitur opus misericordiæ. Quia sicut oleum lumen lampadis fovet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, et vigorem accendant. *Et venerunt obviam sponso et sponsæ. Bene ait, Venerunt*, quando ex illa die, qua homo credit Christo, quasi de seipso egressus, et de mundo, ire videtur obviam Christo: qui quotidie Christi exspectat adventum. Sicut enim qui obviam vadit alicui, in via stat, et exspectat eum quamdiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet vivere in hoc sæculo, quasi peregrinus, et non in suis, sed in transitu positus. Propterea et Judæi exiituri de Ægypto, expediti et præcincti agnum jussi sunt manducare (Exod. 12): et ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicumque nostri Agni eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exiituri de mundo. Nec mireris, quia dixit ire obviam sponso et sponsæ, cum Ecclesia inter nos habeatur sponsa. Sicut enim Christus cum sit inter nos, tamen venturus dicitur, cum apparuerit in gloria: sic et Ecclesia quamvis sit inter nos, tamen ventura dicitur, cum apparuerit in gloria sua. Propterea dicit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Coloss. 3. 3). 3. *Fatuæ autem accipientes lampades suas, non sumptorum*

*oleum secum.* Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur, et nisi oleum ei subministraveris, exstinguitur: sic et fides non ex operibus nutritur, vel accenditur, sed ex verbo Dei, sicut ait Apostolus, tamen per bona opera nutritur: et nisi subministraveris ei opera bona, deficit. Sicut enim non potest in Deum sperare, nisi qui aliqua opera bona facit: sic non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo. Inde est, quod peccatores non credunt Deo, sive cum de gloria sanctorum quis eis loquatur, sive de poena peccatorum: et dum non credunt futurum esse quod dicitur, neque de bono futuro delectantur, neque de malo terrentur. Vere fatui sunt omnes homines, qui aut solum existimant sibi posse sufficere ad salutem, quia credunt in Christum, et Christiani dicuntur, et non festinant semetipsos bonis operibus commendare: nec audiunt Jacobum dicentem, *Quia fides sine operibus mortua est (Jacobi 2. 20).* 5. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes virgines, et dormierunt.* Hoc significat sermo, quia tardante consummatione non solum peccatores, sed etiam justi et spirituales ad negligentiam sunt revolventi, et relicta via virtutis, ad carnalia delectamenta sunt allquatenus transituri, ut et illud impleatur quod propheta dicebat: *Satuum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminuti sunt fideles a filiis hominum (Psal. 11. 2).* Et hoc est quod Christus dicebat: *Putas, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram (Luc. 18. 8)?* Nam vigilare est justitiam facere, dormire autem negligere est eam, sicut dicit: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora veniet Dominus (Math. 24. 42).* Et vere non tardat, sed quantum ad nostram inconstantiam tardare videtur. Nam si consideremus, ex quo Christus in caelum ascendit, et quantum vivebant homines ante diluvium, et prope tantum spatium est, quanto tempore erat vita uniuscujusque eorum. Si quis autem oculos habet apertos, intelligit quia mysterium hujus verbi in nobis impletum est. Omne enim studium spirituale relinquimus, et ad carnalia delectamenta transimus. Quem enim invenies modo, non dicam laicum, sed aut presbyterum, aut episcopum, qui ad perfectum contemnat saeculi bona, credens consummationem esse propinquam? Unusquisque enim dicit in corde suo, infidelitatis spiritu prevalente: Ecce ex quo Christus fuit in terris, semper dicitur, Consummatio veniet, et ecce nondum venit. Ne forte non praeparandi causa, sed terrendi ista Scripturae loquuntur? Qui autem non vere credit consummationem esse propinquam, non ex verbis quae dicit, aut audit, sed ex operibus quae agit, cognoscitur. Qui enim vere credit consummationem esse propinquam, nihil curat de mundo, nec in posterum aliquid servat: quia nec peregre exiturus aliquid secum portat in via, nisi forte panem, quem necessarium habet in via. 6. *Media nocte clamor factus est, quasi clamor praecurrentium et praetubantium angelorum.* Qui clamor? *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Unde putas jubet exire? de domibus, de civitatibus? Non; nec enim est ratio: sed ut exeant de mundo, exeant de iniqua carnis natura. Ex eo quod Apostolus (1. Cor. 15. 52) ait, in novissima tuba mortuos suscitandos: datur nobis occasio aestimandi, clamorem illum esse, de quo Dominus dicit: *Ecce clamor factus est. Aestimemus clamorem esse tubarum praecedentium, quas Joannes in Revelatione sua (Apoc. 1. 10. 4. et c. 8. per totum) exposuit, quarum tubarum clamores sunt ipsa signa, quae sunt ab eis.* Qui ergo intelligit illa signa clamantia saeculi finem, ille audit clamorem tubarum clamantium, quia venit sponsus, quarum vocem non corporis auris audit, sed animae intellectus. 7. *Tunc surrexerunt omnes virgines illae.* Hoc est, cum clamor factus fuerit, non solum justi, sed etiam peccatores de somno negligentiae surgent. Tunc incipient timere et festinare, tunc erudiri quia vere finiendus est mundus. Nam quemadmodum securitas etiam dili-

gentes homines negligentes facit: sic timor praesentis periculi etiam negligentes homines exhibet diligentes; sed nihil eis proderit diligentia illa, quam generat timor, non fides. Tunc intelligent, quia nihil est quod vixerit in mundo. Tunc incipient sapere, quando nihil eis proderit sapuisse. *Et composuerunt lampades suas.* Id est, tunc incipient omnes aspiciere et discutere fidem suam: tunc considerabunt singuli opera sua, qui bene fecerunt, qui male, et interrogabunt conscientias suas. Quemadmodum enim superventuro sponso festinat se sponsa componere, ne forte ex aliqua parte displiceat sponso: ita singuli semetipsos judicabunt apud se. Hoc est enim praeparare fides suas. Quod si semper nos ita judicaremus, quemadmodum tunc iudicaturi sumus, nunquam peccaremus in Deum. Sicut ergo virgo defornis et debilis sine causa se componit, sic et tunc peccatores sine causa se praeparabunt. Naturalem rem loquitur. Sicut rex cum tyranno bellum fecerit, si voluerit aspiciere exercitum, et considerare arma illorum, jubet mitti tubam, ut fiant admodum; tunc omnes milites festinant arma sua aspiciere, ubi sit gladius ejus, ubi lorica sit posita, ubi jacet scutum: et qui securitatis tempore arma sua studuit immaculata custodire, paratus et laetus currit ad inspectionem: et qui tempore securitatis gladium suum aëruginare dimiserit, aut lorica mardescere, scutum frangi aut rumpi, cum audierit tubam, et ipse quidem excitatus timore festinat limare gladium suum, detergere lorica, ligare aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam, quia urgens necessitas non perimit longi temporis opus implere: sic et domino absente malus servus non aspiciet opera sua, quod facit, quid non facit, aut quomodo credit: nec cogitat, quia venturus est dominus ejus, et opera persecturus, et fidem: sed cum viderit eum venientem de longe, tunc aspiciet opera sua, tunc incipit festinare, sed nihil ei proderit festinatio ejus, quia multorum dierum negligentia non potest una hora expleri. 8. *Fatae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur.* Exstinguitur lampas hominis, quando fides ejus deficit ac desperat. Sicut enim qui bene sibi conscius est, fiducialiter et magnanimitate agit: quemadmodum si quis infuso oleo addat lumen lucernae, sic et ille consideratione operum bonorum suorum semetipsum confortat, et fidei suae addit audaciam. Qui autem sibi male conscius est, semper pusillanimitas ac timidus est. Et quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernae, sic et ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, et infidelitati suae adhuc diffidentiam addit. Ideo ergo timentes peccatores ad sanctos dicturi sunt: *Date nobis de oleo vestro: hoc est, Vos sancti, qui habetis opera larga justitiae sufficientia vobis non solum ad evadendam poenam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum: id est, Intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum, quia justitia vestra sufficiens est et vos glorificare, et nos excusare.* 9. *Responderunt autem prudentes, dicentes: Ne forte nos nobis, nec vobis sufficiat.* Ostendit in iis verbis, quod ita futurum est terribile iudicium illud, ut nulla innocentia sibi confidat. Et vere quis est homo natus de muliere, qui credit justum se esse inveniendum in conspectu illius, de quo beatissimus Job dicit: *Stellae in conspectu ejus non sunt mundae, et calum sine crimine non est (Job 25. 5).* Si ergo imperialis natura stellarum et caeli, quantum ad justitiam Dei, invenitur esse peccatrix: quomodo autem eum homo appareat justus, cujus et sine voluntate peccandi natura ipsa peccatum est? dicente Apostolo: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo; non enim que volo, hoc ago: sed quod nolo, illud ago; et jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccator (Rom. 7. 14-17).* Tautus timor tunc erit omnium,

etiam sanctorum, ut nemo speret se justum invenendum, sed adhuc timeat ne forte reus existat. Quis enim potest ad perfectum dijudicare conscientiam suam, et cognoscere cor suum, cum scriptum sit. *Quia de omni verbo otioso redditori sumus rationem (Math. 12. 36)?* Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedant sancti, cum timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiæ judicium non suscipit, sic et tempus iudicii misericordiam non recipit. Ideo in primo adventu, cum tempus esset misericordiæ, dicentibus apostolis super inhumanitatem civitatis alicujus: *Vis dicamus, ut descendat ignis de cælo?* respondit Jesus: *Nescitis cuius spiritus estis. Non enim veni judicare mundum, sed salvare (Luc. 9. 54. 56):* ostendens quia cum venerit in secundo adventu, iudicii tempus similiter locum misericordiæ non habebit. Ubi autem misericordia locum non habet, nec intercessio valet. Aut hæc ideo dicit, *Quoniam indignæ sunt passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (Rom. 8. 18).* Si ergo major erit gloria, quæ preparata est sanctis a Deo, quam quod unusquisque sanctorum meretur: quomodo sufficiat et aliis ad salutem uniuscujusque opus eorum, cum nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam justo iudicio consequendam? *Ita potius ad vendentes, et emite vobis.* Venditores operum bonorum, vel doctrinæ, sacerdotes sunt, qui præcepta justitiæ in populo dant, quasi pretium aliquod accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per pœnitentiam solvunt, pretio confessionis eorum placati. Aut certe hoc pretium doctrinæ accipiunt, quando sic docentes eos audierit populus. Populus quidem pro obedientiam suam mercatus est sibi salutem, sacerdotes autem, qui docuerunt et laboraverunt circa eos, recipient a Deo doctrinæ suæ labores. Bonum ergo est consilium sanctorum ad peccatores, ut eant ad sacerdotes, et fideliter audiant eos: et cum audierint, faciant, et habebit virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus. 10. *Abeuntibus autem eis, ecce venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo, et clausa est janua.* Ostendit nobis per hæc verba, quod illo in tempore inter angustias diversorum terrorum videntes se peccatores, anxiantur, et current huc et illuc ad sacerdotes, doctrinam et pœnitentiam sibi querentes. Alii autem interrogantes, quid eis oporteat facere, sed festinante iudicio, et necessitatibus aliis super alias venientibus, cum non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ justitiæ, aut agendæ pœnitentiæ, festinatio eorum vacua erit. Hoc enim et in quotidiano usu videmus fieri. Quotidie enim sacerdotes clamant in ecclesia: *Qui peccavit, pœnitentiam agat: qui non peccavit, permaneat in Deo.* Neque seducant vos honores et divitiæ temporales: quia tempus vestrum prope est: et si consummatio vestra tardaverit, mors vestra non tardat. Et nemo credit, nemo obaudit. Cum autem venerit super illos mors, festinant et anxiantur, vocant sacerdotes, pœnitentiam volunt agere, quando jam pœnitentiæ locus non est. Itaque dum exponunt peccata sua, dum accipiunt pœnitentiæ tempus, et præcepta justitiæ, capitur anima eorum, et vadunt vacui, magis autem ligati justo iudicio Dei: quia non propter odium peccatorum displicentes sibi volebant pœnitentiam agere, sed propter mortis timorem. Adhuc enim si vivere potuissent, non sibi displicuissent. Alius autem venditor olei, id est, boni operis, pauperes dicit. Hortantur ergo prudentes virgines fatuas, ut eant ad pauperes, si patitur eas tempus, ut facientes eis bona justitiæ, misericordiam consequantur ab eis: quoniam per misericordias factas in eos, olei, id est, misericordiæ merces acquiritur. Ille autem dum vadunt, volentes tunc aliquid boni facere, propter quod possint cum fiducia occurrere Christo, venturus est Christus repente, et nihil eis proderit anxietas illa, tunc incipientibus bene agere, cum tempus bene agendi concluditur. 11. *Novissime autem venerunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi*

*nobis.* Nihil prodest ex necessitate repetita confessio ejus, qui ex voluntate nec semel confessus est. Nam voluntaria confessio et modica sufficit Deo: ex necessitate autem, neque magna. 12. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos qui estis.* Signa spiritus mei in vobis non video. Sicut enim qui immundum spiritum habet, bona opera facere non potest: sic qui Spiritum sanctum habet, opera non facit mala. Quare igitur vos opera non facitis bona, sed mala? Imaginem meam non cognosco in vobis. Imago autem mea est fugere malum, et sequi bonum: vos autem econtra fugistis bonum, et operati estis malum. Non potestis meorum militum præmia accipere, qui tyranni vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.

*Homilia liij. ex cap. xxv.*

14. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, etc.* Homo peregre profectus, Christus est, post victoriæ passionis ad Patrem iturus: voluntate misericordiæ homo, non necessitate natura. Commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctis. Ad regna enim cælestia ascensurus, et ad Patrem suum iturus, unde descenderat, peregre se iturum dicit, propter caritatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cum magis peregre esset in mundo, sicut ipse testatur dicens: *Incola enim ego sum in terra apud te (Psal. 118. 19).* Quando enim venit in mundum Jesus, adhuc peregrinus erat, neminem habens sui nominis confessorem: postquam autem venit, et discipulos acquisivit, jam paterfamilias erat: et ideo proficiscens de mundo, peregre proficiscatur. Vis autem scire quantum diligit fideles suos? Considera quid passus est pro eis. Si enim magis quam gloriam suam illos amavit, quasi homo moriens propter eos: quid mirum, si majore dilectione tenebatur sanctorum, quos relinquebat in terris, quam dilectione gloriæ, quam habebat in cælis? *Et tradidit illis bona sua.* Non invidens aliis plus dedit, aliis minus, sed considerans diversitatem fidei eorum. Qui autem invidus est, aut parcus, omnibus est parcus et invidus. Neque quasi acceptor personarum fecit differentiam gratiarum. Vis scire? Considera quomodo pene æqualiter remuneravit eum, qui minus obtulit, et eum, qui amplius. Si enim acceptor personarum fuisset, utique non tantum in danda gratia, quantum in reddenda mercede esset æqualis ambobus. Manifestum est, quod in danda gratia non personas asperxit, sed virtutem uniuscujusque consideravit: ne supra virtutem opus injungens, ipse occasio offensionis existeret, et non esset reus qui peccavit, si supra virtutem pondus imposuisset. Volens ergo Dominus socios nos habere in regno cælesti, opera nobis diversarum justitiarum commisit: non quia non habeat potestatem et sine operibus nos glorificare, sed ideo opus pramissit, quia sicut opera sine præmiis vacua sunt, sic præmia sine operibus sunt ingrata. 16. *Statim autem abiit qui quinque talenta acceperat, et acquisivit alia quinque.* De talento agnitionis Christi acquisivit unam justitiam bene vivendo. De presbyterio autem ipso acquisivit justitiam sollicitè præsidendo Ecclesiæ. De verbo acquisivit justitiam, verbum veritatis sinceriter prædicando. De baptismo lucratus est secundum Christi regulam baptizando, et dignos filios cum iudicio Ecclesiæ acquirendo. De sacrificio acquisivit justitiam, tam mundum et immaculatum sacrificium populo offerendo, et pro peccatis populi exorando. 17. *Similiter et ille qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo.* Ille est, duas justitias. Unam bene vivendo, quam acquisivit a fide Christi: alteram sinceriter ministrando, quam fecit ex ministerio diaconatus. 18. *Qui autem unum accepit, abiens fodit in terram.* Primum videamus, ut quid neque ille, qui duo talenta habuit, abscondisse talenta sua proponitur, cum multi diaconi inveniantur inutiles: neque ille, qui

accepit quinque, cum multi doctores inveniantur inutiles, sed ille tantum qui unum accepit, id est, populus? Attende. Deus secundum præscientiam suam, licet sciat qui justii futuri sint, et qui injusti: tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum, quod est talentum bonis quidem ad salutem, malis autem ad præjudicium, ut inexcusabiles fiant. Diaconis autem et doctoribus secundum prævidentiam suam, illis videtur Deus injungere ministerium diaconatus aut presbyteratus, qui sunt justii: qui autem inveniuntur injusti, illos homines ordinasse videtur, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoscitur qui a Deo ordinatus est, et qui ab hominibus. Qui enim ministerium suum bene consummaverit, apparet quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem ministerium suum non bene consummaverit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidam sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeste in libro octavo Canonum apostolorum dicitur. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantum ad Deum non est diaconus aut sacerdos. Ergo in sacerdotibus quidem et diaconis non est inventus ut perdat talenta, qui secundum præscientiam ordinatur a Deo. In popularibus autem evenit, quomodo etiam qui peccator futurus est, a Deo accepit fidei gratiam. Secundum hæc ergo quæ diximus, si presbyter aut diaconus peccator inventus fuerit: quoniam quantum ad præscientiam Dei (sicut jam diximus) non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur presbyter aut diaconus, quasi laicus invenitur inter eos qui unum talentum fidei acceperunt. Ac per hoc nemo ordinatus a Deo peccat, nisi ut qui unum talentum accepit a Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus a Deo præstatur, gratia autem clericatus non omnibus, sed dignis: quia in illa causa salutis est, in ista autem dispensatio mysterii. Nam et paterfamilias annonam quidem omnibus servis præstat, negotia autem sua non omnibus committit. Abscondit autem talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi, contemnit vitam spiritualem, et in terrenis actibus et deliciis conversans, obruit illud in carne sua, et sollicitudinibus mundi quasi spinis suffocat fidei saxe bonum, et non facit fructum. Hoc est enim, talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare. Sciendum est autem quod ille, qui fodit gratiam suam in terram, non peccare proponit, sed justitiam non facere. Qui enim peccat, non abscondere videtur gratiam, sed corrumpere. Si ergo in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei, carnaliter vivendo, fructum justitiæ non fecerunt: putas in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talentum fidei suæ peccando perdidit? Iste qui fodit talentum suum, similis est virginibus fatuis, quæ habentes lampades, oleum non habebant: tam enim illæ, quam iste putaverunt sibi ad salutem hoc solum, quod credebant in Christum, posse sufficere. Nam vere talentum non perdidit, id est, domini sui, tamen reus est damni. Non enim propter hoc solum unusquisque fit Christianus, ut sit Christianus, servans talentum fidei suæ, sed ut operetur justitiam Christo. Sicut enim qui seminandi causa accipiens semen, tempore sationis non seminaverit, damnum facit domino suo: etsi non perdidit semen, est tamen tantum damnum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset: sic qui accipit fidem Christi, et in hoc sæculo sationis non fuerit operatus justitiam, etsi fidem suam non perdidit, tamen tantum videtur peccasse, quantum potuit justitiam facere, si non neglexisset. 19. *Post multum vero temporis venit dominus servorum tuorum.* Primum videamus quare interim Dominus ascendit in cælum, post modicum iterum reversurus, et semper cum sanctis futurus? Ut videlicet absente eo fideles gloriam sibi et vitam æternam acquirant per fidem et opera. Præsente enim Christo nec tentari fideles poterant, nec probari, si essent veri fideles: quoniam si sit

præsens, non creditur, sed videtur: cum autem absens fuerit, non videtur, sed creditur, dum timetur. Christo igitur præsente, etsi tentationem aliquam sustinerent propter eum, aut justitiam facerent, opus tamen eorum non videbatur esse in fide, sed in oculis. Ideo nec poterant sibi mercedem fieri per justitiam acquirere, nisi ascendisset ab eis. Nam servus fidelis domino absente probatur: præsente autem domino quicquid fecerit non est laus servi, sed domini.

*Christus propter utilitatem nostram ascendit.*—Vides ergo quia non propter suam utilitatem Christus ascendit, sed propter nostram. Tempus autem differt largum, ut longior detur hominibus justitiæ faciendæ licentia. 20. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, dixit: Domine, quinque talenta tradidisti mihi.* Vide, bonus servus, non quasi glorians in opere suo, non primum lucri talentorum memoriam facit, sed primum memorat quæ accepit, postea quæ invenit: ut ostendat non studii sui aut laboris esse quod acquisivit, sed beneficiorum domini sui, quibus acquisivit. Tamquam si dicat: Domine, ego, quantum ad meum studium et laborem, nec modicam quidem justitiam facere potuissem, nisi gratia tua fuisset mecum. Sicut dicebat ille qui dicit: *Sed plus omnibus laboravi; non autem ego, sed gratia Dei mecum* (1. Cor. 15. 10). 21. *Ait ei dominus eius: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui.* Pauca sunt admodum. Si quis de magna massa tritici modicum dederit drachnam, aut de magno vase vini modicum dederit gustum: sic de magno thesauro regni cælestis modica nobis per Spiritum sanctum arrha præstatur. Propter quod dicebat Apostolus: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, destruentur ea quæ ex parte sunt* (1. Cor. 13. 9. 10). Non dixit, *Intra ad gaudium domini tui*: sed, *In gaudium domini tui*, ut possessor sit gaudii tui, non tantum spectator, et jam non quasi minister domini, in gaudio ejus, sed particeps gaudiorum. Sicut et alibi ipse dicebat: *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum, ut videant gloriam meam quam mihi dedisti* (Joan. 17. 24). Quid ergo dignum facimus in hoc sæculo, ut particeps Domini nosri in regnis cælestibus fieri mereamur? Ideo juste dicit Apostolus: *Existimo enim quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (Rom. 8. 18). 22. *Accedens autem et quod duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo.* Et si minor in opere, non minor in voluntate. Videns autem dominus quia servo illi non voluntas operandi minor fuit, sed virtus fidei: nam et ille voluit similiter amplius operari, sed magis desideris ejus non sufficit modica fides: ideo justus iudex, etsi non similia luca suscepit ab illo, quemadmodum ab isto, tamen sic benevolentia istum suscepit, quemadmodum et illum: quia Christus non magis operum remunerator est, quam voluntatum. Nec putet ergo diaconus, quod ex eo quod diaconus est, beatorum erit, quam laicus studiosus: non enim dignitas apud Deum honorabitur, sed voluntas. Nec diacono se beatiorem debet putare presbyter ex eo quod presbyter est, quam se, si fuerit bonus diaconus: quoniam gradus ministerii ex Deo est, perfecta autem voluntas ex nobis. Propter hoc non summi candi, quia non fecimus quod in parte nobis est: sed ex eo sumus judicandi, quod non posse, si volumus. 24. *Accedens autem et quod unum talentum acceperat, ait: Domine, miserere mei, quia non seminavi, et non sibi. O malitia peccatorum terrore mutatur! Qui enim simpliciter confiteri, ut irritaverat, simpliciter non solum non vult unum Primum, quia*



tio, quia et injuriam domino facit. Propterea sciens propheta quam mala sit excusatio peccatorum, dicit: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem (Psal. 140. 4)*. Dic ergo, serve mendax, quomodo metit Christus, ubi non seminavit? Quis enim hominum est, vel gentilium, vel Judæorum, quem non sufficienter spiritualibus et corporalibus sensibus adornavit, cui non dedit scientiam boni et mali, cui non dedit posse fugere malum, et apprehendere bonum, si vult? Sicut enim nullus est homo, cui aliquid corporis membrorum minus sit ad usum corporalem: sic non est, cui minus sit aliquid sensus aut potentia ad intelligentiam boni et mali, et ad omne opus bonum faciendum quodcumque voluerit. Si igitur etiam in gentibus seminavit gratiam suam, ex quibus nullus justitiæ colligitur fructus: quomodo in te metit quod non seminavit, quem quasi aratro spirituali crucis suæ verbo aravit, quem doctrina justitiæ seminavit, quem Spiritu sancto irrigavit? Tot semina suscipiens gratiarum, vel unum fructum justitiæ non debuisti offerre? Nam Deus hominem ex duplici creans natura, corporis et animæ: in corpore quidem creavit quinque sensus, et motus quosdam concupiscentiarum, nascentium ex occasione sensuum prædictorum: in anima autem creavit judicia et virtutes, ut intelligat maliarum rerum et bonarum discretionem, ut possit resistere motibus suis corporalibus. Qui ergo secundum delectationes carnales vivere elegerunt, neque considerant in anima sua judicia et virtutes esse creatas: nec enim experiuntur ea si sint, sed tantum sensus carnales, concupiscentiarum nascentium ex occasione sensuum prædictorum exsequuntur, ex quo fit, ut sic arbitrentur et dicant, quia omnia bona carnalia et mundialia ideo creavit Deus, ut omnibus eis utamur. Nam si vere non sunt creata in nobis secundum animam judicia et virtutes, quibus possumus resistere motibus concupiscentiarum nostrarum carnalium: certum est, quia ideo creata sunt bona carnalia, ut utamur illis. Si autem creatum est in nobis, et intelligere eos, et posse resistere eis sine dubio non ideo creata sunt corporalia bona et mundialia, ut eis utamur, sed ut resistentes eis, meliori studio acquiramus nobis mercedem. Nam nec intelligere malum et bonum in nobis esset creatum, nisi prius creatum fuisset et posse resistere malo. Ut quid enim homini datum fuisset intelligere, si non fuisset ei datum et posse facere quod intelligit melius esse? Numquid animalibus Deus creavit intelligere, quod honestius et laudabilius est? Non, quia nec creavit in eis posse facere aliquid quod melius est. Sic nec homini creasset intelligere, nisi creasset ei et quod intelligit facere posse. 26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: *Serve nequam et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, et congrego ubi non sparsi.*

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem eam cum usuris. Nequam dicitur, quia contumeliam reddidit domino pro honore: piger, quia talentum non duplicavit. Et ideo pro eo quidem quasi superbus, pro hoc autem quasi negligens condemnatur. Vere nequam, quia largitatem domini quasi violentiam accusavit. Nec enim Deus ideo gratiam intellectus, aut notitiam sui homini dedit, desiderans gloriam sibi acquiri per eum: sed ut per eam Dei ipse sibi vitam æternam et gloriam

nere, sed placare festinat, sciens quomodo qui metit, ubi non seminavit, magis vult metire, ubi seminavit. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem eam cum usuris. Quidam putant tres istos omnes doctores esse, differentes autem gratias habuisse: et hunc tertium ideo argui, quia non docuit alios gratiam scientiæ, quam habebat. Et quamvis omnis homo rationalis constitutus numularius dici possit, tamen nescio si habeat rationem, qui sic minimus est, ut unius talenti gratiam habeat. Qui numularius est, non indiget ejus: si autem est qui illius magisterio opus habeat, ille sine dubio numularius non est. Cauti enim hominis est, numularium esse, qui differentias pensat verborum. Ergo necesse est hunc tertium intelligere popularem, sicut diximus supra. Mensa est omnis Scriptura divina, sicut et alibi exposuimus, secundum quod dicit propheta de Scriptura Veteris Testamenti Judæis scandalum facta: *Fiat mensa eorum coram ipsis in iaqueum, et in retributionem, et in scandalum (Psal. 68. 25)*. Non enim mensa eorum corporalis facta eis in scandalum, sed Scriptura legis eorum. Legentes enim in lege, *Maledictus omnis qui pendet in ligno (Deut. 21. 25)*: et videntes Jesum crucifixum, contra legem æstimaverunt credere in Jesum crucifixum, quem lex maledictum annuntiabat: non intelligentes, quia nostram maledictionem in ligno susceperat, ut nos liberaret a maledictione, quam susceperamus per lignum: et sic facta est eis mensa eorum, id est, Scriptura legis eorum, in scandalum. Item videntes eum in sabbatis operantem, leprosus tangentem, a quibus omnibus abstinere lex diligenter præcipiebat, scandalizati sunt in eum, dicentes: *Hic homo non est ex Deo, qui sabbatum non custodit (Joan. 9. 16)*: non intelligentes, quia corporale quidem solvebat, spirituale autem implebat. Et hoc modo facta est eis mensa eorum, id est, Scriptura legis eorum, in scandalum. Ergo mensa est omnis Scriptura divina, in qua panis verbi nutriens animas positus est, supra quam omnes Christiani recumbunt, et epulantur in spiritu. Numularii autem prædicates mensæ illi sunt sacerdotes fideles et prudentes: qui cum viderint fidem et actus Christianorum, accipiunt iudicium de Scripturis, quasi de mensa, et ponderant eos, et æstimant, et intelligunt si digni sunt Deo, aut non. Et si habent charagma, id est, figuram et imaginem mundi, sunt ipsius, et oportet eos abjicere. Huic mensæ qui commiserit fidem suam, quam baptizatus suscepit a Christo, ut in Ecclesia permaneat, Scripturas aut legat, aut audiat incessanter ex fide, ut alloquutionibus sacerdotum nunquam fraudetur. Impossibile enim est, ut non multiplicetur fides ipsius. Paulatim enim de die in diem timor Domini generatur, sensus ejus illuminatur, scientia ejus crescit, confirmatur in fide, excitatur ad desiderium regni celestis, apprehendit eum zelus antiquorum sanctorum quos legit, excitatur et ipse plerumque ad easdem virtutes. Vides quantum usuram facit augmentata fides, data ad mensam Scripturarum sanctorum. Sicut enim pecunia hæc corporalis quidem, si sit in sacculo, inclusa ipsa est semper; si autem fuerit agitata de manu in manum, usu ipso multiplicatur, unde usura dicitur ab usu: sic et fides Christi, siquidem otiosa teneatur in corde, non solum ipsa manet que fuit, sed adhuc minoratur in otio, et torpescit, et segnis efficitur, et paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit: si autem exercitata fuerit Scripturis, alloquutionibus assiduis suscitata, operibus bonificata, non solum dico, multiplicabitur, sed etiam desinet crescere, donec vivet homo. Sed nos ex nobis hoc dicimus? Ipse denique in principio Psalmorum suorum hunc anserit beatum. Nam cum dixisset, *Beatus vir, qui in consilio impiorum, et in via peccatorum non sedet, in cathedra pestilentia non sedit, et in consilio iniqui voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur (Psal. 1. 1. 2)*. Et quod sit lucrum melius



tionis huiusmodi. subinfert, dicens: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur* (Psal. 1. 3). 28. *Tollite itaque ab eo talentum, et date ei quæ habet decem talenta.* 29. *Omni enim habenti dabitur, et abundabit.* Peccator agnoscens Christum, habet hanc ipsam gratiam, quod cognoscit Christum: sed cum venerit in iudicium Christi, dividitur a consortio cognoscentium Christum: et sic tollitur ab eo, quod videbatur habere, quamvis vere non habebat. Quomodo qui cognoscit Christum, et peccat, videtur quidem habere scientiam Christi, vere autem non habet: et insa notitia Christi additur homini justo qui habebat. Ille vere habet scientiam Christi, qui iustitiam facit. Et quomodo ei additur scientia Christi super scientiam? Ut qui videbat per speculum in ænigmate, videat facie ad faciem: et qui cognoscebat ex parte, cognoscat sicut cognitus est (1. Cor. 13. 12). Sed aliter intelligitur. Qui fidem habet, et bonam in Domino voluntatem, etiam si quid minus in opere quasi habuerit, nihilominus remuneratur a Iudice bono: qui autem fidem non habet, aut bonam in Domino voluntatem, etiam cæteras virtutes, quas videtur naturaliter possidere, perdit. Eleganter ait, *Quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quicquid enim boni sine fide Christi est, non ei imputatur, qui male usus est eo. Sicut sunt multi, qui videntur quidem aut mansueti, aut humiles esse: sed quia non sunt hoc propter Deum, licet videatur esse aliquid bonum eorum, non autem est: quia quod non est ex fide, peccatum est. 30. *Et hunc nequam serum projicite in tenebras exteriores.* Considerandum est, ut quid non dixit, *Mittite eum in tenebras inferiores: sed, In tenebras exteriores.* Quidam dicunt non tantum esse infernum deorum, sed extra mundum istum esse aliqua tenebrosissima loca et ignea, in quibus puniuntur qui digni sunt. Forte ergo ideo dixit exteriores tenebras, et non inferiores. Qui considerat quomodo sequens parabola parabolæ huic præcedenti conjuncta est, et quomodo pars est parabolæ hujus: nec enim alterius rei parabola est, nisi ipsius: non sine ratione requirit: quia quod ait: *Post multum temporis veniens dominus ærorum illorum, posuit cum eis rationem:* non de secundo dicit adventu, quando venturus est cum majestate: sed de adventu, qui frequenter solet venire ad omnes Christianos, quibus gratiam dedit suæ cognitionis: et discutit eos, et ponit rationem cum eis, ut iudicet eos, et justos ab iniquis discernat, sicut exposuimus supra in parabola ubi dicit: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis* (Math. 18. 23). Habet autem alia parabola sic: 31. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, 32. et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ac si dicat: Interim quidem sic veniet, sic ponet rationem cum servis suis, sic discutiet eos, sicut exposui in ista parabola. Cum autem venerit Filius hominis in majestate Patris sui cum angelis suis, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, tanquam non semper veniens cum majestate Patris veniat, nec cum angelis suis, nec semper veniens sedeat in sede majestatis suæ, sed tunc tantummodo fiet hoc. Sed et illud vide, quomodo in hac parabola peccatorem non in ignem, nec in aliquam pœnam, sed tantum in tenebras exteriores mitti præcepit: in illa autem, cum venerit in majestate Patris, jam non tantum in tenebras exteriores, sed et in ignem mittet, et pœnas. Item in hac parabola justum in gaudium jubet intrare, in illa autem in regnum. Adhuc autem quod ait, *Accedens autem et qui unum talentum acceperat ait: Sciebam quia homo durus es, metis quod non seminasti, et congregas quod non sparsisti:* putas in secundo adventu, cum venerit sic terribiliter cum gloria sua, stabit peccator ante eum, et talia dicet? Absit. Maxime cum nec asiliment viri prudentes personale tunc fore iudicium, ut per singulos homines Christus quidem inter-

roget, peccator autem respondeat, et gesta narrationum conficiantur: sed verius est quod ait Apostolus, quia in cogitationibus suis iudicabitur unusquisque dicens: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente sibi conscientia eorum, et in se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, cum iudicabit Deus occultu hominum secundum evangelium meum per Jesum Christum* (Rom. 2. 15. 16). Ergo in hoc sæculo, quamdiu sunt Christiani in corporibus suis, venit Christus ad eos, et ponit rationem cum eis invisibiliter, et interrogat eos in cogitationibus eorum, et audit eos in ipsis loquentes, sicut scriptum est de utroque. De hoc quidem, quia *In cogitationibus impij interrogatio erit* (Sapient. 1. 9); de illo autem, *Quia cogitatio hominis confitebitur* (Psal. 75. 11). Uti puta, dicit in Psalmo: *Viduum et pupillos interfecerunt, et advenam occiderunt, et dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob* (Psal. 93. 6. 7): non quia talia fuerunt specialiter verba illorum, sed quia tales sunt cogitationes hominum facientium mala. Nec enim facerent mala, si cogitarent, Deum aut intelligere aut videre quæ faciunt. Sic et hic, non quia talia specialiter sint dicta hominis justi, aut peccatoris: sed quia tales sunt cogitationes eorum, et cogitationes eorum quasi dicta ponuntur. Omnis enim vir justus, qui facit opera bona solum propter Deum, cum venerit in recordationem actuum suorum honorum, necesse habet venire frequenter, aut Deo movente cogitationes cordis ejus in eo, aut diabolo, prætermisso Deo: nescio tamen, cum venerit considerans intra se et actus suos bonos, et naturam carnis suæ malevolam, sic loquitur in cogitationibus suis: Non ego hæc feci. Nec enim credibile sine Deo naturam carnis injustam facere opus justum, sed virtus gratiæ Christi, quam dedit hominibus per fidem nominis sui. Et talis cogitatio ejus sit confessio ante Christum, audientem tacitas cogitationum loquentium voces. Item omnis peccator, qui fecit opera mala, cum venerit in recordationem actuum suorum malorum: necesse enim habet venire frequenter, sive ipso Christo movente cogitationes cordis ejus in eo, sive diabolo, Dei permissione: scio tamen, veniens numquam seipsum reprehendit in cogitationibus suis, numquam seipsum accusat, numquam se iudicat reum, sicut solent facere si deliquerint justi: alioquin et compunctus emendaretur; sed excusat se semper in cogitationibus suis, et absolvere se festinat a reatu peccatorum suorum. Aut enim naturalibus necessitatibus imputat quod peccavit, aut plus ab omnibus Deum exigere dicit, quam ipsa patitur hominum habitudo. Non potest enim bona cogitare, qui mala opera facit: sicut nec mala cogitare potest, qui facit bona propter Deum. Et bonus quidem forsitan interdum mala cogitat: quoniam omnis homo etsi secundum voluntatem anime bonus est, tamen secundum naturam carnis malus est. Malus autem impossibile est ut cogitet bona, quoniam et secundum naturam carnis malus est, et secundum animæ voluntatem perversus, et talis cogitatio maligna fit. Quando enim peccator nihil boni posse facere arbitratur, impediende natura, nisi tantum cognoscere Deum et Christum Filium ejus: nonne cogitationibus suis hoc dicere videtur ad Christum? Quia nihil boni posse facere creasti me, nisi solum cognoscere: ecce habes beneficium tuum. Et hoc ipsum quasi nihil æstimans dicit, quod Christum cognoscit. Similiter et judicia Christi, et occulta de hominibus aut bonis, aut malis, quasi responsa ponuntur: id est, non quia specialiter sic Christus respondit, sed quia talia sunt iudicia Christi invisibiliter judicantis. Congratulatur autem justus apud seipsum: primum, quia talia opera fecit: deinde, quia nihil eorum sibi imputavit, sed omnia Christo; propter quod superaddit ei gratia Spiritus sancti, et introducit eum in suum gaudium, ut sic gaudeat in futuræ spe gloriæ suæ, sicut gaudet et Christus. Nam quantum largior fuerit spes hominis, tantum cordis ejus gaudium plenum est. Sicut in alio loco Dominus

dicit discipulis suis: *Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur* (Joan. 15. 11), id est, spes vestra. Spes enim plena hominis, plenum est gaudium cordis ipsius. Peccator autem qualia diximus cogitans, graviter fert: primum, quia mala fecit: deinde, quia ingratus est, nullam virtutem se æstimans accepisse ad faciendum opera bona, nisi nudam notitiam ejus. Propter quod jubet tolli ab eo etiam hoc ipsum quod cognoscat Christum, et mittit eum in tenebras exteriores. Jubet autem, sicut arbitror, malignos spiritus ministrantes sibi ad mala, qui obscurant mentem ejus et obligantes opera ejus, et consilia simul, quod est manus et pedes, ut nihil ulterius boni aut consilii possit, aut agere, mittunt eum foras. Ubi foras? Extra Ecclesiam Christi, extra fidem veritatis, extra conventum sanctorum, in hæreses tenebrosas, ubi non apparet lux veritatis, sol justitiæ numquam splendet. Non enim dixit, In tenebras inferiores, ut infernales intelligamus: sed, *In tenebras exteriores*, ut hæreses intelligamus præ cæteris plus tenebrosas. Aut certe quamdiu quidem peccator mala operatur, aut cogitat, in tenebris est, sed in tenebris propinquioribus: quando autem in hæresim quamdam projicitur, tunc projicitur in tenebras exteriores.

*Homilia liv. ex cap. xxv.*

31. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ*, etc. Crininosas personas judex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se constituit vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam calliculam, unde tribus digitis mortem hominum scribat aut vitam: hinc inde officiales ordinate consistunt, in medio secretario ponuntur genera horrenda pœnarum, quæ non solum pati, sed et videre tormentum est. Stant juxta parati tortores, crudeliore aspectu quam manibus. Tota judicii facies cujusdam schematis terrore vestitur. Et eum ad medium productæ fuerint criminosa personæ, ante interrogationem judicis ipsius, judicii terribili discutiuntur aspectu. Similiter et Dominus se ad judicium venturum promittit similiter cum tremore, non cum simili terrore. Nam et bona et mala similiter ordinata sunt in terra sicut in cælo, non tamen similia. Ergo videntes in terra pœnas, et glorias, non similes putare debemus in cælo: sed cum sint talia super terram, multo majora suspicari debemus in cælo. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum cæleste judicium a terreno. Istius enim judicii splendor in schemate, illius autem judicii majestas in veritate, testante propheta: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (Psal. 49. 3). *Manifeste*, inquit, non jam celatus in corpore, sicut antea, ut vix eum etiam boni cognoscerent: sed manifestus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur inviti: ut qui contempserunt eum, in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt quam dulcis est misericordia ejus, sentiant quam gravis est ira ipsius. *Deus noster, et non silebit*. Non dixit, Et silebit, ostendens quia ipse quidem de se tacebit, sed ipsa gloria ejus de ipso loquatur. Aliquando transfiguratum eum in monte viderent apostoli, acceperunt mandatum ne cui dicerent (Matth. 17. 9), ne videretur Christus per potentiam subjugare sibi populum, et non per fidem. Tunc autem jam nemo tacebit, quia non est venturus adhuc tentare fideles, sed jam perdere infideles. Tunc prædicatores necessarii non erunt. Nam etsi vox omnium taceat, visio ipsa clamabit, sicut ipse de secundo suo adventu dicit: *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, sic erit adventus Filii hominis* (Matth. 24. 27). *Tunc sedebit super sedem majestatis suæ*. Scimus certissime, quia sedes Christi homines sunt. Cum ergo de primo adventu et ascensu Christi dicit propheta, *sedes eum super sedem sanctam suam*, hoc modo: *Ascendit Deus in strepitu, Dominus in voce tubæ: Deus sedet super sedem annuntians virtutem* (Psalm. 46. 6. 9): quomodo

hic secundum suum adventum exponens, dicit, *Tunc sedebit super sedem gloriæ suæ*? Sed vide quia in primo adventu sedem Christi sanctam dixit, in secundo autem gloriosam. Quomodo? in primo adventu mundavit nos per verbum, lavit per aquam, sanctificavit per Spiritum: in secundo autem glorificabit per resurrectionem, cum transformaverit corpus humilitatis nostræ, ut fiat conforme corpori gloriæ ejus (Philipp. 3. 21): cum seminati fuerint homines in infirmitate, et surrexerint in gloria: cum seminati fuerint corporales, et surrexerint spirituales (1. Cor. 15. 45. 44): tunc sedebit in sede gloriæ suæ. cum sedes ejus hoc modo facta fuerit gloriosa. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*. Quia omnibus gentibus cognitionis suæ gratiam condonavit, judicans juste in utroque, ut nec boni, sine doctrina veritatis, bonitatis suæ fructus amittant: nec mali, propter excusationem ignorantia, malitiæ suæ pœnas effugiant. Nam sicut in nocte rerum facies non apparet, sed et gemma quasi lapis videtur, et lapis quasi gemma existimatur: sic et ante adventum Christi humanorum cordium differentia non apparebat, sed et mali quasi boni sustentabantur, et boni quasi mali contemnebantur. At ubi illuminatio Evangelii ad omnes gentes prædicata pervenit, tunc manifestata est qualitas omnium voluntatum, tunc omnes gentes inexcusabiles factæ sunt. Et ideo tunc juste ad judicium congregabuntur omnes, quia qui mandatum præmittit, tacite judicium futurum esse denuntiat. *Tunc segregabit eos ab invicem, sicut segregat pastor oves ab hædis*. Tunc enim homines mixti sunt, et non solum mixti, quomodo in iisdem locis simul conversentur justi cum impiis, sed etiam confusi sunt, quomodo inter justos et impios, quantum ad homines discretio non apparet. Sicut in tempore hiemis inter virides et aridas arbores discretio non est; cum autem venerit tempus illud beatum vernale, discernuntur: ita nunc unusquisque secundum fidem suam et secundum opera sua manifestabitur, impiis quidem nulla proferentibus folia, nullum ostendentibus fructum: sancti autem et foliis vestientur vitæ æternæ, et fructibus onerabuntur gloria. Et hoc modo segregabuntur a Domino cælesti pastore. Et pastor quidem corporalis segregat secundum naturas corporum, Christus autem secundum genera animarum segregat homines. Oves sunt homines justi, propter mansuetudinem, quia ipsi neminem lædunt: propter patientiam, quia cum ab aliis læsi fuerint, sustinent. Et sicut oves, quando ligantur, aut tacent, aut in simplicitate balant: sic et sancti, cum læduntur, aut tacent, aut certe in benigne probati, preces transmittunt ad Deum. Et sicut ovis ad mortem ducitur, et non clamat; vita ejus tollitur, et mansuetudo ejus non immutatur: sic et sancti maledicuntur, et non remale dicunt: percutiuntur, et non repercutiunt: bona eorum diripiuntur, et illi non contradicunt: dolorem sentiunt, et clamorem non emittunt. Et quid opus est clamoribus, eum ille qui nocet, non miseretur, etiamsi clamaveris? ille autem qui misericors est, miseretur, etiamsi non clamaveris, audit et videt? Hædos autem homines peccatores dicit, quia in capris naturaliter hæc insunt vitia: libido præ cæteris animalibus, superbia, rixa. Semper enim se percutientes incedunt, et modo humero pulsante, interdum cornu percutiunt. Item invidi sibi alterutri invident: sicut significat Salomon de invidis, dicens: *Sicut capra, sic aspiciat ruinam proximi sui* (Eccl. 11. 32). Item jactantes sunt et gloriantes, sicut idem significat Salomon, dicens: *Tria sunt, quæ securiter ambulant, leo inter jumenta, gallus inter gallinas, et hircus præcedens capras* (Prov. 30. 29-31). Item capræ multum trabuntur concupiscentia gula. Propter gulam namque suam per saxa et præcipitia ambulant, et super præcipitia se suspendunt. Item clamoribus super omnia garrulae. In omnibus his vitiis peccatores abundant, et ideo hædis sunt assimilati. Adhuc quæro, quare non coruin similes introduxit greges, dicens: Ita separabit eos, sicut oves ab hæreis: aut ita, Sicut agnos ab hædis?

Sed videte quomodo volens ostendere, sanctos perfectos in omnibus, ponendos ad dexteram: et impios omnino infructuosos, ad sinistram: ideo sanctos, oves: impios autem hædos vocavit. Quomodo agni, etsi natura mansueti sunt, tamen non sunt omnino fructiferi propter ætatem: fructum enim adhuc non habent lactis et lanæ. Item capræ etsi malignæ sunt ex natura, tamen ex aliqua parte fructiferæ sunt per ætatem; lactis enim abundantiores exhibent fructus. Hædi autem et mali sunt ex natura, et omnino infructuosi sunt ex ætate. 33. *Et statuet oves ad dexteram suam, hædos autem ad sinistram.* Quando aliquis ante conspectum regis aut iudicis introducit, ex ipso loco, ubi stare jubetur, intelligit, si propter bonum introductus est, aut propter malum. Si enim propter bonum, statim vocatur in proximo: si propter malum, longe stare jubetur: sic et istos, Deus justos quidem ad dextram constituet, et peccatores ad sinistram: ut unusquisque meritum suorum conditionem ex ipsius loci qualitate cognoscat, et ante iudicii sententiam pœnam confusionis excipiat. Merito justos ad dextram collocat, quia nunquam cognoverunt sinistram: merito impios ad sinistram, quia nunquam cognoscere voluerunt dexteram partem. *Vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus; perversæ autem sunt, quæ a sinistris sunt* (Prov. 4. 27). Ecce enim, si tu consistas in publico pariter cum amico, et veniens aliquis illum salutet, et te contemnat, aut separans illum a te, cum illo loquatur, aut familiariter cum illo jocetur: nonne tu relictus solus, stas aporiatus in publico, et graviorem existimas illam confusionem, quam mortem? Et quomodo putas impios confundendos in die iudicii, quando ante conspectum angelorum, segregatis justis, fuerint derelicti? Nonne, etsi nihil ulterius paterentur, illa sola verecundia sufficeret eis ad pœnam? Apostolus autem dicit sanctos jam collocatos esse ad dexteram virtutis per ascensionem et sessionem Domini Salvatoris (Ephes. 1. 20). Nam sicut in carne sua omnem carnem suscepit, et crucifixus omnem carnem crucifixit in se, et resurgens omnem resuscitavit in se: sic ascendens, et sedens ad dexteram Dei, omnes ad dexteram collocavit. Quomodo hic dicit, quia tunc statuet oves quidem ad dexteram, hædos autem ad sinistram? Sed vide quia nunc nos collocavit ad dexteram, ad agendum ea, quæ sunt dexteræ partis: postea autem statuet ad dexteram suam, ad coregnandum. 34. *Tunc dicit illis qui ad dexteram.* Et quare non illis ante, qui sunt ad sinistram? Quia paratior est Deus semper ad beneficiendum, quam ad malefaciendum. Nam bona bonis secundum propositum suum præstat, quia bonus est: malis autem mala contra propositum suum facit invidus, quia iudex est. Quicquid autem homo contra naturam suam agit, pigrius agit. Si enim Christus delectaretur in pœna peccatorum, nunquam seipsum pro peccatoribus tradidisset. *Venite, inquit, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quia dedistis quæ semper habere non poteratis, recipite quæ in perpetuum possideatis. Merito centuplum super cælum, qui unum seminastis in terra. Non enim quantum iustitia hominum potest mereri, tale creatum est regnum cælorum: sed quale Dei virtus potuit præparare. Si enim secundum angustias humanæ iustitiæ regnum cælorum creare voluisset, utique post opera hominum illud creasset: nunc autem, quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem sanctorum: ideo antequam sanctos crearet in sæculo, regnum cælorum præparavit in cælo. Propterea et quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, et tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno cælesti. quia non secundum modicitatem hominum regnum Dei exinanitor, sed secundum magnitudinem regni homines sublevantur. 35. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, et cætera quæ sequuntur.* Hodie si amicus tuus, aut colonus, aliquid tibi offerat munus, verbi

gratia, aliquid vestimentum: tu autem despiciens illud, eo ipso vidente, des illud uni ex circumstantibus tibi servis, nonne munus vilescere facis, et confundis graviter offerentem? Si vero suscipiens munus illius, statim vestieris te, et processeris cum ipso vestimento, magnificas munus, et nimis laudificas offerentem. Putas, quanto gaudio extolluntur sancti, quando in conspectu omnium angelorum, quod fecerunt hominibus, ipse Dominus fatetur se accepisse? Jam tunc videtur opus eorum, non quale datum est, sed qualis persona illius qui accepit. 37. *Tunc respondebunt et iusti dicentes: Domine, 38. quando te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te? Quando autem te vidimus esurientem, et pavimus: aut sitientem, et potavimus? 39. Quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? O humilitas, quorum nec post mortem deficiet! Homo enim malus etiam falsis laudibus delectatur, vir autem bonus etiam debitam sibi laudem fugit. Ecce si per errorem personæ veniens aliquis, pro altero alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodam, quamvis in conscientia sua cognoscat se nihil tale fecisse, tamen tacet et congaudet, audiens quæ non sunt sua: si vero bono alicui gratias agit, quamvis bonus ille intelligat verum esse quod de se dicitur, tamen refugit, et repellit audire etiam ea quæ sibi debentur. Sic et sancti debitam sibi laudem tunc repellentes dicunt: *Quando te vidimus esurientem? 40. Et respondens rex, dicit eis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis.* O bonitas Christi! Esto, quamdiu in corpore contemptibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, ut propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret: quid autem dicamus, quod in illa gloria constitutus, adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos servos illos vocaret? Detrahet sibi quod habet, ut illis præstet quod non habent. Ecce homo si ex humili generatur, et Deo præstante ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescit generationem suam audire. Si quis dixerit eum illius esse filium, indignatur se ipsum confiteri quod est, ut appareat quod non est. Et Christus adhuc gloriabitur, fratres suos dicendo, sedens in majestate. Et merito: quia veniens in iudicio gloriæ, non mutavit voluntatem priorem. Hoc potest intelligi et de doctoribus, qui esurientibus iustitiam dederunt cibum doctrinæ, quo nutrentur, et pinguescerent in actibus bonis: qui sitientibus Dei agnitionem, potum veritatis ministraverunt. Aut certe cibaverunt eos, in verbo docentes: potaverunt autem, in Spiritu sancto baptizantes animas peregrinas in mundo. Omnes enim animæ recte peregrinæ sunt in hoc mundo, quæ possunt dicere: *Quoniam advena sum ego apud te in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei* (Psal. 38. 13). Verbum enim fidei prædicantes, colligunt animas ex dispersione alicujus erroris, et faciunt eas domesticas et cives sanctorum. Ipsum colligunt Christum, qui nudos, et adhuc sine aliquo indumento iustitiæ, docendo iustitiam vestiunt, sicut scriptum est: *Induite vos viscera mi sericordiæ, fidem, pacem, caritatem* (Coloss. 3. 12), aut Christum, baptizantes eos in Christo, sicut scriptum est: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (Gal. 3. 27). Et qui tales infirmos et morbo carnalium vitiorum languentes visitat, et medicamento curat doctrinæ, Christum curat in eis: quia sicut in integris animabus Christus integer est, sic in languentibus languet. Sed et qui venit ad eos, qui vivi descenderunt in infernum, opera infernalium facientes, id est, qui sunt in carcere, et sunt jam sub custodia dæmonum, sicut dicit Scriptura: *Descendant in infernum viventes* (Psal. 54. 16): veniens autem per verbum educit eos de illo carcere infernali, ut liberet eos de custodia dæmonum, ut possint dicere gratias agentes: *Domine Deus, clamavi ad te, et sanasti me: Domine, revocasti ab inferis animam meam* (Psal. 29. 3. 4): ad Christum venit in carcere. Si enim hæc omnia corporaliter corporibus ministrare*

debemus, et magnæ beatitudinis est, quæ omnino post modicum sunt moritura : putas, quantæ beatitudinis est, hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus ministrare, quæ vivificatæ possunt vivere in æternum ? Quanto melior est anima quam corpus, tanto meliora sunt quæ ad salutem animarum, quam quæ ad sustentationem corporum ministrantur. 41. *Tunc dicit illis, qui ad sinistram sunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Quasi qui non sufferat præsentiam illorum vel aspicere, sic dicit, *Discedite a me.* Nam sicut carnales sæculi carnales speciositatem videndo delectantur, si qua autem dissipata vel deformia videamus, quasi vulneratus est aspectus noster : sic et Deus, qui in sanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aspiciens, quasi gravatus non suffert. Tamquam si dicat eis : Quasi putredo et spurcitia estis, nec tamdiu vos sustineo, quamdiu statis in iudicio meo. Ut quid superius dicit : *Venite, benedicti Patris mei* : et hic non dicit, *Discedite a me, maledicti Patris mei* ? Quia benedictio quidem ex Deo est, maledictio autem ex diabolo est : sicut ostenditur in illa parabola patrisfamilias, qui seminavit bonum semen in agro suo, homo autem malus seminavit zizaniam. 42. *Esuri et dedistis mihi manducare,* et cætera quæ sequuntur. Ex isto loco sciendum est, quod non tantum pro eo, quod peccaverunt, homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo, quod bene non faciunt. Si autem pro eo, quod bene non faciunt, sic condemnantur : putas quales penas exsolvent pro eo, quod peccant ? Et digne : Deus enim ideo hominem fecit, ut benefaciat, et ad gloriam Dei pertineat : non ideo tantum, ut non peccet. Nam si non faciat bonum, nec est causa quare creatus est. Sine dubio enim et si creatus non fuisset, peccatum non fieret super terram. Nam qui intelligit mysterium divinæ dispensationis, quare factus est homo, cognoscet quia merito quasi peccans condemnatur, qui iustitiam non facit. Ideo Deus creavit hominem corruptibilem et infirmum, quasi ad certamen contra diabolum, ut qui gloriabatur esse se similem Deo, per corruptibilem naturam evacuatus et victus, ostendatur non solum non esse quasi Deus, sed omni fragilitate fragilior. Unde cum istud propositum suum Christus impleverit per hominem, id est, cum evacaverit omnem principatum et potestatem, tunc tradet regnum Deo Patri. Ideoque qui suo arbitrio et negligentia diabolo locum dat, confundit eum, qui propter gloriam suam contra diabolum, eum quasi in expeditione creando transmisit : et victus, ostendit diabolum potentem esse, cum nihil possit. Quemadmodum si quis a rege suo contra hostem transmissus, colludit cum eo, et factione habita, fugam petit : prodit causam regis sui, et con-

fundit virtutem ipsius. 44. *Tunc respondebunt et ipsi dicentes : Domine, quando vidimus te esurientem, aut sitientem ? O inconvertibilis inobedientia peccatorum !* Quis non intelligat hoc, quia omne malum facimus, non quia homines corruptibiles sumus, sed quia malum propositum possidemus ? Ecce enim tunc hominum peccatorum corruptibilitas carnis mortua erit, et adhuc malitia vivet. Numquid non audierant Dominum supra dicentem ad justos, *Quando uni minorum istorum fecistis, mihi fecistis ?* Et utique intelligere debuerant, quomodo qui hominibus non facit, nec Christo facit. Sed audientes adhuc contradicunt, intelligentes fingunt se non intelligere : in iudicio stant, et adhuc peccare non cessant. Et hic consoquenter et de doctoribus malis intelligi potest, qui sic esurientibus et sitientibus cibum iustitiæ, aut potum agnitionis Dei, aut Spiritus sancti non præstiterunt ; qui sic nudos non vestierunt, aut iustitiam docentes, aut in Christo baptizantes ; qui sic peregrinos in mundo non collegerunt per verbum, nec in Ecclesiæ domum per fidem introduxerunt ; qui sic infirmos non curaverunt sermonibus ; qui in tali carcere impietatis sedentes non eduxerunt per poenitentiam. Si enim hæc corporis corporibus non præstare tantæ impietatis est, quæ, et si accipiunt ea, non possunt vivere semper : putas, quantæ impietatis est, hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus non ministrare, quæ poterant vivere in æternum, si hæc eis ministrata fuissent ? Quanto enim melior est anima quam corpus, tanto gravius peccatum animabus laborantibus spirituales elemosynas non præstare, quam corporibus corporales. In Ecclesia ergo non solum sunt pauperes corporaliter, esurientes, aut debiles corporaliter, aut peregrini secundum corpus : sed etiam spiritualiter pauperes, sine cibo iustitiæ, sine potu agnitionis Dei, sine vestimento Christi. Maxime spiritualiter pauperes sunt, qui corporaliter videntur divites esse : quoniam plerumque in abundantia rerum inopia iustitiæ invenitur. Sunt peregrini corde, sunt debiles animo, sunt mente cæci, inobedientia surdi, et cæteris passionibus spiritualibus ægrotantes, quorum animæ omnem escam spiritualem abominantur, *Et appropinquaverunt usque ad portas mortis (Psal. 106. 18).* Qui ergo non habet unde faciat elemosynas corporales, faciat spirituales ex gratia verbi, quam accepit a Deo, et inveniet retributionem dignam a Christo : qui omnia tam corporalia quam spiritualia data quasi in se facta commemorat, quæcumque in hominibus facta fuerint. Hæc diximus, ut sciant doctores et quantum beatitudinis sibi acquirant, si diligentes fuerint circa verbum Dei : et quantum donationis, si fuerint negligentes.

## ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO SEXTO CONTINENTUR.



### PREFATIO.

5-12

INTERPRETATIO IN ISAIAM prophetam. — Laus Isaiæ prophetæ ; sanctorum et prophetarum amor erga populos ; nullus ad suscipiendam rempublicam aptior quam philosophus. 11-13

CAPUT PRIMUM. Visio quam vidit Isaias. — Apostolus a Deo missus, ut nomen ipsum sonat ; nobilitas non ex majoribus sed ex merito proprio. Sacrificia veteris Testamenti Deo per se non placebant ; cur fuere instituta ; repudium in veteri lege cur permissum. Oratio inutilis est cum quis perseverat in peccatis. Liberi arbitrii potestas ; virtutis excedendæ difficultates. Non modo malum perpetrare, sed etiam bonum non agere crimini datur. Judæorum objectioni respondetur. Idololatriæ turpitudine et vanitas. 13-27

CAP. II. Verbum quod factum est ad Isaiam filium Amos. — Multæ prophetiæ de Patriarchis editæ, nonnisi in eorum nepotibus impletæ sunt. Quid significant verba, *In novissimis diebus.* Mons Domini Ecclesia est ; Ecclesia vexata vicit et aucta est. Validum contra Judæos telum. Aliud insigne contra Judæos argumentum. Imperii status cum Chysostomus loqueretur ; de bello apud populos antiquiores. 27-39

CAP. III. Præstat nullum quam malum ducem habere. Improbi virtuti sunt infensi ipsiusque vel præsentiam æger ferunt ; nequitia in seipsis supplicium habet. Deus jus dicens ab Isaiâ inducitur ; stupidis accusari non grave, plecti terribile ; peccata principum et seniorum majora privatorum peccatis. Mulierum luxus, Mulierum lascivia

corporales : spirituales quidem animabus, corporales autem corporibus. Quoniam autem in Ecclesia non solum sunt pauperes in corporalibus rebus, sed etiam in spiritualibus multo pauperiores : *Ut det cibos in tempore*, id est, in tempore opportuno. Quid est, in tempore opportuno? Quasi est aliquod tempus, quando non est opportuno docere, cum dicat Salomon : *Doctrina et flagella in omni tempore (Eccli. 22. 6)*. Sed puto hoc intelligendum tempus opportunum doctrinae, quomodo dicit et propheta : *Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te (Isai. 49. 8)*. Quando misericordia Dei non est acceptabilis? Sed praecipue tunc est acceptabilis, quando necessitatis et angustiae tempus est : sicut et semper pluvia bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum semper suavis est, multo tamen suavior in tempore luctus : sic doctrina et consolatio sacerdotis semper opportuna est, maxime autem in tempore persecutionis. Sciens ergo Christus sanctos suos sine tentatione nunquam futuros, ideo dicit, *In tempore opportuno* : quia qui semper aegrotat, semper illi ars medici opportuna videtur. Nam sicut navis tunc praecipue gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur : quando autem prosperata est, ipsa se dirigit ; et miles tunc praecipue necessariam habet annonam de rege, quando bellum et periculum instat : quando autem pax est, undecumque possunt se milites sustentare : sic Ecclesiae praecipue in tempore persecutionis doctrinam sacerdotis necessariam habent, quasi spirituales milites spiritualem annonam : quando autem securitas est, unicuique naturalis sufficit intellectus. Nam in persecutionibus, quando naturalis ille intellectus deficit in timore carnali, necessarius est sermo doctoris : ut quod deficit in timore periculi, reparatur per exhortationem doctrinae. Sicut autem tubicen, commisso bello, pugnantes exercitum circum, et bellicos cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem : sic et sacerdos, persecutione imminente, exponens in populo fortissimorum martyrum gloriosa pericula, et inenarrabiles regni caelestis coronas vincens preparatas, Christianum populum ad virtutem patientiae vehementer accendit. Aut ita : In tempore opportuno, ut in persecutione magis instanter de veritate fidei doceamus, quam de justitia conversationis : in pace autem magis assidue de justitia conversationis, quam de veritate fidei. Quoniam in persecutionibus quidem plus necessaria est doctrina fidei, quam conversationis : in pace autem plus necessaria est doctrina conversationis, quam fidei. Quoniam in persecutionibus non propter conversationem suam bonam aut malam veniunt Christiani in periculum, sed propter fidei confessionem : in pace autem non propter fidem suam veram periclitantur Christiani, sed propter conversationem : quoniam in persecutione fides Christianorum periclitatur, in pace autem justitia. 46. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem*. Quomodo? Sicut superius diximus, in fide, in sapientia, in tempore opportuno. In fide, ut credamus sic esse, sicut docemus. Ille autem credendo docet, qui facit quod docet : qui autem non facit bonum, non credit bono. Qui non credit in bono, non docet in fide : qui autem cum fide non praedicat, non solum non est beatus ille servus, sed multum infelix : quia alios quidem docet, se autem negligit. Sic prudenter, quia non semper omnia, neque omnibus omnia sunt dicenda. Frequentur illa, quae alios aedificant, alios destruunt. Sicut infantibus esca mutatur secundum aetatem, sic in populo secundum virtutem doctrina temperatur, praemonente Apostolo : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (1. Cor. 3. 1. 2)*. In tempore, ne importune ohlata doctrina non prosit, sed noceat, sicut esca cruciali aut extra tempus accepta. 47. *Amen dica vobis, quo-*

*niam super omnia bona sua constituet eum*. Omnium quidem honorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat. Nam si super omnia opera sua pretiosiores existimat Deus animas hominum : quanto magis credibile est, ut super omnia bona sua constituat eum, qui confert Deo lucrum animarum? Non solum autem omnibus bonis suis meliorem judicat hominem, sed etiam sui ipsius impassibilitati praeposuit salutem humanam. Ideo magnus est, qui bene regit hereditatem ejus, quam proprio sanguine acquisivit. 48. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire : 49. et incipiat percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis*. Percutere est injuste percutere : qui autem propter justam causam percutit, etsi percutat, percutere non videtur. Percutit enim, non ut suum dolorem vindicet, sed ut illius animam salvet. Si autem propter Deum percutere percussio esse videretur, nunquam diceret Deus, *Qui parcat baculo, odit filium suum (Prov. 13. 24)*. Nam et alibi non absolute dicit : *Qui iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio (Matth. 5. 22)* : sed, *Qui sine causa iratus fuerit*. Sicut justa ira non est ira, sed diligentia : sic justa percussio non est percussio, sed correctio. Manducare et bibere sic intelligendum est, sicut supra interpretati sumus de manducantibus et bibentibus ante diluvium, id est, male manducare et bibere. Propter quod non simpliciter dicit manducare et bibere, sed, *Cum ebriis* : id est, cum peccatoribus, qui tenebrosorum actuum vitio ebrii sunt, de quibus et Paulus dicit : *Nam qui dormiunt, nocte ebrii sunt : et qui inebriantur, nocte ebrii sunt (1. Thess. 5. 7)*. Vides ergo, quia manducare et bibere sacerdotibus non est peccatum, sed cum ebriis manducare et bibere : id est, sic manducare, quomodo ebrii illi desiderant. Non enim jubet nos Scriptura malorum personas abominari, sed voluntates. Nam et Christus cum publicanis et peccatoribus manducavit, sed non sic quomodo publicani et peccatores volebant. Nec vitium suum aliquis Scripturae illius auctoritate defendat, quae jubet sacerdotem hospitalem esse debere. Hospitalitas enim non circa deliciosos cibos et magnos ostenditur, sed circa assiduas susceptiones impotentium peregrinorum, ut hospitalitas nostra non ab hominibus laudetur, sed a Deo sentiat. Nam deliciosa convivia magis luxuriam accusant, quam humanitatem commendant. Dicit enim Salomon : *Ne delesteris in multa epulatione, nec in turpibus et modicis (Eccli. 37. 52)*. Ergo nec multum permittitur, nec modicum est pretiosum. 50. *Veniet dominus ejus hora qua nescit, 51. et dividet eum, partemque ejus cum hypocritis et infidelibus ponet. Dividet eum* : id est, de consortio Christianorum, ut neque cum sanctis glorificetur, neque cum iis, qui mediocriter deliquerunt, mediocriter puniatur : sed jungat eum cum hypocritis et infidelibus, ut quorum imitatus est mores, ipsorum puniatur interitu. Quomodo sacerdos super omnem populum glorificatur, si benefecerit, non solum propter suam justitiam, sed propter omnium, quia causa est ipse justitiae universorum : ita et peccans super omnes puniatur, non solum propter suum peccatum, sed etiam propter omnium : quia ipse causa fit omnibus ad peccandum. Ideo autem non solum hypocritas dixit, sed etiam infideles : quia si omnes quidem hypocritae infideles sunt, non tamen omnes infideles hypocritae sunt. Ecce enim gentiles infideles quidem sunt, hypocritae autem non sunt : quia non se fingunt colere Christum, cum non colant, sed manifestum sequuntur errorem. Hypocritae autem sunt Judaei et haeretici : illi autem, quia dicunt se Judaeos, cum non sint, sed sint synagoga satanae : isti autem, quia fingunt se esse Christianos, cum sint Antichristi, id est, contra Christum. Item si quis videtur in Ecclesia esse, et agat contra Ecclesiam : et ille talis hypocrita dicitur esse.

## Homilia liij. ex capite xxv.

1. *Tunc simile est regnum cælorum decem virginibus*, et reliqua. Notandum quod priorem quidem parabolam de doctoribus dicit, hanc autem de popularibus: tamen etsi spirituales intellectum habeat parabola, nihil nocet interpretari eam etiam carnaliter. Tunc simile erit, cum diebus suis completis solutus fuerit mundus, cum venerit Iudex omnium occultorum. Modo autem interim omnes homines nobis invicem mentimur. Alii fingunt se justos, cum sint iniqui; alii humiliant se ut peccatores, cum sint sancti; alii autem turpes actus suos usque ad mortem abscondunt, amplius homines erubescens, quam Deum timentes, et semper sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vulnerati. Qui autem Deum timet, homines non erubescit. Nec enim pejor potest esse timor terrenus, quam pœna cœlestis. Quibus simile erit? *Decem virginibus*. Quidam putant hic virginibus dici, de quibus Apostolus loquitur, *Ut sint sanctæ et corpore et spiritu* (1. Cor. 7. 34). Et sapiens quidem virgo est, quæ et corpore et animo virgo est, ut neque habeat virum neque habere desideret. Quid enim si aut parentes ejus propter votum suum in virginitate eam tenerunt, cum ipsa tamen post votum nubere voluerit? quid si pro aliqua occasione quesita non est talis? Hæc si non est nupta, voluntatem tamen nubendi habuit, corpore quidem virgo est, animo autem nupta: quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate. Quamvis frequenter, occasione necessitatis carnalis, Deus præstet hominibus misericordiam spirituales: si tamen postea voluntas necessitati consentiat, non solum autem ut non concupiscat, sed etiam absteineat se ab omni re mala, ut neque faciat, neque loquatur, neque cogitet quod displiceat Deo: quia corpus fornicatur, quando cum viro conjungitur: anima autem, quando diaboli voluntatibus sociatur. Quæ hæc non servat, fatua est ipsa virgo. Et vere fatua est, quæ per solam virginitatem corporis putat se Deo placere. Ecce enim quemadmodum cum manducas et bibis, non anima manducat, sed corpus: res enim incorporalis corporali cibo non pascitur: sic cum vir mulieri, aut mulier viro conjungitur, non anima copulatur, sed corpus. Propterea frequenter fit, ut nupta si alias non peccet, melior sit, quam illa, quæ virgo est, et alias peccat. Quoniam si illa non peccat quæ nupta est, corpore quidem nupta est, animo autem virgo est. Quæ autem alias peccat, et virgo est: corpore quidem virgo est, animo autem fornicaria. Sed ne desperare faciamus etiam virginibus bonas, quia diximus per concupiscentiam animas fornicari, sciendum est quod aliud est concupiscere, aliud velle. Concupiscere, passionis est, velle autem arbitrii. Frequenter enim concupiscentiam etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem et gloriosiorei facit virginitatis coronam. Nunc veniamus ad spirituales ejus narrationem. Decem virginibus omnes homines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus, et quinque spiritualibus; omnium enim hominum duæ sunt partes. Aut enim peccatores sunt, aut justi. Peccatores, qui secundum carnales ambulant sensus: justus, qui secundum spirituales. Ergo et omne genus peccatorum in quinque dividitur, et omne genus justorum in quinque, secundum numerum sensuum, non secundum numerum hominum. Illas autem virginibus dividendas profert Christus, quando et justus ab injustis et sancti a perversis per verbum suum dividendi sunt: ut quinque quidem ponantur ad dexteram justis Judicis, hoc est, sapientes: quinque autem ad sinistram, id est, fatuæ. Secundum autem mysterium et Moses in duabus tabulis legem suscepit decem verborum: quinque quidem mandata in tabula una, quinque autem in tabula altera. Sicut ergo tabulæ testamenti illius in uno quidem hærebant, tamen non poterat fieri ut

ambæ fierent ad dexteram legentis: sed necesse erat ut una quidem cum quinque esset ad dexteram, altera autem cum quinque alius e-set ad sinistram: sic omnes Christiani in una tenentur vocatione. Non est autem possibile, ut omnes ad dexteram fiant sedentis: sed necesse est, ut justus quidem fiant ad dexteram, id est, quinque sapientes: injusti autem ad sinistram, id est, insipientes. Quidam putant hanc parabolam ad omnes pertinere, et ad hæreticos, et ad Judæos, præterquam ad gentiles: quoniam illi idolorum cultura corrupti sunt, et virginibus dici non possunt. Vere autem nec ad Judæos pertinet, nec ad hæreticos: quia non possunt Judæi dici virginibus, qui projecto et crucifixo sponso, adulterum super se diabolus susceperunt. Neque hæretici virginibus dici possunt, qui et ipsi adulterino sensu corrupti sunt, et virginitatem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt. Sed ad Christianum tantummodo populum pertinet, de quibus scriptum est: *Statui vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Hevam astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri a castitate, quæ est in Christo Jesu (2. Cor. 11. 2. 3). Fatuæ autem virginibus sunt, quæ fidem quidem Christi integram habent, opera autem justitiæ non habent. Judæi vero et hæretici neque fidem habent, neque opera possunt habere. Sed et si operum oleum habeant, nihil eis prodest: quia lampades fidei non habent, quas accendant. *Tunc simile erit*. Bene, *Tunc*: quia interim non apparet quæ prudentes sint, quæ fatuæ: quousque tunc multæ fatuæ fiant prudentes, et multæ quæ videntur prudentes, fatuæ efficiuntur. *Quæ acceperunt lampades suas*. Lampas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum in qua est, sic fides illuminat animam cujus est. Accenditur autem hæc lampas igne divini verbi. Verbum enim Dei ignis est, sicut dicit Dominus: *Ignem veni mittere in terram* (Luc. 12. 49). Item dicente apostolo: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (Rom. 10. 17). Accipiunt autem homines hanc lampadem, quando venientes ad Christum, per sacerdotes accipiunt traditam sibi veritatis doctrinam. Aut sicut alius putat, verbum Dei, quod accepimus accedentes ad Christum, lucerna est, secundum quod scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (Psal. 118. 105). Oleum autem doctrina sacerdotum, aut cæterarum Scripturarum. Quoniam sicut lucerna, nisi ei subministraveris oleum, exstinguetur: sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus Scripturarum, exstinguitur, et non satis illuminat animam. Aut oleum dicitur opus misericordiæ. Quia sicut oleum lampadis fovet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, et vigorem accendant. *Et venerunt obviam sponso et sponsæ*. Bene ait, *Venerunt*, quando ex illa die, qua homo credit Christo, quasi de seipso egresus, et de mundo, ire videtur obviam Christo: quia quotidie Christi exspectat adventum. Sicut enim qui obviam vadit alicui, in via stat, et exspectat eum quamdiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet vivere in hoc sæculo, quasi peregrinus, et non in suis, sed in transitu positus. Propterea et Judæi exiituri de Ægypto, expediti et præcincti agnum jussu sunt manducare (Exod. 12): et ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicumque nostri Agni eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exiituri de mundo. Nec miretis, quia dixit ire obviam sponso et sponsæ, cum Ecclesia inter nos habeatur sponsa. Sicut enim Christus cum sit inter nos, tamen venturus dicitur, cum apparuerit in gloria: sic et Ecclesia quamvis sit inter nos, tamen ventura dicitur, cum apparuerit in gloria sua. Propterea dicit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Coloss. 3. 3). 3. *Fatuæ autem accipientes lampades suas, non sumptuerunt*



oleum secum. Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur, et nisi oleum ei subministraveris, exstinguitur: sic et fides non ex operibus nutritur, vel accenditur, sed ex verbo Dei, sicut ait Apostolus, tamen per bona opera nutritur: et nisi subministraveris ei opera bona, deficit. Sicut enim non potest in Deum sperare, nisi qui aliqua opera bona facit: sic non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo. Inde est, quod peccatores non credunt Deo, sive cum de gloria sanctorum quis eis loquatur, sive de poena peccatorum: et dum non credunt futurum esse quod dicitur, neque de bono futuro delectantur, neque de malo terrentur. Vere fatui sunt omnes homines, qui aut solum existimant sibi posse sufficere ad salutem, quia credunt in Christum, et Christiani dicuntur, et non festinant semetipsos bonis operibus commendare: nec audiunt Jacobum dicentem, *Quia fides sine operibus mortua est (Jacobi 2.20)*. 5. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes virgines, et dormierunt.* Hoc significat sermo, quia tardante consummatione non solum peccatores, sed etiam justi et spirituales ad negligentiam sunt revolvendi, et relicta via virtutis, ad carnalia delectamenta sunt aliquatenus transitori, ut et illud impletur quod propheta dicebat: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminuti sunt fideles a filiis hominum (Psal. 11. 2)*. Et hoc est quod Christus dicebat: *Putas, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram (Luc. 18. 8)*? Nam vigilare est justitiam facere, dormire autem negligere est eam, sicut dicit: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora veniet Dominus (Matth. 24. 42)*. Et vere non tardat, sed quantum ad nostram inconstantiam tardare videtur. Nam si consideremus, ex quo Christus in caelum ascendit, et quantum vivebant homines ante diluvium, et prope tantum spatium est, quanto tempore erat vita uniuscujusque eorum. Si quis autem oculos habet apertos, intelligit quia mysterium hujus verbi in nobis impletum est. Omne enim studium spirituale relinquimus, et ad carnalia delectamenta transimus. Quem enim invenies modo, non dicam laicum, sed aut presbyterum, aut episcopum, qui ad perfectum contemnat saeculi bona, credens consummationem esse propinquam? Unusquisque enim dicit in corde suo, infidelitatis spiritu praevalente: Ecce ex quo Christus fuit in terris, semper dicitur, Consummatio veniet, et ecce nondum venit. Ne forte non praeparandi causa, sed terrendi ista Scripturae loquuntur? Qui autem non vere credit consummationem esse propinquam, non ex verbis quae dicit, aut audit, sed ex operibus quae agit, cognoscitur. Qui enim vere credit consummationem esse propinquam, nihil curat de mundo, nec in posterum aliquid servat: quia nec peregre exiturus aliquid secum portat in via, nisi forte panem, quem necessarium habet in via. 6. *Media nocte clamor factus est, quasi clamor praecurrerunt et praetubantium angelorum. Qui clamor? Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Unde putas jubet exire? de domibus, de civitatibus? Non; nec enim est ratio: sed ut exeant de mundo, exeant de iniqua carnis natura. Ex eo quod Apostolus (1. Cor. 15. 52) ait, in novissima tuba mortuos suscitandos: datur nobis occasio aestimandi, clamorem illum esse, de quo Dominus dicit: *Ecce clamor factus est. Aestimemus clamorem esse tubarum praecedentium, quas Joannes in Revelatione sua (Apoc. 1. 10. 4. et c. 8. per totum) exposuit, quarum tubarum clamores sunt ipsa signa, quae fiunt ab eis. Qui ergo intelligit illa signa clamantia saeculi finem, ille audit clamorem tubarum clamantium, quia venit sponsus, quarum vocem non corporis auris audit, sed animae intellectus.* 7. *Tunc surrexerunt omnes virgines illae.* Hoc est, cum clamor factus fuerit, non solum justis, sed etiam peccatores de somno negligentiae surgent. Tunc incipient timere et festinare, tunc credent quia vere finiendus est mundus. Nam quemadmodum securitas etiam dili-

gentes homines negligentes facit: sic timor praesentis periculi etiam negligentes homines exhibet diligentes; sed nihil eis proderit diligentia illa, quam generat timor, non fides. Tunc intelligent, quia nihil est quod vixerit in mundo. Tunc incipient sapere, quando nihil eis proderit sapuisse. *Et composuerunt lampades suas.* Id est, tunc incipient omnes aspiceret et discutere fidem suam: tunc considerabunt singuli opera sua, qui bene fecerunt, qui male, et interrogabunt conscientias suas. Quemadmodum enim superventuro sponso festinat se sponsa componere, ne forte ex aliqua parte displiceat sponso: ita singuli semetipsos judicabunt apud se. Hoc est enim praeparare fides suas. Quod si semper nos ita judicarem, quemadmodum tunc iudicaturi sumus, numquam peccarem in Deum. Sicut ergo virgo deformis et debilis sine causa se componit, sic et tunc peccatores sine causa se praeparabunt. Naturalem rem loquitur. Sicut rex cum tyranno bellum facturus, si voluerit aspiceret exercitum, et considerare arma illorum, jubet mitti tubam, ut fiant admoniti: tunc omnes milites festinant arma sua aspiceret, ubi sit gladius ejus, ubi lorica sit posita, ubi jacet scutum: et qui securitatis tempore arma sua studuit immaculata custodire, paratus et laetus currit ad inspectionem: et qui tempore securitatis gladium suum aëruginare dimiserit, aut lorica morderet, scutum frangi aut rumpi, cum audierit tubam, et ipse quidem excitatus timore festinat limare gladium suum, deltergere lorica, ligare aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam, quia urgens necessitas non permittit longi temporis opus implere: sic et domino absente malus servus non aspicit opera sua, quod facit, quid non facit, aut quomodo credit: nec cogitat, quia venturus est dominus ejus, et opera perspicietur, et fidem: sed cum viderit eum venientem de longe, tunc aspicit opera sua, tunc incipit festinare, sed nihil ei proderit festinatio ejus, quia multorum dierum negligentia non potest una hora expleri. 8. *Fatales autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur.* Exstinguitur lampas hominis, quando fides ejus deficit ac desperat. Sicut enim qui bene sibi conscius est, fiducialiter et magnanimiter agit: quemadmodum si quis infuso oleo addat lumen lucernae, sic et ille consideratione operum bonorum suorum semetipsum confortat, et fidei suae addit audaciam. Qui autem sibi male conscius est, semper pusillanimitas ac timidus est. Et quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernae, sic et ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, et infidelitatis suae adhuc diffidentiam addit. Ideo ergo timentes peccatores ad sanctos dicturi sunt: *Date nobis de oleo vestro: hoc est, Vos sancti, qui habetis opera largae justitiae sufficientia verbis non solum ad evadendam poenam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum: id est, Intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum, quia iustitia vestra sufficiens est et vos glorificare, et nos excusare.* 9. *Responderunt autem prudentes, dicentes: Ne forte nos nobis, nec vobis sufficiat.* Ostendit in iis verbis, quod ita futurum est terribile iudicium illud, ut nulla innocentia sibi confidat. Et vere quis est homo natus de muliere, qui credit justum se esse inveniendum in conspectu illius, de quo beatissimus Job dicit: *Stellae in conspectu ejus non sunt mundae, et calix sine crimine non est (Job 25. 5)*. Si ergo impeccabilis natura stellarum et caeli, quantum ad iustitiam Dei, invenitur esse peccatrix: quomodo autem cum homo appareat justus, cujus et sine voluntate peccandi natura ipsa peccatum est? dicente Apostolo: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud ago; et jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (Rom. 7. 14-17)*. Tantalus timor tunc erit omnium,



etiam sanctorum, ut nemo speret se justum invenientium, sed adhuc timeat ne forte reus existat. Quis enim potest ad perfectum dijudicare conscientiam suam, et cognoscere cor suum, cum scriptum sit, *Quia de omni verbo otioso reddiuri sumus rationem (Matth. 12. 36)*? Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedant sancti, cum timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiae iudicium non suscipit, sic et tempus iudicii misericordiam non recipit. Ideo in primo adventu, cum tempus esset misericordiae, dicentibus apostolis super inhumanitatem civitatis alicujus: *Vis dicamus, ut descendat ignis de caelo? respondit Jesus: Nescitis cujus spiritus estis. Non enim veni judicare mundum, sed salvare (Luc. 9. 54. 56)*: ostendens quia cum venerit in secundo adventu, iudicii tempus similiter locum misericordiae non habebit. Ubi autem misericordia locum non habet, nec intercessio valet. Aut hæc ideo dicit, *Quoniam indignæ sunt passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (Rom. 8. 18)*. Si ergo major erit gloria, quæ præparata est sanctis a Deo, quam quod unusquisque sanctorum meretur: quomodo sufficiat et aliis ad salutem uniuscujusque opus eorum, cum nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam justo iudicio consequendam? *Ite potius ad vendentes, et emite vobis. Venditores operum bonorum, vel doctrinæ, sacerdotes sunt, qui præcepta iustitiæ in populo dant, quasi pretium aliquod accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per pœnitentiam solvunt, pretio confessionis eorum placati. Aut certe hoc pretium doctrinæ accipiunt, quando sic docentes eos audierit populus. Populus quidem pro obedientiam suam mercatus est sibi salutem, sacerdotes autem, qui docuerunt et laboraverunt circa eos, recipiunt a Deo doctrinæ suæ labores. Bonum ergo est consilium sanctorum ad peccatores, ut eant ad sacerdotes, et fideliter audiant eos: et cum audierint, faciant, et habebit virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus. 10. *Abeuntibus autem eis, ecce venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo, et clausa est janua. Ostenditur nobis per hæc verba, quod illo in tempore inter angustias diversorum terrorum videntes se peccatores, anxiantur, et current huc et illuc ad sacerdotes, doctrinam et pœnitentiam sibi quærentes. Alii autem interrogantes, quid eos oporteat facere, sed festinant iudicio, et necessitatibus aliis super alias venientibus, cum non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ iustitiæ, aut agendæ pœnitentiæ, festinatio eorum vacua erit. Hoc enim et in quotidiano usu videmus fieri. Quotidie enim sacerdotes clamant in ecclesia: Qui peccavit, pœnitentiam ægat: qui non peccavit, permaneat in Deo. Neque seducant vos honores et divitiæ temporales: quia tempus vestrum prope est: et si consummatio vestra tardaverit, mors vestra non tardat. Et nemo credit, nemo obaudit. Cum autem venerit super illos mors, festinant et anxiantur, vocant sacerdotes, pœnitentiam volunt agere, quando jam pœnitentiæ locus non est. Itaque dum exponunt peccata sua, dum accipiunt pœnitentiæ tempus, et præcepta iustitiæ, capitur anima eorum, et vadunt vacui, magis autem ligati justo iudicio Dei: quia non propter odium peccatorum displicentes sibi volebant pœnitentiam agere, sed propter mortis timorem. Adhuc enim si vivere potuissent, non sibi displicuissent. Alius autem venditores olei, id est, boni operis, pauperes dicit. Hortantur ergo prudentes virgines fatuas, ut eant ad pauperes, si patitur eas tempus, ut facientes eis bona iustitiæ, misericordiam consequantur ab eis: quoniam per misericordias factas in eos, olei, id est, misericordiae merces acquiritur. Illæ autem dum vadunt, volentes tunc aliquid boni facere, propter quod possunt cum fiducia occurrere Christo, venturus est Christus repente, et nihil eis proderit anxietas illa, tunc incipientibus bene agere, cum tempus bene agendi concluditur. 11. *Novissime autem venerunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi***

*nobis. Nihil prodest ex necessitate repetita confessio ejus, qui ex voluntate nec semel confessus est. Nam voluntaria confessio et modica sufficit Deo: ex necessitate autem, neque magna. 12. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos qui estis. Signa spiritus mei in vobis non video. Sicut enim qui immundum spiritum habet, bona opera facere non potest: sic qui Spiritum sanctum habet, opera non facit mala. Quare igitur vos opera non facitis bona, sed mala? Imaginem meam non cognosco in vobis. Imago autem mea est fugere malum, et sequi bonum: vos autem econtra fugistis bonum, et operati estis malum. Non potestis meorum militum præmia accipere, qui tyranni vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.**

*Homilia liij. ex cap. xxv.*

14. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, etc. Homo peregre profectus, Christus est, post victoriam passionis ad Patrem iturus: voluntate misericordiae homo, non necessitate naturæ. Commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctis. Ad regna enim caelestia ascensurus, et ad Patrem suum iturus, unde descenderat, peregre se iturum dicit, propter caritatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cum magis peregre esset in mundo, sicut ipse testatur dicens: *Incola enim ego sum in terra apud te (Psal. 118. 19)*. Quando enim venit in mundum Jesus, adhuc peregrinus erat, neminem habens sui nominis confessorem: postquam autem venit, et discipulos acquisivit, jam paterfamilias erat: et ideo proficiscens de mundo, peregre proficiscatur. Vis autem scire quantum diligit fideles suos? Considera quid passus est pro eis. Si enim magis quam gloriam suam illos amavit, quasi homo moriens propter eos: quid mirum, si majore dilectione tenebatur sanctorum, quos relinquebat in terris, quam dilectione gloriæ, quam habebat in caelis? *Et tradidit illis bona sua. Non invidens aliis plus dedit, aliis minus, sed considerans diversitatem fidei eorum. Qui autem invidus est, aut parcus, omnibus est parcus et invidus. Neque quasi acceptor personarum fecit differentiam gratiarum. Vis scire? Considera quomodo pene æqualiter remuneravit eum, qui minus obtulit, et eum, qui amplius. Si enim acceptor personarum fuisset, utique non tantum in danda gratia, quantum in reddenda mercede esset æqualis ambobus. Manifestum est, quod in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem uniuscujusque consideravit: ne supra virtutem opus iungens, ipse occasio offensionis existeret, et non esset reus qui peccavit, si supra virtutem pondus imposuisset. Volens ergo Dominus socios nos habere in regno caelesti, opera nobis diversarum justitiarum commisit: non quia non habeat potestatem et sine operibus nos glorificare, sed ideo opus præmisit, quia sicut opera sine præmiis vacua sunt, sic præmia sine operibus sunt ingrata. 16. *Statim autem abiit qui quinque talenta acceperat, et acquisivit alia quinque. De talento agnitionis Christi acquisivit unam justitiam bene vivendo. De presbyterio autem ipso acquisivit justitiam sollicitate præsidendo Ecclesiae. De verbo acquisivit justitiam, verbum veritatis sinceriter prædicando. De baptismo lucratus est secundum Christi regulam baptizando, et dignos filios cum iudicio Ecclesiae acquirendo. De sacrificio acquisivit justitiam, tam mundum et immaculatum sacrificium populo offerendo, et pro peccatis populi exorando. 17. *Similiter et ille qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo. Id est, duas justitias. Unam bene vivendo, quam acquisivit a fide Christi: alteram sinceriter ministrando, quam fecit ex ministerio diaconatus. 18. *Qui autem unum accepit, abiens fodit in terram. Primum videamus, ut quid neque ille, qui duo talenta habuit, abscondisse talenta sua proponitur, cum multi diaconi inveniantur inutilis: neque ille, qui*****

accepit quinque, cum multi doctores inveniantur inutiles, sed ille tantum qui unum accepit, id est, populus? Attende. Deus secundum præscientiam suam, licet sciat qui justii futuri sint, et qui injusti: tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum, quod est talentum bonis quidem ad salutem, malis autem ad præjudicium, ut inexcusabiles fiant. Diaconis autem et doctoribus secundum prævidentiam suam, illis videtur Deus injungere ministerium diaconatus aut presbyteratus, qui sunt justii: qui autem inveniuntur injusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoscitur qui a Deo ordinatus est, et qui ab hominibus. Qui enim ministerium suum bene consummaverit, apparet quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem ministerium suum non bene consummaverit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidam sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeste in libro octavo Canonum apostolorum dicitur. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantum ad Deum non est diaconus aut sacerdos. Ergo in sacerdotibus quidem et diaconis non est inventus ut perdat talenta, qui secundum præscientiam ordinatur a Deo. In popularibus autem evenit, quomodo etiam qui peccator futurus est, a Deo accepit fidei gratiam. Secundum hæc ergo quæ diximus, si presbyter aut diaconus peccator inventus fuerit: quoniam quantum ad præscientiam Dei (sicut jam diximus) non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur presbyter aut diaconus, quasi laicus invenitur inter eos qui unum talentum fidei acceperunt. Ac per hoc nemo ordinatus a Deo peccat, nisi ut qui unum talentum accepit a Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus a Deo præstatur, gratia autem clericatus non omnibus, sed dignis: quia in illa causa salutis est, in ista autem dispensatio mysterii. Nam et paterfamilias annonam quidem omnibus servis præstat, negotia autem sua non omnibus committit. Abscondit autem talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi, contemnit vitam spiritualem, et in terrenis actibus et deliciis conversans, obruit illud in carne sua, et sollicitudinibus mundi quasi spinis suffocet fidei suæ bonum, et non facit fructum. Hoc est enim, talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare. Sciendum est autem quod ille, qui fodit gratiam suam in terram, non peccare proponit, sed justitiam non facere. Qui enim peccat, non abscondere videtur gratiam, sed corrumpere. Si ergo in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei, carnaliter vivendo, fructum justitiæ non fecerunt: putas in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talentum fidei suæ peccando perdiderunt? Iste qui fodit talentum suum, similis est virginibus fatuis, quæ habentes lampades, oleum non habebant: tam enim illæ, quam iste putaverunt sibi ad salutem hoc solum, quod credebant in Christum, posse sufficere. Nam vere talentum non perdidit, id est, domini sui, tamen reus est damni. Non enim propter hoc solum unusquisque fit Christianus, ut sit Christianus, servans talentum fidei suæ, sed ut operetur justitiam Christo. Sicut enim qui seminandi causa accipiens semen, tempore seminationis non seminaverit, damnum facit domino suo: etsi non perdidit semen, est tamen tantum damnum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset: sic qui accepit fidem Christi, et in hoc sæculo seminationis non fuerit operatus justitiam, etsi fidem suam non perdidit, tamen tantum videtur peccasse, quantum potuit justitiam facere, si non neglexisset. 19. *Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum.* Primum videamus quare interim Dominus ascendit in cælum, post modicum iterum reyersurus, et semper cum sanctis futurus? Ut videlicet absente eo fideles gloriam sibi et vitam æternam acquirant per fidem et opera. Præsente enim Christo nec tentari fideles poterant, nec probari, si essent veri fideles: quoniam si sit

præsens, non creditur, sed videtur: cum autem absens fuerit, non videtur, sed creditur, dum timetur. Christo igitur præsente, etsi tentationem aliquam sustinerent propter eum, aut justitiam facerent, opus tamen eorum non videbatur esse in fide, sed in oculis. Ideo nec poterant sibi mercedem fieri per justitiam acquirere, nisi ascendisset ab eis. Nam servus fidelis domino absente probatur: præsente autem domino quicquid fecerit non est laus servi, sed domini.

*Christus propter utilitatem nostram ascendit.*—Vides ergo quia non propter suam utilitatem Christus ascendit, sed propter nostram. Tempus autem differt largum, ut longior detur hominibus justitiæ faciendæ licentia. 20. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, dixit: Domine, quinque talenta tradidisti mihi.* Vide, bonus servus, non quasi glorians in opere suo, non primum lucri talentorum memoriam facit, sed primum memorat quæ accepit, postea quæ invenit: ut ostendat non studii sui aut laboris esse quod acquisivit, sed beneficiorum domini sui, quibus acquisivit. Tamen si dicat: Domine, ego, quantum ad meum studium et laborem, nec modicam quidem justitiam facere potuissem, nisi gratia tua fuisset mecum. Sicut dicebat ille qui dicit: *Sed plus omnibus laboravi; non autem ego, sed gratia Dei mecum* (1. Cor. 15. 10). 21. *Ait ei dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, supra multa te constituiam; intra in gaudium domini tui.* Pauca sunt admodum. Si quis de magna massa tritici modicam dederit drachmam, aut de magno vase vini modicum dederit gustum: sic de magno thesauro regni cælestis modica nobis per Spiritum sanctum arrha præstatur. Propter quod dicebat Apostolus: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, destruentur ea quæ ex parte sunt* (1. Cor. 13. 9. 10). Non dixit, Intra ad gaudium domini tui: sed, *In gaudium domini tui*, ut possessor sit gaudii tui, non tantum spectator, et jam non quasi minister domini, in gaudio ejus, sed particeps gaudiorum. Sicut et alibi ipse dicebat: *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum, ut videant gloriam meam quam mihi dedisti* (Joan. 17. 24). Quid ergo dignum facimus in hoc sæculo, ut particeps Domini nostri in regnis cælestibus fieri mereamur? Ideo juste dicit Apostolus: *Existimo enim quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (Rom. 8. 18). 22. *Accedens autem et qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo.* Et si minor in opere, non minor in voluntate. Videns autem dominus quia servo illi non voluntas operandi minor fuit, sed virtus fidei: nam et ille voluit similiter amplius operari, sed magis desiderii ejus non sufficit modica fides: ideo justus judex, etsi non similia lucra suscepit ab illo, quemadmodum ab isto, tamen sic benevolentia istum suscepit, quemadmodum et illum: quia Christus non magis operum remunerator est, quam voluntatum. Nec putet ergo diaconus, quod ex eo quod diaconus est, beator erit, quam laicus studiosus: non enim dignitas apud Deum honorabitur, sed voluntas. Nec diacono se beatiorem debet putare presbyter ex eo quod presbyter est, quam se, si fuerit bonus diaconus: quoniam gradus ministerii ex Deo est, perfecta autem voluntas ex nobis. Propterea non sumus judicandi, quia non fecimus quod in parte nostra non est: sed ex eo sumus judicandi, quod in nobis est posse, si volumus. 24. *Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti.* O malitia peccatorum, quæ neque futuri iudicii terrore mutatur! Qui enim peccatum suum debuerat simpliciter confiteri, ut dominum, quem male agendo irritaverat, simpliciter confitendo leniret: e contra non solum non confitetur, sed adhuc excusat. Et dum vult unum excusare peccatum, addit et alia duo. Primum, quia peccavit: secundo, quia excusat: ter-

tio, quia et Injuriam domino facit. Propterea sciens propheta quam mala sit excusatio peccatorum, dicit: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem* (Psal. 140. 4). Dic ergo, serve mendax, quomodo metit Christus, ubi non seminavit? Quis enim hominum est, vel gentilium, vel Judæorum, quem non sufficienter spiritualibus et corporalibus sensibus adornavit, cui non dedit scientiam boni et mali, cui non dedit posse fugere malum, et apprehendere bonum, si vult? Sicut enim nullus est homo, cui aliquid corporis membrorum minus sit ad usum corporalem: sic non est, cui minus sit aliquid sensus aut potentie ad intelligentiam boni et mali, et ad omne opus bonum faciendum quodcumque voluerit. Si igitur etiam in gentibus seminavit gratiam suam, ex quibus nullus justitiæ colligitur fructus: quomodo in te metit quod non seminavit, quem quasi aratro spirituali crucis suæ verbo aravit, quem doctrina justitiæ seminavit, quem Spiritu sancto irrigavit? Tot semina suscipiens gratiarum, vel unum fructum justitiæ non debuisti offerre? Nam Deus hominem ex duplici creans natura, corporis et animæ: in corpore quidem creavit quinque sensus, et motus quosdam concupiscentiarum, nascentium ex occasione sensuum prædictorum: in anima autem creavit judicia et virtutes, ut intelligat malarum rerum et bonarum discretionem, ut possit resistere motibus suis corporalibus. Qui ergo secundum delectationes carnales vivere elegerunt, neque considerant in anima sua judicia et virtutes esse creatas: nec enim experiuntur ea si sint, sed tantum sensus carnales, concupiscentiarum nascentium ex occasione sensuum prædictorum exsequuntur, ex quo fit, ut sic arbitrentur et dicant, quia omnia bona carnalia et mundalia ideo creavit Deus, ut omnibus eis utamur. Nam si vere non sunt creata in nobis secundum animam judicia et virtutes, quibus possumus resistere motibus concupiscentiarum nostrarum carnalium: certum est, quia ideo creata sunt bona carnalia, ut utamur illis. Si autem creatum est in nobis, et intelligere eos, et posse resistere eis: sine dubio non ideo creata sunt corporalia bona et mundalia, ut eis utamur, sed ut resistentes eis, meliori studio acquiramus nobis mercedem. Nam nec intelligere malum et bonum in nobis esset creatum, nisi prius creatum fuisset et posse resistere malo. Ut quid enim homini datum fuisset intelligere, si non fuisset ei datum et posse facere quod intelligit melius esse? Numquid animalibus Deus creavit intelligere, quod honestius et laudabilius est? Non, quia nec creavit in eis posse facere aliquid quod melius est. Sic nec homini creasset intelligere, nisi creasset ei et quod intelligit facere posse. 26. *Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve nequam et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, et congrego ubi non sparsi.* 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem eam cum usuris.* Nequam dicitur, quia contumeliam reddidit domino pro honore: piger, quia talentum non duplicavit. Et ideo pro eo quidem quasi superbus, pro hoc autem quasi negligens condemnatur. Vere nequam, quia largitatem domini quasi violentiam accusavit. Nec enim Deus ideo gratiam intellectus, aut notitiam sui homini dedit, desiderans gloriam sibi acquiri per eum: sed ut per gratiam Dei ipse sibi vitam æternam et gloriam mereatur, et societatem cælestis regni cum Deo. Hoc sine dubio intelligitur ex ipsa præcedentium remuneratione justorum. Si enim propter se dedisset gratiam hominibus, nunquam, a servis pauca suscipiens, redderet multa. Sed malitia excecatus, dum voluit sapientiam Dei fallere, majoribus se iratus vinculis alligavit, dicens: *Metis ubi non seminasti.* Si enim vere talem scivit dominum suum, eo magis debuit festinare, ut per diligentiam suam avaritiam domini sui faceret, ne per negligentiam injustitiam ejus magis ad iracundiam provocaret: quia austeritas non contemnitur, sed timetur. Qui autem timet, non contem-

nere, sed placare festinat, sciens quomodo qui metit, ubi non seminavit, magis vult metire, ubi seminavit. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem eam cum usuris.* Quidam putant tres istos omnes doctores esse, differentes autem gratias habuisse: et hunc tertium ideo argui, quia non docuit alios gratiam scientiæ, quam habebat. Et quamvis omnis homo rationalis constitutus numularius dici possit, tamen nescio si habeat rationem, qui sic minimus est, ut unius talenti gratiam habeat. Qui numularius est, non indiget ejus: si autem est qui illius magisterio opus habeat, ille sine dubio numularius non est. Cauti enim hominis est, numularium esse, qui differentias pensat verborum. Ergo necesse est hunc tertium intelligere popularem, sicut diximus supra. Mensa est omnis Scriptura divina, sicut et alibi exposuimus, secundum quod dicit propheta de Scriptura Veteris Testamenti Judæis scandalum facta: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum* (Psal. 68. 23). Non enim mensa eorum corporalis facta eis in scandalum, sed Scriptura legis eorum. Legentes enim in lege, *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (Deut. 21. 23): et videntes Jesum crucifixum, contra legem æstimaverunt credere in Jesum crucifixum, quem lex maledictum annuntiabat: non intelligentes, quia nostram maledictionem in ligno susceperat, ut nos liberaret a maledictione, quam susceperamus per lignum: et sic facta est eis mensa eorum, id est, Scriptura legis eorum, in scandalum. Item videntes eum in sabbatis operantem, leprosos tangentem, a quibus omnibus abstinere lex diligenter præcipiebat, scandalizati sunt in eum, dicentes: *Hic homo non est ex Deo, qui sabbatum non custodit* (Joan. 9. 16): non intelligentes, quia corporale quidem solvebat, spirituale autem implebat. Et hoc modo facta est eis mensa eorum, id est, Scriptura legis eorum, in scandalum. Ergo mensa est omnis Scriptura divina, in qua panis verbi nutriens animas positus est, supra quam omnes Christiani recumbunt, et epulantur per spiritu. Numularii autem præsertim mensæ illi sunt sacerdotes fideles et prudentes: qui cum viderint fidem et actus Christianorum, accipiunt judicium de Scripturis, quasi de mensa, et ponderant eos, et æstimant, et intelligunt si digni sunt Deo, aut non. Et si habent charagma, id est, figuram et imaginem mundi, sunt ipsius, et oportet eos abjicere. Huic mensæ qui commiserit fidem suam, quam baptizatus suscepit a Christo, ut in Ecclesia permaneat, Scripturas aut legat, aut audiat incessanter ex fide, ut alloquutionibus sacerdotum nunquam fraudetur. Impossibile enim est, ut non multiplicetur fides ipsius. Paulatim enim die in diem timor Domini generatur, sensus ejus illuminatur, scientia ejus crescit, confirmatur in fide, excitatur ad desiderium regni cælestis, apprehendit eum zelus antiquorum sanctorum quos legit, excitatur et ipse plerumque ad easdem virtutes. Vides quantum usuram facit augmentata fides, data ad mensam Scripturarum sanctorum. Sicut enim pecunia hæc corporalis quidem, si sit in sacculo, inclusa ipsa est semper; si autem fuerit agitata de manu in manum, usu ipso multiplicatur, unde usura dicitur ab usu: sic et fides Christi, siquidem otiosa teneatur in corde, non solum ipsa manet quæ fuit, sed adhuc minoratur in otio, et torpescit, et segnis efficitur, et paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit: si autem exercitata fuerit Scripturis, et loquutionibus assiduis suscitata, operibus bonis vivificata, non solum dico, multiplicabitur, sed nunquam desinet crescere, donec vivet homo. Nunquid nos ex nobis hoc dicimus? Ipse denique propheta in principio Psalmorum suorum hunc annuntiat esse beatum. Nam cum dixisset, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentie non sedit*: addit, *Et in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (Psal. 1. 1. 2). Et quod sit lucrum medita-

tionis hujusmodi. subinfert, dicens: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur* (Psal. 1. 3). 28. *Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. 29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit.* Peccator agnoscens Christum, habet hanc ipsam gratiam, quod cognoscit Christum: sed cum venerit in iudicium Christi, dividitur a consortio cognoscentium Christum: et sic tollitur ab eo, quod videbatur habere, quamvis vere non habebat. Quomodo qui cognoscit Christum, et peccat, videtur quidem habere scientiam Christi, vere autem non habet: et insa notitia Christi additur homini justo qui habebat. Ille vere habet scientiam Christi, qui iustitiam facit. Et quomodo ei additur scientia Christi super scientiam? Ut qui videbat per speculum in ænigmate, videat facie ad faciem: et qui cognoscebat ex parte, cognoscat sicut cognitus est (1. Cor. 13. 12). Sed aliter intelligitur. Qui fidem habet, et bonam in Domino voluntatem, etiam si quid minus in opere quasi habuerit, nihilominus remuneratur a Iudice bono: qui autem fidem non habet, aut bonam in Domino voluntatem, etiam cæteras virtutes, quas videtur naturaliter possidere, perdit. Eleganter ait, *Quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quicquid enim boni sine fide Christi est, non ei imputatur, qui male usus est eo. Sicut sunt multi, qui videntur quidem aut mansueti, aut humiles esse: sed quia non sunt hoc propter Deum, licet videatur esse aliquod bonum eorum, non autem est: quia quod non est ex fide, peccatum est. 30. *Et hunc nequam servum projicite in tenebras exteriores.* Considerandum est, ut quid non dixit, *Mittite eum in tenebras inferiores:* sed, *In tenebras exteriores.* Quidam dicunt non tantum esse infernum deorum, sed extra mundum istum esse aliqua tenebrosissima loca et ignea, in quibus puniuntur qui digni sunt. Forte ergo ideo dixit exteriores tenebras, et non inferiores. Qui considerat quomodo sequens parabola parabolæ huic præcedenti conjuncta est, et quomodo pars est parabolæ hujus: nec enim alterius rei parabola est, nisi ipsius: non sine ratione requirit: quia quod ait: *Post multum temporis veniens dominus ærorum illorum, posuit cum eis rationem:* non de secundo dicit adventu, quando venturus est cum majestate: sed de adventu, qui frequenter solet venire ad omnes Christianos, quibus gratiam dedit suæ cognitionis: et discutit eos, et ponit rationem cum eis, ut judicet eos, et justos ab iniquis discernat, sicut exposuimus supra in parabola ubi dicit: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis* (Math. 13. 25). Habet autem alia parabola sic: 31. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, 32. et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ac si dicat: *Interim quidem sic veniet, sic ponet rationem cum servis suis, sic discutiet eos, sicut exposui in ista parabola.* Cum autem venerit Filius hominis in majestate Patris sui cum angelis suis, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, tamquam non semper veniens cum majestate Patris veniat, nec cum angelis suis, nec semper veniens sedeat in sede majestatis suæ, sed tunc tantummodo fiet hoc. Sed et illud vide, quomodo in hac parabola peccatorem non in ignem, nec in aliquam poenam, sed tantum in tenebras exteriores mitti præcepit: in illa autem, cum venerit in majestate Patris, jam non tantum in tenebras exteriores, sed et in ignem mittet, et poenas. Item in hac parabola justum in gaudium jubet intrare, in illa autem in regnum. Adhuc autem quod ait, *Accedens autem et qui unum talentum acceperat ait: Sciebam quia homo durus es, metis quod non seminasti, et congregas quod non sparsisti:* putas in secundo adventu, cum venerit sic terribiliter cum gloria sua, stabit peccator ante eum, et talia dicet? Absit. Maxime cum nec asilment viri prudentes personale tunc fore iudicium, ut per singulos homines Christus quidem inter-

roget, peccator autem respondeat, et gesta narrationum conficiantur: sed verius est quod ait Apostolus, quia in cogitationibus suis iudicabitur unusquisque dicens: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente sibi conscientia eorum, et in se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, cum iudicabit Deus occultu hominum secundum evangelium meum per Jesum Christum* (Rom. 2. 15. 16). Ergo in hoc sæculo, quamdiu sunt Christiani in corporibus suis, venit Christus ad eos, et ponit rationem cum eis invisibiliter, et interrogat eos in cogitationibus eorum, et audit eos in ipsis loquentes, sicut scriptum est de utroque. De hoc quidem, quia *In cogitationibus impij interrogatio erit* (Sapient. 1. 9); de illo autem, *Quia cogitatio hominis confitebitur* (Psal. 75. 11). Utputa, dicit in Psalmo: *Vidua et pupillos interfecerunt, et advenam occiderunt, et dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob* (Psal. 93. 6. 7): non quia talia fuerunt specialiter verba illorum, sed quia tales sunt cogitationes hominum facientium mala. Nec enim facerent mala, si cogitarent, Deum aut intelligere aut videre quæ faciunt. Sic et hic, non quia talia specialiter sint dicta hominis justi, aut peccatoris: sed quia tales sunt cogitationes eorum, et cogitationes eorum quasi dicta ponuntur. Omnis enim vir justus, qui facit opera bona solum propter Deum, cum venerit in recordationem actuum suorum honorum, necesse habet venire frequenter, aut Deo movente cogitationes cordis ejus in eo, aut diabolo, prætermisso Deo: nescio tamen, cum venerit considerans intra se et actus suos bonos, et naturam carnis suæ malevolam, sic loquitur in cogitationibus suis: *Non ego hæc feci.* Nec enim credibile sine Deo naturam carnis injustam facere opus justum, sed virtus gratiæ Christi, quam dedit hominibus per fidem nominis sui. Et talis cogitatio ejus fit confessio ante Christum, audientem tacitas cogitationum loquentium voces. Item omnis peccator, qui fecit opera mala, cum venerit in recordationem actuum suorum malorum: necesse enim habet venire frequenter, sive ipso Christo movente cogitationes cordis ejus in eo, sive diabolo, Dei permissione: scio tamen, veniens numquam seipsum reprehendit in cogitationibus suis, numquam seipsum accusat, numquam se iudicat reum, sicut solent facere si deliquerint iusti: alioquin et compunctus emenderetur; sed excusat se semper in cogitationibus suis, et absolvere se festinat a reatu peccatorum suorum. Aut enim naturalibus necessitatibus imputat quod peccavit, aut plus ab omnibus Deum exigere dicit, quam ipsa patitur hominum habitudo. Non potest enim bona cogitare, qui mala opera facit: sicut nec mala cogitare potest, qui facit bona propter Deum. Et bonus quidem forsitan interdum mala cogitat: quoniam omnis homo etsi secundum voluntatem animæ bonus est, tamen secundum naturam carnis malus est. Malus autem impossibile est ut cogitet bona, quoniam et secundum naturam carnis malus est, et secundum animæ voluntatem perversus, et talis cogitatio maligna fit. Quando enim peccator nihil boni posse facere arbitratur, impediente natura, nisi tantum cognoscere Deum et Christum Filium ejus: nonne cogitationibus suis hoc dicere videtur ad Christum? Quia nihil boni posse facere creasti me, nisi solum cognoscere: ecce habes beneficium tuum. Et hoc ipsum quasi nihil æstimans dicit, quod Christum cognoscit. Similiter et iudicia Christi, et occulta de hominibus aut bonis, aut malis, quasi responsa ponuntur: id est, non quia specialiter sic Christus respondit, sed quia talia sunt iudicia Christi invisibiliter iudicantis. Congratulatur autem justus apud seipsum: primum, quia talia opera fecit: deinde, quia nihil eorum sibi imputavit, sed omnia Christo; propter quod superadditur ei gratia Spiritus sancti, et introducit eum in suum gaudium, ut sic gaudeat in terræ spe gloriæ suæ, sicut gaudet et Christus. Nam quantum largior fuerit spes hominis, tantum cordis ejus gaudium plenum est. Sicut in alio loco Dominus

dicit discipulis suis: *Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur* (Joan. 15. 11), id est, spes vestra. Spes enim plena hominis, plenum est gaudium cordis ipsius. Peccator autem qualia diximus cogitans, graviter fert: primum, quia mala fecit: deinde, quia ingratus est, nullam virtutem se æstimans accepisse ad faciendum opera bona, nisi nudam notitiam ejus. Propter quod jubet tolli ab eo etiam hoc ipsum quod cognoscat Christum, et mittit eum in tenebras exteriores. Jubet autem, sicut arbitrator, malignos spiritus ministrantes sibi ad mala, qui obscurant mentem ejus et obligantes opera ejus, et consilia simul, quod est manus et pedes, ut nihil ulterius boni aut consilii possit, aut agere, mittunt eum foras. Ubi foras? Extra Ecclesiam Christi, extra fidem veritatis, extra conventum sanctorum, in hæreses tenebrosas, ubi non apparet lux veritatis, sol justitiæ numquam splendet. Non enim dixit, In tenebras inferiores, ut infœnales intelligamus: sed, *In tenebras exteriores*, ut hæreses intelligamus præ cæteris plus tenebrosas. Aut certe quamdiu quidem peccator mala operatur, aut cogitat, in tenebris est, sed in tenebris propinquiorebus: quando autem in hæresim quamdam projicitur, tunc projicitur in tenebras exteriores.

*Homilia liv. ex cap. xv.*

31. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, etc.* Criminosas personas iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se constituit vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam calliculam, unde tribus digitis mortem hominum scribat aut vitam: hinc inde officiales ordinate consistunt, in medio secretario ponuntur genera horrenda pœnarum, quæ non solum pati, sed et videre tormentum est. Stant juxta parati tortores, crudeliore aspectu quam manibus. Tota iudicii facies cujusdam schematis terrore vestitur. Et eum ad medium productæ fuerint criminosæ personæ, ante interrogationem iudicis ipsius, iudicii terribili discutiuntur aspectu. Similiter et Dominus se ad iudicium venturum promittit similiter cum tremore, non cum simili terrore. Nam et bona et mala similiter ordinata sunt in terra sicut in cælo, non tamen similia. Ergo videntes in terra pœnas, et glorias, non similes putare debemus in cælo: sed cum sint talia super terram, multo majora suspicari debemus in cælo. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum cælestis iudicium a terreno. Istius enim iudicii splendor in schemate, illius autem iudicii majestas in veritate, testante propheta: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (Psal. 49. 3). *Manifeste*, inquit, non jam celatus in corpore, sicut antea, ut vix eum etiam boni cognoscerent: sed manifestus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur inviti: ut qui contempserunt eum, in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt quam dulcis est misericordia ejus, sentiant quam gravis est ira ipsius. *Deus noster, et non silebit.* Non dixit, Et silebit, ostendens quia ipse quidem de se tacebit, sed ipsa gloria ejus de ipso loquatur. Aliquando transfiguratum eum in monte videntes apostoli, acceperunt mandatum ne cui dicerent (Matth. 17. 9), ne videretur Christus per potentiam subjugare sibi populum, et non per fidem. Tunc autem jam nemo tacebit, quia non est venturus adhuc tentare fideles, sed jam perdere infideles. Tunc prædicatores necessarii non erunt. Nam etsi vox omnium taceat, visio ipsa clamabit, sicut ipse de secundo suo adventu dicit: *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, sic erit adventus Filii hominis* (Matth. 24. 27). *Tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Scimus certissime, quia sedes Christi homines sunt. Cum ergo de primo adventu et ascensu Christi dicat propheta, *sedesio eum super sedem sanctam suam*, hoc modo: *Ascendit Deus in strepitu, Dominus in voce tubæ: Deus sedet super sedem sanctam suam* (Psal. 46. 6. 9): quomodo

